B

c


FUNDAMENTUM TOTIVS THEOLOGIÆ MORALIS, SEU TRACTATVS DE CONSCIENTIA PROBABILI.

IN QVO, QVA RATIONE, QVA AVTHORITATE irrefragabili, Usus cujusvis opinionis practicè probabilis demonstratur esse licitus.

AVCTORE
R. P. ANTONIO TERILLO ANGLO
SOCIETATIS JESU SACERDOTE,
S. Theologiæ Professore.

Opus omnibus, qui curam animarum gerunt, apprimè utile, & pro propriæ conscientiæ securitate singulis propemodum necessarium.

In hoc Tractatu natura, & qualitas practica probabilitatis fusè explicatur. Modus, quo ex probabili judicio certitudo conscientiæ multiplici viâ exurgit, clarè exponitur. Errores Iansenii circa ignorantiam invincibilem refutantur. Intentum operis ex sacrâ Scripturâ, S. Canonibus, SS. PP. stabilitur. Quidquid à nimis rigidè sentientibus hactenus objectum fuit examinatur, ponderatur, & quia leve invenitur, rejicitur, & quod plus est, licito probabilitatis usui favere convincitur.



LEODII,
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JOANNIS MATHIÆ HOVII,
Ad insigne Paradisi Terrestris. M. DC. LXVIII.

SVPERIORVM PERMISSV.

E




Illustriss.o Comiti de Castlemaine
Baroni de Limmerick etc.

ILLUSTRISSIMO DOMINO,

D. ROGERIO

COMITI DE CASTLEMAINE,

BARONI DE LIMERICK, &c.

Omnis literaturæ eximio Cultori, ac Patrono.

ANTONIUS TERILLUS Soc. IESU, post manûs osculum, se suaque omnia Dat. Dicat. Dedicat.



I ingenii parturientis Fœtum in lucem recèns editum Lectores oculo benigno aspicerent, opus non esset, COMES ILLUSTRISSIME, *Magnorum Virorum patrocinium implorare, quorum ope fœtus tener, quasi manu molliter obstetricante, absque periculo è terrâ levari, atque in publicum tanto tectus patrocinio prodire posset. Verùm, proh dolor! in ea tempora incidimus, ut quot Lectores cupimus, tot metuamus Censores, qui, si quid, non dico mutilum, sed vel minùs perfectè elaboratum aspexerint, inimico abrepti impetu universum Partum condemnant, illúmque rigidâ interpretatione torquere, gravíque ad mortem usque censurâ*

premere non verentur; quem tamen innata humanitas, benevolentia patrocinio fovendum, aptâque interpretatione in debitam pulchritudinem efformandum postulat. Ita est. Tenellus infans non tam periculoso fascino per venenatum sagæ aspectum inficitur, quàm Liber recèns editus per invidos Criticorum oculos, qui aspectu verè pestifero singulas, ut ita dicam, paginas maculare, aut ut maculatas aliis repræsentare non verentur, nisi authoritate Magni alicujus Patroni absterreantur. Absterrebuntur autem, Illustrissime Comes, cùm Te, librum meum tuo Nomini inscriptum, tuóque Patrocinio tectum in publicum prodire voluisse intellexerint. Et sanè hoc mihi inprimis summo honori duco, quòd opus hoc Tibi humanissimè passus sis dedicari. Ego certè cùm oculos animûmque in omnes, quibus ullo obsequii titulo obstringor, conjecissem, neminem invenire potui, cui justiùs quàm Tibi, unà cum Opere hoc, meipsum in perpetuum servum offerrem. Nec mirum: eâ enim stirpis nobilitate, eâ mentis sagacitate, eâque studendi sedulitate coruscas, ut in Te uno ornando unitis animis conspiràsse videantur Fortuna, Natura, Industria; incertum autem esse arbitror, quanam palmam tulerit; quia adhuc mihi dubium est, feceritne Fortuna Te honoratiorem, Natura capaciorem, Industria gloriosiorem. Hoc audacter dico, causam probavit eventus; in Te enim & florent præstantiora bona Fortunæ, & abundant spectabiliora dona Naturæ, & clarent potiora ornamenta

Industriæ.

Industriæ. Et quidem quod attinet ad bona Fortunæ, vigent in Te, quæ noscuntur esse potissima. Dicerem sanè quàm plurima de avitâ tuæ Prosapiæ nobilitate, nisi ea adeò essent cõspicua, ut Solis instar neminem laterent. Quis ignorat, Familiam tuam à longo sæculorum decursu inter præstantiores Angliæ Stirpes antiquissimâ Illustrissimorum Atavorum serie emicuisse? Nec Clarissimorum Avorum sanguis degeneravit in venis Nepotum, sed magnorum instar fluminum post longum decursum non solùm crevit, sed claruit. Testis mihi est Anglia universa, quæ Primores suos, antiquissimæ Nobilitatis viros (Percæos dico Northumbriæ Comites, dico Herbertos Comites de Pembrooke, loquor Barones de Povvis, Nomina non Angliæ tantùm, sed universæ Europæ notissima) totum, quantus quantus est, sanguinis sui splendorem in Te effudisse prædicat. Quod si in Affines tuos oculos conjiciamus, profectò præcipuos quosque totius Regni Proceres, etiam gloriæ cupidissimos, à mixto nobilissimæ Prosapiæ tuæ sanguine splendoris sui augmentum ambivisse vidimus, novimus acquisivisse. Et sanè generosa hæc nobilitas bonorum omnium externorum, quæ per Fortunam possidemus, cunctorum populorum consensione primum censetur atque potissimum; illud tamen, utcumque magnum, internis nobilissimæ Prolis dotibus, me judice, hau(d) quaquam est æquiparandum. Multùm refert, quâ ex arbore Surculus defringatur. Fortes creantur fortibus & bonis, Horat.

 Nec

Nec imbellem feroces progenerant Aquilæ Columbam. *In clarissimorum Virorum generosâ Prosapiâ ridet externi vultûs imago augustior, viget in membris totius corporis compago ornatior, floret in indole natura præstantior, lucet in mente intellectus perspicacior. Patere ergo, Illustrissime Comes, ut prætermissis corporis tui donis, quia omnium oculis patent, ea de dotibus animi tui proferam, quæ indubitatis argumentis ad meam notitiam pervenerunt. Quid dicam de placidissimâ indole, quâ omnium erga Te animos devincis? Ea certè tanta est, quantam hactenus nec verbis explicare, nec tacito affectu satis venerari potui. Sum, Illustriss. Comes, Sacerdos Ordine, Professione Religiosus; quem proinde mentiri pudet, dedecet adulari. Nunquam de Te loquentes audivi (audivi autem sæpissimè) quin omnes mores tuos suavissimos, ac nobilissimam comitatem miris, sed meo judicio Merito tuo imparibus, præconiis extollerent. Injurii Tibi futuri sunt Rerum nostrarum Historici, si admirandum generosi animi tui robur, atque flagrantissimum nobilissimi pectoris in Patriam amorem æternitati non consecraverint. In atrocissimo illo bello non ita pridem Anglos inter & Batavos exorto, cùm ingentes utrinque classes Anno* 1665. *die* 13. *Iunii concurrerent, unde factum putabimus, Anglos illo in conflictu tam gloriosè de suis Hostibus triumphasse? Referunt hoc plurimi in invictum robur, ac*

bellicam

bellicam Militiæ nostræ virtutem, & benè sentiunt: verùm ego victoriam illam, post Deum, ingentibus Animis, ac Fortunæ Procerum nostrorum ascribendam judico, qui Serenissimum Ducem Eboracensem comitati, contempto vitæ periculo, ideò classem sponte conscenderant, ut suo exemplo militibus ad fortiter pro Patriâ dimicandum animos adderent. Mirum dictu est, quàm alacri animo Proceres nostri, tanti belli expeditione commoti, undique confluxerint. Hos inter Tu, Illustriss. Comes, ex primis affuisti, Navemq;, Vindictam *appellatam, 73. bellicis tormentis instructam (cui Robertus Holmesius Eques auratus, Dux maximè strenuus, ac Miles pugnacissimus praerat) ideò præ cæteris conscendisti, ut post vindictam, quam corde conceperas, gloriosissimum etiam triumphum, tanto Duci Honorarius commiles adjunctus, è mediis Hostium Classibus reportares. Nec Te tua fefellit opinio. Holmesius enim & sponte suâ, & tuâ etiam instigatione in media se pericula conjecit, universaliq; omnium applausu, è mediis hostibus gloriosissimam victoriam reportavit. Formidandum hoc, & periculosum bellicæ gloriæ tyrocinium usque adeò animi tui militaris robur exacuit, ut similem aleam pro Patriæ defensione iterum experiri vehementissimè cuperes; quam certè iteratis vicibus fortunatiùs jecisses, nisi Majestas regia Serenissimum Fratrem suum Eboracensem Ducem (quem comitandi causâ sicut bellum susceperas, ita ut illi adhæreres,*

militiam

militiam deserere debueras) justis de causis à classe ad alia negotia tractanda revocasset. Et sanè hæc tua aliorumq; Procerum à Classe absentia non parùm nocumenti rebus nostris attulisset, nisi tam heroici roboris ac in Patriam amoris memoria militum cordibus indelebiliter impressa remansisset. Verùm mansit illa, vigoremq; pugnantibus addidit, ac proinde Tibi ex sequentibus etiam Victoriis palmam tulit. Et hæc quidem invicti animi argumenta in Orbis conspectu exhibita, opus non est ulteriùs prosequi, cùm neminem latere possint. Atque utinam omnes de mentis sagacitate, atque intellectûs tui perspicacitate ea similiter argumenta haberent, quibus ego convictus eandem sæpè demiratus sum, & etiamnum admiror. Privatis ac familiaribus congressibus, à Te humanissimè admissus, non semel interfui, in quibus cùm de difficillimis S. Theologiæ quæstionibus orta esset contentio, Tu statim naturali tantùm mentis perspicacitate veritates abditissimas, summisq; Doctoribus fermè inaccessas, quasi digito monstrare, easq; terminis etiam non alienis circumsedenti coronæ noveras explicare; quod cùm semel atque iterum percepissem, aliud de tam elevatâ ac prodigiosa mentis acie concludere haudquaquam potui, quàm quòd Tu plus sapientiæ ac acuminis à naturâ jure quasi hæreditario acceperis, quàm alii, etsi ingenio excellentes, totis industriæ conatibus potuerint sibi comparare. Ex eo autem tempore sicut tale ingenium mihi adversum

extimuissem, ita cùm illud mihi propitium invenissem, non mediocriter gavisus sum. Atque hic mihi liceat Tibi, Comes Illustriss. singulari nomine gratulari. Auxisti ornamenta hæc tua propria labore industriæ. Post omnia, quæ Domi ac in Patriâ scitu digna erant, brevi temporis intervallo comprehensa, nobilissimas quasque Orbis regiones peragrasti, ne quid uspiam esset, quod mentem tuam, Mundo regendo parem, lateret. Quæ per Europam Curia Te non vidit? Quæ Natio Virtutes tuas, admirabiles planè, ac verè conspicuas non est demirata? Vix vulgare, quo Nobiles uti solent, idioma est, quod adeò perfectè non calleas, ut Nationes singulæ, cùm Te in suâ linguâ ingeniosissimè ac erudititissimè, uti semper soles, discurrentem audierint, tali se Cive, tantoq; viro ornatas glorientur. Nil dicam de græcis pariter ac latinis literis, quibus à juventute excellenter instructus fuisti, quia de his me plura dicere volentem majora avocant. Nil de Regnorum ac Rerum-publicarum reconditis negotiis ac utilitatibus adeò reclusum est, de quo pleniorem notitiam non habeas; unde quoties de politicis rebus sermo occurrit, mirum dictu est, quàm eruditè præterita recolas, quàm profundè de præsentibus discurras, quodq; magis stupendum est, quàm sagaciter de futuris prænuncies; hæc enim eodem fermè tenore evenisse sæpiùs admirati sumus, quo priùs à Te prædicta audiveramus. Neque minorem in subtilioribus scientiis, quàm in politicis ac

practicis negotiis Tibi laudem tua peperit Industria. Si quid in Mathematicis curiosum, si quid in Physicis reconditum, si quid denique in universâ naturâ prodigiosum reperiatur, id omne cum universis ad id spectantibus Tibi adeò familiare est, ac si, aliis curis non distentus, ætatem omnem in accuratissimâ singulorum indagatione consumpsisses. Testantur hoc complures, qui summâ animi voluptate Te de similibus differentem sæpius audierunt, quibus Ego ipse (nam felicitatem Te sæpius audiendi nactus sum) testis accedo. Testantur idipsum accuratissima, quæ hactenus edidisti, Opuscula. Testabuntur majora, quæ avidè expectamus, Opera. Certè quidquid acuminis, quidquid eloquentiæ, quidquid lepôris & nervi in Oratore desiderari potest, id omne in tuis lucubrationibus adeò abundat, ut nemo eas percurrendas accipiat, quin, incredibili admirationis impetu, summaq; animi dulcedine abreptus, cogatur universas percurrere, antequàm sitim suam ac sciendi aviditatem explere possit. Magna sunt, fateor, ornamenta hæc tua, Comes Illustriss. sed longè præstantius est, quod dicendum superest. Est, cur tota Ecclesia Catholica se Tibi obstrictam arbitretur. Fuerunt non ita pridem, qui miras in Catholicos calumnias mente fingere, voce spargere, ac scriptis etiam libellis famosis evulgare non erubuerunt. Tu pro Domo Dei Te murum opposuisti, Illustriss. Comes, ac non minùs eruditâ, quàm evidenti veritatis ac rerum gestarum

narratione

narratione calumnias omnes libro edito diluisti, evertisti, dissipasti. Benedictus Deus, qui Te tantâ scientiâ, ut posses, tantaq; fidei constantiâ replevit, ut ex omnibus Proceribus solus tam arduam ac periculosam Provinciam in Te suscipere non formidares. Veniat nunc, si quis meum in Te Patronò eligendo consilium improbare audeat, veniat, & ego illum coram universo Orbe confundam. Eum enim elegi, qui & Auctoritate procaces compescere, & argutos Subtilitate confundere, suaq; Doctrinâ malevolos erroris arguere, & quidquid à me minùs perfectè dictum est, paucis verbis perficere valet, ac explanare. Quæ cùm ita sint, patere, Illustriss. Comes, ut Tibi Tractatum hunc unà cum sincerissimo cordis affectu in testimonium perpetui obsequii consecrem; sic enim futurum arbitror, ut fructus, quem ex ejus divulgatione colligendum spero, copiosior exurgat. Hoc si evenerit, id tuo, post Deum, Nomini acceptum referam. Interim Deum suppliciter rogo, ut Te ad Patriæ decus, Fideiq; Catholicæ defensionem diu servet incolumem. Hoc precatur, hoc optat, hoc vovet

ILLVSTRISSIMÆ DOMINATIONIS TVÆ

Humillimus, ac obsequentissimus servus.

ANTONIUS TERILLUS.

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Um probabilitatem opinionum moralium, quæ non ita pridem ab omnibus pro securâ conscientiæ regulâ habita fuerat, à paucis annis, mutatione plane repentinâ, non solùm in dubium vocatam, sed plurium censuris ut morum & omnis honestatis venenum, atque ut errorem grandis periculi, imò certi exitii plenum, damnatam fuisse animadvertissem, cepi tantæ, tamque inexpectatæ mutationis originem attentiùs investigare; eamque tandem (si Jansenistarum consilia demas) aliam non fuisse, quàm nimiam aliquorum Theologorum ac Casuistarum in opinando laxitatem clarè perspexi. Fuerunt enimverò ex recentioribus non pauci, qui levissimis ratiunculis ducti, antiquiorum Theologorum in opinando severitatem non modò clam carpere, sed palam ausi sunt suis scriptis condemnare. Quod enim priores, doctiores, ac severiores Theologi unanimi sententiâ damnabant ut malum, Recentiores isti, ausu sanè temerario, pro bono & honesto venditare non erubuerunt. Cùm enim plus æquo famæ, vanæque de suâ doctrinâ existimationis essent cupidi, mirum est, quo ardore, atque animi contentione ad scripta sua typis mandanda incubuerint. Nullus annus elabi poterat, quem ingens librorum recenter editorum multitudo suorum natalium testem in fronte notatum non præferret. Universalis hic scribendi pruritus in nullâ materiâ quàm in re morali lamentabiliùs grassatus est. Innumerabiles sunt qui à 30. annis, summis casuum, rerumque moralium tractatibus bibliothecas impleverunt. Quid autem facerent, ut ad famam, quam aucupabantur, pervenirent? Non satis illis visum est, si ab aliis dicta, novo ordine, novaque methodo, & ad legentium captum faciliori digesta (quod tamen laude dignum fuisset) vulgarent. Ergo ad nova promenda animosiores effecti, in opiniones laxiores oculos animumque conjecerunt, gnari eas præ omnibus rudiori legentium vulgo mirùm placituras. Verùm ne propter apertam ab unanimi Antiquiorum opinione defectionem temeritatis arguerentur, ceperunt rationes aliquas excogitare, quibus & suum à Majorum doctrinâ recessum honestarent, & apud imperitum vulgus de suæ sententiæ veritate plausum aliquem obtinerent. Hi ergo dum animo, ut in istis fieri solet, pro veritatis indagatione minùs benè disposito ad confirmanda prurientis ingenii commenta incumberent, quidquid vel minimam veritatis speciem præ se ferebat, avidiore animo arripuisse, atque in illo sibi mirè complacuisse noscuntur. Vidi ego ex hisce Recentioribus nonnullos, viros cæteroquin egregios, qui cùm in rebus summi momenti, ad Dei legem & conscientiæ obligationem pertinentibus, ab unanimi omnium sententiâ ad intolerabilem opinandi

andi laxitatem declinassent; aliud tamen quo moverentur, quàm argumentum simili ductum, non habebant. Vidi, & exhorrui. Quis enim non horreret Dei præceptum ab omnibus prius agnitum, solidissimisque argumentis comprobatum, tam frivolo argumento è legis divinæ & Ecclesiasticæ tabulis non minùs impudenter quàm imprudenter eradi? Neque hîc stetit quorundam audacia; plurimi enim, etsi doctrinâ longè inferiores, similem quoque arguendi modum sibi licitum existimantes, ex laxis resolutionibus ad alias laxiores iter sibi, rectiùs dixerim, & sibi & aliis præcipitium aperuerunt; atque ita brevi effectum est, ut plures laxitates, verè non ferendæ, in oculos legentium non sine plurimorum scandalo frequenter incurrerent. Nec defuêre, qui laudi sibi verterent laxiores sententias in unum colligere, easque tamquam legitimas conscientiæ regulas sub specioso probabilitatis tegmine venditare. Cùm enim apud Authores, jam in ore vulgi ob suam laxitatem celebres, resolutionem aliquam invenissent, ilico eam pro verè probabili habuerunt; legerant enim apud gravissimos scriptores unius Doctoris Authoritatem ad probabilitatem suis dictis asserendam sufficere. Porrò probabilitatem ad conscientiæ tranquillitatem sufficere & rationibus efficacissimis ducti, & unanimi gravissimorum Theologorum authoritate edocti nullatenus dubitabant. Unde factum est, ut quascumque opiniones expresse ab Ecclesiâ non condemnatas apud quemcumque reperissent, eas pro verè probabilibus & ipsi haberent, & aliis pro regulâ ad conscientiæ tranquillitatem opportunâ traderent. Immò incredibile non est, eos subtili Satanæ insinuatione deceptos, sub humanitatis cujusdam lenocinio, mutuique honoris specie quibusvis aliorum dictis probabilitatem ideò attribuisse, ut quam ipsi prærogativam Prioribus ultrò dedissent, eam ipsis Posteriores non inviderent. Hâc arte dolosus inimicus, postquam doctiores, qui & sibi invigilare & aliis prospicere debuerant, prægustato plausu amplioris famæ per laxarum opinionum evulgationem sibi certò acquirendæ fascinasset, per eos nimis incautos in campo moralis Theologiæ, optimo severarum opinionum tritico abundè sato, detestanda laxitatis zizania superseminavit, & abiit; conscius quippè erat, ea absque boni tritici jacturâ numquam evellenda. Certam sibi proinde gratulatus est victoriam, quia norat se humanâ industriâ vix impediri posse, quo minùs voti sui compos fieret. Quid enim? tolerandæ erant scandalosæ laxitatis opiniones nocivæ? At hoc ipsum erat, quod omni curâ, ut fieret, conabatur. Quid ergò? eradicandæ erant non tam emergentes gemmæ, quàm adultæ vinculatæque cum tritico zizaniorum herbæ? At id absque tritici jacturâ, id est, absque sinceræ doctrinæ radicitùs non tam convellendæ quàm evellendæ periculo fieri haudquaquam posse non immeritò gloriabatur.

 Hæc

Hæc sunt, quæ à multis annis dolens perspexi, quando primùm viros magni sed effrænis ingenii, fractis severæ justæque moderationis habenis, ad laxè opinandum quasi calcaribus adactos præcipitanter cucurrisse & adhuc currere animadvertebam. Hæc sunt, de quibus quamplures doctrinæ probitatisque laude conspicui sæpè mecum graviter conquesti sunt. Hæc sunt, quæ plurium Doctorum verè catholicorum (nam Jansenistas hæreticos non moror) per Italiam, Galliam, Belgiumque zelum exacuêre, qui cùm laxitatem hanc diutiùs ferre non sustinerent, arrepto calamo, ad eam ex hominum persuasione evellendam totis viribus exarserunt. Nec incassum. Effecerunt enim, ut plures à laxis opinionibus edendis abstinuerint; quod nec parvum, nec indignum operis ab illis suscepti præmium meritò existimari debet. Verùm patienter ferent viri doctissimi probissimique, si quid ex illorum labore & zelo, præter eorum expectationem, evenerit, aperiam. Fecerunt illi, quod satagere solent, qui curvum baculum ad rectitudinem conantur reducere. Sicut enim isti totius corporis nisu baculum in oppositam partem tantum detorquent, quantum in alteram à rectitudine deflexerat, ut luxatis partibus, quarum contractione curvitas constiterat, constrictisque fibris, quarum latiore texturâ convexitas tenebatur immota, baculus tandem nec ab illis fortiùs attractus, nec ab his violentiùs detrusus stabilem optatæ rectitudinis situm obtineat. Ita Authores illi, ut laxitatem sub prætensâ probabilitatis specie inductam certiùs eradicarent, summâ animi contentione omnem etiam veram sincerámque probabilitatem conati sunt radicitùs evellere, & ut insufficientem pro securitate conscientiæ fundandâ repudiare; in quo certè doctrinam moralem, laxis opinionibus detortam, in oppositam nimii rigoris partem tantumdem contorsêrunt, quantum à rectitudine debitâ quondam Recentiorum vitio deflexerat. Hæc illi quidem, sed sine optato rectitudinis, sinceræque pro moderandâ conscientiâ regulæ effectu præstiterunt. Nec mirum; non enim par est corporum, ac opinionum à rectitudine aberrantium conditio. In illis nimius ille ex adverso contorsionis impulsus cessat, quando qui illum impressit, manum amovet. At asserta, quibus adversa quævis sententia impetitur, semel calamo elapsa, quasi fixo pede manent immota; quæ proinde, si à veritate deflectant, plus nocent sanam doctrinam convellendo, quàm prosunt laxa dogmata confutando. Certè non minùs periculosum est & nocivum, nimium arctare conscientiæ regulam, quàm eandem nimis laxare; Nec pauciora peccata comitantur indiscretum rigorem, quàm imprudentem laxitatem opinandi. Quòd vera, quòd sincera probabilitas de honestate alicujus objecti sit sufficiens regula pro conscientiæ securitate, veritas est unanimi Authorum omnium præstan-

…ſtantiſſimorum conſenſu ſtabilita. At quòd quævis probabilitas etiam …parens, ut aliqui volunt, licitè ſumi poſſit in regulam conſcientiæ, laxita… ſapit æquo animo non ferendam. Hoc confutatione dignum eſt, illud …enſione.

Atque utinam qui laxitatem Recentiorum impugnandam ſuſcepêre, proba…tatis naturam exactiùs inveſtigaſſent; utinam vocabula in proprio ac genui… Authorum ſenſu accepiſſent; Tunc certè utiliùs impendiſſent operam, …ciſſentque, ut quod reprehenſione dignum erat, ab omnibus fuiſſet reje…m; nec quemquam ad ſinceram doctrinam ab eorum argumentis vindican…laceſſiſſent; ſiluiſſent proinde clamoſæ, & quotidie fermè renovatæ diſpu…ones de ſufficienti conſcientiam rectè formandi regulâ, quibus orbis Chri…nus hucuſque diſtenditur. Verùm è contra res accidit. Illi enim partim … vehementiùs in aliquos inſurrexiſſent, qui probabilia vocitabant, quæ … erant probabilia, omnia ſub probabilitatis nomine contenta radicitùs …vellere conati ſunt; partim cùm ex propriâ electione peculiarem ſibi fabri…ent probabilitatis notionem, ad ſecuritatem conſcientiæ planè inſufficien…, cumque nil aliud probabilitatis nomine ſignificari contendiſſent, quaſi …oriam nacti, cùm reipſa neminem haberent contradicentem, magnâ ver…um & argumentorum contentione omnibus perſuaſêre, ne quiſquam, qui … cautum vellet, fallibili probabilitatis apparentiæ conſcientiam ſuam per…eret. Atque hinc factum eſt, ut hi ſinceram probabilitatem cum adulte… confuderint, plurimaque diſtinctione digniſſima, atque inter ſe diſſimilli… uno eodemque nomine complexi ſint. Unde quod in uno ex ſignificatis … verti videbant, omnibus minùs cautè ineſſe deprædicare auſi ſunt. Quod … non eſt præſtare, quàm ſinceram doctrinam & genuinum triticum convel…, dum falſa laxitatis commerita inſtar zizaniorum illi implexa, & propter …m eandem æquivocationem quaſi coalita, abſque diligenti rerum diſtin…ne ſumuntur evellenda. Nec hoc iſtorum tantùm infortunium eſt, cùm …em ſoleant celebriores iſtiuſmodi diſputationes conditionem habere, …ndiu ſub initium quaſi virent in gramine. Siquidem propter terminos …dum benè intellectos, nec in eodem ſenſu à diſputantibus acceptos, ſin…m veritatis triticum à vertiginoſo erroris lolio difficulter dignoſcitur. …ontinuatâ aliquandiu diſſertatione, dum multiplicia eorundem verbo… ſignificata diſtinguuntur, plura, eaque diſſimillima, ſub ejuſdem nominis … cognoſcuntur latere implexa; quæ tamen niſi ſatis longo poſt tempore …tè ſecernere non minùs difficile reputari debet, quàm zizania abſque tri…herbeſcentis læſione evellere.

Ex hac

Ex hac vocum earundem diversâ acceptione & intelligentiâ ortum accepit, atque magnâ ex parte progressum agnoscit celeberrima hoc tempore pugna Scholastica de conscientiâ probabili, quâ nulla unquam aut gravior aut acrior mundum implevit. Atque utinam, veritate semel detectâ, cesset tandem aliquando implacabilis alioquin ingeniorum adversa opinantium altercatio. Hunc in finem tractatum præsentem evulgare statui, non contentionis continuandæ animo, sed spe pacis ineundæ. Atque ut verum fatear, post lecta, & diu perpensa, quæ hinc inde pro contrariis partibus hactenus fuêre vulgata, jam tandem non fuit usque adeò difficile æquivocationes discernere, quibus laxitatis impugnatores sinceram severamque doctrinam sub eodem probabilitatis nomine cum laxè opinantium sententiâ confundebant. Præterea palam mihi constitit, disceptationes hasce ideò mirum in modum incaluisse, atque unà magis magisque invaluisse, quòd qui pro partibus contrariis decertabant, verbis magis quàm rebus ab invicem discreparent, cùm quod hi vocabant probabile, illi nequaquam pro probabili haberent. Pars tamen utraque alteri videbatur contraria, cùm altera probabilia summâ vi respueret; altera omni contentione probabilia pro conscientiæ regulâ admittenda contenderet. Jam verò, partium hallucinationibus detectis, sol veritatis & clariùs lucet, & vehementiùs calet, adduxitque tempus messis, in quâ laborandum judicavi, ut genuinum moralis doctrinæ triticum, sincerumque conscientiæ frumentum à laxæ doctrinæ zizaniis absque ullo segetem jam maturam lædendi periculo secernerem. Hoc puto, hoc spero me præsenti tractatu peregisse. Eam enim certæ & indubitatæ probabilitatis notionem, juxta genuinam ejus acceptionem pono, quæ ad clarè discernendum quid laxum, quid severum, rationabile ac justum in totâ morali disciplinâ reputari debeat, quæque ad cognoscendum quid certò licitum, quid sit illicitum; mirâ facilitate deservit. Deinde post plures adversariorum hallucinationes detectas eam conscientiæ regulam propono, quæ operaturum titubantem non relinquit, sed de suæ operationis honestate certum reddit. Ostendo etiam, & evidenter convinco, quòd intellectus ex verâ probabilitate de honestate operis certò cognitâ ad formandum conscientiæ dictamen certum & infallibile de suæ operationis honestate possit pervenire; immò, quod plus est, plures vias ostendo, quas qui tenent, ad dictam certitudinem absque ullis itinerum anfractibus facillimè perveniunt.

Porrò quia adversarii ad sacram Scripturam, sacros Canones, sanctosque PP. confugiunt, & in illis causæ suæ stabilimentum se reperisse gloriantur, ideò quidquid ex istis fontibus afferunt inspexi, illudque ipsum non modò illis non favere

ere, ſed penitùs adverſari comperi. Nec mirum, quia dum communem tentiam impugnant, eam in ſenſu à ſe tantùm confictо, à nobis autem non erto impetunt; quid ergo mirum, ſi hac in parte penitùs à ſcopo aberrent? terùm hæc omnia adeò apertè demonſtro, ut qui oculos veritati non clau-, ea neceſſariò diſcernere poſſit, ſi velit.

Præterea patenter evinco, Theologos omnes, quotquot hactenus in Eccle-floruerunt, in aſſignandâ conſcientiæ tutò formandæ regula cum Recen-ribus convenire, nec in ullo apice quoad rei ſubſtantiam ab illis diſcrepare. quid certiùs, quàm id in quo omnes omninò conveniunt? Quid gratiùs ſin-o veritatis amatori poteſt accidere, quàm videre omnes omninò in re tanti menti, quanta eſt opportuna & ſecura pro conſcientiâ tutò formandâ re-a, ſibi invicem ſubſcribere? Hæc tamen aliaque iſtiuſmodi quàmplurima, que ſummi momenti, in progreſſu operis evidenter demonſtro, quæ apertè vincunt Authores antiquos, quos adverſarii contra Recentiores ſtare ſtimant, reipſa in nullo diſcrepare à communi receptiſſimaque Moder-rum ſententiâ, ſi illa in proprio ſenſu, eoque ab authoribus intento acci-tur. Viſum eſt hæc breviter præfari, tum ut benevolus lector mentem & nſilium Authoris perſpectum habeat; tum ut, antequàm oculos operi ad-veat, totius diſſertationis ſcopum penitiùs inſpiciat; primum enim animo-tem omnem, uti ſpero, exſcindet; ſecundùm verò efficiet, ut plus utili-s benevolo Lectori acceſſurum ſit. Ita voveo. & ad opus ipſum me ingo.



FACULTAS ORDINARII.

CUM nonnulli perlegerint Librum à R. P. ANTONIO TERILLO Soc. IESU conscriptum, cui titulus est, *Fundamentum totius Theologiæ moralis*, seu, *Tractatus de conscientiá probabili*, & in eo nil repererint contrarium fidei aut bonis moribus, sed è contra quæstionem asserant esse solidè tractatam, omnibusque ejus editionem utilissimam fore arbitrentur, eò quòd Author, sicut à laxitate opinandi abhorret, ita in nimium rigorem non inclinet, sed mediâ viâ incedens, perspicuam conscientiæ tutò formandæ viam proponat; per quam homo probabilia minùs tuta sequens ad conscientiæ securitatem consurgat, intentumque suum Author efficacissimè comprobet; ideò facultatem concedo, ut opus tam utile in lucem prodeat. Datum Leodii 1. Augusti 1668.

IO. ERNEST. BARO DE SURLET
Canonicus & Vicarius generalis Leodiensis.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS.

CUM Librum, cui titulus *Fundamentum totius Theologiæ moralis*, seu, *Tractatus de Conscientia probabili*, à R.P. ANTONIO TERILLO Societatis Nostræ Sacræ Theologiæ Professore conscriptum, plures Patres Theologi ad id deputati diligenter perlegerint, & dignum censeant qui typis in publicum proferatur; Ego JOANNES CLARCUS Societatis JESU per Angliam Præpositus Provincialis, factâ mihi potestate ab Admodum Reverendo Patre Nostro JOANNE PAULO OLIVA Præposito Generali, ejus imprimendi facultatem concedo. In cujus rei fidem Authori hoc Chirographum Officii mei sigillo munitum dedi. Londini 4. Octobris 1667.

JOANNES CLARCUS.

Locus (O) *sigilli.*

INDEX

INDEX QUÆSTIONUM
DE
CONSCIENTIA PROBABILI.

ANTONII TERILLI ANGLI, SOCIETATIS JESU THEOLOGI.

TRACTATVS THEOLOGICVS DE CONSCIENTIA PROBABILI.

QUÆSTIO PRIMA.

Vtrum conveniens sit & proficuum reflexè differere, ac investigare, an liceat in praxi sequi quamcumque opinionem verè probabilem, etiam minùs tutam?

Quæstionis institutæ ratio.

1. SÆPE contingit Lectorem eo leviori oculo libros legere, eoque etiam minùs attentè lecta ponderare, quo tractatûs gravitas & necessitas ei minùs perspecta est. E contra ve[rò], qui dissertationis momentum ante per[spe]ctum habet, eò mente seduliore univer[sa] ad illam spectantia considerat, ut quem [ju]xta rei magnitudinem desiderat, fructum [ca]piat. Quocirca cùm præsens tractatus, [ha]c tempestate longè celeberrimus, maxi[m]eque agitatus, summi momenti sit, præ[se]ns quæstio instar procemii præmitti de[bu]it, ut disputationis gravitate ante oculos [in]gentium positâ, illi uberem operæ suæ [fr]uctum colligant.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO UNICA.

Valde conveniens est & utile differere, ac reflexè disputando determinare, utrum cuique licitum sit sectari quamcumque opinionem verè probabilem, etsi illa sit minus tuta, quàm opposita. Præsens tractatus est valde utilis.

2. PRobatur. Quotiescunque dubium exoritur, utrum opus aliquod liceat, nec ne, toties consultatione opus est, ad dubium deponendum, nisi quis tutiorem in omnibus partē sectandi obligationem subire velit. Quamdiu enim mens dubia manet, unusquisque tenetur partem sequi tutiorem, in cujus scilicet prosecutione nullum peccati periculum esse potest. V. g. dubium in mente pictoris oritur, an liceat necne pingere in die festo? Pictor iste, nisi

Ad dubiū deponendum opus est discursu & consultatione.

velit subitè onus omittendi lucrum, aut perdendi voluptatem, quam ex artis suæ usu lucraturus erat, tenetur consultationem aliquam adhibere, quâ rationabiliter dubium exortum determinet, ac deponat. Si enim dubio rationabiliter non deposito pingat, haud dubiè peccat. Tamdiu ergo durat obligatio sectandi tutiora, quamdiu mens operantis dubitat de honestate suæ operationis. Ecce in omni dubio circa quæstionem, an aliquid liceat nec ne, unusquisque obligatur sectari partem tutiorem, nisi rationabiliter dubium deponat, aut determinet. At dubium exortum sine consultatione aliqua aut discursu determinari, vel rationabiliter deponi nequaquam potest.

3. Atqui hic est status præsentis quæstionis. Ex Modernis siquidem nonnulli tam scripto, quàm verbo, magno ut prætendunt communis boni zelo, reflexè disputantes utrum liceat se in praxi conformare opinioni probabili minùs tutæ, tutiore relictâ, idipsum non modò in dubium revocarunt, sed etiam necessitatem in omnibus tutiora sectandi, tanquam doctrinam unicè veram, & pro conscientiæ tranquillitate ac securitate necessariam jactant. Ergo conveniens est disputationem instituere, in qua per serium solidumque discursum, ac debitam consultationē dubiū hoc determinetur. Immo idipsum planè necessariū est, nisi quis velit in se assumere onus in omnibus tutiora sectandi. At valdè conveniens est absque urgente necessitate tale onus non subire. Ergo valde conveniens est, & utile præsentem dissertationem sedulò aggredi, eamque quàm solidissimè atque clarissimè determinare.

Cōveniens est serio veritatem investigare, quando ejus indagatione prætermissâ onus tutiora semper sectandi ingruit.

4. Confirmatur primò. Theologi ad alios docendos expositi munus est & se & alios dirigere, dubiaque occurrentia solvere; illa potissimè, quæ ipsum fundamentum, & primam quasi, aut certè obviam honestè operandi regulam concernunt. Talis est præsens quæstio: Dubium enim de hujus rei veritate non ita pridem exortum petit, seu potiùs impetit, & in dubium vocat communem regulam, quâ homines suas operationes dirigebant. Ergo maximè cōveniens est Theologum fundamenta hujus dissertationis eruere, dubium solvere, ac quæstionem determinare, ut ita & suam & aliorum conscientiam in re tanti momenti tutam reddat & securam, neminemque absque urgenti necessitate suis responsis ad vias arduas calcandas cogat.

Munus Theologi est hujusmodi dubia determinare.

5. Confirmatur 2. Magna pars operationum humanarum opinionibus in utramque partem probabilibus subjecta est, cum earum honestas evidenti argumento non probetur. Ergo convenientissimum est, immo necessarium determinare quæstionem propositam, ne absque urgente necessitate toties cogamur partem tutiorem sequi, quoties deest evidentia, utrum actio sit licita nec ne. Hoc enim est onus gravissimum, & ardua valde ac periculosa obligatio, cùm dicta inevidentia ubique sit obvia, & innumerabilium ejusmodi actionum opportunitas quotidie ferme sese exhibeat. Quocirca certum est dissertationem hanc non modò valde utilem esse, sed Theologo omnino necessariam; nam inter omnes moralis Theologiæ quæstiones nulla alia reperitur, cujus determinatio aut convenientior, aut utilior, aut demum magis necessaria reputari debeat.

Necessitas præsentis tractatûs ulterius declaratur.

Solvuntur Objectiones.

Objectio.

6. OBjicies. Tot & tam præclara ingenia in hac arenâ desudarunt, tamque copiosè, & sagaciter de eâ disputarunt, ut difficillimum sit, nî dixerim moraliter impossibile, limitatum hominis ingenium quidquam super hac re de novo proferre, quod à pluribus ad nauseam usque in suis libris sæpius inculcatum non sit. Ergo inconveniens est, & inutile ulteriùs de hac re disserere, novosque tractatus edere.

Turpe est Theologo ab aliis sæpe tradita frustra repetere.

Resp.

Resp. Nisi aliquorum importunitas communem opinionem nuper lacessisset, illa in quietâ possessione sui muneris etiamnum maneret, nec opus esset aut dicta repetere, aut doctrinæ jam traditæ quidquam superaddere. Verùm sicut repetitis vulneribus emplastra repetenda sunt, & sicut morbo redeunte medicamentum reiterandum est, ita in materia præsenti contradicentibus, & mentes fidelium ab antiquâ pacis possessione deturbare conantibus, toties de novo resistendum est, quoties adversantium impetus renovatur. Quocirca si Recentiores tacuissent, & communem opinionem ut periculosam non arguissent, ne semel quidem ad quidquam hac de re scribendum calamum sumpsissem, quia novâ dissertatione opus non fuisset. Verùm aliter evenit. Alii enim litem inceperunt, quæ cum de novo exorta sit, de novo quoque est decidenda; maximè cùm in ea tempora devenerimus, in quibus ipsa taciturnitas in detrimentum causæ cederet. Plures enim adversariorum silentium haberent pro argumento inscitiæ, & modestam Doctorum taciturnitatem in impotentiam respondendi rejicientes, triumphum canerent ante victoriam. Hac sanè de causâ nunquam tacendum est, sed in rebus magni momenti (præsens autem quæstio est maximi) necesse est Doctores Ecclesiæ etiam olim tradita, si alia non suppetunt, sæpe repetere, typisque de novo mandare, quoties evulgantur libri, qui conscientiarum pacem in discrimen possunt inducere. Ea enim est inconstantis vulgi opinio, ut nisi utrimque litigantes videat, eos causâ cadere arbitretur, qui, pacem amantes, lites cavent.

Tractatus antiqui denuo imprimẽdi sunt si novi non suppetant, quoties libri novi noxii evulgantur.

7. Præterea adversarii vel proferunt nova argumenta; vel solùm antiqua in unum colligunt, & tanquam nova obtrudunt. Si primum: illa dissolvenda sunt, quia hactenus non sunt soluta. Si secùndum: hoc ipsum etiam docendum est, & publicè demonstrandum; ut ita inutilis eorum labor innotescat, & quies conscientiarum intacta perseveret. Et sanè quoties libri ejusmodi sparguntur in vulgus, illi plerumque suâ novitate placent, dumque avidè & incautè leguntur, sæpe graviter sauciant; quod malum ut avertatur, libri de argumento contrario, etsi nil novi contineant, exarandi sunt, ut opportunum malo serpenti remedium apponatur. Libri enim Authorum antiquorũ omnibus obvii non sunt; ideoque novi libri edendi sunt, qui solidam veritatem continent; sic enim fiet, ut dum suâ novitate alios ad eos legendos attrahunt, veritas in legentiũ mentibus fixa inhæreat.

Nova adversariorũ argumẽta, si quæ sint, solvi debẽt; si nulla sint, id ipsum est evulgandum.

8. Quæ hactenus dicta sunt, convincunt tractatum præsentem esse necessarium, quamvis in illo nil penitus dici posset, quod ab aliis jam pridem dictum non inveniatur. Cæterùm utilitas librorum aliundè quàm à rerum novitate metienda est. Rerum ordo, locutionis claritas, quæstionum superfluarum amputatio, argumentorum hinc inde dispersorum in unum collectio, & cætera ejusmodi dignum prælo reddunt opusculum, quamvis in eo nil novi contineatur.

Non sola novitas reddit opusculũ prælo dignum.

9. Itaque quamvis oderim librorum editionem, in quibus maxima thesium ac speculationum pars aut nova non sit, aut certè novo & faciliori ordine non sit digesta, nihilominùs ob causas jam dictas, de libris determinatam tantùm quæstionem continentibus pro rerum exigentia & opportunitate edendis aliter sentiendum est. Immo si nemo novum de tali materia tractatum institueret, antiquiores iterum imprimendi essent, ut eorum publicatione aliquod saltem serpenti malo remedium afferri posset.

10. Atque hæc quidem me ad hunc tractum edendum impulerunt, qui quamvis æqualitatem, aut comparationem cum præstantissimis viris, quorum opera in hujus quæstionis examine jam desudavit, mihi non

non arrogem, tantum tamen mihi non derogo, ut ideo existimem industriam hanc meam fore inutilem. Nam quamvis, si in hac re bene dicere velim, necesse sit aliorum dicta in multis repetere (neque enim quæstio ista est purè metaphysica, quæ novis inventionibus, & peregrinis conceptibus determinari potest; sed moralis de re magni momenti, quæ non nisi solidis argumentis, probatis authoritatibus, certis ac indubitatis principiis stabiliri debet) nihilominus fieri etiam potest, ut non pauca, eaque non contemnenda ex parvo meo peculio in communem causam afferam. Quod an præstiterim, aliorum judicium esto. Sed quidquid sit de hoc, spero me effecturum, ut tractatus iste ex dicendorum ordine, claritate, quæstionum non necessariarum abscissione, argumentorum dispersorum collectione, universarumque objectionum in contrarium hactenus allatarum solutione, non modò plurimùm voluptatis, sed abundantem studii fructum lectori, si veritatem amet, allaturus sit. Quod ut eveniat, faxit Deus, à quo solo omne donum descendit.

Quomodo quæstio moralis in re magni momenti determinanda sit.

11. Porro quod spectat ad ordinem, & methodum futuræ disputationis aliquid dicendum superest. Inprimis certa notio probabilitatis præmittenda est, ex defectu enim hujus notionis fit, ut plures alios impugnent, cùm reipsâ idem sentiant; aliqui enim nomine propositionis probabilis aliud intelligunt, aliud alii; atque ita dum hic affirmat hoc esse probabile, quod alter negat, vocibus tantùm inter se discrepant, dum re conveniunt. Quocirca primis sex quæstionibus exactè tradam quidquid spectat ad veram notionem & proprietates apparentiæ probabilis, quia certa hujus rei notio basis est, supra quam totius dissertationis fabrica debet consurgere. Sed quoniam ad intentùm faciliùs demonstrandum multùm conducit scire, quousque intellectus subdatur imperio voluntatis ad assensum præstandum apparentiæ probabili, ideo à 7. quæst. usque ad 10. inclusivè hoc voluntatis imperium fusè declarabitur.

Ordo in tractatu servandus breviter declaratur.

12. His præjactis, prima regula moralitatis Theologicæ breviter exponenda est, simulque ostendendum, quomodo conscientiæ dictamen sit applicatio dictæ regulæ; & quia tota subtilitas hujus dissertationis potissimè funditur in modo, quo ultimum conscientiæ dictamen consurgit, ideo quidquid spectat ad primam regulam objectivam honestatis, & ad modum formandi ultimum hoc conscientiæ dictamen, dictaminisque hujus naturam, exactiùs examinandum est. Hæc omnia ab 11. usque ad 14. quæstionem inclusivè exponuntur.

13. Sed quia adversarii in eo maximè se defendunt, quòd conscientia dubia semper inducat peccatum, si quis partem minùs tutam sectetur; quodque ignorantia, & error operantem non excusent, adeo tribus sequentibus quæst. usque ad 18. exclusivè declarabitur, quando conscientia erronea excusat vel obligat, & quando licet vel non licet operari in dubio sectando partem minùs tutam.

14. Ex his gradum facimus ad conscientiam probabilem, & à quæstione 18. usque ad 22. inclusivè declaro, juxta omnes comparationes possibiles, qualiter cuique liceat in praxi se accommodare cuivis opinioni certò probabili, modò probabilitas de eo procedat, quod objectum liceat. Eademque occasione quæst. 23. fusè ostendo illicitum esse judici secundùm partem minùs probabilem sententiam proferre.

15. A 24. usque ad 27. exclusivè, ostendo communem sententiam esse sacræ Scripturæ conformem, eamque à sacris Canonibus, & SS. PP. apertè traditam. Tum quæst. 27. argumenta omnia adversariorum dissolvo; eaque occasione quæst. 28. inquiro mentem S. Thomæ, & evinco Doctorem Angelicum non modò benignæ sententiæ

tentiæ non contrariari, sed absolutè pro ejus veritate stare, cùm ex indubitatis doctrinis S. Thomæ illa evidentissimè inferatur.

16. Demum per modum corollarii determino quando, & qualiter liceat contra propriam sententiam operari, aliisque consilium dare. Hoc præsto quæst. 29. Denique in quæst. 30. demonstro doctrinam communem, usumque licitum opinionis probabilis saluti animarū multùm expedire.

17. Unum est, de quo lectorem meum monitum cupio, scilicet aliqua à me fusiùs tractata fuisse, quàm primo aspectu videatur necessarium. Verùm rogo, ne censuram inurat, antequam totam quæstionem percurrat. Præterea agimus cum adversariis, qui, si quid omissum fuisset, illico clamarent omnia à nobis non fuisse discussa, adeoque huic nostræ resolutioni minimè fidendum esse, cùm illa absque eorum, quæ in contrarium allata sunt, discussione stabilita sit. Præterea alicubi opportunum duxi illas doctrinas uberiùs explicare, quas suis in objectionibus Adversarii tangunt, non quòd omnino necesse esset illis inhærere, sed quia aliquo modo ad pleniorem præsentis controversiæ notitiam poterant deservire, quæ enim ad præsens intentum non conducunt, quàm potui diligentissimè vitavi. Ecce breviter habes, quæ & qualiter pertractaturus sum. Quocirca absque morâ rem ipsam aggredior, si tamen prius palam protestatus fuero, me non intendere doctrinam tradere, quâ aut probem, aut putem probari usum opinionis cujusvis esse licitum, quam apud quemcumque Authorem p.. probabili aut vera habitam est reperire; Scio enim plures Modernorum in multis nimis laxè sentire, atque virgâ censoria indigere. Quocirca non improbo conatum adversariorum exclamātium contra laxitates aliquorum; rectè enim in illud collimant, ut morum doctrina paulo severior tradatur. Verùm, *ne quid nimis*: non possum ergo eorum sententiam approbare qui nullius opinionis probabilis usum contra tutiorem probabilem pro licito admittunt, sed universaliter omnem opinionem libertati contra præceptū faventem absque peccato in praxim reduci non posse contendunt. Hoc enim est ex adverso in nimium rigorem exsurgere, quod non minùs vitiosum est, quàm nimiæ laxitati indulgere. Deus ab homine rationabile obsequium postulat; neque tam rigidus legislator est, ut nulli rationabili exceptioni velit suas leges subjacere. Vitanda itaque extrema, quia in medio consistit virtus. Hoc medium ut teneam, Deum deprecor, & spero me ad hoc, ejus opitulante gratiâ, pervenisse.

Nulla ... tractatur ... rei ... ed... (left margin, partly cut off)

Protestatio Authoris, laxitatem in multis reprehendentis, & nimiam aliorum severitatē condemnantis.

QUÆSTIO SECUNDA.

De essentia & vera notione opinionis probabilis.

Quæstionis necessitas.

Quæstionis I. necessitas.



UÆSTIONIS hujus necessitas in præsenti tractatu est omnino fundamentalis, cùm quicquid fermè in sequentibus dicendum est, ab ejus solidâ determinatione dependeat. Diligenter ergo elaborandum est, ut conceptus essentialis, & vera notio opinionis probabilis evidenter declaretur; nam alioquin nil certò definiri ac stabiliri potest, cum totâ disputatione transactâ semper manebit dubium, utrum hæc determinata opinio sit verè probabilis necnè; atque ita tota dissertatio inanis erit, atque superflua.

Ut autem in hac re methodicè procedamus, opus est terminos ipsos declarare ac exactè definire.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio 1.

Propositum sit breviter exactam definitionem opinionis exponere.

Opinio quid? est assensus cum formidine oppositi.

2. OPinio communiter definitur *Assensus unius partis contradictionis cum formidine de veritate alterius partis contradictoriè oppositæ.* Differt à scrupulo & dubio, quia est assensus, seu judicium absolutum de una parte, quod nec scrupulo, nec dubio convenit. differt à fide divina & scientia, quia conjungitur cum formidine oppositi, quam formidinem tàm scientia, quàm fides theologica excludit. Verùm quia nonnulli existimant opinionem sæpè numerò non conjungi cum actuali formidine, proptereaque docent solam formidinem radicalem esse de illius essentia, ideo opinio meliùs definitur esse *Assensus ex motivo fallibili.* Hæc enim definitio amplectitur omnem opinionem in omnium sententiâ. præterea explicat primam radicem formidinis, sivè actualis, sivè radicalis, quam secum connexam habet; ideò enim est assensus saltem radicaliter formidolosus, quia nititur motivo fallibili; sicut scientia & fides divina ex opposito ideò excludunt omnem formidinem, quia nituntur motivo infallibili.

Melius definitur esse assensus ex motivo fallibili.

Opinio alia est probabilis, alia improbabilis.

3. Opinio dividitur in assensum probabilem, & improbabilem, seu temerè conceptum. Improbabilis est, quæ argumentis adeò levibus nititur, ut illa non habeant vim ad assensum à viro prudente extrà omnis passionis vehementiorem motum constituto, & rationabiliter judicante, impetrandum. Omnis alia opinio est probabilis, in cujus tamen essentiâ exprimendâ non levis est difficultas. Interim ut ea melius explicetur, sciendum est opinionem seu propositionem aliam esse intrinsecè, aliam extrinsecè probabilem. Probabilitas intrinseca consistit in credibilitate rei independentèr ab authoritate extrinseca alicujus eam affirmantis. Hæc credibilitas si sit tanta, quanta requiritur ad denominandam rem aliquam probabilem (hæc autem quanta esse debeat paulatim explicabitur) dicitur, & est probabilitas intrinseca; quam aliqui pulchrè vocant probabilitatem rationalem, quia scilicet ab ratione, non ab authoritate desumitur. Probabilitas extrinseca est credibilitas rei merè ab authoritate extrinsecâ alicujus illam affirmantis desumptâ; quæ, si ad gradum jam dictum perveniat, dicitur, & est probabilitas extrinseca, quam aliqui authenticam aptissimè appellant; quia in solâ authoritate fundatur. Porro divisio probabilitatis in *intrinsecam* & *extrinsecam* penitus coincidit cùm illa alia in *rationalem*, & *authenticam*; nec alia inter utramque differentia est, quàm quòd prior locutio, sicut & antiquior, ità etiam est minùs concinna, seu magis barbara quàm secunda. Nos in posterùm utraque phrasi promiscuè utemur.

Opinio alia est intrinsecè, alia extrinsecè probabilis.

ASSERTIO SECUNDA.

Assertio 2.

Opinio, seu propositio probabilis ut sic, prout præscindit ab authentica & rationali, non rectè definitur à Caramuele in Apologemate non longè ab initio libri: *Quæ habet pro se rationes fortes, nullam autem demonstrativam; & quæ habet contra se rationes fortes, nullam autem demonstrativam.*

Impugnatur quædam definitio opinionis probabilis à Caramuele desumpta.

4. DEmonstratur. Multæ sunt opiniones probabiles, quæ non habent contra se rationes fortes. Hoc maximè videre est in probabilitate extrinsecâ, in qua exempla sunt frequentissima; verbi gratiâ,

Probabilitas extrinseca sæpè invenitur absque valida ratione in oppositum.

gratiâ, rumor aliquamdiu continuatus, & ex diversis partibus scriptus de victoriâ contra Turcas obtentâ, modò nil afferatur in contrarium, reddit victoriam probabilem; quia dantur fortes rationes ad illam credendam; etsi adhuc nulla sit certitudo de partâ victoriâ, eò quòd litteræ, à teste de visu omni exceptione majore, non sint allatæ. Ecce datur probabilitas propter rationes fallibiles uni parti faventes, etsi nullæ dentur rationes validæ, seu probabiles pro oppositâ; nemo enim in casu allato nisi temerè affirmarè potest victoriam de Turcis reportatam non fuisse, etsi prudenter possit judicium suspendere & de rei veritate propter motivi fallibilitatem dubitare. Idem valet de probabilitate extrinsecâ in unius tantùm authoritate fundatâ, quando nemo dicit oppositum. Testimonium hoc non est infallibile, quia aliquando fallit; indubitanter tamen est probabile, quia plerumque non fallit. Idem videre est etiam in probabilitate rationali, seu intrinseca; multæ enim sententiæ, tam in Philosophia, quàm in Theologia, sunt & censentur improbabiles, cùm tamen opiniones oppositæ non sint certæ certitudine fidei, aut scientiæ; sed neque sint conclusiones propriè Theologicæ, adeoque solùm intra seriem opinionum probabilium contineantur. Sic in Philosophia non est certum & evidens quod ulli cometæ ex observatis à tempore Tychonis usque ad annum 1650. fuerint superlunares, ut videre est apud Ricciolum *in Almagesto novo*, ubi solvit omnia argumenta pro demonstrandis cometis cœlestibus usque ad illud tempus allata. Idipsum tamen erat longè probabilissimum, quia validissimis conjecturis, & rationibus comprobabatur; neque tamen pro parte opposita ulla afferuntur argumenta valida, quæ relatè ad rationes contrarias reddunt probabile, quod nulli istorum cometarum fuerint superlunares. Alia exempla non affero, quia nimis obvia sunt. Unum tamen non omitto, quia est argumentum generale; scilicet quòd quoties aliquis docetur aliquam sententiam, argumentis probabilibus, quæ illi favent, tantùm propositis, toties opinio illa tali discipulo evadit probabilis; etsi contra illam non habeat rationes fortes, ut patet ex hypothesi. Itaque secunda pars definitionis malè apposita est priori; adeoque tota definitio simul sumpta mala est, quia falsa. Sed neque prima ejusdem pars secundùm se accepta juxta obvium verborum sensum continet legitimam definitionem propositionis probabilis; nam articuli fidei sunt plusquam probabiles, & intra probabilium multitudinem non censentur; cùm tamen sint propositiones, quæ habent pro se rationes fortes, nullam autem demonstrativam; quia articuli fidei sunt obscuri, & ad assensum non necessitant. Cæterùm si Caramuel nomine rationis demonstrativæ intelligat, ut se insinuat intelligere rationem solùm certificantem intellectum, sed non necessitantem ad assensum, fateor primam partem definitiònis sic positæ ex hoc argumento non improbari, quia in hoc sensu verum dicit; verùm nisi ulterius explicetur non est bona definitio, ut mox patebit.

Idem valet de probabilitate rationali, seu intrinseca.

Opinio Magistri evadit probabilis discipulo, etsi ignoret argumenta contrariæ partis faventia.

ASSERTIO TERTIA.

Propositum sit definitiones propositionis probabilis ab aliis allatas exponere, & de illis judicium ferre.

Assertio 3.

5. INgeniosissimus Caramuel in eodem Apologemate feliciùs definivit opinionem probabilem ut sic, hoc modo. Opinio probabilis est, *quæ gravi fulcitur motivo, sed fallibili & incerto.* quod si quæras, quodnam censeri debeat motivum grave; Respondet illud facilè explicari; nam si sim, inquit, Theologus, debeo sincero animo motivum considerare, & si omnibus in contra-

Aliorum definitiones de naturâ & essentiâ propositionis probabilis examinantur.

Alia, & melior definitio Caramuelis examinatur.

Theologus quomodo scire possit aliquid esse probabile.

contrarium perpensis, adhuc experiar me multum impelli ad assensum, fundamentum illud est grave. Rursus si judicem fundamentum illud tale esse, ut sine formidine confusionis, & cum quadam plausûs, & gloriæ expectatione opinionem illam tali nixus fundamento contra quoscunque Doctores defenderem, parique successu contra oppositam sententiam, si publicè defenderetur, exurgerem, tale motivum grave est & probabile.

Imperiti Theologiæ, quomodo id ipsum discernere possint.

6. Iam verò si quæras, unde Theologiæ imperitus, qui nequit rationes expendere, possit scire opinionem aliquam esse probabilem; respondet Caramuel, quod argumento aliquo hoc sciet. Formabit enim hunc syllogismum: *Impossibile est multos viros graves, pios, & doctos post diligens examen in unam convenire sententiam, quæ gravi fundamento caret. Sed plures viri ejusmodi in hanc opinionem conspirant; ergo illa habet fundamentum grave; ergo est probabilis.* Major est moraliter certa; minor est evidens; conclusio in forma, adeoque & ipsa moraliter certa est. Pergit deinde Caramuel alia argumenta formare, ex quibus pro aliis aliisque casibus deduci potest, quod aliqua opinio peculiaris sit probabilis. Verùm hæc hîc non prosequor, quia pertinent ad alium locum, in quo opportuniùs de illis agetur.

Limitatur doctrina hæc Caramuelis; sed limitatio non est contraria ipsius asserto.

7. Discursus iste hactenùs expositus sine dubio optimus est; unum tamen ad illius pleniorem intelligentiam adverto; & est, quod vir ille debeat esse valde peritus Theologiæ, quodque non utcunque judicet se plausum relaturum, si juxta illud motivum respondeat, aut insurgat; sed quod eum plausum sit obtenturus, si seriò prætendat coram Doctorum assidentium coronâ veritatem ipsam attingere; alioquin si solùm ageret personam alienam, solùmque intenderet consequenter loqui, ut priùs dicta defenderet, magnum plausum posset obtinere, & si motivum, in quo fundaretur, relatè ad veritatem thesis principaliter intentæ, quippè quæ esse potest enormiter falsa & hæretica, non esset probabile. Cæterùm si sola veritas ipsa intendatur, motivumque sufficiat ad obtinendum plausum tam in defendenda thesi aliqua, quàm in opposita impugnanda, idque apud Doctores valdè peritos in illa materia, sine dubio tale motivum (si sit inevidens & fallibile) censeri debet grave, & probabile. Atque hinc conformiter ad hanc Caramuelis explicationem, ego sic definio motivum probabile. *Motivum certò probabile, est motivum quod citrà certitudinem sufficit ad defendendam thesim aliquam cum communi approbatione, & satisfactione Doctorum, contra argumenta potissima, quæ à gravissimis authoribus, & rei maximè peritis afferri possunt.* Idem dico de motivo, quod cum approbatione dicta sufficit ad convincendam oppositam sententiam, eamque falsitatis arguendam. Expressi autem omnia hæc relatè ad satisfactionem Auditorum potiùs, quàm ad plausum, & gloriam; nam voces illæ plausus & gloria videntur paulò plus significare; nam etsi, qui cum satisfactione defendit thesim aliquam, aliquem plausum mereatur, non tamen ideo simpliciter dicitur plausum & gloriam meruisse; phrases enim istæ aliquid supra satisfactionem simpliciter dictam videntur superaddere; ac proinde potiùs significant quod probabiliùs est, quàm quod est præcisè probabile. Iam verò quod hæc definitio sit convertibilis cum definito; inde patet, quòd omni & soli definito conveniat. Convenit omni; quia nullum motivum est certò probabile, quod communiter apud peritos ad thesim cum satisfactione stabiliendam non sufficiat. Quicquid enim infra talem satisfactionem est, fortassè exiguum est & leve, non certò grave & probabile. Convenit soli, quia nullum motivum, quod dictam satisfactionem in peritissimorum mentibus causare non potest, est certò grave & proba-

Motivum certò probabile definitur proportionaliter ad explicationē Caramuelis.

probabile; fortasse enim leve est, cùm à plurimis peritis computetur ut leve.

8. Oviedus *in primam 2. tract. 5. contr. 3. puncto 1.* sic definit assensum probabilem. *Probabilis assensus dicitur ille, qui in re ex utraque parte incerta alicujus momenti fundamentum habet.* hanc definitionem Oviedus videtur sumpsisse ex Granado *1. 2. Contr. 2. tract. 12. disp. 4. sec. 1.* ubi definit illam esse opinionem probabilem, *Quæ habet pro se fundamentum alicujus momenti, ità tamen ut pro opposita parte nihil sit quod convincat.*

Hæ definitiones, etsi concedantur esse veræ, certè bonæ non sunt; quia non explicant quid sit *habere fundamentum alicujus momenti*, quod nisi explicetur, & clarissimè declaretur per definitionem, illa ad nihil inservit; quia quærimus definitionem, per quam discernere possimus, utrùm aliqua opinio sit probabilis nec ne; quod prædicatum nisi assignetur, omnis speculatio, quamtumvis exacta, nullius momenti est, quoad primarium totius dissertationis intentum; principaliter enim investigamus, utrum liceat sequi quamcumque opinionem probabilem, etsi minùs tutam; ad quam quæstionem dirimendam nulla definitio opinionis probabilis conducit, nisi illa, quæ explicat prædicatum, per quod certi esse possimus, utrum hæc vel illa opinio sit probabilis.

9. Honoratus Fabri *in egregio opusculo de opinione probabili* longè fælicius exponit essentiam opinionis probabilis; ab eo enim definitur esse *Opinio, quæ citra certitudinem, rationabili fundamento nititur.* Rationabile autem fundamentum est, inquit, quod ad rationabilem, seu prudentem assensum sufficienter movet, accedente voluntatis imperio. Prudens verò assensus est, quem is dederit, eum prudenter fecisse sapientes judicant. Sed addendum est illos debere esse sapientes in illâ materiâ, cui assensus datus fuit; nam si sint solùm sapientes in aliâ materiâ, parùm juvat, ut eorum judicium arguat assensum, in materia illis non bene nota, fuisse prudentem. Hæc satis laudabiliter dicuntur; verùm aliquid ad plenitudinem doctrinæ deesse videtur. Quia aliquando sapientes discrepant, dum ferunt judicium de alterius opinione, aliqui enim judicant opinionem aliquam rationabili fundamento nixam esse, quam alii eodem carere existimant. Verùm hoc non adeò frequens est. Itaque hæc Fabri definitio ad finem intentum utilis est, quia si dicti sapientes universaliter arbitrentur assensum aliquem esse prudentem; indubitanter ille prudens est, & probabilis. Hoc ita intelligo, ut si aut omnes, aut plurimi, aut plerique, aut certè multi sapientes dicant assensum aliquem esse prudentem, ille indubitanter est probabilis & prudens. Nunquam enim contingit virum prudentem prudenter operantem condemnare temeritatis opinionem, quam plerique aut multi sapientes probabilem computant. Verùm nondum constat, nec Honoratus Fabri sufficienter explicavit, quot sapientes concurrere debeant, ut eorum calculo certò stabiliri possit, quænam dicenda sit opinio probabilis. In hac itaque parte, definitio hæc manca est, & insufficiens.

10. Martinus de Esparza (qui exactissimè ponderavit quæcumque nuper impressit) quæst. 23. de actibus humanis, ubi solidissimè ostendit usum opinionis probabilis esse licitum, multipliciter definit quid sit probabile. Primo sic: *Opinio probabilis est, quæ nititur motivo fallibili sed magni momenti; id est fundante exiguam formidinem.* Verùm vir doctus non contentus hac explicatione; iterum definit motivum magni momenti esse illud, *Quod virum prudentem inducere potest in sui assensum; seu quod majori vi pollet, quàm illa, quibus semper, aut ferè semper contingit conjungi cum falsitate; seu quod magna vi suadet aliquid, aut quod rarò fallit, aut non admodum*

Examinatur sententia Martini Esparzæ.

Multipliciter declarat quid sit opinionem nisi motivo probabili.

modum frequenter. Ita Esparza; Verùm licet omnes istæ explicationes concedantur esse convertibiles cum definito, adhuc non sufficiunt. ad intentum; peto enim, quomodo constabit, quòd hæc numero opinio fundet exiguam formidinem? & quia exigua formido non consistit in indivisibili, peto undenam scire potero, quænam dicenda sit, quænam dicenda non sit exigua formido? Idem dico de omnibus aliis prædicatis ab ipso allatis, præter illud, illis verbis expressum, *quod virum prudentem inducere potest ad sui assensum.* nam de reliquis omnibus eædem interrogationes cum eadem energiâ procedunt.

Explicationes istæ non sunt sufficiëtes, etsi concedantur esse veræ.

Verùm, quod plus est, aliqua ex dictis prædicatis non sunt convertibilia cum motivo probabili, motivum enim probabile secundùm se propter propriam debilitatem fundat aliquam formidinem exiguam; eò autem majorem formidinem admittit, quò plura motiva afferuntur in contrarium. Atqui motivum probabile habere potest contra se alia motiva probabilia; non solùm æquivalentia, sed etiam potentiora; & tamen in conflictu, & contradictione eorum manet probabile; ergo aliquod motivum probabile admittit formidinem non exiguam. Confirmatur: Utraque contradictionis pars potest esse simul probabilis; at impossibile est, quod formido de utriusque partis veritate sit exigua; nam si exigua sit formido de una parte contradictionis, magna de alterius partis veritate formido consurget. Eâdem enim mensurâ formido de unius partis veritate crescit, qua formido de alterius partis veritate decrescit. Sic si multùm formidem, quod amicus è bello sit reversurus incolumis, utique parum formido de veritate propositionis contradictoriè oppositæ, scilicet quod non sit reversurus incolumis; quidquid enim dat fundamentum timendi, quòd reversurus sit, reddit oppositum, quòd non revertetur, minùs formidolosum; ut patet.

Aliqua opinio probabilis admittit formidinem pluśquam exiguam.

Alioquin utraque contradictionis pars non posset esse simul probabilis.

Confirmatur 2. Admittere parvam formidinem est esse quasi certum. Sed esse probabile, per se, est admittere parvam formidinem; ergo est esse quasi certum. At utraque pars contradictionis est simul probabilis. ergo utraque simul est quasi certa. Hoc autem est absurdum, & evidenter impossibile; ergo esse probabile non est parvam formidinem admittere.

Idipsum ulterius confirmatur.

Rursus quod dicitur, *motivum magni momenti esse quod magnâ vi suadet aliquid*, verum est, sed nihil determinat; quia non dat regulam, unde mensurari, cognosci, seu distingui possit vis magna à non magnâ; adeoque hæc explicatio ad finem intentum non sufficit. Demum quòd dicitur motivum probabile esse *quod rarò fallit, aut non admodum frequenter*, aut falsum est, aut insufficienter explicatum. Falsum dicit, si per *rarò fallere, aut non admodum frequenter*, intelligat quod sæpiùs, aut saltem non infrequentiùs inferat veritatem, qua connectatur cum falsitate; quia motivum minùs probabile in contradictione motivi probabilioris est possibile; & tamen frequenter connectitur cum falsitate; imò frequentiùs, quàm cum veritate. Quod si per *rarò fallere, aut non admodum frequenter*, intelligat, quod sæpè verum dicat; licet æquè frequenter, aut aliquantò frequentiùs connectatur cum falsitate, quàm cum veritate; neque illud convenit omni motivo probabili; quia non convenit probabiliori; neque explicatio congruit cum naturali vocum significatione, quæ strictiorem sensum postulant; & quod caput est, per eam explicationem intentum non habetur; quia per illam non possumus certò cognoscere quænam opinio sit, quænam non sit probabilis. Reliqua prædicata, quæ ex Esparza proposui, his impugnationibus non subjacent; quomodo autem & ubi locum certum habeant, inferiùs suo loco dicetur.

Aliæ ejusdem Authoris explicationes sunt insufficientes.

Vincen-

Vincentius Baronius Ordinis Prædicatorum vir doctus, qui nuperrimè, opusculo contra Apologema Caramuelis edito, vehementer impugnavit usum opinionis probabilis, ut suæ sententiæ strueret fundamentum, Disp. 1. sect. 2. art. 2. sic definit opinionem probabilem. *Probabile dicimus illud, cujus cum de veritate aut falsitate præ nostrâ ignorantiâ, & rei inevidentiâ, nil certò nobis constet, aliquam verisimilitudinem habet, cui assensum damus formidolosum; ne forte falsum subsit, & aurichalcum sit potiùs quàm aurum obrizum.* Seu probabile est, inquit, *cui verum aut falsum inesse potest; propiùs tamen videtur à vero quàm à falso abesse, & variis argumentis magis in hanc partem inclinamus.*

itur iden- lsa.

Verùm utraque definitio est evidenter falsa, quia utraque convenit judicio temerario & improbabili. Nam omni, etiam temerè, judicanti major verisimilitudo apparet ex parte, quam veram reputat, quàm ex parte, quam putat falsam. Deinde utraque convenit hæresi formali contra fidem sufficienter propositam, quia dogma fidei cui hæreticus formalis dissentitur nō est illi certum, sed apparet & creditur falsum, & oppositum dogma, cui inhæret, apparet illi propius à vero, quàm à falso abesse, & variis argumentis in eam partem inclinatur. At certum est opinionem temerariam non esse probabilem, similiter hæresis formalis non est verè probabilis, ne quidem illi, qui illam elicit, sed maximè improbabilis, ut in confesso est apud omnes rectè sentientes.

Præterea prima definitio requirit assensum dari objecto, ut sit probabile. At hoc evidenter non requiritur, cùm apparentia antecedens assensum sit probabilis, nihilque de suâ vi ac probabilitate amittat, etsi omnis assensus formidolosus suspendatur. Secunda etiam definitio contrariatur veritati ab ipso Baronio ubique admissæ; ubique enim admittit opiniones contrarias sæpe esse simul probabiles, & aliquando sine excessu unius ad aliam. Datur ergo probabilitas in contradictione æqualis aut majoris probabilitatis, in quo tamen casu, quod est minùs, aut solùm æquè probabile, non videtur propiùs à vero, quàm à falso abesse, sed potiùs è contrario.

Itaque Baronius definitionem rei probabilis evidenter falsam attulit: unde nil mirum si contra usum probabilitatis exclamet, quòd si esset licitus, omnia scelera forent licita, cum Athei, hæretici, Epicurei fundentur in opinione probabili, eò quòd habeant argumenta plura, eaque difficillimæ solutionis sibi faventia. Hæc quidem omnia utcumque sequentur, si definitio Baronii admittatur ut legitima; sed inferri non possunt neque ex definitione Caramuelis, neque ex definitione Tamburini, contra quos vehementissimè insurgit, si eorum definitiones accipiantur juxta expressam eorum mentem; uterque enim ubique supponit omnem hæresim esse improbabilissimam. Et quidem Tamburinus, ipso Baronio fatente, ad probabilitatem exigit, ne objectum probabile sit contra sensum, & definitionem Ecclesiæ, quodque nitatur fundamento sufficiente ad irreprehensibiliter credendum illud esse verum; idque ipsum videri potest in Caramuele. Unde potissima, quæ Baronius contrà illos objicit nullius sunt momenti, cùm ex eorum principiis non inferantur.

Absurda quæ Baronius urget solum sequuntur ex ipsius definitione.

ASSERTIO QUARTA.

Assertio 4.

Propositum sit explicare celebrem illam definitionem ab Aristotele sumptam; Probabile est quod plerumque contingit.

Definitio illa Aristotelis, *probabile est quod plerumque contingit*, exponitur.

11. Circa hanc explicationem seu definitionem assero inprimis eam omnem omnino propositionem probabilem non comprehendere.

Hæc definitio non comprehendit omne

 Probatur,

...em propositionē probabilem.

Probatur. Sæpè utraque contradictionis pars est simul probabilis. At impossibile est utramque contradictionis partem plerumque contingere; alioquin pars A frequentius contingeret, quàm pars B: rursus B frequentius contingeret quàm A. ergo A longè frequentiùs contingeret, quàm ipsum A contingat. De hac demonstratione nemo potest ambigere, nisi unà cum Eminentissimo & doctissimo Cardinale Sfortia Pallavicino *Disp. 8. de Actit. Hum. Quæst. 6. art. 4. n. 10.* doceat utramque contradictionis partem non posse simul esse probabilem. Pallavicinus quidem hoc docet ex ipsâ hac Aristotelis definitione. Verùm nisi fiat quæstio de nomine, evidens est utramque partem contradictionis esse simul probabilem; idque ab omnibus in præsenti tractatu supponitur ut verum; & infrà in proprio, rigoroso, ac connaturali sensu hujus vocis *Probabile* clarè demonstrabitur. Præterea non solùm præmissæ, sed etiam conclusio est probabilis; illa autem non est semper de re, quæ sæpiùs, sed non semper contingit; nam sæpe est de re, quæ aut semper, aut nunquam contingit. Sic probabile est cælum esse fluidum, item probabile est Deum prædestinare Electos ante eorum merita absolutè prævisa. Nec tamen plerumque contingit aut Deum sic Electos prædestinare; aut cælum esse fluidum; sed utrumque vel semper, vel nunquam evenit. Ergo datur aliquid probabile, quod non plerumque contingit.

Eadem definitio non convenit multis cōclusionibus probabilibus.

Replica quædam proponitur.

Dices illud *plerumque contingit* non est accipiendum partim positivè, partim negativè, ut sensus sit *probabile est quod non semper; sed plerumque contingit,* præscindit enim ab eo, quod aut semper, aut solùm plerumque contingit; dummodo enim plerumque contingat, etsi nunquam non contingat, adhuc est probabile. Particulæ ergo illæ solùm positivè sumendæ sunt.

Solvitur hæc replica.

Respondeo replicam hanc admitti non posse, quia in hoc sensu articuli fidei, & propositiones Mathematicæ essent probabiles; sunt enim objecta, quæ plerumque contingunt, quia semper contingunt. Præterea sæpè quod nunquam contingit est probabile; ut constat ex allatis exemplis; ergo non omne probabile plerumque contingit. Nec dicas; quod omne probabile appareat tanquam contingens, licet reipsa aliquando non contingat; nam contra: quia quæritur definitio tam objecti, quàm propositionis, quæ verè est, non autem quæ solùm apparet probabilis. At replica procedit de probabilitate tantùm apparente, non de reali; apparens enim probabilitas sæpè invenitur, ubi vera probabilitas deest.

12. Deinde assero omnem propositionem universalem, aut indefinitam de objecto, quod non semper, sed plerumque contingit, esse probabilem. Tales sunt istæ propositiones. *Qui jacit plures aleas, primâ vice non jaciet puncta paria. Matres amant suos filios*, &c. Hæc enim aliaque similia objecta, cùm frequentiùs eveniant, quàm opposita, sunt probabilia; neque de hoc quisquam dubitare potest. Hæc sunt exempla propositionis indefinitæ, quorum loco substitui poterant propositiones universales: *Nullus præsentium sexies consequenter jaciet puncta paria. Omnis mater hujus pagi diligit filios*, &c. in utrisque enim eadem ratio valet: & sanè constat propositiones has non solùm esse probabiles, sed etiam contineri in primariâ classe propositionum probabilium; quia explicantur in ordine ad prædicatum cadens sub experientiam, per quod certificari possumus, quòd tales propositiones sint probabiles. Est etiam alia prærogativa hujusce probabilitatis, de quâ plura dicentur quæstione sequenti n. 2.

Omnis propositio de eo, quod non semper, sed plerūque contigit, est probabilis.

13. Assero 3. definitionem hanc in sensu legitimò convenire omni motivo probabili. Declaratur assertio: Omnis apparentia veritatis, quæ antecedit omnem indebitam animi

Hæc Aristotelis definitio cōvenit omni motivo probabili.

accipietur in sensu legitimo.

animi passionem, omnemque assensum objecto, quod repræsentat, præstitum, ex vi suæ magnitudinis sibi essentialis allicit & impellit intellectum ad assentiendum objecto quod proponit. Hæc apparentia primò dividitur in evidentem & inevidentem. Evidens est, quæ nullam admittit apparentiam de veritate oppositi: ideoque rapit intellectum ad assensum. Inevidens est, quæ admittit apparentiam de veritate oppositi, ideoque non necessitat ad assensum; & in hoc casu intellectus nequit se determinare ad assensum, sed solum determinari potest à libero voluntatis arbitrio. Secundò apparentia inevidens, alia est infallibilis, alia fallibilis. Infallibilis ex vi suæ magnitudinis necessariò connectitur cum veritate, etsi propter obscuritatem suam admittat apparentiam de veritate oppositi. Talis est apparentia, in qua fundatur fides Theologica, quæ propter authoritatem Dei revelantis super omnia adhæret mysterio revelato, & propterea necessariò fundatur non quidem in evidentiâ rei creditæ, sed solùm in evidentiâ summæ credibilitatis de ejus veritate. Hæc apparentia tanta est; ut nec illa, nec ulla illi æqualis possit esse falsa, ut fusè & clarè ostendo in tractatu de Fide. Fallibilis minor est priore, & tantæ magnitudinis non est, quin illa aut alia illi æqualis possit falsum repræsentare, quæ proinde non postulat evidentiam summæ credibilitatis de veritate sui objecti. Demum apparentia fallibilis dividitur in eam quæ tantæ apparentiæ est, ut inter omnes illi æquales plures connectantur cum veritate, quàm cum falsitate; & in eam quæ tantæ magnitudinis non est, ut ex omnibus illi æqualibus plures repræsentent verum quàm falsum.

Apparētia, seu stimulus movēs intellectum est quadruplex.

Ecce stimulus intellectualis quadrifariam dividitur: primus certus est & evidens; secundus certus sed obscurus; tertius incertus quidem, sed cui verum sæpiùs subest, quàm falsum; quartus demum pariter incertus, cum quo falsum frequentiùs connectitur quàm verum, aut certè cum quo verum non sæpiùs conjungitur quàm falsum. Intellectus non potest non sequi primum; secundo ita liberè inhæret, ut tamen non possit nisi imprudenter de illius veritate formidare, vel judicium suspendere; de veritate tertii ita potest prudenter formidare, omnemque assensum suspendere, ut tamen possit etiam prudenter existimare verum illi subesse; nec mirum; quia quoties certitudo haberi non potest, nemo argui potest ut imprudens, si sequatur stimulum intellectus, cui veritas plerumque subest; malum enim fuisset intellectui, si absque nota imprudentiæ tantæ apparentiæ fidem dare non potuisset, cùm illa ob suam magnitudinem mereatur fidem cum formidine oppositi. Quartus demum & infimus non meretur assensum, cùm intellectus eum sequens facillimè aberret à suo fine, nempe à veritate, eo quod aut sæpius erret, aut certe non sæpius verum dicat quàm falsum. Ex hisce apparentiis solâ tertia est probabilis, nam prima est certa & evidens, secunda obscura sed infallibilis; tertia verò fallibilis quidem, digna tamen assensu, id est probabilis, quia fundat assensum, de cujus veritate ob intrinsecam magnitudinem sui motivi possumus prudenter confidere. Quarta demum oppositâ de causâ est improbabilis. Quæ omnia tam clara sunt, ut ulteriori discussione non indigeant.

Alius evidens, alius certus sed obscurus. alius probabilis, alius improbabilis.

Motivum itaque probabile rectè definitur *Rationabilis apparentia veritatis, de se quidem fallibilis, sed tanta tamen, ut omnes illi æquales in unum collectæ sæpiùs conjungantur cum veritate, quàm cum falsitate.* Quod hæc definitio sit bona probatur; quia dispescit omnem apparentiam fallibilem in duas partes, quarum unam hìc explicatam vocat probabilem; & alteram supponit esse improbabilem; jam, quòd omnis hìc explicata sit proba-

Motivum probabile exactè definitur juxta hanc Aristotelis acceptionem.

probabilis, ex eo patet, quòd omnis ejusmodi apparentia ex suâ ratione fundet spem prudentem veritatis obtinendæ, quia, ex vi suæ magnitudinis, sæpiùs connectitur cum veritate, quàm cum falsitate; hoc autem est primum analogatum in notione motivi probabilis. 2. Talis apparentia simpliciter loquendo magna est, quia continet plusquam dimidium totius latitudinis, sub qua omnis apparentia fallibilis comprehenditur; quod autem constituitur in serie aliqua habente magnitudinem, simpliciter est & dicitur magnum, si suâ mole medietatem totius excedat. Sic ille homo, vel equus est & dicitur magnus, qui mole suâ superat plures, quàm à quibus superatur in mole. 3. Omne hujusmodi motivum majori vi pollet, quàm quodvis, quod plerumque conjungitur cum falsitate; tale autem motivum non potest non esse probabile & magni momenti. Quod autem omnis apparentia minor assignatâ non pertingat ad probabilitatem ex oppositis argumentis convincitur; inprimis enim talis est ut ex vi suæ debilitatis sæpius connectatur cum falsitate, quàm cum veritate; hoc autem est fundare spem exiguam veritatis attingendæ, & est primum analogatum opinionis non probabilis. 2. quidquid continetur in serie rerum habentium magnitudinem est & censetur parvum si in mole superetur à pluribus, quàm superet. Talis est omnis apparentia minor assignatâ; ergo illa est apparentia parva, adeoque non est apparentia probabilis, quæ juxta omnes debet esse apparentia simpliciter magna. 3. Omne ejusmodi motivum minori vi pollet, quàm quodvis, quod, spectatâ totâ latitudine apparentiæ fallibilis, ex vi suæ magnitudinis plerumque connectitur cum veritate; ergo non pertingit ad primum analogatum opinionis probabilis, ergo non est apparentia probabilis. Itaque definitio allata convenit omni & soli opinioni probabili; adeoque convertitur cum definito. Petes quid sibi vult illa particula *rationabilis apparentia.* Respondeo me eam vocare apparentiam rationabilem, quæ connaturaliter sequitur ad propositionem & considerationem objecti, independenter ab omni passione mentem excæcante, & affectu in illud indebitè propenso; nam apparentia consequens ad passionem, & affectum indebitum non proportionatur objecto, sed passioni & affectui; adeoque non meretur nomen apparentiæ rationabilis; quia etsi magna sit, non tamen fundat judicium rationabile. Idem dico de apparentia consequente ad judicium firmum uni parti indebitè affixum; illa enim non est juxta meritum objecti, sed juxta dispositionem opinantis. Apparentia ergo rationabilis est illa sola, quæ antecedit passionem, judicium, & affectum uni parti indebitè affixum, prout hactenus dictum est. Porrò quæcumque imposterum de apparentia probabili dicentur, de rationabili tantùm apparentiâ sunt intelligenda.

In serie rerum habentium majorem & minorē molem illud simpliplicitet magnum est, quod continetur in medietate, cujus singulæ partes excedunt singulas partes alterius medietatis.

Apparentia rationabilis est, quæ connaturaliter sequitur ad propositionem objecti, independenter ab omni passione & affectu indebitè propenso in illud objectum.

Solvuntur objectiones.

14. Objicies 1. Explicatio hæc non involvit omnem apparentiam probabilem. Nam apparentia, cui omnes æquales æquè frequenter conjunguntur cum veritate, ac cum falsitate, est probabilis; quia valde sæpe connectitur cum veritate, & fundat spem non exiguam veritatis obtinendæ. At nulla ejusmodi apparentia comprehenditur in definitione allatâ; ergo definitio illa non est bona. Idem argumentum procedit de illis apparentiis, quibus omnes æquales fermè æquè frequenter connectuntur cum veritate, ac cum falsitate; nam parvus ille excessus non statim degenerat à probabilitate in improbabilitatem.

Prima objectio.

Respōdeo 1. dubium esse utrum detur ulla apparētia, cui oēs æquales æquè frequenter conjun-

Solvitur objectio.

conjungũtur cum veritate ac cum falsitate: nihil ergo solidi ex hoc argumento contra definitionem allatam deduci potest. Sed esto: detur talis apparentia; adhuc dubium, imo arbitrarium est, utrum dici debeat; quod hæc apparentia sit probabilis; vel improbabilis. Cum enim ex vi suæ tenuitatis æquè frequenter connectatur cum falsitate ac cum veritate, ut supponitur, non potest esse argumentum magnum ad alliciendum assensum, cum æquè moveat ad dissensum; & ex vi suæ magnitudinis non fundet majorem spem veri, quàm timorem falsi. Dici ergo potest, quod sit apparentia constituta in supremo gradu apparentiæ non probabilis, & *maximum quod sic* in serie motivorum improbabilium. Jam verò si contendas quod involvatur in numero motivorum probabilium (quod tamen non admitto, imò ob rationes dictas falsum puto) facilè accommodari potest definitio, ut hæc apparentia includatur; si dicatur motivum probabile esse tantæ apparentiæ, ut omnes illi æquales in unum collectæ non frequentiùs jungantur cum falsitate, quàm cum veritate. Imò non opus est quicquam adjungere, nam vox illa *plerumque* dupliciter sumi potest; 1. inclusivè, 2. exclusivè. Inclusivè sumitur, quando major frequentia veritatis includitur, & per illam significatur. Et hoc modo intelligitur definitio primo loco allata. Sumitur exclusivè quando major frequentia falsitatis solùm excluditur; ut sensus sit, *probabile est quod plerumque contingit*, id est, *quod non fallit plerumque*. Definitio in hoc sensu intellecta involvit casum præsentem, & coincidit cum secundâ explicatione. Demum dico me hic definire omne quod certò est probabile. At apparentia in objectione allata non est certò probabilis. quid ergo mirum, si non includatur in definitione? Cæterùm si illa apparentia sit, & admittatur ut probabilis, tunc dabitur terminus intrinsecus, seu *minimum quod sic* in probabilitate; & quicquid infrà illam est, quantumvis ab illa valde parùm distet, erit improbabile; quivis enim defectus à minimo quod sic probabilitatis degenerat in improbabilitatem. nec hoc mirum est, sed ubique obvium in omnibus, quæ suscipiunt magis & minus, & à levi ad grave, vel à parvo ad magnum ascendunt, vel è contrà à magno ad parvum descendunt. Sic in materia furti & intemperantiæ datur quantitas gravis, seu simpliciter magna, quæ fundat peccatum mortale, à qua, si aliquid, etsi exiguum auferas, nec furando, nec comedendo illam quantitatem, amplius committes peccatum mortale; sed solùm veniale.

[Margin: ...tia... nisi ex statu ...quentis. — Talis apparentia rectè dicitur maximum quod sic inter apparentias non probabiles. — Simpliciter non numeratur inter apparentias probabiles. — Si dicta apparentia admittatur ut probabilis tunc dabitur minimum — quod sic inter motiva probabilia.]

15. Ob. 2. Motivum probabile in contradictione motivi probabilioris manet, & est probabile. At definitio allata non convenit motivo minùs probabili in contradictione motivi probabilioris; quia tale motivum, aliquando saltem, sæpiùs conjungitur cum falsitate, quàm cum veritate, ut patet. ergo definitio allata non comprehendit omne motivum probabile.

[Margin: Secunda objectio.]

Respondeo: concedo majorem, quam veram esse infrà clarissimè demonstrabo. Sed nego minorem; nam etsi motivum minùs probabile in contradictione majoris probabilitatis aliquando saltem sæpius connectatur cum falsitate, quàm cum veritate, si solùm comparetur cum motivo probabiliori, & cum objecto ab utroque asserto; tamen si conferatur cum tota latitudine motivorum fallibilium, dico quòd ex vi suæ magnitudinis tanta sit, ut juxta rerum exigentiam sæpiùs connectatur cum veritate, quàm cum falsitate. Jam verò ut motivum probabile definiatur, non debet definiri relatè ad aliquid probabilius, vel minùs probabile; sed simpliciter relatè ad omnem apparentiam fallibilem, alioquin termini exponentes definitum nondum explicati ponerentur in definitione; quod est absurdum:

[Margin: Solvitur objectio. — Motivum minus probabile in contradictione motivi probabilioris manet probabile. Ratio hujus rei fuse, & clare explicatur.]

dum. & sanè non statim ac unum motivum contradicit alteri, tollit ab illo probabilitatem; sed ut eam tollat, usque adeo debet imminuere apparentiam prioris motivi, ut spes prudens assequendi veritatem fundari non possit in assensu, qui tali motivo præstaretur; id est, debet eam eò usque imminuere, ut attentâ ejus magnitudine, constet intellectum tali motivo adhærendo ideo improbabiliter judicare, quia illud tale est, ut plerumque ducat ad falsitatem, aut certè non plerumq; ducat ad veritatem. estò igitur contingat aliquando motivum minus probabile sæpiùs conjungi cum falsitate, quàm cum veritate, si comparatio solùm instituatur cum hoc determinato objecto, & relatè ad motivum potentius in contrarium; nihilominus aliquando oppositum contingit, quia multa sunt probabilia, quæ aut semper, aut nunquam contingunt, uti dictum est. ideoque hic & nunc in sectando motivo probabiliore nulla veritatis attingendæ certitudo invenitur; sed undecumque magna spes ejus inveniendæ elucet, si intellectus eum impetum sequatur, qui ex vi suæ magnitudinis sæpiùs conjungitur cum veritate, quàm cum falsitate. At talis est impetus, qui ex motivo minùs probabili, etiam in cõtradictione motivi probabilioris ortum trahit; hic enim talis est, & esse debet, modò motivum illud maneat probabile, ut motivum tantæ apparentiæ, quantæ illud est, sæpiùs connectatur cum veritate, quàm cum falsitate. Atque hinc est, quòd cum ex neutra parte sit certitudo, ex utraque magna inveniatur spes veritatis inveniendæ, etsi paulò major certitudo affulgeat in sectanda parte probabiliore. Itaque definitio complectitur omne motivum probabile etiam in contradictione motivi probabilioris.

Replica quædam proponitur.

16. Dices quomodo fieri potest ut motivum minùs probabile tantæ apparentiæ sit, etiam in contradictione motivi probabilioris, ut ex vi suæ magnitudinis sæpiùs connectatur cum veritate, quàm cum falsitate; cùm tamen hic & nunc relatè ad objectum, quod repræsentat, potiùs oppositum contingat?

Solvitur replica: & quod proximè dictum est fusiùs explicatur.

Respondeo id facilè intelligi. In primis ponamus apparentiam probabilem faventem parti A. tantam esse, ut si omnes illi æquales accipiantur, numerus earum, quæ connectantur cum veritate ita se habeant ad numerum earum quæ connectuntur cum falsitate, sicut decem ad quinque. Jam verò apparentia partis oppositæ, etsi minor istâ, poterit esse tanta etiam in contradictione motivi contrarii, ut si omnes illi æquales accipiantur in unum, numerus apparentiarum connexarum cum veritate ita superet numerum earum, quæ connectuntur cum falsitate, sicut decem superant septem. hoc, inquam, verum esse potest, non præcisè relatè ad objectum quod repræsentant, hoc enim impossibile est, quia mutuus ille connexus frequentioris contingentiæ in utraque parte contradictionis est impossibilis; sed solùm relatè ad totam collectionem apparentiarum illi æqualium, seu relatè ad magnitudinem intrinsecam talis apparentiæ, & ad stimulum, quem ex vi suâ intellectui imprimit; nam relatè ad ista tanta est ejus magnitudo, tantusque est impetus, quem imprimit, ut ille in totâ suâ latitudine sæpiùs connectatur cum veritate, quàm cum falsitate.

Secunda replica.

17. Instabis. Quòd illa apparentia sit tanta, ut omnes illi æquales sæpiùs connectantur cum veritate, quàm cum falsitate, nihil facit, ut hoc objectum probabiliter credatur, nisi relatè ad illud frequentiùs connectatur cum veritate, quàm cum falsitate.

Solvitur secunda replica.

Respondeo negando assumptum; nam cùm relatè ad hoc objectum nobis constare non possit, utrum apparentia major reipsâ connectatur cum veritate necnè, spes veritatis attingendæ mensurari debet ab intrinsecâ

trinsecâ magnitudine impetûs, qui causatur in intellectu, præscindendo ab hoc objecto determinato, per considerationem illius in ordine ad omnia objecta, quæ per parem apparentiam repræsentantur. Jam ergo cùm apparentia minor, etiam ipsa tanta sit, ut frequentiùs connectatur cum veritate, quàm cum falsitate; manifestum est quòd in re dubiâ assensus probabilis, & prudens utrique parti, etiam minùs probabili præstari possit. Neque enim certum est, quòd assensus datus apparentiæ majori circa hoc objectum sit perventurus ad ipsam veritatem; sed solùm est paulò credibilius opposito, cùm oppositum sit adeò credibile, ut intellectus ex vi talis credibilitatis operans sæpiùs verum dicat, quàm erret: & hæc est ratio à priori, cur utraque pars contradictionis possit esse probabilis. Fateor hæc omnia esse satis subtilia; sed sunt etiam solidissima, quæ qui benè penetraverit, magnam probabilitatis notitiam se adeptum fuisse meritò gloriari poterit. Interim hic ipse est verus, genuinus, & unicus sensus ab Aristotele intentus in hac definitione; quæ cùm non possit applicari conclusionibus probabilibus, uti ostensum est, solùm applicari potest motivo, ex quo conclusiones probabiles deducuntur. Rursus cùm iisdem de causis applicari non possit singulis motivis relatè tantùm ad eorum objecta, secundùm se considerata, quia illa sæpenumerò aut nunquam, aut semper contingunt, necessariò intelligi debet de magnitudine motivi, & de stimulo quem causat, relatè ad intellectum ex vi tantæ apparentiæ promiscuè operantem; in hac enim acceptione unicè potest esse verum, quod probabile sit illud, quod plerumque contingit.

Qui dicta penetrat gloriari potest se magnam probabilitatis notitiam fuisse adeptum.

Corollarium primum.

Corollarium 1.

Opinio probabilis exactè definitur.

18. Hinc infertur legitima definitio opinionis probabilis; optimè enim definitur *opinio nixa motivo probabili.* Seu quod idem est: *opinio nixa tantæ apparentiæ, cui omnes æquales sæpiùs conjunguntur cum veritate quàm cum falsitate:* aut certè *non frequentiùs junguntur cum falsitate quàm cum veritate.* Hæ definitiones universales sunt, & conveniunt omni opinioni probabili, ut patet. Quod si loco opinionis ponas *judicium nixum motivo probabili*, vel *judicium nixum tantæ apparentiæ* &c. habes definitionem propositionis probabilis, omnibus tam præmissis quàm conclusionibus probabilibus communem.

Corollarium secundum.

Corollarium 2.

Authorum locutiones de motivo probabili explicatur.

19. Infertur secundò quomodo intelligi debeant Authores, quando dicunt, motivum probabile esse *motivum simpliciter magnum*, aut *motivum alicujus momenti* &c. aliud enim per hos terminos non intelligunt, quàm motivum tantæ apparētiæ, cui omnia æqualia frequentiùs connectantur cum veritate, quàm cum falsitate.

Hæc definitio etsi verissima, & apertissima, si aliud non addatur, insufficiens ad finem principaliter hic intentum.

20. Assero quartò hanc definitionem etsi verissimam, & apertissimam, mentique Philosophi prorsus consonam, si aliud non addatur, insufficientem & parum utilem esse præsenti tractatui. Ratio est, quia per illam nemo nisi difficulter scire potest, utrum hæc determinata opinio sit probabilis necne. Opus enim est longâ ratiocinatione, ut sciatur, utrum hæc opinio tantâ nitatur apparentiâ, ut omnes illi æquales sæpius conjungantur cum veritate quàm cum falsitate.

Definitio sini principaliter intento difficilis est; & aliâ viâ investiganda.

Ex his patet definitionem illam opinionis probabilis, quæ huic tractatui est necessaria, esse valde difficilem. Hanc ut ego manifestè exponam, rem aliâ viâ declarandam puto. Cùm enim probabilitas extrinseca sit notior quàm intrinseca, ab extrinsecâ exordium sumam, & ex eâ inventâ intrinsecam indagabo, eamque palam ante oculos omnium exponam. Demum opinionem probabilem ut sic ita definiam, ut facili negotio ex vi illius discerni possit opinio probabilis ab improbabili. Sed hæc omnia paulatim digerenda sunt; sit ergo.

Assertio 5.

ASSERTIO QUINTA.

Probabilitas extrinseca quomodo definiatur ab Aristotele?

Opinio extrinsecè probabilis pulcherrimè definitur ab Aristotele primo Topicorum cap. 1. Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, vel plerisque, vel sapientibus, atque his vel omnibus, vel plerisque, vel maximè notis. *Propositum autem sit definitionem hanc exponere.*

Definitio probabilitatis extrinsecæ declaratur.

21. PRobabilitas extrinseca, seu authentica ea est, quæ ab extrinsecâ opinantium authoritate denominationem sumit. Neque tamen existimandum est, quòd cujusque authoritas sufficiat, ut quod asseri‸, evadat extrinsecè probabile; res enim asserta adeo difficilis esse potest, authoritasque affirmantis adeo exigua, ut objectum illud propter talem authoritatem non nisi leviter credi possit. Quocirca Aristoteles exposuit qualis esse debeat authoritas, quæ sufficiat ad reddendum aliquid certò probabile. Imprimis ergo quidquid aut omnibus, aut plerisque, aut sapientibus videtur, illud certo certius probabile est, & ut tale computari debet; quia non soùlm omnes, sed etiam plerique, imò sapientes plerumque non errant in suis assertis. ergo quod vel ab omnibus, vel à plerisque, vel si non à plerisque, sed solùm à sapientibus asseritur, id extrinsecè probabile est. Jam verò non quicquid quomodocumque à sapientibus dicitur est certò probabile, sed illud solum, quod vel ab omnibus, vel à plerisque, aut certè, si non à plerisque, à maximè notis, idest, à præstantissimis & rerum peritissimis, magnæque famæ sapientibus ut verum asseritur.

Hæc Aristotelis definitio extendenda est ad om-

22. Aristoteles hanc definitionem tradidit in Topicis, in quibus declarat regulas probabiliter disserendi in omni materiâ; adeoque illam ad omnem materiam indubitanter extendi voluit. Verùm definitio hæc sic extensa, ut ritè intelligatur, sumi debet cum restrictione ad res obscuras & inevidentes; nam ubi omnia clara sunt, & evidentia; non datur locus dissertationi topicæ.

nem omni- ne materiam.

Et sanè hoc ipsum convincitur, quia prima principia, utpote per se evidentissima, ab omnibus agnoscuntur ut talia; similiter multa alia, quæ ab omnibus aut plerisque affirmantur, per hoc ipsum evadunt moraliter evidentia. Talia sunt quæ communi omnium aut plurimorum testimonio comprobantur tanquam res per propriam eorum experientiam observatæ. Talia sunt Romam existere; victoriam talem tali tempore ab inimicis reportatam fuisse, &c. cujusmodi objecta per omnium aut plurium assertionem evadunt certa, & moraliter evidentia; atque ita extra probabilium numerum constituuntur. Itaque si hæc Aristotelis definitio præcisè ut in terminis jacet accipiatur, ea non solùm probabilibus, sed etiam moraliter certis & evidentibus convenit. Verùm cùm Aristoteles expresè agat de locis topicis, & de syllogismo obscuro, sermo ejus limitandus est juxta materiam quæstioni subjectam, ut sensus sit, quæ ab omnibus, aut plerisque, aut sapientibus affirmantur probabilia sunt, modò hæc eorum affirmatio nec supponat, nec reddat illa objecta certa & moraliter evidentia; & hæc est prima hujus definitionis limitatio.

Prima limitatio hujus definitionis est, quod applicari debeat rebus tantum inevidẽtibus & obscuris.

Secunda limitatio sumi debet ex parte authoritatis impensæ in asserendâ re aliquâ; nam si illa aut sit, aut certò sciatur esse infallibilis, quicquid illi videtur, & ab eâ asseritur, non erit probabile, sed certum. Sic articuli fidei à Deo asserti non sunt probabiles, sed certi; & si evidens esset Deum cognoscere, aut asserere talia objecta, evidens esset illa esse vera. Itaque limitanda est definitio ad authoritatem humanam; quia Philosophus de illâ tantùm loquitur, sermonemque restringit ad objecta, quæ

Secunda limitatio ejusdem definitionis est quod restringi debeat ad fallibilem tantùm authoritatẽ.

per

per fallibilem, eamque humanam authoritatem fiunt probabilia.

Verùm fortasse dicet aliquis utramque hanc limitationem involvi in termino *videtur*, qui significat assensum obscurum & incertum, ut sensus sit, *probabilia sunt, quæ judicio obscuro & incerto traduntur à pluribus, aut sapientibus*, &c. Sed contra primò, quia verbum *videtur*, ex se æquè significat assensum certum, quàm incertum. Sic dicimus *visum est Concilio generali tale dogma tenendum esse*; ubi terminus *visum est* significat assensum certum, non probabilem. Rursus certum est hanc interpretationem non habere locum in præsenti, quia plurima evadunt extrinsecè probabilia per certam scientiam ejus, qui suam interponit authoritatem, ut quando quis narrat Petrum esse mortuum, mors illa evadit probabilis non certa; cùm tamen mors Petri sit evidens non probabilis illi, qui eam asserit. Stet ergo dictas limitationes huic definitioni necessariò apponendas esse. Verùm illæ non sufficiunt, sed aliæ quoque adjungendæ sunt,

Tertia limitatio sumitur ab explicatione termini sapientibus.

23. Tertia ergo limitatio est, quòd nomine *sapientum* non intelligantur viri tantùm doctrinis imbuti, sed omnes quicumque sufficienter instructi sunt de re, quam asserunt; illi enim in tali materiâ sapientes sunt. Sic puer, vel puella dicens itineranti de viâ dubio, hanc esse viam, quam quærit, suo testimonio efficit, ut probabile sit itineranti eam viam esse ipsissimam, per quam cupit incedere.

Quarta limitatio reddit rationem cur Aristoteles in definitione probabilitatis expresserit sapientes in plurali, cum certum sit unius tan.

Quarta limitatio est, quòd etsi Aristoteles protulerit terminum *sapientes* in plurali numero, non tamen ideò necesse est aliquid pluribus videri, aut à pluribus collectim sumptis affirmari, ut evadat probabile. Nam ex allato exemplo evidenter constat, unius viri assertionem probabile reddere, quòd itinerans sequens ejus directionem non aberret à viâ, quam tenere intendit. Aristoteles ergo vel ideò protulit *sapientes* in plurali, quia definivit *probabile* in plurali dicens: *Probabilia sunt*, &c. adeoque debuit etiam proferre *sapientes* in plurali; quia toties unum objectum per unius, & aliud per alterius tantùm assertionem evadit probabile, quoties non contingit utrumque objectum per eundem affirmari. In hoc ergo casu terminus *sapientes* proferri debuit in plurali; alioquin locutio fuisset impropria, sicut impropria esset, quæ diceret, *homines sunt animal rationale*: sicut enim definitum exponitur in numero plurali, ita & definitio in eodem numero explicari debet. Vel ideò certè usus est plurali numero, quia maximè alludebat ad probabilitatem in materiâ scientificâ, in quâ ut aliquid quoad nos sit certò probabile, sæpe non sufficit unius sapientis assertio, sed plurium consensus requiritur. Jam verò positis istis limitationibus, sit

tùm authoritatem sæpè reddere assertum probabile.

ASSERTIO SEXTA.

Assertio.

Probabilitas extrinseca definitur exactissimè.

Probabile ab extrinseco, tam juxta mentem Philosophi, quàm rei veritatem, sic definiri potest: Omne illud est extrinsecè probabile in quâcumque materiâ, quod ab homine probo multùmque perito in illâ materiâ post diligentem, ubi opus est, rei discussionem, omniúmque aut potissimorum in utramque partem allatorum considerationẽ absolutè creditur verum, aut æquivalenter vel formaliter asseritur esse certò probabile, idq; per judicium non temerè, sed sicut virum probum & peritum decet, elicitum. *Loquor autem de eo, quod verè, & quoad se, & non tantùm quoad nos est extrinsecè probabile, nam de probabili quoad nos infra agendum erit.*

Definitio hæc conformis est menti Aristotelis.

24. Quòd hæc definitio Aristotelis menti conformis sit, dubitari non potest,

test, modò definitio illius unà cum limitationibus positis ante oculos habeatur. Quòd verò sit juxta rei veritatem post ejusdem explicationem evidenter apparebit. Inprimis *virum probum* appello eum, qui animo sincero & veritatis cupido res difficiles investigat, suumque judicium non ex passione aliquâ mentem excœcante, aut intellectum ad unam partem præcipitante, vel inordinatè impellente, sed irreprehensibiliter juxta veritatis apparentis exigentiam & meritum, quantùm potest, proferre solet; quique dicta menti & interno suo judicio conformat. Talem & non alium appello virum probum. Deinde nomine *hominis multùm periti* intelligo eum, qui exactè, juxta debilitatem humani ingenii, callet materiam de quâ est quæstio, quique capax est ad ea omnia intelligenda, quæ in contrarium afferri possunt. Jam assero talem hominem suo judicio post maturam rei discussionem, omniumque aut potissimorum, quæ pro utraque parte afferuntur, considerationem (si tamen sit opus dictâ consideratione, nam in aliquibus ad rem certò cognoscendam, nullâ opus est investigatione, ut patet in asserente se vidisse Petrum, aut hanc viam ducere Romam, in aliis verò sæpe non opus est longâ investigatione, sed mediocris sufficit) assero, inquam, talem hominem judicio suo, quo absolutè existimat rem aliquam aut veram esse, aut certò probabilem, illam certissimè probabilem reddere, modò in hoc judicio ferendo, more consueto se gerat, suumque judicium, sicut decet virum pium & doctum, eliciat. Jam quòd hæc sit certa & indubitata definitio rei extrinsecè probabilis, sic demonstratur. In primis convertitur cum definito, quia omnis ejusmodi res evadit extrinsecè probabilis; plerumque enim contingit judicium, tantâ diligentiâ examinatum, & ex tantâ probitate atque peritiâ elicitum, esse verum; Imo si omnia ejusmodi judicia in unum conferantur manifestum est ea longè frequentiùs verum dicere, quàm errare: ergo manifestum est tale judicium esse probabile, cùm sit è numero eorum, quæ non solùm ex magnitudine apparentiæ, cui innituntur, plerumque verum dicunt; sed etiam quæ ex eâdem vi & magnitudine veritatis apparentis, non possunt non frequentiùs verum dicere, quàm errare. Præterea qui tali viro fidem præberet, staretque illius sententiæ, prudenter faceret; maximè si certò constaret eum talem esse, qualem descripsimus, & ita in ferendo suo judicio processisse, sicut requisivimus. quis quæso fidem tali viro datam temeritatis aut imprudentiæ auderet condemnare? nonne evidens est, quòd fides illa magno reverà motivo nitatur? nil certè evidentius est hâc veritate. Ergo fides data tali viro non est assensus improbabilis levi fundamento nixus; non est judicium temerè, imprudenter, & ex levitate animi elicitum; ergo est judicium prudens & probabile; & hoc evidens est. ergo evidens est, quòd nitatur fundamento extrinsecè probabili: ergo evidens est authoritatem dictam refundere veram probabilitatem extrinsecam in rem, quam judicat. Stat ergo omne objectum per tale judicium assertum evadere certò & evidenter probabile, probabilitate extrinsecâ. Jam verò quòd nullum aliud judicium isto inferius sufficiat ad constituendum aliquid certò extrinsecè probabile, non minùs est evidens; quia quolibet ex dictis requisitis ablato, nemo nisi temerè absolutè adhæret dictis talis viri præcisè propter ejus authoritatem; nam vel loquimur de rebus clarè, vel de rebus obscurè cognoscibilibus; si de rebus clarè cognoscibilibus, non dubitamus quin judicium loquentis verum sit, solùmque attendimus utrùm dicta menti conformet; neque aliter possumus illi prudenter credere, quàm quia supponimus eum nolle mentiendo nos fallere; ablatâ enim hac dispositione à loquente, ille

Homo probus quis in hac materia sit dicendus.

Quis homo peritus.

Explicatur assertio.

Demonstratur assertio.

Judicium in assertione positum tale est, ut ex collectione omnium illi æqualium, plura sint vera quàm falsa.

ille fidem non meretur, ut patet. Porrò hæc observatio locum habet in rebus etiam obscurè tantùm cognoscibilibus, in quibus non minùs, quàm in aliis imprudenter crederemus, nisi supponeremus hominem illum veracem esse in loquendo. Jam verò in rebus obscurè tantùm cognoscibilibus defectus peritiæ, aut diligentiæ in re examinandâ nimis apertè infert rem illam non esse prudenter absolutè credibilem, præcisè propter authoritatem loquentis; quia judicia ex imperitiâ, aut negligenti rerum obscurarum discussione profecta, plerumque sunt falsa. ergo quivis defectus requisitorum in definitione tollit extrinsecam probabilitatem, quæ in eo sita est, quod judicium alicujus de rei veritate ideò præcisè fit prudens & probabile, quia illi authoritati innititur. ergo definitio convertitur cum definito. Præterea eadem definitio exponit ipsissima prædicata radicalia, propter quæ objectum evadit extrinsecè probabile; scilicet veracitatem hominis illius tam in cognoscendo, quàm in loquendo; evidens enim datur præsumptio, quòd vir peritus & diligens in examinandâ re aliquâ non fallatur in suo judicio; pariter præsumptio, quòd vir probus non fallat in loquendo, est evidens; adeoque ubi datur utraque hæc præsumptio evidens, ut in casu nostro, necesse est judicium illi nixum esse prudens; sicut necessum est judicium esse imprudens, ubi ulla ex dictis præsumptionibus deest. Ergo definitio hæc est bona. Jam quomodo omnia hæc conveniant judicio certam objecti probabilitatem affirmanti, clarè constabit partim ex dicendis in solutione objectionum, partim ex infrà dicendis de probabilitate quoad nos.

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima.


25. OBjicies primò; ut res obscurè cognoscibilis evadat probabilis per alterius judicium, debet ille examinare omnes omnino rationes parti contrariæ faventes: ergo malè dictum est in definitione, *omnium aut potissimorum utrique parti faventium.* Probatur antecedens: quia in iis, quæ non examinantur, latere potest id, ex cujus inspectione veritas ipsa detecta fuisset. ergo nisi omnia examinentur ab aliquo, nemo propter ipsius assertionem prudenter credit verum esse quod dicit.

Respondeo sufficere si potissima examinentur, dummodo ex aliorum relatione, aut aliunde constet alia, quæ omittuntur, esse levia, & parvi momenti. Ratio est, quia quando potissima omnia, quæque magnam habent difficultatem examinantur, dictum judicium viri periti evidenter tale est, ut plerumque verum dicat. ergo est evidenter probabile: adeoque talis ejus authoritas evidenter refundit probabilitatem extrinsecam in asserta, quæ profert. Præterea quæ minoris momenti sunt, aut semper aut plerumque involvuntur in iis, quæ sunt majoris momenti, saltem implicitè, & æquivalenter; ac proinde sufficienter censentur examinata per diligentem rerum difficiliorum discussionem. Et sanè si omnia omnino, quæ apud omnes Authores exstant, deberent seriò, & in propriis terminis examinari, nemo fermè esset, qui vel unam opinionem suâ authoritate posset reddere probabilem; quod utique absurdum est. Jam licet aliquando veritas latere possit sub illis motivis minoris momenti, illud tamen non impedit, quominùs sit probabile veritatem existere sub motivis contrariis: quando potissima motiva, etsi non omnia omnino, fuerunt examinata, & sub illis, quæ validissima sunt, non est inventa.

Solvitur objectio. Ad probabilitatem extrinsecam non requiritur, ut omnia omnino, quæ parti oppositæ favent, examinentur.

Objectio secunda.

26. Objicies secundò, ut quis suâ authoritate reddat aliquid probabile, non sufficit judicare illud esse certò probabile, sed debet absolutè judicare illud ita se habere; quia longè plus est affirmare rem aliquam esse veram, quàm probabilem; utraque enim



enim pars contradictionis est probabilis, sed una tantùm est vera: ergo malè dicitur, quod sufficiat, si aliquid judicetur esse certò probabile.

Solvitur objectio.

Respondeo, quod quoad præsentem quæstionem perinde sit judicare aliquid esse certò probabile, ac absolutè judicare illud esse verum; quia certa probabilitas fundat judicium probabile quod res sit vera: neque enim plus requiritur ad probabiliter judicandum de veritate rei, quàm certa probabilitas de veritate ejusdem. Porrò quomodo, quoad præsentem quæstionem hæc duo æquivaleant patebit ex dicendis quæstione 6. Assert. 2. n. 7.

Objectio tertia.

27. Objicies tertiò, & quæres utrùm ut aliquid reddatur extrinsecè probabile non sufficiat, si vir peritus & pius modo dicto judicet illud esse probabile, etsi non judicet illud esse certò probabile.

Solvitur objectio.

Judicium viri periti & pii, qui judicat rē aliquam esse probabiliter probabilem, non reddit illam certò probabilē.

Respondeo veritatem rei non reddi certò probabilem per judicium viri periti & probi, si ille solùm judicet motiva suadentia rei veritatem esse probabiliter probabilia: quia ex vi talis judicii motiva illa fortasse non sunt probabilia: ergo ex vi talis judicii non possum prudenter judicare rem ipsam esse certò probabilem. At oppositum valet si judicet rem esse certò probabilem, uti adhuc clariùs constabit in loco proximè citato. At nos hic loquimur de certâ probabilitate, sed extrinsecâ ipsius rei. Quod si ipsa probabilitas motivorum sit objectum dissertationis, & consideretur ut res, illa per dictum judicium viri docti & pii reflexè evadet certò probabilis, quia certum est ejus probabilitatem prudenter & probabiliter affirmari posse propter authoritatem extrinsecam talis viri sic judicantis, ille enim absolutè judicat motiva esse probabilia: verùm quia falli potest in eo judicio (uti nunc supponitur, quia tantùm probabiliter judicat, quamvis fortasse suppositio sit falsa) ideò ex vi illius non potest certò constare rem ipsam esse certò probabilem, sed ulteriùs ad minimum requiritur, ut judicet ejusdem probabilitatem esse certam.

Objectio quarta.

28. Objicies quartò: Non requiritur ut omnia aut potissima in utramque partem discutiantur: ergo talis inquisitio perperam ponitur in definitione tanquam necessariò requisita. Probatur antecedens; sæpe una ratio favens uni parti tam potens est, ut evidenter constituat suum objectum in ratione probabilis; ex suâ enim claritate & vi sufficienter monstrat nil posse afferri in oppositum, quod facilè solvi non possit. Jam certum est judicium tali rationi nixum esse probabile; adeoque objectum per tale judicium manifestatum constitui extrinsecè probabile; At in hoc casu nec omnia nec potissima argumenta pro ullâ parte contradictionis necessariò examinanda sunt cum diligentiâ.

Aliquando aliquid evadit probabile, etsi motiva opposita parti faventia non examinentur.

Solvitur objectio. Et dicta doctrina admittitur, & explicatur.

Respondeo objectionem hanc nil continere contrarium definitioni positæ; nam ideò sunt appositæ particulæ illæ, *Ubi opus est*, ut casum hunc aliosque exciperem similes. Nam cùm ratio hæc ponatur esse talis, ut suâ vi, suaque magnitudine, & claritate evidenter constituat rem probabilem, monstretque nihil in contrarium afferri posse, quod commodam solutionem non admittat, utique apparentia veritatis ex vi talis rationis ponitur esse tanta, ut quicunque illi præstet assensum, operetur sicut decet virum prudentem & probum; quodque à nemine propter tale judicium meritò reprehendi possit. Jam ergo quando dicitur in definitione, *ubi opus est*, sensus est, aut potissima, aut omnia pro utraque parte tunc solùm necessariò consideranda esse, quando absque illorum exactâ contemplatione, judicium uni parti alligatum reprehendi posset, tanquam non elicitum cum eâ discussione, quæ decet virum prudentem, & probum.

Ulteriùs declaratur quando

Deinde Respondeo casum objectionis admitti non debere nisi in viro magni ingenii,

genii, illoque materiæ illius perito: verbi gratiâ, in magistro aliquo, qui olim plurima & potissima in utramque partem consideravit; & nuncin præsenti, etsi omnium expressè non recordetur, novâ luce, novoque argumento, aut certè novâ, & vivaciore priorum motivorum apprehensione roboratus, uno ut ita dicam intuitu, omnia quæ supponuntur in objectione, clarè percipit. Verùm ille jam æquivalenter per hoc argumentum, aut potissima aut omnia examinat. Argumentum enim hoc quâtenus tantâ claritate favet uni parti, procul dubio ad minimum est unum ex potissimis illi parti faventibus; quâtenus verò satis clarè & efficaciter ostendit nil afferri posse in contrarium, quod commodam solutionem non admittat, virtualiter continet examen eorum, quæ in contrarium afferri possunt. Hæc virtualis consideratio omnium eò magis elucet, quò ratio illa nova conjungitur cum memoriâ qualicunque prioris examinis, quæ in viro docto & perito solet perseverare.

Objectio quinta.

29. Objicies quintò: si vir notæ prudentiæ & probitatis mentiatur, & dicat aliquid esse verum, quia post diligentem omnium considerationem id ita se habere reperit, objectum illud evadit extrinsecè probabile, licèt vir ille aut contrarium judicet, aut certè absque sufficienti discussione sententiam suam præcipitaverit. ergo non omnia quæ dicuntur in definitione, requiruntur ad constituendum objectum extrinsecè probabile.

Vir peritus & prudens reddit suû dictum probabile, etsi mentiatur.

Solvitur objectio.

Respondeo nos hactenus tantùm definivisse objectum extrinsecè probabile quoad se, & juxta veritatem, non autem quoad nos, & juxta apparentiam quâ de rebus judicamus. Fateor ergo objectum illud in casu objectionis evadere quidem probabile quoad nos, & apparenter; sed certum est, quod reipsâ non sit probabile, ne quidem extrinsecè quoad se: Patet hoc si fingamus virum illum mentiri; in hoc enim casu homo ille reipsâ non impendit suam authoritatem in objectum, de quo loquitur, quia vel nullum de eo judicium elicit; vel si aliquod eliciat, non illud, sed aliud manifestat. Jam in hoc casu nulla datur sententia viri docti & pii, per quam objectum affirmatum reipsâ evadat probabile. Ergo verè non constituitur probabile. Probatur antecedens, quippe quod nimis clarum est, si nullum omnino judicium eliciatur; sed etsi judicium contrarium eliciatur, adhuc res est manifesta, quia cùm illud non manifestetur, sed oppositum, non illud sed oppositum movet ad assensum: ergo illud non constituit objectum probabile. nil enim constituit motivum probabile, quod non est sufficienter inductivum ad assensum probabilem, sed neque judicium falsò enuntiatum constituit objectum probabile, quia non datur ut supponimus. ergo reverâ objectum illud non est quoad se probabile. Est tamen probabile quoad nos, quia cùm non constet de viri illius negligentiâ, & falsitate, præsumimus quod verax fuerit in loquendo, & sedulus, prudens ac probus in judicando; & freti hâc præsumptione credimus eum verum dixisse; idem valet, si propter defectum diligentiæ ad prudentem assensum prærequisitæ temerè judicet rem ita se habere, sicut dicit; quia tale judicium non sufficit ad quidquam verè & realiter quoad se, sed solùm apparenter & quoad nos constituendum in ratione probabilis extrinsecè. Jam verò etsi hoc objectum sit probabile quoad nos, nihil infertur contra assertionem positam, ut patet; quæ autem requirantur & sufficiant ut aliquid quoad nos sit probabile, infrà fusè dicetur quæstione sexta. Constat ergo omnia posita in definitione necessariò requiri ad verè constituendum aliquid probabile probabilitate extrinsecâ quoad se.

Vir mentiens aut negligenter judicans non constituit objectum, quod affirmat, probabile quoad se, sed solùm quoad nos.

quoad nos.

Objectio sexta.

30. Objicies sextò: Quod unus prudens & pius post seriam omnium inspectionem judicat esse verum aut certò probabile, alius prudens post parem diligentiam existimet

mat esse falsum & improbabile. ergo unius viri prudentis assensus, cum omnibus in assertione positis elicitus, non sufficit ad constituendum aliquid certò probabile; alioquin idem esset simul & semel certò probabile, & ad minimum probabiliter improbabile. Esset quidem certò probabile propter assensum prioris viri prudentis; esset verò ad minimum probabiliter improbabile propter judicium posterioris. At consequens est absurdum, ergo & definitio est insufficiens.

Solvitur objectio.

Respondeo duos probos & peritos prudēter judicantes posse ab invicem discrepare in assensu de absolutâ rei veritate, suisque judiciis simul probabilem reddere utramque partem contradictionis, uti optimè observatur in objectione. Sed nego quod doctus prudenter judicans existimare possit esse improbabile, quod quivis verè probus & peritus, post diligentem omnium inspectionem, non leviter, non passione ullâ incitatus, sed sincero animo, & quantum potuit juxta meritum apparentiæ præhabitæ judicavit esse certò probabile. Disparitas inter veritatem & probabilitatem rei ea est, quod probabilitas semper sub experientiam cadat, veritas autem non semper: Probabilitas quidem semper, quia consistit in magnitudine apparentiæ, quâ stimulamur ad aliquid existimandum, & absolutè credendum; stimulus autem ille sub experientiam cadit. Veritas autem ipsa etsi aliquando sub experientiam cadat, ut quando affirmamus objecta sensibus subjecta, & de propriis aliquibus actibus nostris loquimur, sæpissimè tamen obscura est, & non nisi per conjecturas innotescit. Sicut ergo si aliquis sensibus benè dispositus, limpido cælo & absque medii alteratione aut varietate contemplettur aliquod objectum, illudque illi appareat esse viride, impossibile est, quod illud alteri, qui habet oculos benè dispositos, & idem objectum in iisdem circumstantiis contemplatur, aliter repræsentetur, quàm sub specie objecti viridis; ita idem dicendum est de apparentiâ constituente probabilitatem, quia etiam illa sub experientiam cadit, non minùs, quàm color sub aspectum; & sicut si certi essemus de qualitate & sinceritate primæ observationis, indubitanter diceremus eum, qui affirmaret objectum illud esse rubrum aut album, non autem viride; sicut, inquam, diceremus eum aut mentiri, aut voces confundere, unamque pro aliâ accipere, aut certè habere oculum malè dispositum, vel aspicere per medium alteratum; ita indubitanter factâ suppositione, quòd aliquis juxta dicta judicet aliquid esse certò probabile, eo ipso quòd alius dicat illud esse improbabile, dicendum est eum aut mentiri, aut sensum vocum confundere, aut non omnia considerâsse, quæ alter ponderavit, aut passione aliquâ excæcatum temerè præcipitâsse sententiam. Impossibile enim est, quòd apparentia, quæ tanta est, ut apud virum prudentem absque passione juxta meritum objecti, quantum potest, discurrentem fundet judicium prudenter, non temerè conceptum de certâ objecti illius probabilitate, apud alium hominem pariter dispositum antecedenter ad omnem passionem tam exigua appareat, ut objectum illud prudenter & meritò ab eo credi debeat esse improbabile.

Prudentes prudenter judicantes discrepare possunt circa veritatem rei; sed non circa probabilitatē ejusdem.

Hoc fusè declaratur & evincitur.

31. Hæc quidem ita se habent; sed adhuc latet, quid sit probabilitas intrinseca, & quomodo possit cognosci. Peto enim quare assensus prædictus viri probi & periti probabile reddat objectum, quod absolutè affirmat esse verum? Certè non aliunde quàm quia motivo probabili nixus suam sententiam protulit: ergo antecedenter ad probabilitatem extrinsecam, dari debet alia probabilitas prior, in quâ illa tanquam in radice, & causâ illam præcontinente fundetur. Hæc est probabilitas rationalis & intrinseca, quæ in genere probabilitatis est omnium potissima, & prima, cujus exacta definitio, quæ ad praxim deservire possit, hîc investigatur.

Probabilitas rationalis & intrinseca præcedit authenticam, & extrinsecam, sicut causa præcedit effectum.

ASSER-

ASSERTIO SEPTIMA.

Motivum certò continens intrinsecam probabilitatem rectè definitur, Fallibilis apparentia ab authoritate loquentis independens, apta ad inducendum virum probum & peritum irreprehensibiliter juxta dicta judicantem, ad absolutè affirmandam rei veritatem.

- DEmonstratur bonitas definitionis, à quâ neminem puto posse recede-, & juxta quam plurimos satis expressè sentientes habeo; nempe Esparzam Quæst. . & Honoratum Fabri in dialogo de opione probabili supra citatos: quibus adde rrerium de opinione probabili, & apud m Suarez, Malderum, Sanchez, Aversam, Layman: Demonstratur, inquam, hoc odo. In primis convertitur cum definitnam omne motivum ejusmodi est certò ntrinsecè probabile, quia ut supponitur, dat judicium prudens de absolutâ rei vete. Similiter omne motivum sufficiens ejusmodi assensum fundandum, modo sit ependens ab authoritate loquentis, est ò & intrinsecè probabile; quia fundat jum certò certiùs prudens, & probabile, à jus authoritate depēdens, ut etiam cōstat ppositione. Rursus nullum est judicium ens, quod ad minimum tali motivo nitatur; si enim niteretur motivo inientiad virum probum & peritum in ssensum alliciendum, esset assensus terius & imprudens; non probabilis & ens. ergo definitio & definitum cōverr. Secundò probabilitas intrinseca deur in ordine ad primarium, immediatū, cum effectum suum, cumque notissi-; scilicet in ordine ad assensum à viro & perito irreprehensibiliter judicante m. Causa autem meliùs exponi non , quàm in ordine ad talem effectum; maximè autem quoad intentum præsentis Tractatûs meliùs explicari non potest, quia per effectum illum facilè, & certò innotescere potest. quodnam sit, vel non sit motivum certò & intrinsecè probabile: Ergo definitio hæc, & bona est, & maximè opportuna pro præsenti tractatu. Porrò explicatio hæc adeo clara est, ut quod opponam non inveniam; & si quid objici possit, affine est illis, quæ contra superiorem assertionem posita sunt, eodemque modo solvi debet.

ASSERTIO OCTAVA. Assertio 8.

Probabile ab extrinseco, relatè ad suum effectum immediatum, primarium, & unicum optimè definitur: Apparentia adeo magna veritatis, præcisè fundata in fallibili authoritate loquentis, ut illa digna sit assensu; seu ut qui illi absolutè assentitur tanquam prudens meritò laudari, nullatenus tanquam temerarius & imprudens reprehendi possit. *Definitio complectitur tantùm quæ sunt certò probabilia quoad nos, & ab extrinseco.* Probabile ab extrinseco, & quoad nos, exactè definitur.

33. ANtea definivimus probabile ab extrinseco quoad se per suum constitutivum; nunc definimus probabile ab extrinseco quoad nos in ordine ad effectum suum, sicut jam proximè definivimus probabile ab intrinseco. Hoc ideò factum est, ut absolutam & completam doctrinam habeamus: Cæterùm prima definitio probabilis extrinseci & quoad se, utpotè per constitutivum exposita, omnibus consideratis, melior est, quàm ista, quæ traditur per effectum; quia illa est à priori, hæc à posteriori. Præterea hoc maximè valet in casu præsenti, quia tam facilè innotescit constitutivum primæ probabilitatis extrinsecæ Declaratur assertio.

quoad se, quàm effectus secundæ quoad nos: Imo notitia constitutivi illius præsupponitur ad cognitione effectûs istius, ideo enim assensus, viro aliquid asserenti præstitus, est irreprehensibilis, seu ideo illius testimonium est dignum assensu, quia ille supponitur esse probus & peritus, atque, uti decet virum probum & peritum, suum judicium elicuisse. Cæterùm hæc definitio prout jacet solùm explicat id, quod est ab extrinseco probabile quoad nos, quia omne & solùm illud est probabile quoad nos, quod præcisè propter fallibilem authoritatem mereretur assensum hactenùs expositum. Verùm quia contingere potest non solùm ut loquens ille fallatur, sed etiam ut fallat, & mentiatur, ideo quod est probabile quoad nos propter extrinsecam authoritatem, sæpe non est probabile quoad se. Quoad nos enim omne illud, quod à viro prudente & pio asseritur, est probabile, quoties datur prudens præsumptio, quòd loquens non mentiatur, quodque non temerè enunciet, quod dicit; quamvis multa ejus asserta, propter defectum utriusque, aut alterutrius ex dictis conditionibus, non sint probabilia quoad se. Verùm de hoc postea fusiùs. Interim si velis definitionem hanc solùm applicari probabilitati extrinsecæ non reputatæ, & quoad nos, sed veræ & reali, ac quoad se, illam sic effer. *Probabile ab extrinseco est apparentia adeo magna veritatis, præcisè fundata in fallibili authoritate loquentis, ut illa ideo sit digna assensu, quia ille judicium elicuit sicut decet virum prudentem & probum, & quia judicium suum veraciter manifestavit.*

Definitur probabilitas extrinseca quoad se.

Proponitur replica.

34. Dices, ergo nihil quod evidenter notum est loquenti, potest esse probabile ab extrinseco; quia loquens cùm falli non possit in suâ scientiâ, utpotè evidenti, & supponatur non fallere in suâ locutione non est ampliùs probabile, sed certum, quod dicit.

Solvitur replica.

Respondeo veram probabilitatem extrinsecam talium objectorum posse quidem dari, & probabiliter tantùm innotescere, atque ita movere ad assensum prudentem & probabilem; in quo casu vera probabilitas extrinseca causaret existimationem sui, & assensum de veritate objecti, quod repræsentat. Verùm tamen est, quòd dicta probabilitas ostendens objecta à loquente certò & evidenter nota, fundaret assensum certum & indubitatum, si clarè innotesceret; quia esset medium demonstrativè inferens veritatem objecti; atque ideo vera probabilitas extrinseca de talibus objectis evidenter innotescens, perderet quidem nomen motivi probabilis relatè ad judicium, quod causaret in illam evidenter cognoscente; sed nequidem apud eum perderet suam denominationem relatè ad judicia, quæ fundaret in aliis, qui eam solùm probabiliter cognoscerent. At vera probabilitas extrinseca de objectis non certò cognitis retineret munus suum etiam apud illum, cui certò & evidenter innotesceret.

Probabilitas extrinseca quoad se, si evidenter innotesceret quoad omnia sua constitutiva, esset medium demonstrativum aliquorum objectorum, sed non omnium quæ proponeret.

ASSERTIO NONA.

Assertio.

Datur probabilitas seu apparentia probabilis essentialiter mixta ex rationali & authenticâ.

Datur probabilitas mixta ex authentica & rationali.

35. Probatur, & quidem quòd tam ab authoritate, quàm à rationibus in unum collectis aut oriatur aut componatur tertia quædam apparentia, nemo ambigit; verùm illa sæpe aut componitur, aut oritur ex duabus partibus, quarum utraque est verè probabilis, aut certè præsupponit unam vel utramque partem esse secundùm se probabilem. Quod verò hîc asseritur est, dari apparentiam probabilem, sed compositam, seu resultantem ex duabus, quarum neutra ex se est absolutè, & adæquatè probabilis, quam ideo appello essentialiter mixtam; quia nisi duæ illæ apparentiæ misceantur, nulla habetur probabilitas. Probatur ergo sic:

Probatur assertio.

sic: habeat quis rationes & conjecturas validas, quòd Petrus, verbi gratiâ, furatus sit meum equum; verùm illæ ponantur non attingere infimum probabilitatis gradum. Rursus ex altera parte audiam ego ab Antonio Petri inimico, viro ordinario, nec notæ probitatis & veracitatis, se vidisse Petrum, cùm equum meum ex agro abduceret, & eum ad nundinas duceret, ibique venderet. In hoc casu tota apparentia, quam habeo, fundat assensum probabilem, illa autem coalescit ex ratione & authoritate, quarum neutra secundùm se sufficit ad absolutum judicium de furto Petri; non ratio, ut suppono; non sola authoritas Antonii, quia ille magnas ponitur habere inimicitias cum Petro; & de ejus veracitate nil singulare constat; imo fieri potest, ut constet eum non semel alios calumniatum esse, nihilominus illius testimonium aliquam apparentiam veritatis secum fert, quæ priori juncta constituit unam probabilem, plerùmque cum veritate ei conjunctam.

ASSERTIO DECIMA.

Probabilitas ut sic rectè definitur: Apparentia fallibilis adeo magna, ut illa digna sit assensu, seu ut qui illi absolutè assentitur ut prudens meritò laudari, nullâtenus tanquam temerarius & imprudens reprehendi possit.

. HÆc explicatio convenit omni & soli definito; omni quidem, quia convenit probabilitati tam intrinsecæ, quàm extrinsecæ, & mixtæ, ut patet ex earum definitionibus; idque verum est, sive probabilitas extrinseca sit realis, & quoad se, sive tùm apparens, & quoad nos: soli verò, quia manifestum est, quod non conveniat motivo evidenti, certo, aut improbabili: ergo soli probabili convenit. Jam verò *esse dignum tali assensu*, &c. omnino coincidit cum eo, quod alii dicunt, opinionem probabilem esse illam *quæ nititur motivo verè magno*; sed illi explicant effectum per causam obscurè cognitam, nos explicamus causam obscuram per effectum clarum. Porro ut opinio aliqua sit probabilis, & nitatur motivo verè magno, non sufficit quòd motivum illud sit absolutè magnum, nisi magnum sit etiam comparativè ad motiva faventia parti oppositæ. Patet hoc, quia plures sunt opiniones temerariæ, imo & hæreticæ, quæ magnis absolutè argumentis fulciuntur, quæque non solùm apud vulgus, sed etiam apud viros doctissimos difficilem solutionem admittunt; unde adeo invaluerunt, ut plurimos, etiam regna integra, in assensum traxerint: nihilominus quia hæc argumenta, relatè ad argumenta opposita pro veritate & credibilitate doctrinæ catholicæ, nullius sunt momenti, cùm per eadem efficaciter convincantur falsitatis, ideo assensus ex viillorum non est intrinsecè probabilis, sed absolutè falsus & erroneus. Itaque ut opinio sit intrinsecè probabilis, debet niti motivo absolutè & relativè magno; tali scilicet, quod aptum sit movere hominem prudentem, & omnium, quæ hinc inde pro utraque parte afferuntur, peritum ad assensum.

Probabilitas in quo sensu sit motivum verè magnum.

Debet esse motivum tam absolutè, quàm relatiè magnum.

Corollarium.

37. Atque hinc infertur quid sit probabilioritas, seu major probabilitas. In primis inter motiva probabilia illud est probabilius, cui omnia æqualia frequentiùs connectuntur cum veritate, quàm illud, cui omnia æqualia minùs frequenter conjunguntur cum veritate. Hæc est definitio motivi probabilioris juxta primam Aristotelis definitionem. Verùm illa inutilis est ad præsentem tractatum, quia ex illâ sæpissime scire non possumus, utrum hæc determinata opinio, aut hoc determinatum motivum sit alio probabilius necne, ut suprà advertimus. Deinde juxta secundam Aristotelis

Probabilioritas, seu major probabilitas quid sit?

stotelis definitionem motivum verè & quoad se probabilius est, *quod cæteris paribus, aptum est plures peritos & probos ad sui assensum allicere, quàm aliud, quod ideo dicitur minùs probabile, quia cæteris paribus, aptum est pauciores ad sui assensum inducere.* Quæ verò, cæteris paribus, æqualiter alliciunt, aut apta sunt ad æqualiter alliciendos peritos & probos in sui assensum, sunt æquè probabilia: Ex effectu enim unico & potissimo, abundantiore, nobiliore, atque majore, majoritas & nobilitas excellentioris causæ legitimè infertur; sicut ex minoritate minoritas, & ex æqualitate æqualitas ejusdem clarissimè comprobatur. Verùm hæ sunt definitiones majoris probabilitatis veræ, & in se existentis, non autem apparentis. Authores enim sæpe dicunt, & judicant suam opinionem esse probabiliorem oppositâ, quamvis in eo errent; sæpe enim probabiliter tantùm, non probabiliùs ita judicant, in quo casu non ideo opinio illa est directè & intrinsecè, aut reflexè & extrinsecè probabilior, sed hoc aliunde determinari debet, nempe ex hâc secundâ definitione hîc allatâ, quæ in totâ hâc materiâ pro praxi unica est. Præterea sæpe illi Authores loquuntur de apparentiâ consequente ad judicium suum jam elicitum ex quâ nihil inferri potest de magnitudine motivi, in quo judicium primum fundatum fuit, quia ista consequitur dictum judicium, non antecedit illud. Porro apparentia consequens judicium fallibile longè major est, quàm antecedens, uti fusiùs ostendetur *quæst. 1. num. 27.* Nullâtenus tamen auget veram probabilitatem sui objecti. At nos loquimur de apparentiâ antecedente omne judicium uni parti indebitè alligatum; imo & de apparentiâ antecedente omnem passionem animi, & inordinatum affectum ad partem affirmatam, quia illa sola apta est mensurare sinceritatem, & magnitudinem veræ probabilitatis; passio enim, & inordinatus animi affectus mentem excæcat.

Magnitudo effectûs unici mensurat magnitudinem causæ.

Apparẽtia consequẽs judicium uni parti alligatum est longè major pro illâ parte; quàm apparentia omnino antecedẽs omne ejusmodi judicium.

38. Hactenus quasi in genere exposuimus probabilitatem veram tam quoad se, quàm quoad nos, fusiùs de utrâque postea agendum erit, consequenter ad principia hîc stabilita. Interim adverto quicquid in assertionibus hujus quæstionis dictum est, debere intelligi de apparentiâ antecedente tam judicium, quàm passionem, aut inordinatum animi affectum uni parti indebitè alligatum, uti proximè insinuatum est; & antea non semel dictum.

Quæ dicta sunt intelligi debent de apparentiâ antecedente assensum uni parti indebitè alligatum.

Solvitur obiectio Vincentii Baronii.

Objectio Vincentii Baronii.

39. Objicit Baronius disp. 1. sect. 2. art 2. parag. 2. contra definitionem Fabri & Stubrockii, quod perperam definiatur opinio probabilis, *quæ prudentem assensum fundat.* Hoc enim est tenebras offundere, cùm adversarii nostri, omnes scilicet, qui negant usum opinionis probabilis faventis libertati contra legem esse licitam, hoc ipsum inficiantur. Præterea ponere talem definitionem videtur petere principium, quia illâ admissâ negari non potest, quin usus cujusvis opinionis sit licitus, ut expressè fatetur ibidem parag. 3. At eadem objectio æquè urget nostram definitionem.

Solutio.

Respondeo Baronium ostendere suam ingenuitatem, dum candidè fatetur usum opinionis probabilis convinci licitum, si vera sit nostra definitio. Verùm illa est evidenter vera; nec à quoquam meritò negari potest; neque hoc est petere principium, quia ponere definitiones certas, & axiomata per se nota, ex quibus conclusio evidenter deducitur, non est petere principium; alioquin Mathematici peterent principium, dum terminos definiunt, & statuunt axiomata, ex quibus evidenter inferunt suas demonstrationes. Jam ex eo quod assensus partis minùs tutæ sit certò prudens, rectè quidem infertur usus illius esse licitus, verùm ea illatio non est obvia, cùm non nisi ex discursu satis subtili inferri possit, uti infrà patebit,

Baronius est author ingenuus.

Ponere definitionẽ, ex quâ quæstio evidenter solvitur, non est petere principiũ.

patebit. Interim in definitione hâc nil dicitur de opere à tali assensu regulato, ejúsve qualitate, sed ab his omnibus præscinditur, quia definitio æquè convenit judicio probabili speculativo ac practico; cùm tamen judicium speculativum operi dirigendo non deserviat. Qua ergo ratione dicamur petere principium in hac definitione, quæ ab omni circumstantiâ operis perfectè præscindit, nequit intelligi.

40. Conjiciat Baronius oculos in conclusiones purè speculativas, quarum aliquæ, etiam inter se contrariæ, sunt probabiles, quales sunt adversæ opiniones Thomistarum, & Scotistarum; aliæ sunt temerariæ & improbabiles. Sed cur? quia assensus illis præstitus est prudens, & pro prudenti meritò laudatur; assensus verò datus istis est temerarius, atque ut imprudens meritò reprehenditur. Quod ergo dicimus est, utramque opinionem speculativam, tam Scotistarum, quàm Thomistarum sæpe talibus niti fundamentis, ut quævis pro libito prudenter eligi possit ut defendenda, nec ideo quemquam reprehendi posse ut temerarium & imprudentem, sed meritò laudari, ut prudentem, quia rationabili & prudenti motivo inductus hoc facit. Quod si motivâ alteri parti faventia sint adeo debilia, ut prudentem hujusmodi assensum nequeant fundare, pars illa est improbabilis, quia nullus ei assensus nisi temerè præberi potest. Jam si quæstio petat, an aliquid liceat necne? si rationes non minores faveant utrique parti, quàm quæ in speculativis reddunt utramque partem certò probabilem, quatenus singulæ fundant assensum prudentem, non temerarium, non censurabilem, non reprehensibilem; dicimus utramque partem esse certò probabilem, & prudenter reputari posse verum. Quid evidentiùs? Ergo in practicis assensus datus parti minùs tutæ, si sit probabilis, prudens est & reprehendi non potest: & è contra si assensus ille sit prudens & incertus, indubitanter est probabilis. At aliud non contendo. Præterea consideret Baronius qualem intellectum, & quot erroribus distentum haberet, si in rebus moralibus semper ferret judicium pro veritate partis tutæ, etiam æquè, aut minùs probabilis, etiam improbabilis, & intelliget judicium de parte minùs tutâ esse posse certò prudens, licet sit tantùm probabile, & in apparentia veri, aut nullo modo, aut parùm admodum excedat apparentiam pro veritate partis tutioris.

41. Hactenùs de motivo probabili in genere dictum est; & ex dictis clarè infertur definitio opinionis probabilis. Est enim opinio probabilis *judicium absolutum de aliquo objecto sed incertum, nixum motivo prudenti, cui homo irreprehensibiliter assensum præbet.* Atque hinc sequitur primò nullam opinionem esse posse probabilem, quæ aut solido fundamento caret, aut rationi manifestæ repugnat; nemo enim prudenter & irreprehensibiliter assentitur objecto absque motivo prudenti, aut contra rationem manifestam; illud enim animi præcipitanter imprudentis est, hoc stolidè perversi. Sequitur secundò nullam opinionem esse probabilem, quæ sacræ Scripturæ, Patrum traditionibus, aut Ecclesiæ, id est Pontificum & Conciliorum definitionibus contrariatur; quia nemo nisi temerè, & reprehensibiliter contra tantam authoritatem opinatur. Præterea quando una pars contradictionis est certa, altera non est probabilis. At quæ traduntur à sacra Scripturâ, quæ per PP. traditionem noscuntur, quæque ab Ecclesia definiuntur, certa sunt. ergo opposita non sunt probabilia, sed hæretica, erronea, temeraria. Sequitur tertiò motivum obscurum, cui opinio, ut sit probabilis, niti debet, tanti ponderis esse debere, ut hominis docti & absque passione judicantis intellectui satisfaciat, etsi illum non convincat. Præterea tam solidum esse debet, ut post

Opinio probabilis definitur.

Improbabile est quod repugnat rationi, vel experientiæ manifestæ.

Aut sacræ Scripturæ, Ecclesiæ definitionibus, vel PP. traditioni.

diligens examen falsitatis convinci non possit. Motivo enim altero horum carente nemo nisi imprudenter & reprehensibiliter assensum præbet. Hæc omnia vera sunt tam in speculativis, quàm in practicis & moralibus, sed in his potissimum consideranda sunt, quia de his potissimùm agimus in præsenti. Itaque eo ipso quod aliquid experientiæ aut rationi manifestæ, Patrum traditioni, vel sacræ Scripturæ, aut Ecclesiæ definitionibus repugnet, statim infertur illud omni probabilitate carere. Et hic est sensus unanimis omnium Theologorum tam qui speculativi, quàm qui practici & morales vocantur; ut videre est in eorum libris, ubi declarant quid sit probabile, quidque ad probabilitatem requiratur.

Scio plura dici posse ac debere de eo, an unius Authoris opinio semper sufficiat ad probabilitatem, nam etsi sufficiat, si in opinando se gerat, sicut requiritur in nostris explicationibus, tamen sæpissimè non constat an Author tradens opinionem suam ita se gesserit, ideoque plura de hâc materiâ dicentur inferiùs *quæst. 6.* ubi agetur de probabilitate quoad nos, ad quam quæstionem quæ reliqua sunt de hâc materiâ propriè pertinent.

QUÆSTIO TERTIA.

De causâ, & origine apparentiæ probabilis.

Status Quæstionis.

Status Quæstionis, ejusque utilitas.

1. Ostendimus in quæstione superiori veram essentiam, & naturam apparentiæ probabilis, nunc ad complementum doctrinæ remanet, ut aliquid dicatur de causâ & origine hujus apparentiæ; quæ ubi detecta fuerit, statim apparebit, unde fallibilis apparentia veritatis suam sumat magnitudinem, & quousque excrescat, ut probabilis sit & reputari debeat. Constabit etiam unde eveniat, ut motivum, quod uni multum arridet, alteri non admodum placeat; uno verbo, tota probabilitatis natura clarè ante oculos legentium prostabit. Dolendum sanè est, quæstionem tam utilem, tamque necessariam à nemine, quod sciam, hactenus, vel leviter tractatam fuisse; video enim meipsum ad illam pro dignitate exponendam multis indigere; potissimè autem indigeo exacta ejus discussione ab Authoribus sæpius repetitâ; tunc enim haberem, unde delectū facerem, & facilè esset ex meo penu aliquid aliorum inventis superaddere. Nunc autem, cùm omni istiusmodi ope destituar, majori mihi opus est sedulitate, quam, Deo dante, conabor adhibere, ut sic quod ex defectu alienæ discussionis, mihi deest, laboris proprii improbitas compenset. Sed ecce rem ipsam aggredior.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA. Assertio 1.

Omnis causa probabilitatis, seu apparentiæ probabilis reducitur ad duo capita; scilicet ad causam objectivam, & subjectivam. Propositum autem sit hanc divisionem clariùs explicare.

Causa apparentiæ probabilis est duplex: Alia objectiva, alia subjectiva.

Explicantur termini.

2. Causa objectiva probabilitatis est connexio, seu frequentia connexionis subjecti cum prædicato penitus independens

Causa objectiva probabilitatis quid sit?

dens à dispositione opinantis. Sic Matrem diligere suum filium est probabile per causam objectivam; quia Maternitas ex se, & independenter à dispositione opinantis, habet magnam, & valde frequentem connexionem cum amore filii, simulque etiam vim habet hanc ipsam connexionem manifestandi, & de facto eam manifestat per effectus suos nobis directè, immediatè, & evidenter cognitos, ut constat clarissimè. Hæc probabilitas ex se eadem est apud omnes, qui de objecto illo enuntiant independenter à propriâ dispositione; nam Matri, quæ in se experitur amoris materni vehementiam erga filios morigeratos, quos valde diligit, & nihil cogitat de molestiâ immorigeratorum, quia nunquam tales experta est; tali, inquam, Matri, probabilitas, seu apparentia, quòd Matres suos filios diligant, longè major est, quàm nobis, qui talem amorem non experimur, aut etiam Matri, quæ semper experta est filios inobedientes, & protervos; nam illa prior enuntiat de aliis juxta dispositionem, quam in se experitur, aliasque ex sua dispositione particulari judicat; unde vehementissimè inclinatur ad existimandum, quòd aliæ Matres suos filios vehementer diligant: è contra Mater, quæ obstinatos & perversos filios nacta est, aliarum Matrum propensiones ex suâ metitur, non existimat eas tantâ propensione filios suos diligere, quantâ reverâ diligunt: & sæpe fit, Matres ejusmodi ob dictas causas habere minorem apparentiam de magnitudine amoris materni, quàm nos, qui independenter à propriâ dispositione de earum amore, & in filios propensione enuntiamus. Ecce probabilitas fundata in causâ objectivâ ex se eadem est apud omnes, juxta dicta; & propterea causa hæc objectiva fundat nobilissimum genus probabilitatis, utpote ex se minimè variabile. Porro manifestum est, unum objectum esse posse alio probabilius ex vi causæ hujus objectivæ; illa enim probabiliora sunt, quorum connexio est frequentior connexione illorum, quæ inter se probabiliter connectuntur: non adjungo exempla quia sunt obvia.

3. Causa subjectiva probabilitatis est connexio, seu frequentia connexionis inter dispositionem opinantis, & veritatem rei assertæ. Verbi gratiâ, eo ipso, quòd virga tibi appareat fracta, probabiliter inferes, quòd sit fracta; quia in te sentis apparentiam, quæ plerumque connectitur cum reali virgæ fractione: etsi hæc apparentia aliquando oriatur non à fractione virgæ, sed à fractione radiorum ipsius. Hoc exemplum tum maximè habet locum, quando ille, cui virga apparet fracta, non est conscius, aut non advertit ad fractionem radiorum. Idem dico de eo, cui inscio humores oculi flavo colore suffunderentur, ille enim putaret, & probabiliter inferret, objectum in quod oculos primò conjiceret multum de flavedine participare, quia expertus est flavedinem reipsâ plerumque connecti cum tali visione. Verùm objectum non nisi propter organi indispositionem apparet flavescere, cùm ponatur nullam in se habere flavedinem. Causa subjectiva Probabilitatis quid sit?

4. Demum aliquando contingit utramque hanc causam coalescere in unam causam adæquatam apparentiæ probabilis, uti videre in est in Matre, quæ & ex ipsâ frequenti connexione maternitatis cum amore filiorum, & ex propriâ etiam dispositione, ac amore tenero, quem in se experitur erga proprios partus, magnam habet apparentiam, & stimulum credendi, & affirmandi quòd Matres diligant suos filios. Jam verò positâ hâc terminorum explicatione, & intelligentiâ Duæ istæ causæ probabilitatis aliquando coalescunt in unam causam adæquatam apparentiæ probabilis.

5 Probatur assertio; & quidem in primis quod dentur hæ duæ causæ apparentiæ probabilis, manifestè constat ex allatis exemplis; similiter ex iisdem constat, utramque aliquando in unâ causam totalem coalescere. Probatur assertio.

Quòd

Quòd autem omnis causa probabilitatis ad ista duo capita reducatur, sic demonstro. Omnis apparentia connexionis inter subjectum & prædicatum, oritur vel à connexione, quam termini videntur habere inter se independenter à dispositione opinantis; vel à connexione, quam videntur habere inter se dependenter à dispositione opinantis. Impossibile enim est aliud membrum tertium inveniri; quia hæc duo membra continent objecta contradictoriè opposita, inter quæ objectivè cognita, & comparata nullum medium intelligi potest. At omnis probabilitas est apparentia connexionis inter prædicatum & subjectum; ergo omnis probabilitas respicit alterutram ex dictis causis, tanquam id, in quo fundatur, & à quo derivatur. Jam probabilitas, quæ oritur à connexione, quam termini habent, aut videntur habere independenter à dispositione opinantis, respicit causam objectivam; omnis enim alia respicit vel solam causam subjectivam, vel simul etiam objectivam, prout vel sola causa subjectiva influit, vel unà concurrit cum objectivâ. Atque ita veritas asserti manifestè declarata manet.

Omnis apparentia connexionis inter prædicatũ & subjectũ fundatur in cõnexione quam termini habent inter se vel independenter, vel dependenter à dispositione opinantis.

6. Dices: authoritas viri gravis, affirmantis aliquid, reddit illud probabile; hæc probabilitas extrinseca non videtur aut ad causam objectivam, aut ad subjectivam reduci posse.

Replica in cõtrarium.

Respondeo probabilitatem extrinsecam communiter quidem ad causam objectivam, aliquando verò non solùm ad objectivam, sed etiam ad subjectivam reduci. Authoritas enim viri gravis seriò aliquid alteri asserentis, independenter à dispositione credentis non solùm plerumque, sed ferè semper connectitur cum veritate objecti, quod asserit. Hoc autem est probabilitatem extrinsecam fundari in causâ objectivâ. Porro fides humana plerumque fundatur in probabilitate extrinsecâ hoc tantùm modo considerata, id est, in causâ merè objectivâ; aliquando causa etiam subjectiva intervenit; ut quando aliquis ideo credit alteri, quia post diligens examen, & diuturnam observationem, eum semper invenit veracem. In hoc casu non solùm authoritas loquentis, sed etiam propria credentis dispositio coalescit in unum motivum, à quo intellectus magis stimulatur ad credendum, quàm à solâ loquentis authoritate, præscindendo à propriâ credentis dispositione.

Solvitur replica.

Probabilitas extrinseca plerumque fundatur in causâ objectivâ; aliquando in causâ subjectivâ apparentiæ probabilis.

ASSERTIO SECUNDA.

Assertio 2.

Ad probabilitatem non sufficit argumentum ex se validum pro unâ parte, etsi sit valde efficax, & appareat insolubile, modò argumentum illud repugnet cum causâ subjectivâ fundante validissimam apparentiam partis oppositæ. Propositum autem sit pleniùs exponere, ex quibus partibus componatur apparentia probabilis, ejusq; quasi anatomen ob oculos ponere.

Non omne argumentum validum, & difficile fundat probabilitatem partis, quam suadet.

7. Demonstratur assertum duplici exemplo. Primum sumatur à sententia Zenonis negantis motum localem propter argumenta difficillima, cui pauci possunt respondere. Hæc argumenta sunt validissima, & abundè sufficerent ad probabilitatem, si causa subjectiva, fundans apparentiam validam pro parte opposita, non obstaret; verùm obstat ipsa sensuum exteriorum concors experientia, quâ quotidie visu, & tactu motum discernimus; quæ est dispositio nobis inexistens adeo connexa cum objecto, quod repræsentat; ut non relinquatur dubium de opposito: ideoque non est probabile motum non dari; quamvis pro motu negando afferantur argumenta ex se valde efficacia, quæque ab illo, qui credit motum dari, solvi nequeant. Alterum exemplum ex fidei mysteriis desumi potest. Nulla hæresis est probabilis vel rustico

Probatur assertio exemplis.

rustico fideli, modò ille in articulis, quos credit, sufficienter instructus sit, quamvis multa argumenta ex se difficillima contra mysterium creditum proponantur, quæ rusticus nequit solvere; quia ille propter præviam subjectionem intellectûs in obsequium fidei, tanquam à Deo revelatæ, & propter obligationem certam non recedendi, etsi Angelus de cælo oppositum revelaret; quam obligationem & antea expertus est, & nunc experitur, habet apparentiam adeo superiorem pro veritate mysterii crediti, ut argumenta omnia in contrarium allata nullam habeant probabilitatem. Jam ergo statim apparet ex quibus apparentia probabilis componatur. Inprimis ratio aliqua ex se robusta requiritur tanquam subjectū capax hujus denominationis, *motivum probabile*; deinde multa alia requiruntur, per quæ talis denominatio compleatur. Inprimis requiritur ne sit contra evidentiam sensuum, aut aliam quamcunque demonstrationem; secundò ne ex illo, quod ratio illa probat, statim appareat aliquod absurdum manifestè sequi. tertiò requiritur, ne ex parte contrariâ appareant rationes adeo superantes illud motivum, ut intellectus non posset nisi imprudenter illud amplecti, oppositasque rationes rejicere. quartò requiritur, ne ratio illa aut motivum sit contra sensum, & sententiam communem omnium, qui rationem illam examinârunt, illamque ut insufficientem ad probabilitatem unanimiter rejecerunt. quintò ne Ecclesia aliquid in contrarium definierit. Demùm in scientiis requiritur etiam, ut rationes oppositæ, si quæ sint, commodam habeant solutionem: nam si aliquid istorum obstet, ratio illa non erit probabilis. Si verò omnia adfuerint, tunc ratio illa (idem dicendum proportionaliter de authoritate viri gravis, periti, & pii) erit probabilis, modò, omnibus inspectis, apta sit movere assensum prudentem; seu, modò rationabilis apparentia veritatis evadat tanta, tamque efficaciter stimulet ad assensum, ut stimulus tantæ magnitudinis plerumque conjungatur cum veritate.

Enumerantur, & explicantur partes, ex quibus apparentia probabilis coalescit, & componitur.

8. Porro quia probabilitas consistit in apparentiâ quadam magnâ, & vehementer stimulante ad assensum, statim apparet quomodo vis rationi intrinseca crescat paulatim per adjecta. Statim enim ac apparet, quòd ex illâ ratione nil sequatur aut contra evidentiam ullam, aut contra sensum communem; ratio vires acquirit, vehementiusque sollicitat, quàm quando hoc non apparebat; quod si rationes contrariæ commodè etiam solvantur & hoc innotescat, tunc enimverò mens vehementiùs trahitur ad assensum, quàm antea. Eodem modo discurrendum est de adjectis proximè enumeratis, aliisque similibus. Unde sequitur, quòd ratio, quæ, istis non apparentibus, vehementissimè stimulabat, & erat probabilis, aliquo eorum apparente, statim languescat, & sæpissimè probabilitatem amittat.

Vis intrinseca rationi alicui paulatim augetur per adjecta. Explicatur autē quomodo hoc fiat. Similiter aliquando vis intrinseca alicui rationi paulatim languescit per extrinseca adjecta.

9. Quæres utrum negatio contrarii argumenti (idemque dico de aliis adjectis, per quæ probabilitas dicitur augeri) debeat positivè innotescere, itaut intellectus advertat nullum argumentum hìc & nunc apparere in contrarium, ad hoc ut probabilitas rationis habitæ augeatur? an verò sufficiat intellectum negativè se habere, quatenus præcisè non videt rationes ullas in contrarium?

Quæstio curiosa proponitur.

Respondeo duas in hac re esse posse sententias; prima quæ dicit intellectum aliquâ ratione stimulatum, eo ipso vehementiùs stimulari, quòd ad omnia, aut ad aliqua ex dictis negativè se habeat; & nihil penitus de illis cogitet. Secunda quæ dicit intellectum debere se positivè ad illa habere, & advertere quod nil, verbi gratiâ, contra sensum communem, aut definitionem Ecclesiæ, &c. appareat in contrarium; quia sic, & non aliter ratio illa vires sumit; inter has sententias sic incedo, ut dicam rationem omnem

Solvitur hæc quæstio.

Omnis ratio vehementiùs stimulat intellectum quando intellectus non cogitat de movivis contrariis, quàm quando de illis cogitat.

omnem vehementiùs stimulare intellectum, sive intellectus negativè, sive positivè se habeat ad argumenta opposita. Et sanè si negativè se habeat, ratio illa omnes vires suas exerit, quia nullum habet contrarium, cum quo luctetur; at si ratio opposita appareret, prior ratio multum de sua vi amitteret. Jam si intellectus positivè se habeat, & reflexè advertat, quòd nulla ratio in contrarium appareat, fortassè vehementiùs stimulatur, quàm ante stimularetur cùm solùm negativè se haberet; quia nunc vitaliter certificatur, quòd nihil in contrarium appareat, cùm antea ad hoc ipsum mortuo modo se haberet. Cæterùm quæri potest utrùm unquam contingat intellectum, dum ratio pro unâ parte stimulat, aliquando negativè & mortuo modo se habere ad rationes in oppositum; an verò semper, quando rationes illæ non apparent, intellectus ad hoc ipsum advertat, illudque vitaliter percipiat. Ego existimo intellectum semper se ad hoc vitaliter habere, quia est potentia reflexiva: sed rem hanc hîc non examino, nam in utrâque sententiâ assertio locum habet. In primâ quidem, quia majoritas apparentiæ formaliter constituitur per negationem advertentiæ ad rationes oppositas: in secundâ verò constituitur per advertentiam quòd nullæ rationes in contrarium appareant. Rursus in primâ sententiâ incrementum probabilitatis formalis, & stimuli vitalis magnitudo per ipsam carentiam advertentiæ ad rationes oppositas constituitur in genere causæ formalis: in secundâ verò, apparentia tantùm objectiva formaliter per eandem negationem conflatur. Verùm de hoc iterum inferiùs redibit sermo *numero 25.* hujus præsentis quæstionis.

Assertio 3.

ASSERTIO TERTIA.

Causa subjectiva probabilitatis ad tria capita reducitur. Propositum autem sit ea enumerare, & exponere.

Causa subjectiva apparentiæ probabilis fundatur vel in apparentiâ sensuum externorum, vel in apparentiâ cognoscitivâ internâ phãtasiæ, & intellectûs; vel in affectu appetitûs & voluntatis.

10. Declaratur assertio. Hæc causa subjectiva est connexio aut frequentia connexionis rei repræsentatæ cum dispositione opinantis. At hæc dispositio continet tria capita diversa, ad quæ omnis ejusmodi dispositio reducitur. Primum caput desumitur ab apparentiâ sensuum externorum: secundum ab apparentiâ cognoscitivâ internâ, putà à phantasiâ & intellectu. Tertium ab appetitu, sive ille rationalis sit, & partis superioris, sive animalis, & partis inferioris; quia quoad præsens institutum eadem est utriusque ratio. Jam singula eorum capita sæpe fundant judicium probabile. Et quidem quod spectat ad apparentiam sensuum externorum; illa non semper connectitur certò cum objecto, quod repræsentat. Sic suprà diximus baculum fractum apparere, etsi sit integer, solùm quia radii visuales à baculo propagati franguntur; similiter objecta eo colore apparent tincta, quo humores oculi inficiuntur. Nec desunt alia exempla. Sic terra videtur moveri dum nos provehimur, quia oculus eodem modo tunc afficitur, quo affici solet, quando, nobis immotis, alia, quæ inspicimus, verè moventur, dum moveri videntur: & quamvis, propter certam præscientiam de littorum, arborumque stabilitate, fortasse nulli unquam sit probabile littora reipsâ moveri, quando moveri videntur; sæpe tamen ex hac apparentiâ probabile est ea contingere, quæ non contingunt; verbi gratiâ quando nobis in navi existentibus, alia navis occurrit, dum naves appropinquant, illa quæ alios vehit videtur celerrimè prætervehi, cùm tamen illa sæpe aut nullo modo, aut tardè moveatur in partem contrariam, totaque celeritas sit in motu navis quâ vehimur, & quæ nobis videtur immota consistere. Imo aliquando utraque navis ad eandem partem promovetur, sed quia una

Exemplificatur hoc in apparentiâ sensuum externorum.

una longè celeriùs movetur alterâ, ideo quæ tardiùs progreditur, apparet in oppositam partem properare; dum alia ad easdem partes longè celeriùs impulsa præterlabitur. Et sanè qui harum observationum conscii non sunt, ut plurimi rudes, quando primò navigant, tantâ apparentiâ veritatis stimulantur, ut probabili conjecturâ existiment navim alteram celeriter ferri in partem oppositam, quando vel nullo modo vel pigerrimè in eam propellitur. Huc etiam spectat illud Poëtæ, quando post potum vini uberiorem, quæ singularia sunt, gemina videntur; *& geminis assurgit mensa lucernis.* causa enim hujus apparentiæ est in oculis, quorum axes optici, propter motum spirituum, & debilitatem organi, non uniuntur quando pertingunt ad objectum; sed vel nunquam uniuntur, sicut fit, quando altero oculo depresso, altero libero, objectum apparet duplex; vel uniuntur ante, vel post objectum, in quo etiam casu objectum apparet duplex, ut optimè observavit, & clarè probavit Aquilonius in egregio opere suo Optico. Jam si aliquis ex nervorum laxitate, aut aliâ pravâ oculi dispositione eandem axium opticorum divaricationem pateretur, & nihil adhuc sciret de hac oculorum indispositione, ille propter veritatis apparentiam, ab hac subjecti dispositione dependentem, prudenter, & probabiliter existimaret, non unam, sed duas lucernas mensæ fuisse impositas.

Idē exemplificatur in potentiis cognoscitivis internis

11. Quod spectat ad internas facultates cognoscitivas, ad phantasiam scilicet, & intellectum, illarum dispositio sæpe auget, & constituit apparentiam probabilem; sæpe illam minuit, aut tollit, quod declarari potest exemplis clarissimis. Ad phantasiam spectat omnis apparentia veri, quam in somnis experimur, omnisque alia, sive quâ Dæmon multis illudit per solam phantasiæ commotionem, absque veritate objecti, quod apparet; sive quâ propter naturalem, & consuetam causarum combinationem, id apparet esse in objecto, quod est in ipsâ potentiâ. Sic ebriosis *vertigine tectum ambulat*, & qui seipsos instar turbinis, in celeres gyros circumagunt, postquam consistunt, omnia circa se immotos admirantur circumferri. Ex his etiam causis aliquando probabilis rei conjectura exoritur. Ad intellectum duæ pertinent dispositiones, quæ plerumque faciunt ad præsentem tractatum. Prima est ignorantia principii, aut rationis alteri parti faventis. Sic si cognoscas fœminam aliquam esse valde iracundam, eamque videris à Petro valde offensam, firmiter existimabis eam graviter odisse Petrum. Verùm hæc firma persuasio ex priori apparentiâ inducta aliquando oritur ex ignorantiâ; si enim scires Petrum esse unicum illius fœminæ filium; à quo tota spes familiæ dependet, aliter judicares. Secunda dispositio intellectûs est positiva; & consistit in persuasione mentem præoccupante circa veritatem alicujus principii, vel asserti, ex quo aliud sequitur; aut certè circa veracitatem alicujus viri periti, & pii; ex illâ enim persuasione major apparentia veritatis à tali viro assertæ elucet in aliquo objecto, quàm quæ sine illâ eluxisset. Sic suprà diximus unumquemque majori vi dictis alterius acquiescere, quando proprio experimento didicit illum esse veracem, quàm quando nullam talem observationem instituit. Ecce qualis sit causa subjectiva probabilitatis spectans ad internas facultates cognoscitivas. Huc etiam spectat augmentum apparentiæ pro veritate alicujus objecti, quæ sequitur ad assensum illi præstitum. Hæc enim apparentia in rebus incertis longè major est, quàm quæ assensum antecedit, quia ratione illius objectum affirmatum unicuique apparet, & creditur probabilius, quàm ejus oppositum, uti fusè ostēdam, ubi agam de assensu alligato parti æquè vel minùs probabili. Interim hæc major

apparentia veritatis oritur à dispositione, imo ab ipsâ opinione opinantis.

Apparētia veritatis augetur etiam, vel minuitur per dispositionem facultatis appetitivæ.

12. Demum si consideremus facultates appetitivas, mirum est, quantam vim habent ad veritatis apparentiam augendam, vel minuendam. Jam verò quia inclinatio facultatis appetitivæ alia est naturalis, alia libera, ideo veritas afferti in utrâque est illustranda. Inprimis ex naturali propensione aliqui parum, alii multùm delectantur musicâ; ex quo fit ut pluris unus æstimet instrumentum musicum, quàm alius. Idem dico de aliis rebus, ad quas hic magis, illi minùs ex naturali propensione propendent.

Diversi homines ex universà propensione naturali diversimodè judicant de re eadem.

Ex hac enim diversitate naturalium propensionum tota ferme latitudo æstimationis de rerum valore ortum sumit. Sic unus plurimi facit canem, vel equum, quo delectatur, quem alius longè minoris facit, Unde qui cupit equum justo pretio emere, non nisi ineptè consilium peteret ab eo, qui equis mirificè delectatur, ille enim facillimè exaltabit valorem equi ultra justum pretium, sicut & ille, qui equis ejusmodi non delectatur, infra justum pretium valorem ejusdem constituet.

13. At propensio libera, quoad augendam, vel minuendam veritatis apparentiam, non minùs vim suam exerit, quàm naturalis. Inprimis aliquando existimamus affectum, ex quâdam consuetudine nostræ nationis per actus liberos acquisitum, esse naturalem, cùm eam in omnibus, aut plerisque nostræ nationis inveniamus: Atque ideo bonitas talis propensionis præfertur bonitati propensionis oppositæ. Sic una natio severitatem, & gravitatem amplectitur, eamque præfert affabilitati, quam alii humanitatem appellant. Nec mirum, quia propter educationem, & continuum exercitium talis propensionis, ea videtur naturalis, & homine digna; altera verò, utpote opposita; apparet instar vitii alicujus, aut defectûs naturali propensioni repugnantis; adeoque apud homines sic educatos affabilitas vilescit: è contrario verò alii oppositâ de causâ, affabilitatem severitati præferunt.

Propensiones ab ineunte ætate per educationem acquisitæ sæpè censentur naturales; cùm sint liberæ.

Est alia etiam hujus rei causa; quia unusquisque experitur bonitatem, & delectabilitatem propriæ inclinationis; alienæ autem bonitatem, quam non expertus est, ignorat, atque ideo illam pluris facit, quàm istam, Uno verbo hæc notitia experimentalis boni & mali, & stimulus ab illâ in voluntate causatus in omni re mirabiliter auget apparentiam bonitatis, vel malitiæ tali objecto congruentis, supra ejusdem apparentiam ex vi cognitionis abstractivæ habitam, per quam solam priùs innotescebat. Unde ab initio multa & vilipenduntur ab intellectu, & à voluntate facillimè contemnuntur, quæ tamen post experientiam vehementissimè sollicitant voluntatem, & intellectui apparent magni valoris. Ecce quomodo affectus auget, vel minuit apparentiam rerum.

14. Præterea affectus uni parti inclinans, sive naturalis, sive liber, non solùm efficit, ut consequenter ad affectum illum quævis res, aut opinio, ergaquam afficimur, appareat majoris momenti, quàm propriori ad affectum illum appareret; sed etiam ut connexio principii illativi cum consequente appareat certior & frequentior, quàm appareret, si affectus ille deesset: facillimè enim credimus, quæ amamus. Hoc autem à duobus potissimè causis provenit. Prima est, quia sponte oculos conjicimus in illud, cui afficimur: imò sæpe non nisi difficulter ab eo cogitationem avocamus. Hinc fit, ut rationes illi faventes, utpotè familiares valde, & sæpissimè consideratæ, longè clariùs, & vivaciùs repræsentantur, quàm quæ favent parti oppositæ, quæ certè ad objecti non amati propositionem, nec tam facilè occurrunt, nec tam vivaciter repræsentantur, quàm rationes pro objecto, in quod vehementi affectu propendemus; illæ enim vel ad simplicem objecti apprehensionem facillimè occur-

Homines facile credunt quæ cupiunt, & cur?

occurrunt, aut in se, aut in æquivalente, scilicet in memoriâ vivâ de earum qualitate, vivacitate, & valore; quod locum non habet in rationibus faventibus objecto non amato; ex quo tandem connexio inter principium illativum, & objectum amatum apparet clarior, certior, & frequentior, quàm si affectus deesset. Secunda causa ejusdem diversitatis est, quòd affectus, sicut applicat mentem ad cogitandum de objecto amato, & rebus ad illud spectantibus, ita inducit inventionem rationum faventium parti, in quam inclinat. Similiter ex affectu repugnante uni parti avertitur animus à cogitatione, & inventione rationum faventium parti quam respuit. Ecce affectus hoc etiam modo auget, aut minuit rerum apparentiam. Sic in amicis facilè notamus, quod bonum est, & ab eorum defectibus æquè facilè oculos avertimus.

Passiones augent rationem verisimilitudinis in objecto, ad quod feruntur.

15. Huc etiam spectant passiones vehementes amoris, odii, iræ, timoris, &c. quæ mirum in modum mentem excæcant, & singulari ratione augent apparentiam verisimilitudinis in objecto, ad quod propendent. Quis non observavit, quàm vehementi persuasione veritatis inimici credunt malum de suis æmulis; ubi vel minimum indicium apparet? sæpe accidentalis & incogitata oculi contorsio certò creditur ex malignitate profecta, imo aliquando de opposito persuaderi non possunt, etsi alter juret se absque animi rancore, & advertentiâ ad inimicum eò respexisse. Taceo chymericas, & improbabilissimas conclusiones, quibus impuritatis proci, propter passionem animi nimis creduli, firmiter adhærent, pro quibus tamen, demptâ passione, & apparentiâ ad illam consequente, vix ulla verisimilitudinis ratio excogitari potest. Sed neque timoris, quàm amoris minor efficacia: quid non sibi persuadent meticulosi; quando in fuga inimicorum, eos absque ullo fundamento sibi imminere firmiter credunt? Hæc, quibus alia ejusmodi unusquisque excogitare facilè potest, exempli causâ allata sunt, ut fontes, ex quibus, propter causam subjectivam, veritatis apparentia augetur, vel minuitur, detegantur. Quare solùm superest quærendum, quomodo per illas probabilitas, aut constituatur, aut minuatur.

ASSERTIO QUARTA.

Assertio 4.

Non omnis apparentia veritatis pro aliquâ parte contradictionis, consequens passionem vehementem, aut affectum ad partem illam inordinatè propensum, est probabilis, quamvis appareat valde magna, & vehementissimè sollicitet ad assensum. Idem dico de apparentiâ consequente judicium uni parti determinatè affixum.

Apparentia veritatis, si consequatur passionem, aut affectum vel assensum illi parti inordinatè affixum, sæpè non est probabilis, etsi sit vehementissima.

16. Demonstratur. Qui ex passione odii, vel amoris, alterutriúsve affectûs inordinati temerè judicant, sæpè tantâ, tamque vivâ apparentiâ veritatis stimulantur, ut vix per contrariarum rationum, earumque magni ponderis propositionem persuaderi possint ad suspendendum judicium. Nimis notum est quod proximè examplificavi in passione odii, amoris, &c. Subjungam nunc, quòd in sacramentali aliquorum confessione & adverti, & magnopere admiratus sum. Quidam accusaverat se fornicationis sæpiùs commissæ, quem cùm admonuissem, ut in posterum à tali peccato abstineret, & determinatum super ea re propositum ab illo exegissem, in tali proposito eliciendo valde difficilem se ostendit, causatus simplicem fornicationem sibi non videri grave peccatum, quippe quod nulli esset injuriosum, cum non nisi ad publicas meretrices accederet, eisque pactum pretium non negaret. Reprehendi, & quâ potui verborum gravitate, & efficacitate dicendi rejeci tam palmarem errorem; & tandem

Probatur assertio.

Judicium plerumque conformatur affectui, & voluntatis propensioni.

tandem vix potui veritatem illi persuadere. Alius rebus venereis addictus accusavit se judicii, quo temerè Religiosos ejusdem criminis condemnarat; cumque ostenderem illi talis judicii improbabilitatem, adeo difficilem reperi in judicio illo deponendo, ut mirum in modum obstupescerem. Nam cum causam, cur tam firmiter objecto adeo improbabili adhæreret, investigarem, aliam non monstravit, quàm quòd ipsi haberent occasionem peccandi, quâ uti possent, si vellent, sibi autem incredibile videri, quod oblatâ occasione non uterentur, cùm possent. Ex his evidenter animadverti animum passione excæcatum, instar oculi colore imbuti, omnia repræsentare cum defectu, qui potentiæ inest, non objecto, hominesque vitiosos ex se alios metiri, aliorumque animos ideo solùm illis vitiosos apparere, quia ipsi vitiis addicti sunt. Uno verbo, adverti apparentiam veritatis in passione, & inordinato affectu fundatam esse vehementissimam, quamvis, præscindendo à passione, nulla sit ratio, quæ possit magnam vim exercere ad alliciendum assensum. At talis apparentia, etsi vehemens, non est probabilis. Ergo non omnis apparentia consequens affectum inordinatum est probabilis, etsi vehementissimè sollicitet ad assensum. Idem valet de apparentiâ consequente ad judicium uni parti alligatum, quamdiu enim illud judicium existit, objectum per illud affirmatum, de consequenti, & reflexè inspectum, semper apparet tanquàm probabilius opposito, quod rejicitur, ut pluribus ostendetur *quæst. 8. num. 27.* quod verum etiam est in omnibus hæreticis, & hæresiarchis. At talis apparentia sæpè non est apparentia probabilis. Ergo, &c.

Animus passione excæcatus est instar oculi colore imbuti.

Solvuntur objectiones.

Prima objectio.

17. Objicies primò. Apparentia veritatis de aliquo objecto, consequens judicium, aut passionem, vel affectum vehementem indebitè illi alligatum, est major, vehementiusque impellit ad assensum, quàm multæ apparentiæ probabiles præviæ ad aliquod judicium, quod inducunt. Ergo apparentia illa est probabilis. Probatur consequentia; illa apparentia est probabilis, seu pertingit ad motivum probabile, quæ tanta est, ut si omnes illi æquales sumantur collectim, plures earum connectantur cum veritate, quàm cum falsitate. At dicta apparentia major est, quàm aliquæ, quas certò constat esse probabiles: ergo à fortiori sæpiùs contingit tantam apparentiam veram esse quàm falsam. ergo illa est probabilis.

Respondetur.

Respondeo ex apparentiis, quibus omnes æquales plerumque conjunguntur cum veritate, non omnes, sed rationales tantùm apparentiæ, quibus dicta prædicata conveniunt, sunt probabiles, juxta superius dicta in definitione opinionis probabilis *quæst. 2. num. 13.* Porro illas apparentias voco rationales, quæ non oriuntur ex passione mentem excæcante, aut affectu aliquo indebitè propendente in aliquod objectum, sed connaturaliter oriuntur ex ipsâ rerum inspectione, & consideratione, antecedenter ad omne judicium absolutum de veritate indebitè elicitum, & ad omnem passionem, vel affectum eidem indebitè affixum: hoc enim dempto, nemo prudens prudenter operans assentiri potest objecto illi propter apparentiam, quæ præsupponit passionem mentis oculos excæcantem, aut affectum indebitum tali objecto imprudenter affixum. At ad probabilitatem requiritur apparentia, cui prudens prudenter assentire possit. Ergo talis apparentia, etsi valde magna & vehementer stimulans ad assensum, non est verè probabilis. Non tamen nego, quin apparentia illa viro sic affecto appareat probabilis, immo sæpe summum probabilitatis gradum ipsi videtur habere; cùm videatur omnibus contrariis longè præponderare, & assensum etiam firmum promereri. Sed halluci-

Sola apparentia rationabilis suâ magnitudine arguit, infert, & constituit probabilitatem.

hallucinatur, qui sic judicat, quia propter passionem, & affectum indebitum non est aptus, qui in propriâ causâ admittatur ut judex.

Secunda objectio, vel potiùs interrogatio.

18. Objicies, seu potiùs quæres secundò, si apparentia tanta possit esse non probabilis; quomodo quæso ex magnitudine apparentiæ colligi potest, quod ulla sit probabilis?

Satisfit objectioni, seu interrogationi dictæ.

Respondeo id facilè colligi, & explicari per hoc, quòd illa apparentia sit probabilis, quæ habet magnitudinem quæstione secunda expositam, eamque ex rationibus, & motivis absque passione, aut affectu indebito consideratis provenientem; altero enim horum deficiente, illico deficit probabilitas cujusvis apparentiæ aliter acquisitæ; quia certum est nullam apparentiam altero horum carentem, sufficere ad fundandum judicium prudens & probabile. E contra verò apparentia illas conditiones habens sufficit ad judicium prudens. Ergo ritè constat, hujus non illius generis apparentiam esse probabilem.

Assertio 5.

ASSERTIO QUINTA.

Affectus, & assensus uni parti affixus aliquando juvat, ut apparentia tali parte favens evadat probabilis.

Sæpè affectus, etiam vehemens; & judicium uni parti affixum multùm juvat ad augmentum veræ probabilitatis, & apparentiæ requisitæ ad ritè judicandum de objectis, antea absolutè creditis, & singulariter amatis.

In rebus & mysteriis fidei, alisque à sensibus remotis affectus prævius multum conducit ad ea ritè intelligenda.

19. Probatur. Aliqua sunt objecta à sensibus, & passionibus animi remotissima, immo magnâ ex parte sensuum testimoniis contraria, & passionum motibus repugnantia. Talia sunt Sacrosanctæ Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, & totius fidei catholicæ mysteria, quæ non solùm à sensibus, & passionum motibus prorsus remota sunt, sed adeo superant captum intellectûs, & prætergrediuntur ordinarium, & connaturalem intelligendi modum, ut illis minùs credibilia videantur, qui ad illa minùs afficiuntur. De his aliisque objectis ejusmodi pronuntio, quòd tam assensus, quàm affectus uni parti alligatus ad veram & rationabilem eorum intelligentiam juvet quamplurimùm. Juxta illud *Psalmi 33. 9. Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus.* Et illud Isaiæ 7. versu 9. *Si non credideritis non permanebitis.* Quem locum 70. vertunt. *Si non credideritis, non intelligetis.* Hic locus hoc secundo modo sæpe citatur ab Aug. Chrysost. Cypriano, aliisque Patribus, ut testatur Cornelius à Lapide in hunc locum. Huc facit tam illud S. Leonis Papæ *sermone 9. de Nativitate Domini: Vtramque enim substantiam in unam convenisse personam, nisi fides credat, sermo non explicat.* Quàm illud itē Andreæ Apostoli ad Ægeam Proconsulem: *Si credideris ex toto corde tuo, discere poteris: si non credideris, penitus nunquam tu ad indaginem hujus veritatis pertinges.* Hæc verba Apostolus dixit Ægeæ (prout in ejus actis à Presbyteris Achaiæ scriptis refertur apud Surium in festo ejusdem) quando Ægeas, audiens Apostolum, contendebat sacrosancta fidei mysteria esse incredibilia. Ex locis istis habetur primò, quòd cognitio divinæ bonitatis per ejusdem amorem plurimum augeatur; seu quod divinæ bonitatis apparentia, post aliquem gustum, & delectationem de Deo, magnum sumat incrementum: quod non solùm eatenus verum est, quâtenus per experimentalem gustum divina bonitas aliter, quàm antea, innotescit; sed etiam quâtenus per novas hasce, & experimentales species, unà cum prioribus conjunctas, rationes priores meliùs percipiuntur, quàm antea; quia innotescunt in ordine ad novum terminum, cum quo comparantur; nempe in ordine ad bonitatem ipsam Dei, prout illa per actum experimentalem suaviter degustatur. Habetur secundò idem dicendum esse de fidelibus, qui eo ipso

eo ipso quod credant, mirabili claritate, & facilitate capiunt quomodo in mysterio Incarnationis, & Passionis Christi divina providentia eluceat, cùm illa eadem mysteria, non obstante sufficiente eorum propositione, Judæis scandala, gentibus verò stultitia videantur.

Affectus, & assensus prævius multum juvat ad intelligendas res supernaturales, & omnia ad virtutem spectantia.

20. Porro ratio à priori, cur affectus, & assensus uni parti alligatus, non minuat, sed augeat probabilitatem apparentiæ circa hujusmodi objecta, ea est, quòd ea tantæ excellentiæ sint, ut per nullam apparentiam in hoc rerum ordine possibilem sufficienter nobis innotescant, qui propterea adminiculis omnibus nobis possibilibus ad ea benè cognoscenda indigemus. Itaque cùm certum sit nullam apparentiam, etiam consequentem ad assensum, aut affectum tali objecto alligatum, non solùm non excedere, sed neque adæquare meritum objecti; ideo certum etiam est talem apparentiam juvare, & facilitare ad fundandum rationale judicium de illo; quod idem est, ac illam non minuere, sed augere probabilitatem apparentiæ de veritate objecti, cui assensus aut affectus alligatur. Alia ratio ejusdem rei est, quòd sæpe affectus erga hujusmodi objecta est singulare donum Dei, sicut fides eisdem præstita est maximum Dei beneficium, cùm sit fundamentum totius fabricæ supernaturalis, & ut habetur *ad Heb. 11. versu 1. Sperandarum substantia rerum.* At ejusmodi Dei dona, & quidquid ad illa vel connaturaliter, vel ut præmium debitum, vel certè ex novâ Dei liberalitate, tanquam novum donum, juxta divinæ providentiæ suavitatem, consequitur, adjumento est, non impedimento ad progrediendum in viâ spirituali, id est ad proficiendum in cognitione, & amore Dei, & Mysteriorum fidei. Ergo apparentia consequens ad hujusmodi dispositiones perficit intellectum ad mysteria priùs nota rectiùs & faciliùs penetranda, voluntatesque corroborat ad eadem ferventiùs, & suaviùs diligenda. Nec mirum hoc videri debet in mysteriis fidei, non enim desunt, qui putant neminem elicere posse actum supernaturalem fidei, nisi priùs elicuerit assensum naturalem ad eadem mysteria terminatum. Ex dictis autem constat apparentiam consequentem assensum semel præstitum, esse validissimam pro parte jam creditâ.

Qui magis afficitur rebus moralibus, cæteris paribus, meliùs dispositus est ad eas intelligẽdas.

21. Quod dixi de fide, & amore mysteriorum fidei, suo modo applicari debet virtutibus moralibus, circa quas natura corrupta magnam patitur ignorantiam, & ad quas propter passiones vehementer sollicitantes ad vitia, & defectus contrarios, parùm afficitur. Dico ergo omnem hominem propensum ad temperantiam, fortitudinem, &c. cæteris paribus, meliùs intelligere, quæ spectant ad illarum honestatem, quàm qui ad illas non afficitur, tantumque abesse, quod hæc animi propensio minuat, ut etiam augeat rationalem, seu probabilem apparentiam de magnitudine, & emolumento honestatis propriæ talium virtutum. Hoc iisdem omnino rationibus, quibus idipsum in mysteriis fidei ostensum est, clarissimè probatur. Nam sæpe nullum est periculum, quod plus debito, sed potiùs timor, quòd minus, quàm deceat, ad ejusmodi objecta afficiamur, Ergo nullum est periculum, quod objecta illa appareant meliora, & digniora amore, quàm sint; semper enim apparent infra suam dignitatem. Rursus amor, & exercitium virtutum, est quidam gustus, & experimentalis notitia de illarum bonitate, quam nemo tam benè novit, quàm qui eam degustavit. Sicut enim nulla eloquentia cuiquam inexperto tam clarè proponere potest suavitatem mellis, quàm vel unius stillæ degustatio, ita nullæ rationes tam clarè proponunt pulchritudinem, & honestatem virtutis, quàm gustus, amor, & experimentum earundem. Idem porro dicendum est de apparentia veritatis consequente judicium illi præstitum, modo judicium

Honestas virtutis meliùs cognoscitur à rustico virtute prædito, quàm à philosopho scelerato.

judicium debitè versetur circa objecta, de quorum valore, & virtute propter naturæ lapsæ ignorantiam, non habemus nisi imperfectam cognitionem, eorumque merito longè inferiorem.

Itaque affectus uni parti alligatus sæpe juvat ad eâ meliùs intelligendum.

22. Errant ergo quicunque universaliter putant assensum, aut affectum uni parti determinatè affixum, non solùm non afferre lumen ad illas res sinceriùs intelligendas, sed potiùs tenebras refundere, per quas, qui discurrendo incedunt, majori errandi periculo exponuntur, quàm si omni tali affectu, & assensu carerent. Contrarium enim manifestè verum est in casibus hîc allatis; quod etiam in aliis similibus intelligendum est. Nihilominus neque hoc ipsum ita universaliter verum est, ut nullam omnino exceptionem patiatur. Video enim aliquem affici posse ad addiscenda mysteria fidei propter inanem gloriam, aliosque fines turpissimos, ut occasione alios docendi ansam habeat furandi, fornicandi, &c. In his similibusque casibus affectus hebetat intellectum, ne capiat supernaturalia, aut doctrinam de morum probitate ritè penetret, voluntatemque à sincero virtutis amore avellit, ut patet. Ut ergo assertio, quoad objecta hujusmodi, universaliter vera sit; restringi debet ad affectum honestati apparenti impensum propter ipsam honestatem; idemque de judicio in prævia apparentiâ (saltem probabili) honestatis fundato dicendum est.

ASSERTIO SEXTA.

Assertio 6. Probabilitas fundata in ignorantia rationis oppositæ aut tollitur, aut imminuitur, quando ratio in oppositum detegitur.

Apparentia probabilis fundata in ignorantia principii, aut rationis alteri parti faventis, illicò cessat, aut minuitur, quando dictum principium, vel ratio innotescit, aut detegitur.

23. Probatur. Ignorantia motivi, faventis uni parti contradictionis, dupliciter se habere potest ad constituendam probabilem apparentiam pro veritate partis oppositæ. Primò ita, ut probabilitas ipsa essentialiter constituatur per ignorantiam dictam. Ut contingit quando aliquid, quod antea probabiliter erat licitum, per novum decretum expressè prohibetur. in hoc casu rationes priores conjunctæ cum plenissimâ hujus decreti ignorantiâ continent motivum probabile, & fundant judicium prudens: ut patet. Verùm hæc probabilitas illicò cessat quando decretum illud sufficienter innotescit, quia tollitur id, per quod priores rationes simpliciter constituebantur in ratione *probabilis*. Secundò ita ut aliquid non constituatur simpliciter, sed solùm magis probabile per ignorantiam rationis probabilis alteri parti faventis: ut constat ex innumeris exemplis: in hoc casu, detectâ illâ ratione, probabilitas prior non tollitur, sed minuitur. Uno verbo veritas asserti adeo evidens est ex proximè dictis, ut illa statim seipsam ostendat. Quare in re clarâ aliud nihil superaddendum est.

Probatur assertio.

Solvuntur Objectiones.

Objectio in contrarium.

24. Objicies. Quando aliquid est probabile propter ignorantiam motivi contrarii, ipsa apparentia probabilis conflatur non ex ratione pro unâ parte, & ex ignorantiâ motivi faventis alteri, sed ex cognitione, quâ positivè quis advertit, aut nihil omnino, aut nihil præter hæc, afferri in contrarium; quod per discursum colligitur: sic quando aliquis inscius decreti Clementis Octavi legit authores Clementis decreto antiquiores probabiliter judicat licitum esse absenti absolutionem impertiri; verùm apparentia illa probabilis partim fundatur in ratione positivâ, quæ affertur, & partim etiam in positivâ præsumptione, quòd nullum existat decretum, quo oppositum declaretur; quæ præsumptio in eo fundatur, quòd si existeret, authores illi mentionem fecissent de eo. At certò constat; quod

mentionem de illo non faciant; unde probabiliter infert, quòd nullum tale decretum existit. Ecce probabilitas, seu apparentia probabilis non conflatur ex rationibus positivis uni parti faventibus, & ignorantia rationis alteri parti faventis, sed ex ratione duplici positivâ, quarum altera directè probat intentum, altera ostendit nihil esse, quod convincat contrarium, &c. Ergo suprà malè dictum est, probabilitatem conflari ex ignorantiâ rationum alteri parti faventium, & hic deteriùs infertur, quòd probabilitas ejusmodi illico cesset, aut minuatur per hoc, quòd ignorantia illa tollatur; non enim per hoc præcisè probabilitas minuitur, sed quia explicatio principii, aut rationis contrariæ tollit positivam præsumptionem affirmantem, quòd nullum detur ejusmodi principium in contrarium.

Solvitur objectio. 25. Respondeo omnia sæpe, sed non semper se habere, uti contendit objectio; nam aliquando nihil cogitamus de carentiâ rationum in contrarium; quòd si de illâ carentiâ cogitemus, sæpe nulla adest ratio existimandi, quòd sit, aut quòd non sit ratio in contrarium, sed totum manet dubium. Sic qui in casu suprà posito putaret fæminam valde iracundam graviter odisse puerum illi insultantem, juxta aliquorum sententiam nihil cogitaret utrùm illa sit, aut non sit ejus mater, neque utrum sit filius unicus necnè; neque quicquam aliud ex parte objecti attingeret, sed solùm moveretur à ratione positivâ, quàm habet ad dicendum, quòd illa puerum odisset. Jam apparentia illa quoad illos authores conjungitur cum ignorantiâ, & omnimodâ incogitantiâ principii, & rationis contrariæ, & per hoc majores vires habet ad movendum animum, quàm si ratio opposita appareret. Hic est casus suprapositus, & de eo, aliisque similibus præsens assertio procedit.

Sæpè ignorantia motivi contrarii constituit apparentiam probabilem, vel formalem, vel objectivam.

26. Jam si contendas intellectum, antequam judicet, semper reflectere, utrùm aliquid appareat in contrarium, adeoque talem reflexionem in isto etiam casu intervenire, non sum qui velim hîc de quæstione illâ logicâ contendere, aut veritatem certam dependenter à dubiâ suppositione probare. Esto ergo reflectat intellectus, utrùm aliquid obstet in contrarium; non tamen ideo habet rationem dicendi, quòd ullum detur istiusmodi obstaculum, quippe quod existere potest, etsi illum omnino lateat. Solùm ergo positivè cognoscit se non videre rationem ullam in contrarium: neque inde potest probabiliter, aut prudenter inferre nullam omnino rationem esse, quâ contrarium probetur. Jam ergo ignorantia, sive exercitè tantùm se habeat, ut in primâ parte responsionis supponitur, sive signatè cognoscatur, ut in secundâ, æque componit apparentiam probabilem; sed cum aliqua diversitate in modo illam componendi; nam si sumatur primo modo, ipsa ignorantia, juxta primam sententiam, constituit probabilitatem formalem se tenentem ex parte actûs, quia sola apparentia vitalis tunc in mente existens non est intrinsecè, & essentialiter probabilis; cùm possit existere, & non esse probabilis, ut hîc supponitur & alibi, nempe *num. 7. 8. & 9. hujus quæstionis* quà sufficienter indicatum, quà demonstratum est. Ergo in hac sententia ipsa ignorantia, in genere causæ formalis, constituit illam apparentiam vitalem, in ratione apparentiæ probabilis; quatenus solâ sui adjectione tribuit talem denominationem, quæ sine tali ignorantiâ non habetur. Quod si ignorantia sumatur signatè, juxta secundam sententiam, quatenus intellectus positivè reflectit, quòd non videat, seu quòd ignoret rationem in contrarium; tunc quidem actus vitales, in mente existentes se solis sunt apparentia vitalis essentialiter probabilis; nam quamvis hæc denominatio nulli illorum actuum seorsim sumpto conveniat, convenit tamen conflato ex illis; adeoque licet

licet denominatio apparentiæ probabilis vitaliter, seu formaliter sumptæ non habeatur ab ignorantiâ, nihilominus ipsa ignorantia ex parte objecti cognita (ignorantia, inquam, ex parte objecti cognita, nam intellectus ne probabiliter quidem cognoscit nullum esse fundamentum pro parte contrariâ, sæpissimè enim hoc non est probabile, sed prorsus improbabile; solum ergo cognoscit se nullas tales rationes habere, idque immediatè per cognitionem intuitivam; quod est reflectere supra propriam ignorantiam præsentem, non supra carentiam rationum secundùm se) constituit probabilitatem, seu apparentiam probabilem objectivam, quia objectum rationis, directè cognitum per primum actum intellectûs, non est essentialiter se solo apparentia probabilis objectiva: quod eodem modo probatur, quo probatum est ipsum actum non habere probabilitatem formalem, & vitalem sibi essentialem. Præterea omnis probabilitas objectiva, si sit essentialiter talis, ita comparatur ad formalem, ut necessariò illam inferat; quia si aliquando illam non inferret, posset cognosci absque eo quod intellectus haberet apparentiam formalem vitaliter probabilem. Ergo eo ipso objectum illud non esset essentialiter probabile, sed constitueretur tale per ignorantiam cognitam, quod solùm contendo. Hoc posito, quicquid suprà dictum est de apparentiâ probabili per ignorantiam constitutâ, & quicquid hîc dicitur de probabilitate fundatâ in ignorantiâ rationis, contrariæ parti faventis, accipi debet juxta aliquam harum explicationum, quia perinde est ad meum intentum quæcunque illarum pro verâ reputetur; & ut verum fatear, multùm propendeo ad existimandum, quòd apparentia probabilis, vitaliter, & formaliter sumpta, semper involvat actum positivum, quo intellectus advertit aut nullas omnino rationes, aut nullas præter has hîc & nunc sibi apparere. Hoc ergo supposito (nam in priori suppositione objectio non procedit, res enim est nimis clara) argumentum facilè diluitur, quia in præsenti thesi loquor de probabilitate fundatâ in ignorantiâ; at certum est tam probabilitatem formalem, seu vitalem in illâ fundari tanquam in objecto, quàm objectivam per illam constitui, ut per objectum partiale. Jam verò quòd ignorantiâ cessante, auferatur actus positivus, quo ipsa ignorantia reflexè cognoscitur, atque ita per illius ablationem, formalis etiam, seu vitalis apparentia probabilis destruatur, non obstat aut præsenti, aut superioribus assertionibus; non præsenti, quia tam apparentia objectiva per dictam ignorantiam constituitur, quàm formalis in illâ radicatur ut in objecto; non superioribus, quia totum, quod hîc objicitur, insinuatum ibi est, & sufficienter declaratum, ut sic appareret modus, quo probabilitas per ignorantiam constituitur. Verùm in superiore illâ assertione, principaliter loquendo, solùm asseveratur, quòd ignorantia afficiens subjectum, sit dispositio quædam se tenens ex parte subjecti, dependenter à quâ probabilitas consurgit; quod verissimum est, & omnino evidens. Objectio ergo non habet quod meritò carpat.

27. Sed neque verum est, quod objectio in exemplo exaggerat; nam esto, ex discursu ibi assignato intellectus probabiliter inferat nullum, cùm illi authores scriberent, extitisse decretum in contrarium; adeoque esto, illa probabilitas non fundetur in illâ ignorantiâ, sed solùm in objectis positivis; adhuc hæc apparentia non præbet fundamentum probabile ad judicandum de præsenti, quod nulla ratio nova, & quidem validissima in contrarium afferatur, aut quod oppositum decreto aliquo posteriore declaratum non fuerit, ut patet. Ergo apparentia, quæ hîc & nunc alicui probabiliter ostendit, licitum esse absentem absolvere, *Afiundè etiam ostenditur nullitas objectionis positæ.*

 necessariò

necessariò fundatur in ignorantiâ decreti à Clemente octavo editi. Jam sive fundetur in eâ ignorantiâ prout reflexè hic & nunc cognitâ, sive in illâ secundùm se, & exercitè sumptâ, parum refert, quia præsens assertio æquè in ordine ad utrumque casum locum habet. Atque hæc de causis apparentiæ probabilis dicta sufficiant.

QUÆSTIO QUARTA.

De Divisione propositionis probabilis.

Propositio probabilis; alia immediata, alia mediata.

1. PROPOSITIO probabilis primò dividitur in Immediatam & Mediatam. Immediata est, quæ ex ipsâ terminorû penetratione statim apparet vera, sed solùm obscurè, & credibiliter, non certò aut evidenter. Talis propositio (si tamen ulla detur ejusmodi) est, & dicitur Principium probabile per se notum. Mediata est, quæ ex terminorum penetratione non innotescit, sed infertur vel ex aliquo per se, & immediatè probabili, vel ex propositionibus certis & evidentibus; sed per illationem probabilem; quia quod in bonâ formâ ex certis & evidentibus infertur, certum est, & evidens, non autem probabile. Jam quæstio est, utrùm dentur propositiones probabiles immediatæ, seu utrùm omnis propositio naturalis immediata sit evidens, necnè.

Assertio 1. Dantur propositiones probabiles immediatæ.

ASSERTIO PRIMA.

Dantur propositiones probabiles immediatæ.

Prima asserti probatio fundatur in authoritate.

2 PRobatur 1. communi ferè omnium authoritate, qui in hanc veritatem consentiunt; Aristoteles *1. Poster. capite 26.* expresè docet dari opinionem immediatam, sic enim ait: *Quare relinquitur Opinionem esse circa verum quidem, aut falsum; sed contingens est aliter se habere. Hæc autem est acceptio immediatæ propositionis, & non necessariæ.* quem locum S. Thomas *lect. 44.* ita commentatur. *Si ergo sit aliqua propositio contingens mediata, oportet quòd reducatur ad aliquas immediatas. Non autem reducitur ad immediatas necessarias, quia necessaria non sunt principia contingentium, neque ex necessariis potest concludi contingens. Unde relinquitur quòd sit aliqua propositio immediata contingens, & aliqua mediata.* Porro S. Thomas in eâdem lectione plurima repetit in eundem sensum, ubique insistens textui Aristotelis; qui non solùm hoc in loco, sed etiam *1. Rhetor. ad Theodecten c. 2.* & *ad Alexandrum cap. 7.* & *15* eandem tradit doctrinam, & ubique definit Opinionem primò probabilem esse *acceptionem propositionis immediatæ & non necessariæ.* In eandem sententiam subscribunt omnes Aristotelis, & S. Thomæ Commentatores, omnesque pene Authores, paucis exceptis, de quibus postea.

Dices, Aristoteles ibi definit opinionem probabilem, cùm tamen definitio illa non conveniat omni opinioni, quia aliqua indubitanter est mediata, ergo alius est sensus Aristotelis. Replica.

Respondeo quòd solùm definit primum motivum opinandi; ex illo enim definito statim definitur omnis opinio, quia est assensus in dicto motivo fundatus. Hic modus definiendi est consuetus apud Aristotelem; nam definit etiam probabile esse *quod plerumque contingit*, cùm ea definitio soli. Solvitur.

soli motivo probabili conveniat, ut suprà vidimus.

Probatio secunda, fundatur in ipsâ rei naturâ.

3. Probatur 2. deductivè ex ratione, quam S. Thomas indicavit, ex quâ sic arguo. Datur propositio, seu conclusio probabilis mediata. ergo datur principium probabile immediatum; quia omnis propositio mediata reducitur ad aliquas immediatas; non ad necessarias; quidquid enim ex talibus præmissis ritè deducitur, necessarium est & certum non contingens & probabile. ergo necessariò deveniendum est ad aliquod principium immediatum, sed contingens, aut probabile.

Replica.

4. Dices: multæ conclusiones probabiles ex aliis probabilibus ritè deducuntur per formam legitimam; sed prima propositio probabilis est conclusio, quæ non deducitur ex præmissis per formam legitimam, sed solùm per modum arguendi fallibilem; puta à pari, aut alio modo ejusmodi. Jam dici potest quod hæc propositio deducatur ex immediatis necessariis, & evidentibus; neque inde sequitur quòd ipsa sit certa, & evidens; quia non per formam legitimam, sed per modum arguendi fallibilem ex illis deducitur. ergo argumentum non convincit intentum.

Solutio.

Respondeo 1. esto, aliquæ propositiones probabiles deducantur ex præmissis immediatis & evidentibus per fallibilem illationem. v.g. qui jacit aleas experitur se plerumque jacere puncta dissimilia, idéque observat in aliis, atque inde infert hâc propositionem probabilem. *projiciens aleas primâ vice non jaciet puncta similia.* facit enim hunc discursum. *Ex duobus contradictoriis fortuitò evenientibus, credibile est illud hîc & nunc eventurum esse præ alio, quòd plerumque contingit: sed plerumq; cõtingit puncta similia non provenire in primo alearum jactu: ergo illa in primo jactu non evenient.* Hæc conclusio, etsi præmissæ sint certæ & evidentes, potest esse falsa; quia illegitimè deducitur. Quod enim in bonâ formâ rectè deducitur

Ex certis præmissis sæpè deducitur conclusio tantùm probabilis.

est. *ergo credibile est, quòd ex primo jactu puncta similia non evenient.* Quæ conclusio certa est, & evidens. Prior ergo conclusio, quia transit à credibilitate ad ipsam rem, & permutat terminos, non rectè, sed solùm probabiliter deducitur à præmissis. Similiter discurrendum est de hac propositione probabili. *Omnis mater amat suum filium*, quæ per fallibilem deductionem inferri potest ex immediatis, & per se notis. v. g. à pari: Mater enim quæ experitur quid sit esse matrem, quamque tenerè amet suum filium, probabiliter infert à pari alias quoque matres similem erga suos filios affectum gerere; atque ita infert hanc propositionem universalem; *omnis mater diligit suum filium.* Nihilominus argumentum allatum urget efficacissimè, nec solvitur per objectam replicam: nam cùm illatio non sit evidens, sed solùm probabilis, intellectus per assensum præmissarum non determinatur ad illam eliciendam. Determinari ergo debet per imperium voluntatis: at ut intellectus prudenter determinetur per imperium voluntatis ad assensum aliquem, consultatio de causâ rationabili, cur imperetur, debet præcedere; ergo intellectus advertere debet ad bonitatem illationis, seu ad connexionem inter utramque præmissam simul sumptam & consequens, ut rationem reddat cur assensum illum præbeat; Ast illa connexio contingens est, non necessaria. vel ergo apparet immediatè, vel mediatè; si mediatè per aliam illationem fallibilem, & illa iterum per aliam, datur processus in infinitum, nisi sistatur in aliquâ connexione fallibili per se notâ. ergo necessariò deveniendum est ad aliquod principium probabile immediatum. unde Lugo D. 1. *de fide sect.* 7. n. 20. sic concludit. *Nemo ergo negare potest dari aliqua prima principia, quæ ex terminis cognoscuntur, non evidenter, sed opinabiliter, & obscurè.*

Quoties propositio probabilis infertur ex evidentibus, aliqua cõnexio contingens debet immediatè innotescere.

Secunda replica.

Dices: ipsum principium evidens est motivum inevidens, ut assensus præbeatur inter

ipsum & consequens: ergo argumentum non probat processum in infinitum.

Solutio.

Respondeo connexionem illam apparere vel per ipsam cognitionem evidentem, vel per illam inferri. Si per ipsam appareat; ergo connexio inevidens est immediata, quod intendimus. Si inferatur, utique infertur per illationem inevidentem: ergo per actũ liberum; ergo debet antecedenter apprehendi; vel ergo apprehenditur immediatè, vel per discursum & mediatè: si mediatè datur processus in infinitum: si immediatè habeo intentum: ergo argumentum convincit intentum.

Probatio tertia.

5. Probatur 3. ab exemplo. Interrogetur aliquis benè intelligens terminos, utrùm Petrus, fortuitò jaciens aleam 20. laterum æqualium & similium, suisque punctis ordine distinctam, jacturus sit prima vice unitatem.

Cõnexiones probabiles immediatè innotescunt.

Respondebit utique se nescire, quia nescit qualem impulsum Petrus sit liberè impressurus in corpus quod projicit; credibile tamen esse, quod unitatem non sit jacturus. Hoc sagax vir novit absque discursu ex ipsâ terminorum penetratione. ergo aliqua datur attinentia inter hos terminos, *fortuitus jactus icosaëdri*, & hos; *producet aliquem numerum ab unitate distinctum*, quæ immediatè innotescit; alioquin nemo absque discursu videre posset potiorem credibilitatem, quòd fortuitus ejus jactus conjungendus sit potiùs cum aliquo numero ab unitate distincto, quàm cum unitate. Hæc autem attinentia, & connexio non est necessaria, sed fallibilis. ergo aliqua attinentia & connexio contingens immediatè innotescit absque discursu.

Replica.

6. Dices homo non statim dicit, quòd Petrus prima vice non sit jacturus unitatem, sed solùm, quòd sit credibile, unitatem ex primo jactu non esse eventuram. At hoc judicium est evidens, ex quo infert quod non jaciet unitatem. Ergo nullum datur judicium inevidens, & immediatum.

Solutio.

Respondeo inprimis, illa cognitio evidens consequitur ad terminos apprehensos, quia super illos reflectit, & enuntiat de attinentiâ, quam habent ad invicem; ergo cùm verè enunciet de illis, illæ antecedenter ad illud judicium stimulant ad assensum, & ostendunt mutuam sui connexionem, non quidem necessariam, sed fallibilem. Alioquin non esset credibile, illos potiùs connecti, quàm non connecti. At hoc est, quod contendimus; scilicet aliqua objecta, præcisè ut apprehensa, movere ad assensum ex connexione per meram terminorum penetrationem apparente, ante omnem discursum, imo & ante omne judicium evidens de talium terminorum attinentiâ. Jam verò, si contendas, judicium reflexum evidens de credibilitate rei necessariò præcedere judicium absolutum inevidens de absolutâ ipsius veritate, non sum qui velim contradicere, eò quòd fortassè natura voluerit talem reflexionem necessariò oriri, quoties termini credibiles proponuntur; nihilominus assero, judicium absolutum non inferri ex hoc judicio reflexo, tanquam ex præmissâ, sed esse immediatum, nullique alteri motivo inniti, quàm objecto per primas illas apprehensiones obscurè proposito. Ratio est, quia hoc judicium per omnia imitatur illas apprehensiones, nullatenus autem judicium reflexum; nam hoc judicium, & reflexum est, & evidens; cùm judicium probabile sit directum, & inevidens, id est, tale est, quales sunt dictæ apprehensiones præviæ: ergo ab illis dirigitur, & causatur, non ab isto judicio evidente reflexo: ex similitudine enim effectûs, ejusque præcontinentiâ in illis, quæ prærequiruntur, optimè cognoscitur causa.

Judicium probabile absolutum de rei veritate non est effectus & conclusio judicii affirmantis credibilitatem talis objecti, sed aut semper est, aut solet esse immediatum.

Replica secunda.

7. Instabis: Ad quid ergo deservit dicta cognitio reflexa & evidens?

Solutio.

Respondeo illam deservire ad dirigendam voluntatem in imperio assensûs obscuri; ex evidenti enim credibilitate ultimum conscientiæ dictamen deducitur, per quod voluntas certa est se

Munus judicii evidentis de credibili-

tate obje- cti proba- bilis. est se prudenter imperare talem assensum.

Probatio quarta. 8. Probatur 4. ab inductione. Inprimis inter cognitiones evidentes datur mediata & immediata. Rursus inter obscuras, & certas datur eadem diversitas; nam fides est assensus non solùm obscurus, sed etiam immediatus, quatenus fertur in suum motivum formale, ut fusè ostendo in tractatu de fide. Similiter conclusio propriè Theologica est assensus mediatus obscurus, & certus. ergo à pari dari debet opinio mediata & immediata; cùm non sit potior ratio, cur hæc diversitas sit inter cognitiones obscuras & certas, quàm inter obscuras & incertas.

Fides theologica est assensus obscurus immediatus.

Confirmatio. Confirmatur. Omnes cognitiones nostræ reducuntur ad tres classes. Prima classis est evidentium & infallibilium: secunda est inevidentium & infallibilium, in quâ fides & conclusio Theologica continentur: tertia inevidentium & fallibilium, in quâ omnes assensus opinativi involvuntur. Hoc posito sic: Natura in omnibus seriebus & classibus rerum proportionaliter operari solet; ut constat ex universali inductione; quod effatum maximè verum est, si series, & classes illæ ad eandem spectent potentiam. At in duabus primis classibus cognitionum dantur propositiones mediatæ, & immediatæ: ergo dantur etiam in tertiâ. Sicut enim non solùm quod est evidens est immediatum, sed etiam objectū fidei, quod est in evidens, nullum medium admittit, ut fides certissima, & obscura eliciatur, ita quoque objectum probabile, & contingens potest esse immediatum; nec ad hoc percipiendum aliud requiritur, quàm intelligere, quòd lumen intellectuale paulatim decrescat: hoc enim intellecto, ratio eadem militat pro secundâ & tertiâ classe; quia si fides etsi obscura semel concedatur esse immediata; nec umbra rationis esse potest, cur opinio esse non possit immediata.

In omni classe cognitionum humanarū dantur cognitiones mediatæ, & immediatæ.

Replica. 9. Dices fides Theologica fundatur in judicio evidenti de summâ credibilitate objecti revelati. Ergo fides fundatur in cognitione evidente. ergo à fortiori omnis alia cognitio inevidens fundatur in aliquâ cognitione evidenti.

Solutio. Respondeo, ut fides seu assensus super omnia prudenter eliciatur, necesse est quòd evidentia de summâ mysterii credibilitate præcedat, nihilominus fides non fundatur in tali evidentiâ, ut in præmissâ; quia illa evidentia ostendit honestatem fidei, seu meritum, & obligationem eliciendi talem actum, adeoque regulat quidem voluntatem ad imperandum assensum fidei, non autem intellectum in assentiendo; intellectus enim dum assentitur, fundatur solùm in authoritate Dei loquentis, quæ obscurè tantùm, sed immediatè, & absque ullo discursu innotescit, tanquam aliquid ex terminis notum omni, qui actum fidei elicit; quod fusè cum optimâ Theologorum parte declaro in tractatu de fide, & nunc ut verum suppono.

Fides non elicitur, nisi præcedat evidētia summæ credibilitatis. Non tamen fundatur fides in tali evidentiâ ut in præmissâ.

Solvuntur Objectiones.

Prima objectio. 10. Objicies primò, cum Cardinali Pallavicino, qui *disp. 2. de act. hum. quæst. 1. a. 3.* expressè docet contrarium, quem hac in parte aliqui Recentiores sequuntur. Omnis operatio, ad quam à naturâ non determinamur, talis est, ut de eâ possimus rationem reddere, nam de iis, ad quæ natura nos determinavit, sufficit, si natura ipsa possit rationem reddere; ideo non est necesse, ut rationem reddamus de primis principiis, quando illis assentimur. Sic à nemine, ut advertit Aristoteles, quæritur, cur ei voluptas placeat, & dolor displiceat, quia talis affectio, cùm nobis imputari non possit, non est, cur de illâ rationem reddere debeamus. At de iis, quæ ut sint, à nobis non à naturâ dependet, tenemur rationem reddere, & dicere cur illa velimus, aut illis assensum præbeamus; talis autem est omnis opinio,

Nemo tenetur reddere rationem eorum, ad quæ à natura determinatus est; sed de iis tantùm, ad quæ seipsum determinat.

opinio, ad quam à naturâ non determinamur, sed nos ipsi ejus existentiam determinamus. ergo tenemur rationem reddere de omni assensu opinativo. ergo nullus assensus opinativus est immediatus, quia de assensu immediato nulla ratio aut petitur, aut reddi potest.

Solutio.

Respondeo per instantiam. Etsi fides sit libera & immediata, optimam rationem reddimus cur credamus, dum dicimus nos credere, quia antecedenter ad fidem non solùm habemus evidentiam credibilitatis de mysterio, sed etiam stimulamur ad credendum, per apprehensiones immediatè & obscurè manifestantes Deum loqui. Per evidentiam illam rationem reddimus, cur imperemus actum fidei, per existentiam stimuli prævii rationem reddimus, cur intellectus assensum præbeat; nam proprium ejus motivum, quo ad credendum sollicitamur, exponimus; quod est rationem optimam reddere, cur fidem Deo loquenti præbeamus. Quod si quæras, cur illæ apprehensiones immediatè & obscurè repræsentent Deum loqui, de hoc non possumus rationem reddere, nisi dicendo illas essentialiter, intrinsecè, & per seipsas tales esse, quia illæ non sunt in nostrâ potestate. Idem dico de assensu probabili immediato; nam de illo eodem modo rationem reddimus, quo de fide rationem jam reddidimus; omnia enim proportionaliter se habent in omni assensu obscuro. Neque opus est aliâ ratione, cur aut fidem, aut primum assensum probabilem eliciamus.

Optima ratio redditur cur fides eliciatur, etsi assensus fidei sit obscurus, & immediatus.

Eadem ratio est de omni assensu probabili, quæ militat pro fide.

Objectio secunda.

11. Objicies 2. ex eodem. Omne ens realiter contingens debet oriri ab aliquâ causâ necessariâ secundùm esse reale: ergo omne ens contingens intentionaliter debet oriri ab aliquâ necessariâ secundùm esse intentionale, id est à cognitione evidente.

Solutio prima.

Respondeo paritatem non tenere; nam dependentia entis contingentis ab ente necessario in esse reali est essentialis, & indispensabilis; qualis dependentia non probatur inter intentionale contingens, & necessarium.

Solutio secunda.

Deinde respondeo admittendo paritatem; nam omne ens intentionale contingens æquè dependet ab intentione seu cognitione divinâ, quæ necessaria est in essendo, quàm ens reale contingens ab omnipotentiâ: neque aliud probat argumentum. quod si velis intentionem contingentem debere oriri ab intentione necessariò existente in ipso eliciente cognitionem contingentem, argumentum à paritate hâc desumptum nullum est, quia procedit à dependentiâ extrinsecâ sd intrinsecam, ut patet. Verùm in hoc etiam sensu omnis intentio contingens dependet ab aliquâ necessariâ, nempe ab apprehensionibus præviis, quæ non sunt in potestate judicantis; similiter fortasse dependet etiam à cognitione evidenti reflexâ de objecti credibilitate, quatenus illa regulat voluntatem ad imperandum assensum obscurum.

Omne ens intentionale contingens dependet ab aliquo ente intentionaliter necessario.

Replica.

Dices cum eodem: opera Dei, utpotè opificis infinitè perfecti, non possunt respicere alium finem, quàm sibi præscriptum à Deo. At finis est principium in agibilibus. ergo in agibilibus principium est finis eorum unicus à Deo præstitutus. ergo unicus finis intellectûs, utpotè potentiæ agibilis, est principium, quo utitur, nempe cognitio primorum principiorum per se evidentium, quæ tunc perfectè habetur, quando ex eorum vi omnia cognoscuntur, quæ sunt cum ipsis connexa. ergo intellectus non potest operari nisi dependenter à primis principiis, & non nisi ad hoc, ut per assensum conclusionum retineat eadem prima principia, eorumque meliorem cognitionem assequatur. Et ideo conclusiones respectu principiorum ab Aristotele comparantur mediis respectu finis.

Solutio.

Respondeo argumentum supponere, quòd prima principia, quibus intellectus utitur,

utitur, sint solùm evidentia; quod tamen nullatenus ex vi argumenti probatur. Esto enim finis intellectûs à Deo constitutus, sit cognitio perfecta principiorum, quibus utitur. Ego autem contendo quod hæc principia sint duplicis generis; alia evidentia, alia inevidentia; idque ex dictis efficaciter probatur. Similiter dico intellectum humanum, tunc habere finem suum sibi in hac vitâ à Deo præstitutum, quando benè cognoscit omnia ex utrisque deducta, neque aliter finis hic possidetur: At argumentum nil probat contra hoc.

Finis in agibilibus dicitur principium, & cur?

Deinde respondeo: finis in agibilibus ideo dicitur principium, quia tota rerum series, quæ à voluntate per prudentiam regulatâ ponitur, non aliter quàm intuitu finis amatur, & in praxim reducitur. Agibilia enim per Philosophum *5. Æthic.* à factibilibus distinguuntur, quia illa ad prudentiam pertinent, hæc autem ad artem; utraque autem à speculabilibus toto cœlo differunt. Jam hoc nil conducit, ut intellectus quomodocunque discurrens habeat, vel non habeat prima principia, eorumque perfectam cognitionem pro fine unico à Deo constituto: quia operationes intellectuales, prout ad intellectum præcisè pertinent, non reducuntur ad agibilia, sed solum aliquando prout substant voluntatis imperio; & tunc voluntas, quæ tenetur prudenter operari, debet regulari à fine, suamque operationem à finis intuitu elicere. Quod verum quidem est, sed ad intentum argumenti nil conducit. Cæterum nego finem intellectûs esse cognitionem primorum principiorum: sive sermo sit de principiis objectivis, sive de formalibus: Finis enim est, quo habito potentia quiescit: at intellectus illis habitis non quiescit; & sanè hoc primum principium, *Totum est majus suâ parte*, non melius percipitur, aut possidetur, postquam plures demonstrationes Geometricæ per illud acquisitæ fuerunt, quàm antè. Finis ergo intellectûs est, vel universalis cognitio omnis veritatis, aut certè cognitio perfecta Dei, quâ habitâ, in ejus contemplatione quiescit. At ad hunc finem acquirendum prima principia sunt media, quorum usu intellectus ad finem obtinendum promovetur. Quòd si Aristoteles comparaverit Conclusiones ad prima principia, tanquam media ad finem, hoc ideo fecit, quia in hoc est aliqua paritas; nam sicut finis in intentione præcedit media in electione; quia finis est primum volitum: ita prima principia in esse cognito præcedunt Conclusiones in esse illato, quia sunt primum cognitum; quod verum est. Neque Philosophus in sensu ab argumento intento unquam locutus est de primis principiis, ut de fine unico intellectûs.

Prima principia eorumque notitia non sunt finis unicus, aut primarius intellectus humani.

Finis intellectûs est vel cognitio omnis veritatis, vel perfecta Dei cognitio.

Conclusiones quomodo comparantur ad præmissas ut media ad finem.

Demum dico, duos esse fines intellectûs à Deo institutos, unum primarium, alium secundarium. Primarius esto sit plena possessio primorum principiorum evidentium, juxta intentum argumenti: Assero tamen secundarium in hac vitâ miserabili esse plenam (quantum fieri potest) possessionem primorum principiorum inevidentium, per deductionem omnium conclusionum, quas illis mediantibus intellectus elicere potest, & sanè peto ab Adversario, utrum intellectus per Conclusiones probabiles melius possideat prima principia evidentia, quàm sine illis? si neget: ergo finis adæquatus intellectûs non est dicta illorum possessio: si concedat, peto, quomodo id fieri possit, cùm per assensum probabilem de nullâ veritate sit certus? si dicat ideo illa melius possideri, quia assensus probabilis ab illis probabiliter deducitur; hoc non satisfacit, quia nisi impropriè loquaris, objectum evidenter cognitum non melius possidetur per cognitionem alicujus objecti, quod fortasse non connectitur cum priori, & sive connectatur, sive non, absque formidine non affirmatur. Si dicas ideo illa melius possideri, quia

Finis secundarius intellectûs in hac vitâ est notitia principiorum, & deductionum probabilium

dicentium illam esse improbabilem, illa quoad nos est improbabilis, etsi sit probabilis quoad se. Cùm autem dico *quoad nos*, non intelligo quoad omnes, sed solum quoad eos, quibus motiva non sufficienter innotescunt; nam probè video, nullam opinionem esse quoad se probabilem, quæ alicui intellectui non appareat qualis est; unde fit, ut eadem opinio quæ quoad aliquos est probabilis, quoad alios non sit talis.

Opinio huic probabilis, alteri sæpe est improbabilis.

Probatio partis 2.

Demonstratur secunda pars. Qui educantur in hæresi, & nunquam audierunt argumenta contra suos errores, sed solùm perceperunt authoritatem & rationes hæresi suæ faventes probabiliter, & prudenter existimant vera esse, quæ à suis majoribus didicerunt; sunt enim hæretici tantum materiales, & in suo errore irreprehensibiles; ut constat ex hypothesi. Ecce hæreses, & errores illi, quoad illos, sunt probabiles, cùm tamen quoad se sint improbiles; eò quòd omnibus inspectis, rationes fidei Catholicæ faventes omnem à motivis hæresi faventibus probabilitatem certissimè auferant. Idem valet in innumeris aliis casibus; ut satis ex se patet.

Errores hæretici tantum materialis sunt quoad illum probabiles, sed quoad se certissimè sunt improbabiles.

Replica.

15. Dices. Apparentia, quâ hæretici materiales inducuntur ad prudenter credendum suis majoribus, partim componitur ex rationibus, & authoritatibus, quas percipiunt, partim ex negatione rationum in contrarium; illa autem apparentia tanta est, ut omnes illi æquales in unum collectæ plerumque conjungantur cum veritate; alioquin non sufficeret ad prudentem assensum; ergo illa est apparentia verè probabilis. ergo illa denominat objectum creditum verè probabile; ergo quidquid est probabile quoad nos, est etiam probabile quoad se.

Solutio.

Respondeo terminum, *probabile quoad se*, non significare quicquid quomodocumque comprobatur ullâ apparentiâ, quæ, propter suam magnitudinem est verè probabilis; sed solùm significare illud, quod omnibus motivis inspectis, quæ homines communiter afferunt pro utrâque parte, manet adhuc probabile; seu dignum assensu. At hoc non convenit hæresibus: ergo illæ non sunt probabiles quoad se. Jam argumentum præcedit solùm in primo sensu, quem confundit cum secundo, eoque legitimo; adeoque etsi in illo sensu verum dicat, nihilominus in sensu legitimo quæstionis, nil concludit.

16. Idipsum demonstratur. 2. Aliqua sunt, quorum probabilitas quoad nos est solùm probabilis; illa autem possunt esse, & non esse probabilia quoad se, adeoque aliqua eorum sunt, aliqua non sunt verè probabilia quoad se. Ergo aliqua sunt probabilia quoad nos, quæ quoad se probabilia non sunt. Unde

Probatio secunda.

17. Opinio probabilis quoad nos subdivitur in certò, & probabiliter probabilem. Opinio certò probabilis est, cujus probabilitas nobis est certa, & indubitata; Opinio probabiliter probabilis est, cujus probabilitas non certò, sed solùm probabiliter innotescit. Hæc inquam est subdivisio Opinionis probabilis quoad nos, quia omnis opinio, quæ reipsâ & secùdùm se probabilis est, certissimè talis est quoad se, cùm certitudo hæc probabilitatis quoad se sit indistincta ab ipsâ probabilitate existente in seipsâ; ergo si sit certa, est certa quoad se. Itaque hæc divisio solùm convenit probabilitati quoad nos; ergo non tam est divisio; quàm subdivisio opinionis probabilis.

Opinio probabilis quoad nos alia est certò, alia tantùm probabiliter talis.

ASSERTIO TERTIA.

Assertio 3.

Dantur opiniones, quæ quoad nos sunt certò, & quæ quoad nos sunt solùm probabiliter probabiles.

Dantur opiniones probabiles quoad nos tam certò, quàm probabiliter tales.

18. PRobatur: inprimis multæ sunt opiniones, quas omnes, etiam illi, qui absolutè tenent oppositum, fatentur esse probabiles; illæ autem quoad nos sunt certò probabiles;

Probatio asserti. probabiles; quia per unanimem omnium peritorũ consensum directa illarum probabilitas certò & evidẽter innotescit. Rursus multæ opiniones à peritis post diligens omnium in utramque partem examen evidenter cognoscuntur esse probabiles, neque quispiam de hoc ambigere prudenter potest. Ecce dupliciter fieri potest, ut opinio aliqua sit certò probabilis quoad nos; primò per authoritatem alienam; secundò per rationum inspectionem, & ponderationem propriam.

Verùm de hoc fusiùs infrà. Deinde aliquando probabilitas opinionis per alienam authoritatem solùm probabiliter nobis innotescit, ergo tota assertio vera est. Antecedens patet: fingamus aliquem peritum Theologiæ asserere, se legisse opinionem aliquam determinatam apud S. Thomam, & Suarium in materia Trinitatis v. g. in hoc casu ex vi seriæ hujus affirmationis evadet probabile, non certum, quòd S. Thomas & Suarez eam opinionem tradant. Evadet quidem probabile, quia in hac re vir ille dignus est fide, cùm asserat rem, eamque tamquam testis de visu seriò affirmat, neque ullum adest fundamentum prudenter existimandi, quòd mentiatur, ut suppono. Non tamen evadet certum, tum quia ille falli potest in intelligentiâ Authorum quos legit, tum quia etsi non fallatur, potest tamen alios mentiendo fallere, nam aliquando (etsi rarò) contingit tales viros in simili testimonio auditores suos decipere; ergo probabile tantùm erit apud talem auditorem, quod S. Thomas & Suarez teneant illam opinionem.

At probabilitas talis opinionis, apud auditorem præfatum, non potest esse certior, quàm quòd S. Thomas & Suarez eam tradant, quia suppono, quòd nullam aliam notitiam habeat de ejus veritate, aut probabilitate, quàm quæ ex dicto testimonio provenit; ergo probabilitas opinionis illius non certò innotescit ex vi talis affirmationis. At innotescit probabiliter, quia certum est omnem opinionem in dictâ materiâ à S. Thoma & Suario traditam, esse probabilem; quod ipsum ex unanimi omnium consensu certò innotescere potest prædicto Auditori; ergo probabilitas illius opinionis eâdem ratione innotescit, quâ innotescit, quod S. Thomas & Suarez eam tradiderint; quia illam ab eis traditam fuisse, & esse probabilem, sunt duo certò connexa. At quod illi eam tradiderint est solùm probabile. Ergo probabilitas dictæ opinionis non evadit certa, sed solùm probabilis.

19. Dividitur 4. opinio probabilis in re morali in proximè practicam, & formaliter speculativam. Illam voco proximè practicam, quæ, omnibus consideratis, judicat de honestate actionis hîc & nunc à judicante exercendæ. Omnem aliam voco formaliter speculativam; sive illa sit judicium de materiâ vel de qualitate materiæ, circa quam operatio humana versatur; sive sit judicium de ipsâ actione externâ, aut etiam de internâ electione tam secundùm se, quàm relatè ad aliquam circumstantiam; modò nil enunciet de ejus honestate, aut inhonestate, ut hic & nunc à judicante exercendæ. Omnis enim talis assensus meritò vocatur formaliter speculativus in re præsenti, seu in re morali; quicquid sit, an secundum alias acceptiones dici possit, & debeat practicus. Illud enim solùm ex omnibus judiciis in re præsenti proximè & formaliter censetur practicum, quod proponit honestatem, vel turpitudinem actionis hîc & nunc exercendæ à judicante. Reliqua enim ad summum remotè disponunt ad hoc judicium directivum operationis moralis; adeoque ad summum sunt practica remotè; quare non immeritò vocantur formaliter speculativa. His positis sit

Opinio probabilis in re morali alia est speculativè tantùm, alia practicè probabilis.

ASSERTIO.

Assertio 4.

ASSERTIO QUARTA.

Opinio speculativè probabilis sæpe est improbabilis practicè.

Eadem opinio, quæ speculativè & dialecticè probabilis est, sæpè dicitur improbabilis practicè, & moraliter. Propositum autem sit ostendere utrùm, & quomodo eadem opinio esse possit probabilis speculativè, & practicè improbabilis.

20. DEmonstratur prima pars. Probabile est panem ex secali esse materiam sufficientem ad conficiendam Eucharistiam: verùm hæc opinio est formaliter speculativa non proximè practica: speculativa quidem formaliter, quia solum enuntiat de idoneitate hujus panis pro materiâ validæ consecrationis; non proximè practica, quia nil enuntiat de honestate consecrationis hîc & nunc à judicante exercendæ. Rursus hæc ipsa opinio & est, & communiter dicitur practicè improbabilis; neque enim probabile est, quòd ubi suppetit materia certa ad confectionem sacramenti, licitum sit hic & nunc uti tali pane, utpote materiâ incertâ, ad consecrationem; omnes enim, magnis ducti fundamentis, id esse penitus illicitum, & contrarium omnino improbabile unanimiter asserunt.

Probabile est consecrationem panis ex secali esse validam, sed improbabile est eam esse licitam.

Idem dicendum est de aliis opinionibus, quas Authores dicunt esse speculativè quidem probabiles, sed practicè improbabiles. Duo sufficiant exempla. Primum sit de opinione qua quis probabiliter concludit tactum aliquem præcisè positum propter delectationem, quæ ex primarum qualitatum temperamento resultat, ejusdem rationis esse cum illis, qui in aliis corporibus inanimatis fiunt, adeoque illum ex se non esse tactum venereum, nec continere malitiam gravem. Nihilominus quia moraliter impossibile est, tales tactus hic & nunc exerceri in corporibus animatis, maximè ejusdem speciei, & alterius sexûs, absque eo quòd aut fiat gratia delectationis libidinosæ, aut certè conjungantur cum proximo periculo talis delectationis, ideo absolutè tenet opinionem, probabiliter affirmantem, talem tactum ex se, aut secluso periculo non esse peccatum, id est opinionem speculativè probabilem, quoad praxim hic & nunc probabilem non esse; quia adeo difficile est illum tactum ad praxim reducere cum iisdem tantum circumstantiis, in quibus actio illa licita judicatur, ut aut moraliter impossibile, aut difficillimum sit alias circumstantias non annecti, per quas actio, quæ ex se, & remoto periculo ulterioris malitiæ, erat licita, vitietur, & evadat illicita. In hoc sensu Oviedus *l. 2. tract. 5. cont. 3. puncto. 2. n. 1.* admittit eandem opinionem esse posse speculativè probabilem, simulque practicè improbabilem: quia licet probabile sit, talem tactum ex se non involvere malitiam mortalem, nihilominus non est probabile, quòd hîc & nunc voluntariè illum exercere non sit peccatum mortale; cùm propter periculum proximum malitiæ ulterioris, moraliter certum sit, actionem talem, voluntariè susceptam, de facto connecti cum malitiâ mortali.

Aliud ejusdem rei exemplum declaratur.

21. Secundum exemplum desumo à judicio, quo quis de viro seculari, utcunque obviam habito, ideo præcisè judicat illum esse in statu peccati mortalis, quia propter difficultatem virtutis plerumque contingit homines seculares in tali statu versari; in hoc casu si non apparet specialis ratio pro innocentiâ talis viri, probabile erit speculativè, & dialecticè, seu logicè loquendo, illum esse malum, quia plerumque homines tales mali sunt; nihilominus illud ipsum moraliter & practicè est improbabile; quia certum est tale judicium temerè concipi, & esse peccatum.

Non omnis probabilitas sufficit ad judicandum malũ de proximo.

Ratio est: quia probabilitas à priori fundata in difficultate innocentiæ, propter volubili-

Probabilitas à priori fundata

In difficultate virtutis non sufficit ad judicandum malum de homine singulari.

volubilitatem arbitrii & fragilitatem naturæ humanæ, non sufficit ad judicandum de quovis singulari homine, quòd sit malus malitiâ personali; quia nemo condemnandus est propter id, quod sibi liberum non est: At probabilitas malitiæ in unoquoque particulari, propter difficultatem innocētiæ, & majorem numerum malorum, fundatur in indiciis non liberis cuivis singulari homini: ergo nemo propter talem probabilitatem condemnari potest, quia eâ stante, retinet jus ad bonam existimationem; quæ quia graviter læditur per judicium deliberatum temerè conceptum de gravi malo proximi, ideo hæc probabilitas antecedens, & à priori, nullo modo excusat tale judicium à peccato. Ratio est, quia licet crimen aliquod vagè sumptum non careat probabilitate antecedente & speculativâ, non tamen est probabile probabilitate fundatâ in signis liberè positis à judicato; id est, non est probabile probabilitate practicâ; quia practicè loquendo, & in ordine ad operandum, crimen illud non est probabile, eo quòd obstet jus, ne tale judicium eliciatur; quod proinde temerè concipitur, quia concipitur contra obligationem, quamdiu non fundatur in indiciis positis ab ipso judicato, hoc enim intelligimus per judicium temerarium.

Opinio practicè improbabilis in rigore semper diversa est ab opinione speculativè probabili.

22. Porrò quod ad secundum attinet; certum est, tam in hoc, quàm in omnibus aliis casibus ejusmodi, opinionem probabilem & improbabilem non esse verè eandem, quia opinio dialecticè probabilis, quæ formaliter speculativa est, habet aliud objectum, quàm opinio moraliter probabilis, quæ est proximè practica; cùm opinio proximè practica enuntiet de honestate actionis hîc & nunc exercendæ, de quâ honestate nil enuntiat opinio formaliter speculativa. Ergo opiniones istæ sunt de diversis objectis affirmatis, & materialibus; ergo verè sunt diversæ. Impossibile enim est idem omnino objectum esse simul probabile &

Nihilominùs Auctores communiter dicūt

improbabile eidem intellectui. Nihilominus apud Authores communiter dicitur, quod eadem opinio, quæ speculativè, & dialecticè probabilis est, sit sæpè practicè & moraliter improbabilis. Verùm per illum modum loquendi nil aliud intelligunt hi Authores, quàm quòd licet magna fundamenta sint pro validitate consecrationis v. g. prolatæ supra panem ex secali confectum, nulla tamen sunt ullius momenti ad probandum quod hic & nunc, quando panis triticeus adest, expediat, aut licitum sit supra panem secalineum formam consecrationis proferre; cùm è contra magna sint fundamenta ad asserendum, quod talis consecratio hic & nunc sit illicita. Idem valet de omnibus aliis exemplis, quæ aut afferuntur ab Authoribus, aut à quovis aptè afferri possunt.

eandem opinionem esse probabilem speculativè & practicè improbabilem.

Nec in hoc sunt culpandi.

Modus loquendi Auctorum in hac re fusiùs explicatur.

23. Itaque patet ex dictis, in quo sensu Auctores asserunt, eandem opinionem esse formaliter speculativè probabilem, & proximè practicè improbabilem; loquuntur enim de opinionibus terminatis quidem ad substantiam ejusdem actionis, sed non in ordine ad easdem circumstantias. Nam actio, cujus valor speculativè loquendo est probabilis, talis est, ut ejus honestas in ordine ad praxim sit hic & nunc omninò improbabilis. Porrò sufficiat hoc adnotasse ad intelligentiam Auctorum, qui eo ipso, quod dicant eandem opinionem simul esse probabilem speculativè ac dialecticè, & moraliter ac practicè improbabilem; per terminos *speculativè & practicè, dialecticè & moraliter* intelligunt diversitatem objectorum, quam modo exposuimus. Quod cùm apertè constet, frustra nonnulli insudarunt ad refellendam hanc terminorum usurpationem, quâ certè uti licitum est in eodem sensu, in quo ab Auctoribus communiter accipitur.

Status quæstionis principaliter intentæ, ejusque

24. Nos potissimè agimus de opinione practicè probabili, & per hoc intelligimus, *eam opinionem, quæ asserit actionem aliquam esse*

quæ sensus clarè explicatur.

esse hic & nunc licitam judicanti, debere esse probabilem. Omnis enim opinio ejusmodi, & nulla alia aut est, aut à nobis intelligitur nomine opinionis practicè probabilis.

25. Sufficiat ergo ad omnem quæstionem de nomine vitandam hîc indicasse, quomodo hac in re Authores inter se reipsâ conveniant, licet aliqui aliorum modum loquendi m rum in modum, sed frustra reprehendant. Cæterum hic advertendum est, Baronium *disp. 1. sec. 2. art. 3. in principio*, immeritò carpere Theologos, quòd non distinxerint inter probabilitatem speculativam & practicam, scilicet quòd nil speculativè probabile sit practicè improbabile; quia nil clarius aut disertius apud illos invenies, quam distinctionem istam; ut mirum sit, virum doctum hoc ignorasse, imò veritatem tam patentem habuisse pro falsitate compertâ.

Baronius falsò, & immeritò reprehendit Theologos, quod non distinxerint inter probabilitatem speculativam & practicam.

26. Cæterùm Baronius ipse de hoc reprehendendus est, nam ubi fortissimè, ut putat, arguit contra faventes opinioni probabili minùs tutæ, frequentissimè adhibet exempla probabilitatis speculativæ, V. G. quod probabile sit aquam à vite colatam esse materiam validam pro baptismo, cum tamen extra casum necessitatis non liceat eam adhibere.. Unde infert usum opinionis probabilis minus tutæ non esse universaliter licitum; & mirè exclamat contra eos, qui minore etiam probabilitate contenti, docent eam universaliter sufficere ad securitatem conscientiæ, etiam contra probabiliorem faventem præcepto. Sed aërem verberat, neque enim inveniet vel unum, qui dicat licitum esse uti tali materiâ extra casum necessitatis, quia probabilitas speculativa non sufficit, sed practica requiritur ad regulandam conscientiam, ubi certitudo deest. Itaque licet probabile sit, eam materiam esse sufficientem, non tamen est probabile, quòd liceat eam pro libito extra casum necessitatis adhibere. Hæc ergo & alia ejusmodi exempla perperam & abs re objiciuntur contra usum opinionis practicè probabilis.

Baronius abs re objicit exempla probabilitatis speculativæ contra usum probabilitatis practicæ.

27. Dividitur 5. opinio probabilis, in probabilem directè, & in reflexè seu indirectè probabilem. Probabilitas directa est, quæ fundatur in ipsâ naturâ objecti. sic probabile est V. G. quòd liceat artificiosè pingere in die festo, quia inspectâ naturâ rei, probabile est, quod taliter pingere non sit opus servile. Probabilitas indirecta seu reflexa est, quæ vel fundatur in ipsâ probabilitate directâ, vel sumitur ab argumentis indirectis, fundatis non in naturâ rei, de quâ agitur, sed in aliis circumstantiis adjectis. Sic si quis consideret, quòd sit probabile, artificiosum pingendi modum esse licitum in die festo, & ex hac probabilitate, manente etiam post diligens examen adhibitum ad inveniendam certitudinem prohibitionis, concludat nullam legem prohibentem tale opus esse sufficienter promulgatam, ideoque nullam extare obligationem cessandi ab illo opere; Iste jam habebit majorem probabilitatem quàm antè, quod liceat pingere in die festo; sed reflexam, quia secunda hæc probabilitas fundatur in priore tanquam in objecto, super quod reflectit. similiter si ex directâ probabilitate quis formet judicium certò prudens, quod liceat pingere in die festo, iste ex objecto probabili probabiliter credito novum habet argumentum, quod ipsi liceat pingere hic & nunc, quia cuique licet, quod prudenter credit esse licitum. Hæc etiam probabilitas nova vocatur quoque reflexa, quia fundatur in priore ut in objecto.

Opinio practicè probabilis, alia directè, alia indirectè, alia reflexè talis.

Probabilitas reflexa quid sit?

28. At si argumentum, afferens novam probabilitatem, fundetur non in probabilitate directâ, sed in circumstantiâ accidentaliter connexâ cum re, & rationibus directis, tunc probabilitas fundata in illo argumento meliùs vocatur indirecta, quàm reflexa, ut patet. Talis est probabilitas

Quid sit probabilitas indirecta?

subditi,

subditi, cui probabile est bellum V. G. vel aliud opus esse licitum. Jam si Princeps vocet illum ad bellum, vel superior ordinet illud opus fieri, eo ipso per adjectionem hujus circumstãtiæ probabilius evadit quod liceat taliter operari, quàm antea, quia in dubiis obediendum est. Ecce quid intelligamus nomine probabilitatis tam directæ & indirectæ, quàm directæ & reflexæ.

Assertio 5.

ASSERTIO QUINTA.

Quod non est directè probabile, sæpè fit probabile indirectè. Similiter quod est directè probabile, fieri potest multò magis probabile reflexè.

Quod non est directè probabile fieri potest probabile indirectè.

QUod detur distinctio harum probabilitatum, evidens est ex dictis in terminorum explicatione. Quo posito, prima pars assertionis evincitur hoc modo. Petrus Possessor bonæ fidei, ob litem motam à Paulo, incipit dubitare, an res possessa sit sua, necne. Post omnem diligentiam adhibitam nil invenit, quod possit probabiliter probare jus suum. Similiter Paulus nullum pro se argumentum probabile profert. In hoc casu non est directè probabile, quod res illa sit Petri, & præscindendo à possessione bonæ fidei non est probabile, quod possit eam sibi vendicare. Nihilominus ex titulo possessionis habet rationem probabilissimam, quod possit illam retinere, donec Paulus probabiliter saltem probaverit, eam ad se pertinere. Idem valet de bello dubio, & alio quovis objecto dubiæ honestatis à superiore imposito. Nam quod antea erat dubium, per ordinationem & imperium superioris evadit probabiliter licitum, quia in dubiis obediendum est: Ergo quod non est directè probabile, sæpe fit probabile indirectè.

Probabile directè fieri potest multò probabilius reflexè.

Secunda pars evincitur. Si qui inspecta rei natura probabiliter credat licitum esse pingere in die festo. Hæc probabilitas augebitur, si consideret, quod unicuique liceat agere, quod prudenter credit esse licitum; aut si cogitet, legem vetantem pingere non esse sufficienter promulgatam, ideoque non obligare & arctare, &c. Ergo quod est directè probabile, ex vi argumentorum reflexorum potest evadere multò probabilius.

Hæc distinctio benè notanda est, quia quæstio potissima procedit de probabilitate indirectâ, & reflexâ, prout nova argumenta superadduntur probabilitati directæ, atque unà cum illâ constituunt probabilitatem longè maximam, ut suis locis fusiùs explicabitur. Atque hæ sunt distinctiones opinionis probabilis, quæ potissimè deserviunt præsenti tractatui, quæque eidem complendo mihi videntur sufficere, ideóque alias omnes libens omitto.



QUÆ-

QUÆSTIO QUINTA.

De ulterioribus proprietatibus Probabilitatis quoad se.

Assertio 1.

Singulæ præmissarum probabilium sunt probabiliores conclusione.

ASSERTIO PRIMA.

In syllogismo constante duabus præmissis probabilibus, singulæ ex præmissis sunt probabiliores, & suo modo certiores conclusione; non tamen utraque simul sumpta per modum unius complexi.

Probatio.

1. DEMONSTRATUR: Totum periculum falsitatis, quod est in singulis earum, est etiam in conclusione. Habet præterea conclusio aliud periculum falsitatis, ratione alterius præmissæ, quæ stante veritate primæ, potest adhuc esse falsa; ergo conclusio habet majus periculum falsitatis, quàm ulla ex præmissis. Ergo est minùs certa quàm ulla ex illis. Non tamen est minùs certa quàm utraque præmissa simul sumpta, nam positâ utrâque præmissâ nullũ amplius est periculum falsitatis in conclusione. ergo nullus est locus dubio, qui non est in præmissis simul sũptis. Ergo nulla certitudo major in utrâq; præmissâ simul sumptâ, quàm in cõclusione.

Corollariũ ex dictis.

Corollarium.

2. Hinc infertur, quòd omne consequens aliunde non probatum, quàm ab utrâque præmissâ probabili, non pertingat ad gradum probabilitatis proprium cujusvis præmissæ seorsim sumptæ; cùm enim aliunde non probetur, quàm ab utrâque simul sumptâ, tanta præcisè est ratio dubitandi de veritate illius, quanta est ad dubitandum de veritate utriusque præmissæ simul sumptæ; illa autem major est, quàm ratio dubitandi de veritate singularum seorsim sumptarum, ut proximè demonstratum est. Ergo.

Assertio 2.

ASSERTIO SECUNDA.

Syllogismus constans unâ præmissâ certâ, & alterâ probabili, habet conclusionem æquè probabilem, ac suo modo æquè certam, ac est præmissa probabilis.

3. DEmonstratur. Non est majus periculum falsitatis in conclusione, quàm in unicâ illâ præmissâ probabili. Ergo.

Corollarium.

Consequẽs non aliũde deductum, quàm ab una præmissa certa, & alia probabili, cadit præcisè probabilitatè habet cum præmissâ probabili à quâ deducitur.

4. Hinc infertur, quòd omne consequens ritè deductum ab unâ præmissâ certâ & aliâ probabili, & aliunde non probatum, ita pertingat ad gradum probabilitatis proprium illius præmissæ, ut illum non excedat. Pertingit quidem ad illum, quia nullum est periculum falsitatis in consequente, quod non sit in præmissâ illâ probabili. Non tamen illum excedit, quia cum aliunde non probetur quàm à præmissâ illâ probabili, non potest non subjacere eidem formidini falsitatis, cui præmissa subjacet: ergo consequens illud non potest esse probabilius præmissâ, à quâ ejus probatio unicè dependet. Rursus tale consequens non habet majorem contingentiam ac defectibilitatem, quàm illa præmissa; similiter nullum periculum falsi inveniri potest in consequente, quod in illa præmissâ non inveniatur; cùm altera præmissa sit infallibilis & conclusio ritè deducta. Ergo nullum potest esse motivum aut dissentiendi, aut non assentiendi consequenti, quod æquè non moveat ad dissentiendum, aut non assentiendum præmissæ probabili. Præterea quid-

quidquid impellit ad præmissam afferendam, eâdem vi, absque admixtione ulterioris dubii impellit ad afferendum consequens. Ergo consequens illud non potest non habere eundem saltem gradum probabilitatis cum præmissâ probabili, à quâ infertur.

Dixi, *eundem saltem gradum*, quia si consequens illud aliunde probari potest quàm ab illâ præmissâ, potest utique esse longè probabilius tali præmissâ; ut patet; at si aliunde quàm ab illâ probari non possit, adhuc eundem cum illâ probabilitatis gradum retinebit, sed illum non excedet.

Assertio 3.

ASSERTIO TERTIA.

Consequēs ritè illatum ex duabus propositionibus probabilibus sæpè non est probabile.

Consequens ex duabus propositionibus probabilibus ritè illatum sæpè non est probabile, si aliunde non probetur quàm ab illis præmissis.

5. Demonstratur. Quò aliquid infrequentiùs contingit, eò minùs participat de probabilitate. At quod sequitur ex duabus præmissis probabilibus, & aliunde non potest probari, infrequentiùs apparet contingere, quàm quod ab ullâ præmissarum asseritur; omnis enim defectibilitas & contingentia majoris redundat in consequens, quod aliunde probari non potest quàm ab illâ majori contingente. Similiter omnis defectibilitas & contingentia minoris redundat in consequens. Nam quamvis major esset evidens & certa, adhuc consequens esset fallibile propter fallibilitatem minoris; & è contrà, licèt minor esset certissima, adhuc consequens tantam fallibilitatem à contingentiâ majoris in se derivatam haberet, quanta inest ipsi majori. Ergo consequens, quod non aliunde sequitur, quàm ex duabus præmissis probabilibus, minùs participat de probabilitate, quàm ulla ex præmissis solitariè sumpta; imo saltem duplo minùs de probabilitate participat, quàm illa præmissa, quæ aut probabilior est, aut certè non est minùs probabilis. Nam participat totam defectibilitatem præmissæ probabilioris; deinde præter hanc defectibilitatem participat adhuc totam cōtingentiam alterius præmissæ, quæ aut major est, aut certè æqualis defectibilitati præmissæ alterius; major quidem si sit minùs probabilis, æqualis verò si sit æquè probabilis. Ponamus jam utramque præmissam parvum probabilitatis gradum obtinere; eò quòd etsi objectum singularum sæpiùs contingat ejus opposito, vix tamen sæpiùs contingat. In hoc casu evidens est consequens illatum non esse probabile, quia evidens est oppositum ejus apparenter frequentiùs contingere, quàm objectum ipsius eveniat.

Probatio prima.

6. Rem exemplis declaro: In hoc syllogismo. *Baptizatus jusculo cum formâ legitimâ recipit characterem Baptismalem: sed, ego te baptizo in nomine Christi, vel in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque, est forma legitima baptismi. ergo baptizatus jusculo in nomine Christi, vel Genitoris, &c. recipit characterem baptismalem.* Veritas dicta exemplis redditur illustrior.

Primum exemplum

Hoc consequens potest esse improbabile propter timorem duplicem invaliditatis; quorum alter oritur ex dubio de sufficientiâ materiæ, alter ex dubio validitatis in formâ. Ecce minor est probabilitas; seu spes veritatis in consequente, quàm in ullâ ex præmissis solitariè sumptâ.

7. Do aliud exemplum: Propositæ sint centum sortes, quarum una tantùm contineat gemmam illi conferendam, in quem sors illa factâ fortuitâ divisione ceciderit. Jam sortes illæ promiscuè dividantur in duas partes inæquales; hinc ponantur sexaginta, inde quadraginta; & erit probabile sortem bonam latere in majore, non in minore collectione, qui enim frequenter majorem illam sortium collectionem eligeret, plerumque & absolutè sæpiùs acquireret sortem fortunatam, quàm qui minorē sortium nume- Exemplum secundum.

numerum eligeret. Rursus dividatur collectio fortium sexaginta in 40. & 20. & erit probabile, quod sors, quam credo latere in collectione illa 60, jam inveniatur in numero 40; atque ita unusquisque 40. fortium collectionem eligeret, non illam 20. cùm tamen absolutè non sit probabile, quod sors fortunata sit in collectione ultimo loco electâ, quia sæpiùs continget talem sortem in illâ non reperiri; & tamen formatur syllogismus iste. *Sors fortunata, quæ existit in totâ collectione centum, factâ fortuitâ divisione, absolutè existit in collectione 60; sed sors fortunata existens in collectione sexaginta, factâ fortuitâ divisione fortium absolutè existet in hac collectione quadraginta. Ergo sors fortunata existens in collectione centum absolutè existit in hac collectione quadraginta.* Ecce consequens, quod ritè sequitur ex duabus præmissis probabilibus, non est probabile; certè hoc consequens esset evidenter verum, si præmissæ essent evidenter veræ, quamvis forma syllogismi in nullo mutaretur.

8. Hoc exemplum est perfectissima imago conclusionis ex ambabus præmissis probabilibus deductæ; nam semper sensus est, fortasse majus extremum identificatur cum medio termino; similiter fortasse minus extremum cum eodem identificatur; ex quo non semper potest prudenter, aut probabiliter inferri, quod illa duo extrema absolutè identificentur inter se.

Assertio 4.

ASSERTIO QUARTA.

Quod ex probabili solùm probabiliter infertur non semper est probabile.

Non semper est probabile quod ex principio probabili tantùm probabiliter infertur, si aliunde non probetur.

Probatio.

9. Demonstratur assertio, quia si præmissa sit tantùm, ut ita dicam, probabilis, tota ejus defectibilitas necessariò redundat in consequens; in quod alia etiam defectibilitas refunditur à fallibilitate illationis. Ergo fieri poterit, ut propter utramque fallibilitatem consequentis, illud non sit probabile, quamvis præmissa sit probabilis. Imò toties multiplicari potest nova illatio probabilis ex consequente priùs probabiliter illato, ut ultimum consequens sit manifestè improbabile.

10. Ratio à priori desumitur à differentiâ illationum evidentium & probabilium. Illationes evidentes ita concatenantur, ut ultima sit tam infallibilis quàm prima, quia connexio inter primam & ultimam est necessaria. At oppositum evenit in continuatione illationum probabilium, quia non est necessaria connexio inter priorem & consequentem. Finge te valere gratiâ apud Petrum, ita ut ex 8. tuis petionibus 6. futuræ sint efficaces, & 2. inefficaces. Rursus finge Petrum eâdem gratiâ valere apud Paulum, & Paulum apud Regem. In hoc casu, licet ex petitione tuâ sequatur probabiliter petitio Petri ad Paulum, & ex petitione Petri sequatur probabiliter petitio Pauli ad Regem, & ex petitione Pauli probabiliter sequatur concessio regia; improbabile tamen est, quòd ex petitione tuâ factâ Petro concessio Regis sit sequutura; nam ex 8. suis petitionibus 2. sunt inefficaces apud Petrum, & consequenter apud Paulum, qui, Petro non petente, nil faciet. Rursus ex petitioibus Petri duæ sunt inefficaces apud Paulum. Ergo ex 8. tuis petitionibus, 4. tantùm sunt efficaces apud Paulum, & totidem inefficaces. At apud Regem 6. erunt inefficaces, & duæ tantum efficaces. Ergo ex petitione tuâ factâ Petro non est probabile secuturam concessionem regiam. Et sanè quò plures essent, per quos petitio deberet fieri, eò improbabilior esset concessio favoris prætensi.

Illationum evidentium & probabilium differentia, quæ?

11. Jam verò quod sæpè dentur illationes probabiles notissimum est. Talis est illatio quæ fit ab inductione satis longâ, sed insufficiente; ut qui judicaret omnes homines esse

Dantur illationes probabiles

albos, aut nullam esse regionem, cujus incolæ sint universaliter nigri. Talis etiam est illatio à paritate rationis, quâ multi utuntur. Et sanè in modo arguendi à pari duplex defectibilitas invenitur; prima locum habet, quando non est evidens nullum discrimen intervenire, etsi illud nunc non appareat. Ex hoc capite plerumque contingit, illationes à paritate rationis esse defectibiles, quia rarò evidens est, nullum disparitati locum superesse. Secunda defectibilitas sæpè cohæret cum evidentiâ paritatis omnimodæ; nam etsi eadem sit ratio jubendi aut prohibendi duo objecta, fieri tamen potest, ut superior humanus unum eorum aut jubeat aut prohibeat, non alterum; idque vel quia ignorat omnimodam paritatem rationis, vel quia de illâ non cogitat, vel demùm eò quòd, etsi ad illam reflectat, nolit tamen subditorum conscientiam onerare.

Defectibilitas illationis à paritate rationis est duplex.

12. Itaque ut asserta, quæ aut solùm probabiliter inferuntur ex principio probabili, aut non inferuntur nisi ex utrâque præmissâ probabili sint certò probabilia; asserta illa inferri debent, & absolutè asseri non ab uno aliquo novitio Theologo, sed à viris doctissimis, & sinceris veritatis amatoribus; qui, omnibus pensatis, id est, consideratâ defectibilitate illationis, unà cum præmissæ defectibilitate, totóque periculo falsitatis in consequente computato, adhuc absque passione ferant sententiam, & absolutè sentiant consequens ita illatum verum esse, in hoc enim casu consequens illud tam erit probabile, quàm aliquod aliud, quod ex aliquo principio probabili evidenter infertur; quia omnibus pensatis, non apparet majus periculum falsitatis in uno, quàm in altero consequente.

Quid requiratur ut probabiliter illata à principio probabili sint certò probabilia.



ASSERTIO QUINTA.

Assertio 5.

Omne consequens, ex principiis certis vel evidentibus probabiliter deductum, est probabile.

Quod ex certis probabiliter infertur, est probabile.

13. Demonstratur. Ut consequens aliquod probabiliter inferatur, debet ex vi illationis ipsius aut plerumque connecti cum veritate rei, stante veritate antecedentis; aut certè debet esse tale, ut ex vi illationis præbeat motivum viro perito & pio ad credendum consequens esse verum, quoties antecedens ut verum admittitur. Omnis enim illatio inferioris ordinis temeraria est, & imprudens. Ergo quoties antecedens certum est, aut evidens, cùm nullum sit periculum falsitatis in præmissis, certum est etiam, consequens tantâ probabilitate connecti cum antecedente, seu esse absolutè verum, quantâ constat illationem esse bonam. At absolutè probabile est illationem esse legitimam, ut constat ex hypothesi. Ergo consequens est absolutè probabile.

Probatio.

ASSERTIO SEXTA.

Assertio 6.

Cæteris paribus, eorum asserta sunt extrinsecè probabiliora, qui quæstionem à fundamentis, & in terminis propriis examinarunt; quàm quæ absque tantâ diligentiâ determinantur.

Cæteris paribus, probabiliora sũt, quæ ab iis, qui quæstionem à fundamentis tractarunt, asseruntur.

14. Demonstratur. Si cætera sint paria, diuturnior illa, & magis seria argumentorum omnium consideratio evidens indicium est, eos Authores maturiùs longè, & prudentiùs suam tulisse sententiam, quàm alios minùs diligentes veritatis indagatores. At hinc sumitur notio majoris vel minoris probabilitatis extrinsecæ, quia aliqua manet suspicio, ne alii ex ignorantiâ aliquâ aut inconsideratione suam sententiam protulerint, quod prudenter dici non potest de iis, qui funditùs rem examinarunt.

Probatio.

runt. ergo asserta ab Authoribus, qui à fundamentis, & in propriis terminis quæstionem tractant, cæteris paribus, probabiliora sunt, quàm quæ absque tantâ diligentiâ asseruntur.

Porro assertio hæc evidens est quocunque modo comparatio fiat, sive eorundem Authorum ad seipsos in diversis materiis, sive ad alios tam in materiâ disparatâ, quàm contradictoriè oppositâ; ut patet. Quod ad quæsiti principalis solidam resolutionem valde notandum est.

Assertio 7.

ASSERTIO SEPTIMA.

Probabilitas unius partis stat absque partis contradictoriè oppositæ probabilitate.

Probabilitas unius partis contradictionis consistere potest absque alterius partis probabilitate.

Probatio.

15. Demonstratur primò ex dictis *quæst. 2. n. 4.* ubi impugnavi definitionem quandam propositionis probabilis à Caramüele in Apologemate assertam, quæ supponit unam contradictionis partem non posse esse probabilem, quin altera quoque sit probabilis. Deinde sic arguo. Dicat Petrus se hodie mane vidisse Paulum in templo. In hoc casu probabile est, quòd Paulus fuerit in templo, quia prudenter creditur; sed pars opposita non est probabilis, quia nullum datur fundamentum sufficiens ad prudenter credendum, quod Paulus hodie mane in templo non fuerit. Neque dicas, quòd in hoc casu certum sit, Paulum fuisse in templo, quia nulla est ratio in oppositum; quodque proinde exemplum non sit ad rem; nam contrà est; quia non est certum, Petrum non fuisse deceptum, confundendo Paulum cum alio viro non multùm dissimili. Deinde etsi non fuerit deceptus, fieri potest, ut mentiatur, & me decipiat: ergo non est certum quòd falsum non dicat. Præterea suppono Petrum non esse tantæ auctoritatis, ut solo suo testimonio reddat asserta sua moraliter certa. Ergo, stante illius assertione, solùm est probabile, non certum, quòd Paulus fuerit in templo.

Assertio 8.

ASSERTIO OCTAVA.

Utraque contradictionis pars potest esse simul probabilis eidem intellectui.

Vtraque contradictionis pars potest esse simul probabilis eidem intellectui; idq; tam exercitè quàm signatè. Assertio procedit tam de intrinsecâ, quàm de extrinsecâ probabilitate.

Probatio 1.

16. Probatur: Esse exercitè probabile aliud non est, quàm motivũ aliquod objectivè existere in mẽte, à quo intellectus sollicitetur ad assensum; modò motivũ illud sit aptum ad movendum hominem peritum & probum prudenter judicantẽ in assensum sui. At hujusmodi motiva utrique parti contradictionis faventia sæpè simul existunt in eodem intellectu. V. g, vir doctus simul cognoscit motiva omnia pro utrâque parte contradictionis, quæ de facto talia sunt, ut impellant plures viros doctos & peritos ad assensum sui; ut evenit in omni ferme sententiâ celebriore, quæ sicut plurimos habet fautores, ita plurimos etiam adversarios patitur. Ergo simul utraque pars contradictionis potest esse exercitè probabilis eidem intellectui pro eodem instante. Hujusmodi sunt omnes ferme sententiæ Philosophicæ ac Theologicæ sibi contradictoriæ, quarum quælibet habet pro se motiva, quæ etiam collata cum motivis contrariæ partis, apta sunt inducere, & de facto inducunt plures viros pios & doctos ad absolutum sui assensum.

Probatio 2.

17. Rursus aliquid esse exercitè probabile, est illud fulciri tantâ apparentiâ veritatis, ut omnes illi æquales sæpiùs conjungantur cum veritate, quàm cum falsitate, uti suprà *quæst. 2. n. 13.* ostensum est; sed utraque pars contradictionis, prout simul exercitè apparet eidem intellectui, potest fulciri tantâ apparentiâ veritatis, ut omnes

illi æquales sæpiùs connectantur cum veritate quàm cum falsitate. Ergo utraque pars contradictionis potest esse simul exercitè probabilis eidem intellectui. Consequentia est in formâ, major certa est ex definitione. Minor probatur. Motiva uni parti faventia esse possunt talia, ut omnia illis æqualia, aut, quod idem est, æquè sollicitantia intellectum in unum collecta contineant triplo plura cum veritate quàm cum falsitate connexa, adeo ut ex illis quarta tantum pars sit falsa, reliquæ tres veræ. Rursus, stante hâc apparentiâ, motiva alteri parti faventia, possunt esse istis æqualia, aut certè paulò majora, vel etiam paulò minora; dicamus nunc quod sint minora, ita nempe, ut ex totâ collectione omnium motivorum illis æqualium, pro uno motivo connexo cum falsitate inveniantur non tria, sed duo tantùm connexa cum veritate. In hoc casu, qui manifestè est possibilis (quia motiva cuique parti faventia, etiam in contradictione motivorum contrariorum, apta sunt ad impetrandum assensum à viro perito & probo; omnia autem motiva, ad hoc sufficientia in unum collecta necessariò sæpiùs connectuntur cum veritate, quàm cum falsitate; alioquin talis apparens ratio non esset motivum sufficiens ad impetrandum assensum à viro prudente & probo; quomodo enim prudenter datur assensus motivo, quod ratione suæ exiguitatis tale est, ut qui motivo ejusmodi adhæret, sæpiùs fallatur, quàm verum dicat. In hoc, inquam, casu utraque contradictionis pars simul est exercitè probabilis eidem intellectui; sed una probabilior alterâ; quod si motiva pertrahentia intellectum essent æqualia, & ex vi suæ magnitudinis æquè frequenter connecterentur cum veritate, ut evenire potest; tunc utraque pars contradictionis esset æquè probabilis eidem intellectui.

18. Probatur secunda pars. Probabilitas exercitè simul favens utrique parti contradictionis se solâ sufficit ad fundandam probabilitatem signatè sumptam, utrique parti contradictionis faventem; ad hoc enim aliud non requiritur, quàm quòd intellectus unum motivum cum altero componat, feratque judicium de utroque; scilicet quòd singula aut sufficiant ad virum prudentem, & pium in sui assensum perducendum; aut quòd singula talia sint, ut omnia illis æqualia sæpiùs connectantur cum veritate quàm cum falsitate. Hoc autem intellectus præstare potest, quoties probabilitas exercitè sumpta utrique parti contradictionis favens existit in intellectu; imò sæpissimè non potest non reflectere supra illa motiva, illaque inter se conferre. Ergo fieri potest, ut utraque pars contradictionis non solùm exercitè, sed etiam signatè sit & appareat probabilis eidem intellectui: imò hoc ipsum sæpissimè contingit, quia Authores plurimi inspectis motivis utriusque sententiæ, illisque inter se ritè cõparatis, expresè judicãt utrãq; contradictionis partẽ esse valde probabilem. Probatio secundæ partis assertionis.

19. Simili ratione evincitur, quòd utraque pars contradictionis & esse possit, & frequentissimè sit simul & semel tam intrinsecè, quàm extrinsecè probabilis eidem intellectui: sicut enim directa, & exercitè sumpta probabilitas fundat signatam, & reflexam; ita intrinseca fundat extrinsecam, & extrinseca arguit intrinsecam. Eo ipso enim quòd utraque pars contradictionis sit intrinsecè probabilis, (ut sæpè evenit juxta proximè dicta) connaturaliter sequitur (& vix aliter potest evenire) quòd plures viri prudentes uni, aliique complures alteri contradictionis parti absoluto judicio adhæreant. At per hoc ipsum utraque pars contradictionis evadit extrinsecè probabilis. Similiter eo ipso quòd plures viri periti & docti in unam eandemque sententiam conveniant, manifestum est quòd illa sit intrinsecè probabilis. Ergo &c. Probabilitas intrinseca fundat extrinsecam; & extrinseca arguit intrinsecam.

Solvuntur

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima.

20. OBjicies 1. Tres jurent se vidisse Petrum Romæ tali tempore, & tres vel quatuor jurent illum eo tempore fuisse secum Parisiis. In hoc casu utraque pars potest esse seorsim probabilis diversis intellectibus, non tamen simul eidem, respectu cujus motivum pro una parte minuit, imò tollit motivum pro parte oppositâ. Idem autem valet in omni casu respectu ejusdem intellectûs. Ergo nunquam utraque pars est simul eidem intellectui probabilis.

Testes de visu côtraria deponentes se ipsos elidunt.

Solutio argumenti.

21. Respondeo nullam partem contradictionis intellectui utraque motiva perpendenti esse posse probabilem in hoc casu, nisi numerus, & gravitas testium uni parti faventium multùm excedat authoritatem testium alteri parti faventium. Ratio est manifesta, quia evidens est alteram partem testium mentiri, cùm loquantur de rebus à se visis, sibique contradicant. Ergo evidens est alteram partem omni ratione destitui ad asserendum quod dicunt. Porrò dum non constat, quæ pars ratione destituatur, nec potior præsumptio sit pro unâ, quàm pro alterâ parte, nulla est ratio prudens, cur uni potiùs quàm alteri fides adhibeatur. Atque hinc disparitas pro aliis materiis desumitur, in quibus nihil evidenter sciri potest, sed solùm per conjecturas, & motiva fallibilia. In his enim sæpè certum est, neutram partem Authorum loqui contra suam mentem, sed evidens datur præsumptio, quòd utraque pars, magnis rationibus mota, interiùs judicet, quod exteriùs affirmat. Rursus apud doctos hoc ipsum experientiâ constat; nam in multis ita adhæreo meæ opinioni, ut videam illam non esse necessariò veram, & alteram magnis etiam rationibus inniti; adeóque clarè perspicio utramque illam opinionem & esse, & mihi probabilem apparere.

Quando testes de visu, numero & qualitate pares inter se discrepant neutra côtradictionis pars evadit probabilis.

Non ita contingit in aliis rebus; ideoque disparitas assignatur.

Objectio secunda.

22. Obji. 2. Etsi frequentiùs contingat esse verum quàm falsum, quod à pluribus peritis asseritur; non tamen frequentiùs est verum quàm falsum, quod à decem v. g. asseritur, quando plures æquè periti id ipsum judicant esse falsum. Ergo in sensu composito plurium uni parti faventium, altera pars, cui pauciores, iique in nullo aliis peritiores favent, non est probabilis; saltem non est probabilis illi intellectui, cui utraque authoritas nota est; quia ut aliquid sit probabile, debet inniti motivo, quod frequentiùs connectitur cum veritate, quàm cum falsitate. At hoc non contingit, quia, cæteris paribus, quod à pluribus asseritur, frequentiùs contingit esse verum, quàm quod à paucioribus affirmatur. Ergo probabilitas extrinseca non convenit utrique parti contradictionis, respectu ejusdem intellectûs. Sed neque intrinseca probabilitas utrique parti convenit; nam licèt rationes tantæ, uni parti faventes, sæpiùs connectantur cum veritate quàm cum falsitate, tamen sæpiùs connectuntur cum falsitate, quàm cum veritate in contradictione rationum valentiorum pro alterâ contradictionis parte; ergo pars, cui rationes minùs validæ favent, respectu intellectûs utrasque rationes comparantis, non potest esse probabilis. Ergo utraque contradictionis pars non potest esse simul probabilis eidem intellectui.

Solutio argumenti secundi.

Respondeo opinionem, cui plures adhærent, esse cæteris paribus, extrinsecè probabiliorem, & frequentiùs connecti cum veritate, quàm cui pauciores favent. Idemque dico de intrinsecâ probabilitate opinionis, quæ melioribus rationibus stabilitur. Verùm hoc non obstante, pars à paucioribus tradita, aut minùs validis rationibus innixa, etiam in sensu composito cum majoris authoritatis, & rationum validiorum conflictu, est probabilis; nam magnitudo stimuli illius non debet comparari tantùm cum stimulo majore, vel etiam

cum

cum æquali pro alterâ parte, sed cum omnibus omninò illi æqualibus, sive aliquid sive nihil afferatur in contrarium; nam certum est, intellectum sæpè vehementiùs moveri ad assensum unius partis, non obstante authoritate, & ratione validiore in contrarium, quàm aliquando stimuletur ad assensum per rationes parum validas, cui nihil præter earum invaliditatem intrinsecam obstat. Jam dico, totam collectionem horum stimulorum esse talem, ut plures eorum veritatem contineant, quàm falsitatem, alioquin nemo prudens posset tali stimulo assensum præbere; quod & falsum est, & contra suppositum. At hoc est, quòd arguit motivum illud esse simpliciter magnum, & probabile. Ergo utraque pars potest esse simul probabilis eidem intellectui.

Objectio tertia.

23. Objicies. 3. Ex Sfortia Pallavicino. *Disp. 8. de act. hum. quæst. 6. art. 4.* Potest quidem utraque pars contradictionis eidem intellectui esse probabilis practicè, & quoad actionem; sed non speculativè quoad affirmationem; nam si, inspectis rationibus, appareat contingere, ut apparentia æqualis illi, quæ favet parti A, frequentiùs verificetur, quàm falsificetur, non possum simul credere partem B esse veriorem. Ergo in ordine ad speculationem utraque pars nequit simul esse probabilis eidem intellectui. Confirmatur: si motiva pro utrâque parte sint hinc inde æqualia, non est major spes pertingendi ad veritatem, quàm timor errandi, si alteri parti applicetur assensus. Ergo nullum ex illis motivis est speculativè probabile; quia nemo ulli illorum nisi temerè præbet assensum.

Solutio objectionis tertiæ.

Respondeo: si apparentia uni parti favens talis sit, ut omnes illi æquales sæpiùs connectantur cum veritate, quàm cum falsitate, fieri nequit, ut altera pars sit, aut credatur probabilior, aut æquè probabilis intrinsecè propter motivum, cui omnia æqualia & reipsa minùs frequenter connectuntur, & creduntur etiam minùs frequenter connecti cum veritate, quàm cum falsitate. Attamen fieri potest ut hæc ipsa pars sit unicè vera; nec mirum: quia multa falsa sunt probabiliora veris. Cæterùm non obstante majore probabilitate unius partis, pars minoribus rationibus fulta potest esse simul probabilis etiam speculativè, & quoad affirmationem; quia ex vi motivi, cui innititur, intellectus habet magnam spem attingendi veritatem, etiam in contradictione rationum oppositarum, etsi æqualium, aut etiam majorum; quia magnitudo motivi, à quo trahor, talis est, ut omnes apparentiæ illi æquales, frequentiùs conducant ad verum, quàm ad errorem. Itaque cùm non sit certum, me obtenturum veritatem sequendo apparentiam majorem, non tollitur magna & prudens spes eam attingendi, si sequar minorem, relictâ majori, aut æquali.

24. Atque hinc respondetur ad confirmationem; quia spes pertingendi ad veritatem in sequendo uno ex motivis contrariis æqualibus, est magna absolutè; si consideretur, prout fundatur in absolutâ magnitudine impetûs, quo intellectus trahitur ad assensum; quamvis non sit magna, si præcisè comparetur cum altero motivo contrario æquali. Jam verò cùm spes attingendi veritatem fundetur in absolutâ magnitudine talis impetûs, illa esse potest prudens & simpliciter magna, sicut & timor falsitatis propter contradictionem motivi contrarii eâdem de causâ potest esse magnus & prudens propter eandem rationem. Quod tamen non ita intelligas, velim, quasi simul spes ista & timor intellectualis conjungi possint; spes enim & timor sunt propriè in voluntate, quæ simul habere potest motiva propter quæ ita speret unum, ut simul metuere possit & quodammodò metuat oppositum, idque prudenter: non tamen potest

Responsio ad confirmationem argumenti.

Spes & timor absolutus non possunt simul conjungi in voluntate; si uterq; hic affectus de eodem objecto procedat.

in actu secundo conjungere actum spei absolutum, quo inhæreat bonæ causarum præsentium dispositioni tanquam præsenti, & afferenti absolutam expectationem rei speratæ ut futuræ, cum absoluto timore, quo ita fugiat ab absolutâ rei futuritione, ac si nulla bona dispositio crederetur præsens; hi enim duo actus absoluti in actu secundo repugnant simul conjungi, non solùm ratione sui; sed etiam ratione actuum intellectûs, quos præsupponunt; nam spes absoluta præsupponit judicium, quo intellectus absolutè credit rem saltem probabiliter futuram, propter favorabilem causarum dispositionem de præsenti existentem; cùm actus oppositus fugæ, & timoris absoluti præsupponat intellectum aut habere oppositum judicium, aut certè non habere absolutum assensum de absolutâ rei futuritione propter præsentem causarum favorabilium dispositionem. Ita pariter dico de timore & spe intellectuali; id est de judicio affirmativo boni vel mali futuri cum formidine oppositi; siquidem intellectus potest simul habere motivum prudens ad absolutè judicandum effectum esse futurum, & ad absolutè formidandum aut credendum, quòd non sit futurus; sed non potest simul utrumque actum copulare, quia eorum conjunctio repugnat; sunt enim affirmatio & negatio ejusdem de eodem. Potest tamen disjunctim absolutè credere, seu expectare rem ut futuram cum aliquâ formidine, seu timore ne sit futura; aut absolutè existimare, & timere, seu credere quòd non sit futura, sed cum aliquâ quasi spe, & expectatione imperfectâ, quòd sit futura. In hoc ergo argumentum hallucinationem patitur, quòd videatur confundere conjunctionem actûs primi cum actu secundo. Duplex enim actus primus completus ad effectus contrarios potest simul existere, etsi effectus simul copulari non possint. Atque ita, stante potentiâ & motivo ad absolutè credendum, quòd res non erit futura, componi potest motivum ad credendum, quod sit futura. Cæterùm, hoc dato, quòd credam illam esse futuram potiùs quàm non futuram, dependet à liberâ voluntatis determinatione; nec alia hujus rei causa assignari potest: stet ergo, quòd etsi in actu primo nulla potior sit ratio ad sperandum, seu credendum quod res sit futura, quàm ad credendum, & absolutè (ut ita dicam) timendum quòd non sit futura; stet, inquam, fieri posse, ut in actu secundo per liberam determinationem voluntatis intellectus prudenter credat rem illam futuram esse, potiùs quàm non esse futuram. De hoc argumento plura dicentur *quæst. 8. n. 4. & 22.* ubi de hac re ex professo redibit sermo.

Idem dicendum de judiciis, quibus spes & timor absolutus regulantur.

25. Objicies. 4. Ex Mercoro. *parte 1. art. de hac materia.* Quando aliquis judicat opinionem oppositam ejus, quam tenet, esse probabilem, solùm judicat, quòd illa sit probabilis alteri, quatenus ille alius, si attenderet ad motiva illi parti faventia, & non ad ea, quibus iste hîc & nunc movetur, prudenter judicaret eam esse veram; sed nunquam judicat quòd illa esset probabilis intellectui perpendenti omnia, quæ ipse de præsenti considerat, & quibus movetur; movetur enim solutione argumentorum pro parte oppositâ, & aliis argumentis positivè probantibus objectum, quod credit, esse verum, in quorum omnium consideratione probabilitas partis contrariæ evanescit. Objectio quarta.

Respondeo, hominem illum judicare, opinionem oppositam ejus, quam tenet, esse & sibi & alteri probabilem, etiam in contradictione rationum, quibus ipse movetur ad assensum; quia in sensu diviso ab illis opposita non solùm est probabilis, sed longè probabilior istâ. Nec obstat, quòd Author ille moveatur ex solutione argumentorum alteri parti faventium; nam simul videt sua etiam argumenta solvi posse, adeoque eorum solutionem numerari inter Solutio argumenti quarti.

motiva alteri parti faventia. Hæc omnia norunt Authores, qui dicunt opinionem, suæ sententiæ contrariam, esse probabilem; ergo judicant illam esse probabilem eidem intellectui in sensu composito probabilitatis alteri parti faventis; quod adeò clarum est, ut mirer quenquam id in dubium revocare potuisse.

Assertio 9.

ASSERTIO NONA.

Opinio probabilis evadere potest improbabilis. Et è contra improbabilis evadere potest probabilis.

Opinio quæ semel fuit probabilis evadere potest improbabilis. Similiter è contrà quæ fuit improbabilis evadere potest probabilis. Hoc verum est tam de probabilitate speculativâ, quàm practicâ.

Probatio.

26. Demonstratur. Olim probabile erat, absolutionem absenti collatam & validam esse, & quandoque absenti licitè impendi potuisse; plures enim Authores valde graves magnis ducti fundamentis id asseruerunt. At post declarationem Clementis octavi, nec probabile est, absolutionem illam esse validam, nec ejus prolationem sacramentalem esse licitam. Ecce idem casus ostendit opinionem olim speculativè, & practicè probabilem, nunc omnimodè improbabilem evasisse. Plures aliæ ejusmodi opiniones de contractibus, & modo ineundi matrimonium, quæ olim erant probabilea, nunc post novas Conciliorum & Pontificum declarationes, aut argumenta de novo inventa, non sunt ampliùs probabiles.

Olim erat probabile absolutionem absenti collatam esse validam, sed idipsú modò est improbabile.

In rebus ad jus positivum spectantibus, standum est recentioribus potiùs quàm antiquioribus.

27 Atque hinc infertur, quòd in rebus, maximè ad jus humanum spectantibus, standum sit potiùs recentiorum quàm antiquorum sententiis; Recentiores enim, utpotè jurium de novo conditorum conscii, optimè norunt, utrùm novæ declarationes & jura existant necne, per quæ fieri potest, ut asserta quædam ab antiquis tradita suam probabilitatem perdiderint.

Dixi *in rebus maximè ad jus humanum spectantibus*, quia res istius modi subjacent varietati; cùm, quæ sunt de jure naturæ, variari non possint; adeóque antiquorum judicium de rebus ad jus naturæ spectantibus, sicut & de legibus antiquis, quæ alteratæ non sunt, suum pondus integrum retinet; quod de rebus & circumstantiis per nova decreta, per declarationes, & leges novas variatia certissimè constat verum non esse.

Secus dicendum de rebus ad jus naturæ pertinentibus.

Itaque qui ex aliorum authoritate, & se, & alios gubernare desiderat, ut sit securus, antiquis scriptoribus contentus esse non debet, nisi novos etiam superaddat, aut aliundè sciat nullas leges aut decreta, quibus illorum afferta invalidari possunt, de novo esse edita, aut si edita esse sciat, debet illa sufficienter callere. Semper ergo consultius est, recentiorum libros evolvere, apud quos, quidquid novi juris superadditum est, collectum reperitur.

Ut quis in multis tutus sit, necesse est eum recentiorú scripta evolvere.

28. Et sanè innumera sunt exempla in Philosophiâ, Theologiâ, historiáque, in quibus opiniones olim florentes & probabiles, per novorum argumentorum inventionem, aut penitus interierunt, aut certè adeò debilitatæ sunt, ut ad probabilitatem ampliùs non pertingant. Sæpè etiam demonstrationes inveniuntur, quibus veritas ipsa clarè detegitur, cujus oppositum antea erat valdè probabile. Et quamvis pauci credant, res philosophicas demonstrativè determinari posse; certum tamen est plurima à Scheinero, Galilæo, Kirkero, aliisque hujus ævi Mathematico-Philosophis ad evidentiam demonstrata fuisse, quæ olim utrimque erant probabilia. Absit verbo invidia; absit jactantia; Ipse ego, etsi citatis Authoribus minimè comparandus sim, *in Problemate Mathematico-Philosophico Tripartito de termino magnitudinis, & virium in animalibus, Parmæ anno 1660 edito*, plurima priùs incerta, & in scholis hinc inde ventilata, imò non pauca, quæ primo aspectu videntur incredibilia,

Res Philosophicæ quamplurimæ jam evidenter demõstratæ sunt, quæ olim erant dubiæ, minùs probabiles quàm pars contradictoriè opposita.

incredibilia, evidenter demonstravi; nec alios judices cupio, quàm candidos lectores, modò tum principiis Philosophiæ, tum Geometriæ elementis instructi sint. Demum sæpè opinio aliqua evadit probabilis propter ignorationem principii alicujus, ut dictum est *quæst. 3. n. 23.* In hoc autem casu talis opinio, statim ac principium illud detegitur, evadit improbabilis. Jam verò sicut opinio quæ fuit probabilis, evadere potest improbabilis; ita pariter è converso, eisdem de causis, quæ fuit improbabilis, evadere potest probabilis; quod cùm ex dictis perspicuum sit, ulteriori declaratione non indiget.

Assertio 10.

Quidquid à viro probo & perito, non leviter, nec ex passione judicante existimatur probabile, est certò certiùs probabiliter tale.

ASSERTIO DECIMA.

Quidquid à viro probo & perito, post diligentem rei considerationem, non ex passione, sed irreprehensibiliter judicante existimatur probabile, est certò probabiliter tale.

Probatio.

29. PRobatur: si non esset probabiliter tale, motivum, quo vir ille ad ita judicandum moveretur, non esset probabile; stante enim illius motivi probabilitate, probabilitas affirmata non potest non esse probabilis. At quòd motivum illud non sit probabile, repugnat cum hypothesi; quia alioquin esset improbabile; adeóque non mereretur dictum assensum; neque sufficeret ad assensum sine passione animi, & irreprehensibiliter eliciendum. Ergo quidquid dicto modo à viro perito & probo absolutè existimatur probabile; est certò probabiliter tale.

Assertio 11.

Si probabilitas cadat sub evidentem experientiam, quicquid à viro perito non temerè judicatur esse probabile, est certò tale. Secus dicendum, si probabilitas sub experientiam non cadat.

ASSERTIO UNDECIMA.

Si quævis, etiamsi exigua, probabilitas motivorum absque passione animi considératorum sit res, quæ non cadit sub certam experientiam, exprimentem propriam ejus naturam & differentiam, ex eo quòd vir peritus & probus irreprehensibiliter judicet, aliquid esse probabile, non ideò illud est certò probabile. Secùs dicendum in opposità hypothesi.

Probatio.

30. DEmonstratur assertio; quia admissâ hypothesi, probabilitas illa cognosci potest obscurè, & abstractivè per argumenta, & indicia extrinseca. Ergo cognosci potest probabiliter. Ergo fallibiliter. Ergo peritus & probus potest irreprehensibiliter de illâ ferre sententiam probabilem & fallibilem. Ergo ex eo quòd tale judicium feratur, non sequitur probabilitatem illam certò existere, seu esse certam. Quod si in contrariâ hypothesi quævis exigua probabilitas motivorum absque animi passione consideratorum cadat sub certam experientiam, exprimentem propriam ejus naturam, & differentiam à motivo improbabili, tunc si post diligentem omnium argumentorum ponderationem aliquid absque animi passione judicetur probabile, eo ipso certum est, quòd sit probabile; quia juxta hypothesim judicium, objecti illius probabilitatem affirmans, est evidens & infallibile, sicut est judicium de præsentiâ albedinis apparentis, quando oculus est benè dispositus, & nullum adest impedimentum perfectæ visionis propter alterationem medii. Ergo certum est, quòd verum dicat. Ergo probabilitas, quam affirmat, est certa.

Assertio 12.

Quod plures periti & pii, post omnia inspecta, judicant esse probabile, est certò tale.

ASSERTIO DUODECIMA.

Quod à pluribus Authoribus doctis & piis post diligentem totius quæstionis enodationem judicatur probabile, eo ipso est certò probabile, modò absque passione, & sicut decet viros probos & doctos, sententiam tulerint.

31. PRobatur assertio, quæ ad plenam quæstionis propositæ resolutionem

Necessitas hujus asserti propositi. non modò est utilis, sed penitùs necessaria; quæritur enim, an liceat sequi opinionem probabilem; sæpè autem Authores, etsi non affirment opinionem aliquam veram esse, asserunt tamen illam esse probabilem; quo in asserto, si errarent, illa opinio non esset probabilis; adeoque nemo scire posset, utrùm licitum sibi esset tali opinioni se conformare, cùm dubitaret, utrùm opinio illa esset probabilis necne. Hoc itaque necessariò determinandum est, & efficaciter probandum, ne dubium maneat, utrùm talis opinio sit probabilis, necne.

Probatio 1. Probabilitas est objectū, quod sub experientiam cadit. 32. Probatur, inquam, sic. Probabilitas motivi est objectum, de quo viri docti & pii, qui seriò totam quæstionem evolvunt, errare non possunt. motivum enim probabile est, quod habet vim determinandi virum pium & probum, prudenter judicantem, ad assensum sui. At hoc est objectum, quod cadit sub experientiam; ipsi enim in se experiuntur vim motivi illius, etiam relatè ad omnia, quæ habent in oppositum. Ergo quando dicunt illud esse probabile, dicunt illud habere vim determinandi virum pium & prudentem ad sui assensum; seu quod idem est, dicunt illud pertingere ad eam vim alliciendi mentem, in quâ per propriam experientiam norunt probabilitatem consistere; ergo loquuntur de objecto evidenter, & per propriam experientiam noto; ergo in eo judicio falli non possunt. Ergo eo ipso quòd judicent aliquid esse probabile, illud est evidenter tale, modò sicut decet prudentes & pios judicium ferant.

Probatio 2. 33. Probatur 2. Motivum aliquod esse probabile, & esse magni momenti idem sunt: At motivum esse magni momenti, seu habere vim magnam alliciendi intellectum ad assensum sui, est objectum quod cadit sub experientiam eorum, quibus talia motiva exercitè proponuntur, nempè Authoribus, qui omnia discutiunt, ut ad veritatem rei pertingant. Ergo quando judicant assertum aliquod esse probabile, ideò hoc judicant, quia evidenter experiuntur, illud niti motivo magni momenti; hoc autem ipsum est esse probabile. Ergo evidenter sciunt illud esse probabile. Ergo illud ipsum est evidenter probabile.

34. Quod hic dicitur tum vel maximè locum habet, quando qui aliquam tenent sententiam adhuc judicant contradictoriam esse probabilem, nam ipse assensus, & voluntas determinans assensum ad unam partem, magnam habet vim minuendi apparentiam motivorum pro parte oppositâ. Ergo si motiva illa, hoc non obstante, tantam adhuc vim exerant, quanta sufficit ad probabilitatem, idque illis per experientiam evidenter innotescat, sicut in casu nostro evenit, necesse est motiva talia non solùm ad illam vim pertingere, sed paulò etiam eam excedere. Qui docēt sententiam propriæ opinioni cōtrariam esse probabilē, numquam errant, si rem debitè perpendāt, & non temerè suam sententiam proferant.

35. Confirmatur. Qui seriò inspiciunt aliquod objectum oculis subjectum, non possunt errare circa illud, quatenus est perfectè discernibile; neque enim possunt confundere montem cum arenâ, aut quod simpliciter magnum est, cum eo, quod parvum est simpliciter. Eo ipso ergo, quod enuntient, aliquid esse montem non arenam; evidens est quòd sit mons non arena. At hic est casus noster; quia vis motivorum allicientium ad sui assensum, exercitè cadit sub experientiam, & per considerationem reflexam perfectè cognoscitur. Ergo de illo nullum esse potest dubium apud illos, qui & exercitè illius vim experti sunt, & quando volunt experiuntur, modò seriam de propriæ experientiæ qualitate reflexionem instituant, quam necesse est sæpè fieri ab iis, qui totam aliquam quæstionem funditùs examinant, & tandem de qualitate motivorum, quæ experti sunt, suum judicium ferunt. Ergo constat unumquodque esse absolutè & exercitè probabile, quod in sensu conclusionis à pluribus viris doctis & piis Confirmatur argumentum exemplo.

& piis reflexè judicatur esse probabile.

Si probabilitas non caderet sub experientiam nunquam possemus esse certi de ullius opinionis probabilitate.

36. Probatur 3. Si assertio non esset vera, non possemus certò scire ullam opinionem esse certò probabilem; nam si plures Authores prudentes & irreprehensibiliter judicantes errare possent circa hoc objectum, unde quæso scire possemus opinionem aliquam esse certò probabilem? si enim quatuor vel quinque in suo judicio errare possent, plures etiam possent errare; adeoque ex unanimi Authorum concordiâ de de probabilitate alicujus opinionis, illius probabilitas certò innotescere non posset, quod est evidenter absurdum.

Confirmatio asserti.

37. Confirmatur 1. Judicia plurium, existimantium opinionem aliquam esse probabilem, omninò æquivalent judicio unius, qui aut absolutè credit objectum quod asserit esse verum, aut credit illud esse certò probabile. At judicium unius prudentis & pii de absolutâ rei veritate, aut de certâ illius probabilitate, arguit illam esse certò & evidenter probabilem. Ergo idem præstat uniformis sententia plurium asserentium opinionem aliquam esse probabilem.

Altera ejusdem asserti confirmatio.

38. Confirmatur 2. Authores quando post diligens examen enuntiant aliquam sententiam esse probabilem, aliter hoc asserunt, quàm quando dicunt opinativè cælum v. g. esse solidum, quia ita dicunt cælum esse solidum, ut loquantur cum formidine oppositi; sed de probabilitate assertâ non formidant. Ergo certò illam cognoscunt. Hæc sunt argumenta, quæ mihi certam reddunt hanc assertionem, quam omnes communiter tradunt esse verissimam.

Solvuntur objectiones.

Objectio prima.

39. Objicies 1. Probabilitas alicujus sententiæ potest reflexè affirmari probabiliter. Ergo ex eo, quòd probabilitas affirmetur reflexè, non sequitur illam infallibiliter existere. Consequentia tenet; probatur antecedens. Probabilitas potest cognosci perfectè & imperfectè, non minùs quàm quodvis aliud objectum. Ergo tam potest affirmari evidenter vel probabiliter, quàm quæ indifferentia sunt, ut perfectè vel imperfectè cognoscantur.

Solutio directa.

Respondeo, nil contineri in terminis argumenti ut jacet, quod evidenter demonstrari non potest, verùm objectio sic sumpta non tangit assertionem positam. illa enim non dicit, ideò præcisè opinionem esse certò probabilem, quia affirmatur esse probabilis; potest enim affirmari tanquam probabilis ex affectu aliquo, aut passione obcæcante mentem; affirmari potest ut probabilis vel propter authoritatem fallibilem, vel propter paritatem rationis nil inferentis infallibiliter, &c. sed dicit, opinionem, cujus probabilitas à pluribus doctis & piis, nullâ animi passione turbatis, post diligentem omnium argumentorum inspectionem absolutè judicatur existere, esse evidenter probabilem. Jam de viris ita constitutis, nego quòd possint sententiam fallibilem ferre de tali objecto, cùm objectum illud sub illorum experientiam cadat.

Solutio exemplo roborata.

De exemplum. Quòd statua ingens marmorea jaceat in Capitolio est objectum obscurè & inevidenter cognoscibile ab iis, qui nunquam illam in Capitolio jacentem visûs testimonio experti sunt; sed ab iis, qui illam ante oculos vident, & non per transennam, sed ex professo contemplantur, non est objectum obscurè sed solùm evidenter cognoscibile. At hic est casus noster, quia probabilitas reflexè cognita non minùs cadit sub experientiam, quàm colossus jacens in Capitolio.

Objectio secunda. Aliqui reputant improbabile, quod alii existimant esse probabile.

40. Objicies 2. sæpè contingit aliquos Authores rejicere opinionem ut improbabilem, quam tamen plures docti & pii asserunt esse probabilem. Hi omnes examinârunt rationes utrique parti faventes, & vim argumentorum pro utrâque parte experti sunt; & tamen discrepant in suis judiciis,

Ergo illa experientia non evidenter ostendit probabilitatem. Alioquin omnes idem judicarent. Ergo judicium tali experientiæ nixum, non est evidens sed fallibile.

Solutio argumenti. Respondeo, casum objectum nonnunquam, sed valdè raro evenire; rarissimè enim contingit, sententiam, quam plures viri graves, omnibus hinc indè perspectis & perpensis, asserunt esse probabilem, ab ullo ut improbabilem rejici. Quòd si aliquando ab aliquo rejiciatur ut improbabilis, id multis de causis potest evenire; 1. quia illam sic rejiciens aliud intelligit nomine probabilitatis, quàm verè debeat intelligi, & quàm nos suprà exposuimus. Nec mirum: quia pauci rectè explicant, quid sit esse probabile, nec omnes in eâdem acceptione vocis conveniunt. Si ex hoc capite dissensio oriatur, objectio nil concludit, quia non est ad rem. 2. quia qui condemnat opinionem illam improbabilitatis, aut non examinavit omnes rationes pro illâ sententiâ (quod frequentissimè contingit apud illos, qui opinionem plurium probatorum virorum authoritate roboratam suis censuris damnant) aut certè novas aliquas illasque momenti maximi pro parte contrariâ invênit. In his casibus nil probatur contra thesim positam. Non in primo; quia vel propter oscitantiam non examinavit omnia, vel propter imperitiam præsentem non erat capax ad judicium ritè ferendum de absolutâ improbabilitate talis sententiæ. Non in secundo; quia opinio, quæ semel est probabilis, potest postea evadere improbabilis per novarum rationum inventionem, ut dictum est; adeoque non sumus ampliùs in casu & hypothesi assertionis. 3. aliquando censuram inurens passione aliquâ, aut affectu obcæcante mentem fertur in suam sententiam, tunc autem non est benè dispositus ad recipiendum in se vim, quam argumenta contraria possunt exerere, adeoque nil mirum, si affirmet illam non esse tantam, quanta reverâ est; affirmat enim eam esse absolutè exiguam, quia parvam esse experitur, eo quòd ipse impeditus sit, quò minùs totam ejus vim in se recipiat. Et sanè hæc præsumptio contra faciles opinionum communium censores plerumque locum habet. Demum quicunque ille sit, qui talem sententiam ut improbabilem damnat, si terminos in eodem nobiscum sensu accipiat, & novas rationes, easque magni momenti non afferat, eo ipso evidenter noscitur aut erråsse, aut sententiam suam ex oscitantiâ vel imperitiâ aliquâ, aliâve causâ, puta ex passione aliquâ mētem obcæcante, aut oblivione prioris experientiæ &c. protulisse.

Unde eveniat, quod hi reputent improbabile quod alii judicât esse probabile?

41. Objicies 3. Ponamus, virum doctum & pium, omnibus ritè consideratis, judicare aliquam sententiam esse improbabilem, quam alii plures judicant probabilem: in hoc casu eadem opinio erit evidenter probabilis, & probabiliter improbabilis. Erit evidenter probabilis, ut asseritur in thesi; erit probabiliter improbabilis, quia vir prudens & doctus, omnibus pensatis, absolutè affirmat eam esse improbabilem. At sequela repugnat; nam evidentia unius partis excludit probabilitatem partis contradictoriè oppositæ. *Objectio tertia.*

Si una pars contradictionis sit certa; altera non est probabilis.

Respondeo, casum esse naturaliter impossibilem; nisi supponamus, virum illum singularem aut sumere terminos in sensu diverso, aut passione aliquâ obcæcatum suam sententiam proferre. Ipsa enim discordantia de tali objecto est signum evidens, quòd vir ille singularis non ut virum doctum & prudentem decet, post omnia (sicut vult objectio) ritè perpensa sententiam suam tulerit. Itaque si vir ille supponatur in eodem cum reliquis sensu terminos accipere, ejus opinio non erit probabilis, sed evidenter falsa, supposito quòd plures illi sincero animo post omnium argumentorum considerationem judicaverint sententiam aliquam esse probabilem. *Solutio argum. 3.*

Discordantia de probabilitate certo arguit alterum dissidentium, non ut virum probum & peritum decet, sententiam protulisse.

Do

Hoc ipsum evidenti exemplo confirmatur.

Do exemplum de colosso in Capitolio jacente. sint plures, qui visum expeditum habentes judicent, illum antè oculos suos esse præsentem; sit alius qui judicet colossum non esse præsentem. Non ideò altera contradictionis pars erit evidens, & altera probabilis, sed evidens erit, illum singularem decipi in suo judicio, undecunque tandem oriatur deceptio, quæ sine dubio ex variis causis suam originem trahere potest. At hic est casus noster. Supponimus enim plures videre colossum jacentem in Capitolio; seu, quod idem est, plures experiri vim magnam in argumentis hujus sententiæ, eamque tantam esse experiri, quanta ad virum non temerè sed prudenter judicantem in sui assensum inducendum sufficit. Hoc posito, si alius quisquam judicet, colossum non adesse, aut vim illam argumento non inesse, evidens erit, illud judicium non ex carentiâ colossi, aut probabilitatis, sed ex defectu sufficientis dispositionis in potentia ad ritè percipiendum objectum præsens provenire.

Objectio quarta.

42. Objicies 4 experientia actuum nostrorum est fallax; quidam enim putant, se experiri, quod alii asserunt in suis actibus se non experiri. Ergo argumentatio, desumpta ab experientiâ motivi trahentis ad assensum sui, fallax est. Ergo non demonstrat assertum.

Solutio argum. 4.

Respondeo, actus nostros quoad aliqua quidem prædicata non cadere sub experientiam, cùm tamen certum sit, quòd illi iidem quoad alia prædicata sub experientiam cadant. Nominatim nil evidentiùs sub experientiam cadit, quàm motivum intellectûs, & voluntatis nostræ; quod nisi sub experientiam caderet, nullam de qualitate actuum nostrorum certitudinem reflexam habere possemus; quam tamen necesse fuit nos habere, ut aliquam de qualitate conscientiæ certitudinem haberemus, imò evidens est nos ad eam de facto in plurimis pervenire, maximè verò in cognitione eorum motivorum, quæ, quoties volumus, exercitè existunt in mente nostrâ: talia sunt motiva & rationes suadentes veritatem alicujus opinionis, quas pro libito examinare possumus, earumque vim in nobis experiri. Idem valet de ratione specificâ motivi, quæ non minùs cadit sub experientiam, quàm ipsum motivum; imò hæc ratio specifica, seu qualitas motivi, est ipsa ejus essentia. Ergo idem est ipsum motivum sub experientiam venire, & specificam ejus differentiam sub experientiam cadere.

Actus nostri secundùm aliud prædicatũ sub experientiam cadunt.

Objectio quinta.

43. Objicies 5. Opinio probabilis & improbabilis parum differunt inter se. Idem dico de motivo probabili & improbabili. Ergo eorum differentia sub certam experientiam non cadit; quæ enim parùm differunt, non possunt, ne quidem per sensuum judicium certò ab invicem discerni, ut patet. Ergo exiguæ diversitates actuum internorum, & motivorum per ipsos cognitorum, multò minùs certò dignosci possunt per experientiam; eo ipso enim, quòd reflectamus suprà actus nostros eorumque motiva, majus subest errandi periculum, quàm in directâ notione objectorum, quæ sensibus subjiciuntur. Probatur antecedens: sæpè motivum aliquod est temerarium & improbabile, quod tamen per adjectionem alterius rationis evadit minùs temerarium, & tandem per adjectionem plurium rationum, temeritate paulatim deficiente, evadit probabile. Ecce motivum quod paulatim auctum primò evadit probabile, parum distat à motivo non probabili, seu improbabili; quia hæc duo se habent ad invicem, sicut furtum grave & leve. At quantitas furti gravis, sed minimi in suo genere, & quantitas furti levis proximè minoris parum & fermè indiscernibiliter discrepant. Ergo idem dicendum est de aliquo motivo probabili, & improbabili. ergo judicium plurium peritorum de probabilitate opinionis con

Aliquod probabile parum differt ab improbabili.

non evidenter arguit veram ejusdem probabilitatem.

Solutio argum. 5.

Respondeo argumentum ab omnibus solvendum esse, quia si quid valeret, probaret nullam esse posse certitudinem de probabilitate ullius sententiæ probabilis. Ratio est, quia quodcumque parùm distat ab aliquo alio inferioris ordinis; jam ergo peto, an illud ordinis paulò inferioris sit certò & evidenter probabile nec ne? Si non sit, argumentum solvendum est; quomodo enim possumus habere certum discrimen inter ea, quæ adeò parum discrepant ab invicem? Si sit; argumentum redit, nam illud secundum motivum certò probabile parum distat ab alio tertio, & illud tertium ab alio quarto, & sic descendendo per diminutionem partium æqualium, donec devenitur ad motivum, aut non certò probabile, aut improbabile. Peto ergo, quomodo infimum inter motiva certò & evidenter probabilia possit certò & evidenter discerni à motivo parum inferiore, quod vel est improbabile, vel certè non est certò & evidenter probabile? Ecce argumentum solvendum est ab omnibus.

Si parva probabilitas non esset evidenter discernibilis à motivo improbabili, nulla probabilitas esset evidenter cognoscibilis.

Quod proximè dictū est allatis exemplis manifestè demonstratur.

44. Deinde certò constat quòd argumentum reipsâ nullum sit, licet solutio illius concedatur esse difficillima. Si enim argumentum valeret; nulla posset esse certitudo aut evidentia de probabilitate opinionis probabilis reflexè cognitæ, ut proximè ostensum est. At certum est tum ex se, tum ex omnium sententiâ, nos habere certitudinem & evidentiam reflexam de absolutâ probabilitate plurium opinionum. Ergo evidens est argumentum non valere. Et hæc quidem est & solidissima solutio argumentorum istiusmodi, quæ ad aliud non inserviunt, quàm ad intricanda ingenia certò & evidenti judicio fixa in assensu veritatis oppositæ. Porrò obvia sunt exempla, quibus evidentia istius responsionis comprobatur. Sic Mathematicus certò & evidenter novit omnem quantitatem, etsi molis perexiguæ, esse mathematicè loquendo divisibilem in infinitum; qui tamen non ideò potest solvere argumenta, quibus Physicus conatur ostendere, hanc divisibilitatem esse impossibilem. Sic enim insurgit Physicus. Si quantitas est divisibilis in infinitum, vel omnes illæ partes, in quas dividi potest, sunt actu distinctæ, vel solùm potentiâ. Non actu, non potentiâ. Ergo quantitas non est in infinitum divisibilis. Major est evidens; minorem probat argumentis difficillimis militantibus contrà omnem sententiam de compositione continui, quibus vix ullus Physicus, nedum omnis Geometra respondere potest. Præterea omnes evidenter scimus dari motum, unumque alio velociorem esse. Quotus tamen est, qui argumentis à Zenone contrà motum allatis respondere potest? Quocirca in his & similibus casibus admonitio Aristotelis contrà Zenonem præ oculis habenda est, scilicet quæ certò sensuum testimonio patet esse verissima, non ideò deserenda esse, quia impugnantur argumento difficillimæ solutionis. Nam quamvis solutio non sit obvia, evidens tamen est, fallaciam aliquam latere: quia evidens est argumentum veritati repugnare. Quocirca sicut nec Geometra dubitat de mathematica quantitatis divisibilitate, nec quisquam de existentia motûs, quamvis respondere nequeant argumentis contrà allatis; ita quamvis directè nequirem respondere huic argumento, non ideò in asserti propositi assensu vel minimùm turbarer, aut de ejus veritate dubitarem, tum quia repugnat veritati evidenter stabilitæ; tum quia demonstro argumentum hoc fallax esse, quamvis nescirem ubi fallacia lateret. Verùm & scio, & aperio fallaciam, quocirca.

Sophismata, etsi insolubilia, non reddunt mentem perplexam de veritate evidenter notâ.

45. Demum Respondeo directè, quod licet materia gravis & levis in furto aliquando parum distent ab invicem, materialiter

Responsio tertia.

Quæ entitativè & quoad se parum differunt, & discerni ab invicè non possunt, relatè ad alia differunt quàm maximè, & facillimè possunt discerni.

liter loquendo, quatenus pecuniæ additio, per quam fit transitus à levi materiâ ad gravem, est exigua; nihilominùs formaliter loquendo differunt notabilissimè; quia quæ habent vim inducendi effectus contrarios, tantum discrepant relatè ad illos, quantum ipsi effectus inter se differunt. Sic vulnus aliquod lethale, entitativè & materialiter parùm differt à vulnere non lethali; sicut etiam ultima dispositio caloris prævii ad comburendum entitativè & materialiter parùm differt à calore aliquo ad comburendum insufficiente. vulnera tamen illa, illique calores formaliter & in ordine ad effectus differunt quàm maximè, & evidentissimè per illos discerni possunt; hinc scilicet per ustionem & mortem, indè verò per negationem ustionis, & vitam conservatam. Nil ergo facit, quòd quoad ipsam eorum entitatem materialiter & in ordine ad se sumptam, non possit unum certò discerni ab alio, dummodo in ordine ad effectus evidenter discrepantes discerni possint. Hoc locum habet in furto gravi & levi; nam furtum grave fundat peccatum mortale, leve non nisi veniale; peccatum autem mortale essentialiter differt à veniali. Rursus furtum grave est aptum dissolvere amicitiam, non leve, &c. sed quidquid sit de furto gravi & levi (quod relinquo illis, qui de illâ re tractant) hîc est noster casus; nam evidens est, motivum probabile discerni posse ab improbabili relatè ad effectum, quem aptum est inducere, quemque de facto inducit; eo ipso enim quod aptum sit inducere virum prudentem in sui assensum est probabile. At hoc ipsum evidens est, quoties motiva illa à pluribus viris prudentibus considerata, & cum oppositis comparata, ita illorum animos movent, ut negare nequeant, quin illud motivum sit probabile; quia manifestè experiuntur ejus vim talem esse, ut si illi assensum præberent, redargui non possent ut imprudentes, eò quòd non temerè in assensum ruerent, sed illum magno ducti fundamento arriperent; imò evidenter vident motivum illud aptum esse ad prudentem & pium virum in sui assensum alliciendum. Jam verò inter hujusmodi motiva dari potest aliquod adeò parvum, ut, exiguâ vi ab eo demptâ, viri pii atque prudentes non ampliùs hos effectus, sed alios illis oppositos cum eo connecti viderent, & tunc oppositum judicarent. Nec tamen ideò dico, quòd evidenter discernant inter entitativam magnitudinem utriusque motivi (quamvis fortassè & hanc ipsam etiam, aut semper, aut certè plerumque discernant) sed solùm quòd saltem relatè ad effectus notissimos, sibique contradictoriè oppositos, & à motivis entitativè parum diversis provenientes, evidenter distinguant unum motivum ab alio.

46. Dices: motiva probabilia, si sint dissimilia, comparantur ad invicem ut excedens & excessum, quia unumquodque eorum secundùm quid ab alio exceditur. Inter hæc motiva sæpè intellectus nequit discernere, quodnam sit absolutè majus altero, etsi illa reverâ sint inæqualia. Ergo sæpè non poterit discernere motivum probabile à motivo improbabili, quia sæpè non est major differentia inter minimum ex motivis probabilibus, & maximum inter improbabilia, quàm inter aliqua motiva probabilia dissimilia, & inæqualia, quorum differentia certò dignosci non potest. Replica.

Respondeo disparitatem esse, quòd motiva probabilia, etsi reipsâ sint inæqualia, sæpè tamen inter se parùm discrepant, non solùm entitativè & relatè ad propriam singulorum magnitudinem, sed etiam connotativè & relatè ad effectus, quos producunt; singula enim apta sunt ad assensum prudentem causandum. Quid ergo mirum, si quodnam illorum sit absolutè majus altero, certò discerni non possit? At motivum probabile & improbabile, etsi aliquando

Solvitur replica.

Quæ entitativè parum differunt, sæpè immensùm discrepant connotativè.

quando

quando parùm discrepent in entitativâ suâ magnitudine, semper tamen immensùm discrepant connotativè & in ordine ad effectus, quos causant; quia motivum probabile habet vim causandi assensum prudentem, ejusque vis sub experientiam cadit; at motivum improbabile talem vim non habet, adeoque ejus vis nunquam apparet talis apud animum viri periti & probi irreprehensibiliter judicantis. Itaque licet paritas argumenti, benè procedat de motivis quæ comparat, si sermo solùm sit de entitativâ eorum discrepantiâ; nulla tamen est paritas, si sermo sit de differentiâ eorum etiam connotativâ, quæ consideratur in ordine ad effectus dissimiles, quos possunt causare.

Objectio sexta.

47. Objicies 6. Argumenta allata ad probandam evidentiam probabilitatis, quam plures pii & docti viri afferunt alicui opinioni convenire, probant etiam eam opinionem esse evidenter probabilem, quam unus vir doctus & pius, omnibus consideratis, probabilem reputat. Si quidem, si ille unus in probabilitate reflexè cognoscendâ errare posset, etiam duo, tres, quatuor, & plures in eâdem reflexè cognoscendâ possent errare, atque ita falsum esset assertum positum. At unius viri, quantumvis docti & pii, judicium reflexum de probabilitate alicujus motivi, non evidenter arguit ejus probabilitatem; quia plurimi sæpè damnant opinionem ut improbabilem, quam unus aliquis probabilem reputat. Ergo plurium judicia in unum conspirantia de probabilitate opinionis, veram ipsius probabilitatis existentiam non evidenter concludunt.

Solutio argum. 6.

Respondeo, aliam esse probabilitatem quoad se, aliam quoad nos; hîc agimus de probabilitate quoad se; de quâ assero, unius probi & docti viri judicium, post omnia ritè perpensa latum, esse infallibiliter verum, modò supponamus eum instar viri pii & docti judicium tulisse. Eo ipso enim evidens erit alios erràsse, ut constat exemplo illo colossi in Capitolio jacentis sæpè repetito. Aliter dicendum de probabilitate quoad nos; datur enim præsumptio, quod unus potiùs erret, quàm plures; atque ideò existimamus, illum unum, non ut decebat virum pium & doctum, suam sententiam tulisse. Verùm de probabilitate quoad nos sequenti quæstione fusè agemus. Interim accipe regulas hîc adjectas; ex quibus inspectis statim apparebit quænam opinio sit, quæ non sit certò probabilis quoad se.

Unius Doctoris judicium de probabilitate alicujus opinionis certò arguit illam esse probabilē quoad se; etsi non ita arguat ejusdem probabilitatē quoad nos.

Regulæ de opinione probabili quoad se.

Regula prima.

Probabiliora sunt, cæteris paribus, quæ post, quàm quæ antè exactam totius quæstionis enodationem traduntur. Vide assertionem 6. hujus quæstionis.

Regula Secunda.

Probabiliora sunt, cæteris paribus, quæ à posterioribus traduntur. Maximè verò in rebus ad jus humanum tam civile quàm canonicum spectantibus. Vide ass. 9. hujus quæstionis n. 27. & seqq.

Regula Tertia.

Quod ex duabus præmissis probabilibus legitimè deducitur, non semper est probabile, si aliundè non probetur. Vide ass. 3. hujus quæstionis.

Regula Quarta.

Quod ex unâ præmissâ probabili probabiliter infertur, non semper est probabile, nisi aliundè probetur. Vide ass. 4. hujus quæstionis.

Regula Quinta.

Quod ex præmissis certis & evidentibus probabiliter infertur, est certò probabile. Vide ass. 5. hujus quæstionis.

Regula Sexta.

Quod ex unâ præmissâ certâ, & aliâ probabili ritè infertur, est certò probabile. Vide ass. 2. hujus quæstionis.

Regula Septima.

Quidquid à viro perito & pio, post omnium in utramque partem collationem, absque animi passione Vide qu. 2. & assert. 12. hujus quæstionis.

passione creditur esse verum, aut absolutè asseritur esse certò probabile, est certò tale.

REGULA OCTAVA.

Vide assert. 22. hujus q. *Quod plures periti & probi post diligentem rei discussionem absque passione animi tradunt esse probabile, est certò tale.*

REGULA NONA.

Quidquid à viro probo & perito non ex animi passione, sed irreprehensibiliter judicante, existimatur probabile, est certò probabiliter tale. Imò absolutè censeri debet ut certò tale. Vide assert. 10 hujus q. Item assert. 22 maximè n. 47. & 48.

QUÆSTIO SEXTA.

De probabilitate opinionis quoad nos.

Status, & sensus quæstionis.

Quæstionis hujus necessitas.

1. JAM vidimus quid sit opinionem esse intrinsecè, quid extrinsecè probabilem; & unde tam probabiliter quàm evidenter cōstare possit, quæ sit, quæ non sit opinio probabilis quoad se; totumque hoc fermè ex unico & primario, eoque notissimo effectu probabilitatis latè demonstravimus; nihilominùs ultima quæstionis resolutio ad praxim necessaria adhuc sufficienter explanata non est; quia cùm nobis evidens non sit, utrùm hic vel ille Author, hic vel ille doctus & pius vir ex animo fincero potiùs, quàm ex inordinatâ quadam passione suam sententiam protulerit, ideò adhuc certi esse non possumus, quænam sit, quænam non sit opinio intrinsecè probabilis. Opus ergo est ulteriùs progredi, & sicut jam demonstravimus, quænam opiniones sint quoad se probabiles, ita nunc determinare oportet, quænam opiniones relatè ad nos, sint & reputari debeant probabiles; hoc enim stabilito, lata ad quæstionis principalis resolutionem via aperietur.

Statusque quæstionis est triplex.

2. Porrò hæc comparatio opinionum quoad nos tripliciter institui potest; primò relatè ad homines rerum valdè peritos, qui & capiunt rationes, quibus alii innixi suam sententiam proferunt, & omnia, aut ferè omnia, quæ in utramque partem afferri solent, aut ritè examinârunt, aut, si velint, ritè examinare possunt. Secundò in ordine ad idiotas, qui de rebus istiusmodi nil nisi ex aliorum testimonio norunt. Tertiò relatè ad eos, qui probè norunt quid isti, quid illi Authores de materiâ propositâ sentiant, sed non examinârunt omnia sufficienter, ut suam sententiam prudenter proferre possint. Difficultas præsens potissimè versatur circa tertiam comparationem, nam prima & secunda sunt longè faciliores. Quæritur ergo quænam opinio à nobis judicari possit ac debeat tanquam aut probabiliter, aut certò probabilis, quæ quæstio, cùm sit magni momenti, paulatim & solidè enodanda est.

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO PRIMA. Assertio 1.

Quidquid post omnium in utramque partem considerationem à viro perito creditur probabile, est quoad illum certò tale; modò absolutè judicet oppositum esse verum, & conscius sit se absque animi passione suam sententiam protulisse

Omne illud est certò probabile perito, quod ille, post omnium considerationé putat esse probabile; modò

credat oppositũ esse verum, & cõscius sit se absque indebitâ animi passione suam sententiam proferre.

tulisse. Secùs dicendum est, si conscius sit se ex passione judicâsse.

3. EXplicatur assertio: sæpè contingit Authores, aliosque peritos ita adhærere uni contradictionis parti, ut, licèt absolutè & probabiliter existiment eam veram esse, adhuc tamen absolutè credant oppositam esse probabilem. Hoc posito, dico, quòd si vir peritus, post diligens examen veritatis, absque passione judicet oppositum ejus, quod absolutè reputat verum, esse probabile; eo ipso quoad illum certum est talem opinionem esse probabilem.

Probatio asserti.

Probabilitas sic affirmata est saltem probabiliter talis.

4. Probatur inprimis quòd probabilitas sic affirmata sit quoad illum probabiliter talis. Quod plerumque contingit est probabile, sed probabilitas sic affirmata plerũque contingit, quia viri periti aut nunquam aut rarissimè falluntur in tali judicio, ergo probabilitas sic affirmata est probabilis.

Imò est certò talis.

5. Probatur 2. quòd probabilitas sic affirmata sit certa taliter judicanti. Apparentia veritatis, quæ consequitur judicium uni parti alligatum, multùm crescit suprà apparentiam veritatis eidem parti faventem, quæ judicium illud antecedit, juxta dicta suprà *quæst. 4. n. 16.* & fusiùs adhuc declarabitur *quæst. 8. n. 27.* Quantùm autem hæc apparentia consequens crescit, tantùm decrescit apparentia antecedens pro veritate partis oppositæ. Quævis enim contradictionis pars tantò minùs apparet verisimilis, quantò pars opposita verisimilior apparet. Ergo si, non obstante hac diminutione in apparentiâ veritatis, illa adhuc remaneat tanta, ut à viro perito, cujus mens alteri parti absolutè alligatur, credatur probabilis, idque cum conscientiâ, quòd judicium suum absque passione tulerit, illa apparentia non potest re ipsâ non esse tanta, (quia multò major est quàm appareat) quanta sufficit ad veram probabilitatem. Ergo certum est, sic judicantem non errare in secundo illo judicio de probabilitate sententiæ, quam falsam reputat.

6. Confirmatur hoc ipsum exemplo pulcherrimo. Objecta, per vitrum concavum aut per tubum opticum inversum conspecta, semper apparent minora, quàm sint, ut constat experientiâ. Hoc posito: hæc consequentia valet. *quidquid per vitrum concavum aut tubum inversum apparet molis determinatæ, illud certò pertingit ad illam molem; imò certò illam excedit.* At animus, absolutè affirmans unam partem contradictionis, respicit verisimilitudinem partis oppositæ quasi per tubum inversum, id est per dispositionem multùm minuentem veram ejus magnitudinem, uti constat ex dictis; ergo idem modus arguendi valet in hoc casu, ac in magnitudine per vitrum concavum conspectâ. Sic enim arguo. *Verisimilitudo partis negatæ est certò major quàm appareat, quia cernitur per medium augens probabilitatem partis creditæ, & diminuens apparentiam partis negatæ. At verisimilitudo partis negatæ, etiam sic conspecta, apparet simpliciter magna, seu probabilis; ergo certò est simpliciter magna, & probabilis.* Consequentia tenet, quia nulla est causa propter quam verisimilitudo partis negatæ appareat major, quàm sit in se; nam animus supponitur absque passionis impetu de illâ post seriam omnium inspectionem sententiam ferre; è contrà, datur causa valdè diminuens ejusdem apparentiam; illa enim, si solùm compararetur cum apparentiâ veritatis oppositæ antecedente omne judicium, longè major appareret, quàm nunc appareat, ut ex se patet, & partim colligitur ex dictis in superioribus, partim verò colligi poterit ex dicendis *quæst. 8. n. 25. & seqq.* Jam verò si judicans aut conscius sit, quòd ex affectu inordinato intellectum suum ad assensum flexerit, aut prudenter dubitet, utrùm ex passionis impetu tulerit judicium de probabilitate partis negatæ, non poterit esse certus de ejus probabilitate; immò raro po-

Objectum apparet intellectui; à quo existimatur falsum, sicut objectum apparet oculo, si cõspiciatur per tubum opticum inversum.

rò po-

rò poterit certus esse, quòd probabilitas illius sit probabilis; multùm enim demendum est ab apparentiâ illius probabilitatis propter affectum ex passione conceptum, qui semper indebitè sollicitat ad imperandum assensum, & auget apparentiam veritatis in objecto, ad quod propendet, uti ostendetur infra *quæst. 8. n. 25.*

Assertio 2.

ASSERTIO SECUNDA.

Quid sit probabile viro perito post diligẽs veritatis examen.

Omne illud est certò probabile viro perito & probo, quòd ipse pòst diligentem omnium aut potissimorum, quæ in utramque partem afferuntur, inspectionem absolutè verum existimas, aut judicas esse certò probabile; modò conscius sibi sit, se absque passionis impetu sententiam protulisse.

7. TOtum clarissimè sequitur ex dictis *quæst. 2. assert. 6. & potissimè ex assert. 7. n. 32.*

Enumerãtur alia, quæ sunt certo probabilia viro perito.

8. Similiter, omne illud est certò probabile quoad virum peritum, quòd ille certò novit vel vitè inferri ex unâ præmissâ certâ, & alia certò probabili, vel etiam ex duabus præmissis certis probabiliter concludi. Quæ omnia clara sunt èx jam dictis. Quod si vir peritus conscius sit, se absque passionis impetu post diligentem totius quæstionis discussionem tulisse sententiam, & absolutè judicet aliquid esse probabile, illud quoad illum est ad minimum certò probabiliter tale, imò absolutè ab illo reputari debet ut certò probabile, juxta regulam 9. quæst. superioris, & doctrinam in quâ regula illa fundatur. Atque hæc de doctis. Pergo ad Idiotas.

Assertio 3.

ASSERTIO TERTIA.

Quid sit certò probabile quoad Idiotas.

Quoad Idiotas omne illud est certò probabile, quod illis à viro, qui habetur peritus & probus, proponitur ut verum, quamdiù nemo ab extrinseco, nec propria ratio ab intrinseco, quidquam in contrarium suggerit.

Probatio asserti.

9. DEmonstratur. Evidens est, quòd Idiota in casu posito, tali viro prudenter fidem præbeat. ergo evidens est, quòd assensus ille nitatur motivo saltem probabili; alioquin enim assensus ille non posset esse evidenter prudens & rationabilis. Ergo evidens est, quòd objectum, à tali viro nemine contradicente propositum, sit probabile quoad Idiotas; quia quidquid prudenter creditur, à motivo saltem probabili confirmationem accipit. Verùm quidem est hanc probabilitatem esse solùm extrinsecam, eò quòd fundetur præcisè in auctoritate affirmantis aliquid ita se habere. Jam probabilitatem hanc extrinsecam omnes Idiotæ certò nôrunt; neque de illâ vel minimùm formidant. Porrò ex vi hujus probabilitatis extrinsecæ prudenter præsumunt, rem assertam esse quoad se vel certam, vel saltem intrinsecè probabilem; quia prudenter præsumunt, virum illum non sine magno fundamento sententiam suam pronuntiasse. Itaque probabilitas intrinseca rei illius ex testimonio dicto quoad Idiotas redditur solùm probabilis, non certa. Redditur quidem probabilis, quia objectum illud prudenter præsumitur gravi fundamento comprobari; non tamen redditur certa, quia certum non est, quod vir ille verè sit, qualis creditur; sicut neque quod, etsi sit talis, ut talem in asserendo se gerat.

Quando probabilitas extrinseca certa est Idiotis, intrinseca probabilitas est illis tãtùm probabilis.

Probabilitas extrinseca est separabilis ab intrinsecâ.

10. Atque hinc sequitur 1. *probabilitatem extrinsecam esse separabilem ab intrinsecâ*, ut patet ex dictis, & suprà quoque probatum est. sequitur 2. *evidentiam probabilitatis extrinsecæ necessariò connecti cum probabilitate probabilitatis intrinsecæ*, fieri enim non potest, ut aliquid alicui intellectui sit certò probabile ab extrinseco, quin probabilitas intrinseca

Evidentia probabilitatis extrinsecæ infert probabilitatẽ probabilitatis intrinsecæ.

trinseca ejusdem objecti eidem intellectui sit probabilis, & prudenter credi, ac præsumi possit: Si enim intrinseca probabilitas non posset prudenter præsumi, extrinseca probabilitas non posset esse certa; & evidens.

Secunda probatio.

11. Demonstratur 2. Illud est probabile quod plerumque contingit, seu quod probatur motivo tantæ verisimilitudinis, ut omnia illi æqualia plerumque conjungantur cum veritate. Sed authoritas viri qui habetur peritus & pius, modò nemo contradicat, tantæ apparentiæ est apud Idiotas, tantæque efficaciæ ad alliciendum assensum, ut omnia motiva illi æqualia plerumque connectantur cum veritate; quia Idiotæ tali auctoritati fidem dando plerumque non errant. Ergo authoritas talis quoad Idiotas est motivum probabile, à quo objectum affirmatum extrinsecè denominatur probabile. Major est ipsa definitio rei probabilis. Minor etiam non solùm peritis, sed multò magis ipsis Idiotis est evidens, quia Idiotæ evidenter & absque ullâ formidine nôrunt, se dictis talis viri prudenter assentire. Consequentia autem sequitur in formâ.

Assertio 4.

ASSERTIO QUARTA.

Alia Idiotis certò probabilia enumerantur.

Quod vir peritus & probus seriò asserit esse certò probabile, pro certò probabili haberi debet ab Idiotis, omnibusq; aliis, qui ab extrinsecâ authoritate gubernantur, modò nil in contrarium afferatur. Quod autem solùm affirmatur esse probabile, est certò probabiliter tale quoad Idiotas, imò quoad eosdem reputari debet certò probabile, modò nil afferatur in contrarium.

Probatur assertio quoad primam partem.

12. EVincitur pars 1. Aliquid à viro probo & perito non temerè judicante affirmari esse certò probabile, infallibiliter connectitur cum verâ probabilitate illius rei, juxta dicta superiùs. Ergo res illa tam certò est probabilis, quàm certum est virum illum sententiam suam pronuntiare, sicut decet virum peritum & probum; quia eadem est certitudo utriusque, ac unius ex mutuò convertibilibus, seu quomodolibet inter se necessariò connexis. At quamdiu nil obstat in contrarium, evidenter probabile est, quòd vir ille sententiam suam protulerit, sicut decet virum peritum & probum; quia hoc ipsum prudenter præsumitur, imò sine imprudentiâ negari non potest; quia oppositum rarò contingit, & est improbabile. Ergo quamdiu nil obstat in contrarium, evidens, est objectum, cujus probabilitas sic affirmatur, esse certò probabile. Certò, inquam, probabile, sed extrinsecè & quoad nos ob authoritatem loquentis; sicut ipsa veritas rei à perito & pio viro absolutè affirmata est certò probabilis ab extrinseco quoad se. Jam verò licet Idiotæ ignorent æquivalentiam judicii de certâ probabilitate rei, cum judicio obscuro de absolutâ ejus veritate; nihilominùs cùm aliundè illa æquivalentia sit certa, pariter certum est, Idiotas posse nobis prudenter credere, & habere probabilitatem sic affirmatam pro certâ.

Eadem est certitudo omnium ac unius ex necessariò connexis.

Secunda pars asserti probatur.

13. Evincitur pars 2. Et sat è quòd quidquid modò dicto à probo & perito viro simpliciter affirmatur esse probabile, sit quoad Idiotas certò probabiliter tale, apertè constat ex argumentis pro Assert. 3. allatis; illa enim æquè procedunt de omni objecto, quod vir peritus & pius absolutè affirmat. At in casu præsenti affirmat talem probabilitatem existere. Ergo quoad Idiotas est certò probabile, quòd existat. Quòd autem objectum, cujus probabilitas absolutè affirmatur, quoad Idiotas in dictis circumstantiis reputari debeat, & sit certò probabile, Probatur, quia judicium viri periti de absolutâ rei probabilitate certò cum illâ connectitur,

connectitur, & æquivalet judicio de certâ ejusdem probabilitate, modò judicium illud ex animo sincero veritatis investigandæ eliciatur, ut ostensum est suprà *quæst. 5. multis in locis.*

Alia totius asserti probatio.

14. Probatur 2. tota assertio hoc modo. Quod in dictis circumstantiis asseritur esse probabile, asseritur esse tale, ut assensus prudenter possit illi tribui: hoc enim sonat *esse probabile.* Ergo Idiota ex vi talis assertionis prudenter credit, se propter authoritatem talis viri posse prudenter assensum præbere tali objecto. Ergo si assensum illi præbeat, prudenter facit: primum enim judicium, cùm sit practicum, non debet esse frustra, sicut esset, si ex vi illius homo progredi non posset ad assensum ipsi objecto præstandum. Præterea Idiota eliciendo judicium de rei absolutâ veritate certissimè prudenter agit, quia in operando sequitur dictamen prudens. Ergo judicium de absolutâ rei veritate est certò prudens. Ergo certò nititur fundamento probabili. Nullum enim judicium nitens motivo non certò probabili est certò prudens, ut patet. Ergo dictum testimonium solius probabilitatis (modò nil obstet) quoad Idiotas certam reddit probabilitatem rei ipsius, quæ affirmatur esse probabilis; certam, inquam, non quidem probabilitatem ipsius quoad se, utpotè quam solùm probabiliter arguit, sed extrinsecam & quoad nos, quam præsumptio de authoritate loquentis formaliter constituit juxta dicta *n. 9.* Ratio à priori est, quia Idiota, sic judicans de absolutâ rei existentiâ, sequitur lumen, quod ex suâ magnitudine plerumque connectitur cum veritate; plerumque enim absolutè verum est, quidquid tantâ apparentiâ veri confirmatur, quantam habent Idiotæ, quando audiunt peritum absolutè dicere, aliquid esse probabile, modò nil illis in contrarium appareat, ut hîc supponitur; omnia enim talia motiva, in unum collecta, plerumque connectuntur cum absolutâ rei veritate. Ergo tale motivum absolutè & certò constituit rem illam extrinsecè probabilem.

Idiota prudenter credit objectum esse absolutè verè quod pius & peritus seriò affirmat esse probabile.

Hæc Idiotæ existimatio plerumque est vera, adeóque nititur motivo probabili.

15. Verum quidem est, quòd hæc 4. assertio raró deserviat pro Idiotis, quia illi non solent quidquam petere de probabilitate, de quâ parùm cogitant, & minùs intelligunt. Quærunt enim an aliquid liceat nec ne; illisque prudentes absolutè solent respondere, *licet*, vel, *non licet*, prout sentiunt. Cæterùm quia contingere potest, prudentes (sed in hoc minùs prudentes) non simpliciter respondere Idiotis de absolutâ rei veritate, sed solùm asserere rem illam esse probabilem; ideò congruum fuit præsentem assertionem ponere. Omnibus porrò consulendum est, ut Idiotis absolutè de rebus ipsis pronuncient, juxta quod ab illis petitur; nam uti ambagibus, & indirectis viis, per terminos ab ipsis aut nullo modo aut valdè confusè intellectos, est ansam variis suspicionibus ac dubiis præbere, unde sæpè post resolutionem æquè dubii manent, ac erant ante quæstionem propositam.

Hæc quarta assertio non multùm deseruit ad praxim.

Idiotæ quomodo in suis dubiis sint dirigendi?

ASSERTIO QUINTA.

Assertio 5.

Authoritas unius Doctoris pietatis ac doctrinæ famâ præstantis, tam in materiâ fidei quàm morum, reddit assertum suum certò probabile apud indoctos, à quibus consulitur an aliquid liceat, de cujus honestate vel ob propriam imperitiam, vel ob rationem aliquam seu authoritatem non magni momenti antea dubitabant.

Unius Doctoris assertio aliquâdo reddit dictû suum probabile apud indoctos, &c.

16. Assertio hæc, quæ fermè coincidit cū Ass. 3. hisce temporibus multùm negotii facessivit in Ecclesiâ, propter quorundā clamores in oppositum. Quocircà ut ejus veritas stabiliatur, ante omnia supponitur, quod talis Doctoris resolutio veritati evidenti, Patrumvè traditioni, aut sacræ Scripturæ,

pturæ, vel Ecclesiæ definitionibus non repugnet, quia omnibus Catholicis certò constat, falsum esse & improbabile, quod tantæ authoritati contrariatur. Itaque quæstio restringitur ad ea, quorum veritas aut falsitas non certò constat in Ecclesiâ, ut sæpè dictum est, & satis apparet ex textu Assertionis limitatè loquentis.

Probatio ab auctoritate.

Probatur 1. consensu omnium tum Recentiorum, tum Antiquorum, hac in re unanimiter consentientium. De recentioribus dubium non est. Antiquos cito. Hoc tradit S. Antoninus *1. p tit. 3. cap. 10. § 10.* & pro eodem citat Albertum Magnum aliosque. Consentit Major *in prol. 4. sent. q. 2. contra conclus. 4.* Eidem subscribunt Navarrus *lib. 5. Consil. de Pænit. & Remis. Cons. 17.* Sylvester & Cajetanus in suis summis, aliique omnes, qui de hac re mentionem faciunt.

Demonstratio à ratione.

Probatur 2. ratione, immò demonstratur. Indoctus ille prudenter acquiescit dictis talis viri, imò non potest, practicè loquendo, nisi imprudenter dubitare de veritate resolutionis datæ, cùm non habeat sufficiens fundamentum credendi illum aut falli, aut fallere. Non falli, quia peritus est in illâ materiâ; non fallere, quia præsumitur probus. Sic rusticus, ob parva motiva anceps de re sive ad fidem sive ad mores spectante, imprudens est, si sui Pastoris resolutioni non acquiescat. Neque enim, ut formet conscientiam, opus est plures consulere; alioquin pro formandâ conscientiâ deberet ad urbem accedere, & Theologorum concilium convocare, antequàm posset conceptum dubium prudenter deponere; quo nil absurdius dici potest. Similiter fœminæ timoratæ conscientiæ deberent urbem circumcursare, pluresque doctores fatigare, priusquam possent conceptum scrupulum prudenter deponere. Hæc omnia aliaque hisce absurdiora necessariò admittenda sunt, si unius Doctoris resolutio indoctis ad conscientiæ tranquillitatem, & ad probabilitatem suis dictis apud illos conciliandū non sufficiat. Stet ergo certum esse, quod sufficiat in sensu assertionis. Atque hæc de probabilitate quoad indoctos dicta sufficiant; accedo ad 3. classem peritorum, & quæro quid apud illos sit probabile præcisè ex vi unius aut pluriū asserentiū rem aliquā esse veram, aut absolutè probabilem.

ASSERTIO SEXTA.

Assertio 6.

Quod ab omnibus asseritur esse probabile, est certò tale quoad omnes, qui rationes non expendunt.

Quidquid ab omnibus asseritur esse probabile, etiam ab eis qui absolutè credunt illud esse falsum, illud quoad omnes, qui rationes non expendunt, novasque magni momenti non inveniunt, est certò probabile.

17. Propositio est evidens: quia nullum manifestius indicium probabilitatis est, quàm quòd omnes periti, etiam adversæ partis patroni, eam agnoscant: vide dicta *quæst. 5. n. 32. & seqq.* ubi ostendi probabilitatem esse objectum cadens sub experientiam. Atqui impossibile est, omnes errare circa existentiam talis objecti. Ergo si omnes eam affirmant, tam certum est illam existere, quàm certum est aliquem saltem illorum non mentiri, & absque passionis impetu judicium suum elicuisse. At moraliter certum est, nec omnes ex affectu inordinato sententiam suam dicere, nec illam pronunciando mentiri. Ergo moraliter certum est talem opinionem esse probabilem. Nihilominùs si aliquis de novo inveniret demonstrationem pro parte contrariâ, aut ex novis rationibus, eisque efficacissimis, videret sententiam communem adeò labefactari, ut ejus probabilitas aut omninò tollatur, aut saltem in dubium revocetur, tunc opinio illa relatè ad talem personam non esset certò probabilis, etsi omnes alii ejusdem probabilitatem de prædicarent. Huic assertioni accedit illa, quam

Probatio.

Consensus omnium de probabilitate opinionis, est manifestum indicium dictæ probabilitatis.

Omnis opinio est certò probabilis, quæ præsenti tempore viget, quamque sapientes nõ improbant & Ecclesia tolerat. quam ponit Honoratus Fabri, ubi dicit illam opinionem nunc pro certò probabili habendam, quæ præsenti tempore viget, quamque sapientes non improbant, & Ecclesia tolerat. unde ritè infert standum esse communi præsentium temporum usui, sive cohæreat, sive non cohæreat cum usu antiquo. Hæc Fabri observatio, & assertio est vera; sed meo judicio vel planè coincidit cum assertione positâ, vel adeò parum ab illâ discrepat, ut discrimen aut vix, aut nullo modo assignari possit; adeoque non debuit habere locum pro assertione particulari ab aliis diversum.

Assertio 7. Tres aut quatuor viri doctrina præstantes reddũt certò probabile, quod asserunt esse verum aut probabile, modò teneant oppositum.

ASSERTIO SEPTIMA.

Omnis opinio, quam tres quatuorvè viri doctrina & pietate præstantes post diligens examen absolutè tradunt esse veram, aut, etsi teneant oppositam, docent esse probabilem, est certò probabilis quoad nos, modo nemo doctrinâ ac pietate celebris talis opinionis probabilitatem in dubium revocet; licet alii communiter eam ut falsam rejiciant.

Prima assertí probatio. 18. DEmonstratur assertio, quæ apud omnes est in confesso. Tàm certum est, talem opinionem esse probabilem quoad nos, quàm certum est omnes illos viros pietate & doctrinâ præstantes non ex affectu inordinato, sed debitè post diligentem quæstionis considerationem judicium suum elicuisse, illamque animo sincero & absque mendacio nobis enunciâsse; quia si vel unus eorum cum dictis circumstantiis sententiam tulerit, certum est opinionem illam esse quoad se probabilem, juxta dicta *quæst. 5 n. 29. & seqq. & in hac qu. n. 5. & 6.* At moraliter certum est, aliquem saltem illorum cum omnibus illis circumstantiis sententiam suam pronunciâsse, oppositum enim est moraliter impossibile; ergo moraliter certum est, illam opinionem esse probabilem quoad se: idque propter authoritatem tot doctorum doctrinâ & pietate præstantium. Ergo illorum authoritas constituit opinionem, quam tenent, extrinsecè & quoad nos certò probabilem, si hypothesis in assertione posita retineatur.

19. Demonstratur 2. Omnes non possunt errare in distinguendo motivo probabili à non probabili. At omnes fatentur dictam authoritatem esse motivum sufficiens ad constituendam extrinsecam probabilitatem. Ergo illa est verè motivum probabile, & quoad nos certò sufficit ad constituendam opinionem illam extrinsecè probabilem. Secunda ejus demõstratio.

20. Demonstratur 3. Impossibile est, tres aut quatuor viros pietate & doctrinâ præstantes post diligens examen in unam convenire sententiam, quæ gravi seu probabili fundamento careat. At tres vel quatuor ejusmodi in hanc conveniunt, &c. ergo illa non caret gravi & improbabili fundamento. Ergo est probabilis. Major est moraliter certa. Minor est evidens. Conclusio est in formâ, eandemque cum majore certitudinem habet, demùm evidens est unumquemque non temerè sed imprehensibiliter tot prudentibus fidere, eandemque cum illis sententiam sequi. Ergo evidens est eorum authoritatem constituere sententiam, quam tenent, extrinsecè & quoad nos probabilem. Tertia demõstratio.

21. Atque hinc à fortiori infertur, omnem opinionem de præsenti communem in scholis, cujus probabilitas à viris valdè peritis in dubium non revocatur, esse certò probabilē. Verùm quia mentionem feci de authoribus pietate & doctrinâ præstantibus, seu de viris peritis & probis, tum ad præsentem, tum ad sequentes assertiones benè percipiendas, oportet ritè percipere, quid per has voces intelligamus. Scio me suprà Omnis opinio cõmunis in scholis, cujus probabilitas non cõtrovertitur, est certò probabilis.

tas declarâsse; sed iterum cum Honorato Fabro & aliis paucis expono quid per illas velim intelligi, ne opus sit lectori præmissa repetere. Nomine doctrinæ præstantis intelligitur universalis peritia principiorum, ac conclusionum ex illis deductarum spectantium ad scientiam, sub quâ proposita quæstio continetur; aut certè exacta notitia talis determinatæ materiæ, cujus existentia, natura, vel proprietas investigatur. Ratione hujus notitiæ homines ejusmodi rarò falluntur in suis judiciis. Nomine pietatis præstantis intelligitur veracitas conjuncta sincero animo veritatem investigandi, & si de materiâ morali sit sermo, addi debet zelus sincerus, ut omnes obediant legibus, juxta intentionem legislatoris. Per hanc pietatem efficitur, ne homines ejusmodi per defectum diligentiæ, aut per mendacium alios decipiant. Uno verbo, in morali præsertim Theologo, qualem hîc describo, tria requiruntur; 1. doctrina profunda sedulitati copulata: 2. probitas etiam & vitiorum remotio; quid enim boni consilii super castimoniâ expectari potest à viro libidinoso? 3. prudentia, rerum usu & experientiâ comparata; his enim deficientibus authoritas minuitur; illaque usque adeò desiderari possunt, ut propter eorum defectum authoritas alicujus ad fundandam probabilitatem non pertingat. Tales viros & non alios appello viros doctrinâ & pietate præstantes; & de illis tam præsens, quàm sequentes conclusiones intelligendæ sunt.

Quisnam censeri debeat vir peritus & probus?

ASSERTIO OCTAVA.

Assertio 8.

Opinio, quam plures, v. g. quatuor vel quinque, pietate & doctrinâ præstantes, post diligens examen, affirmant esse probabilem, est certò probabilis extrinsecè & quoad nos, modò nemo probabilitatem talis sententiæ in dubium revocet.

Quod plures doctrinâ & pietate præstantes docent esse probabile, est quoad nos certò tale, [illegible] nemo in dubium revocet illorum opinionem.

22. PRobatur assertio, quæ à nemine, quòd sciam, controvertitur; quia talis uniformitas peritorum in percipiendâ & judicandâ probabilitate certò illam arguit; ut ostensum est *quæst. 5. n. 32.* Hoc posito, eadem argumenta hîc locum habent, quæ pro priori assertione demonstrandâ attulimus. Sufficit ergo ea ad præsentem thesim applicare.

Probatur assertio.

ASSERTIO NONA.

Assertio 9.

Nulla opinio, cujus probabilitas de novo negatur, aut in dubium revocatur à tribus quatuorvè viris pietate & doctrinâ præstantibus, est certò probabilis quoad nos, nisi nova motiva superaddantur prioribus, quibus illa probabatur.

Opinio, cujus probabilitas in dubium revocatur à tribus quatuórve viris peritis & probis, non est certò probabilis quoad nos

23. DEmonstratur. Authoritas tot & talium peritorum fundat prudentem timorem, nè motivis illis non insit probabilitas, in quibus eam ipsi non inveniunt. At quod fundat formidinem unius partis, tollit certitudinem alterius. Ergo non est certum quoad nos, quod opinio illa sit probabilis, cujus probabilitas à tribus quatuorvè doctrinâ & pietate præstantibus ob novas rationes de novo in dubium revocatur.

Prima assertis demonstratio.

Confirmatur. Consensus horum Doctorum reddit objectum, quod affirmant, quoad nos certò probabile. At affirmant opinionem A. non esse probabilem; aut certè probabilitatem ejus dubiam esse pronuntiant. Ergo quoad nos certò probabile est, quod ejus probabilitas ad minimum sit dubia. ergo probabilitas ejusdem, in tantæ authoritatis contradictione, certa esse non potest.

Secunda ejusdem demonstratio.

24. Immò

24. Immò non solùm plures, sed unus vir doctrinâ & pietate præstans, si de novo in dubium vocet probabilitatem cujusvis sententiæ, etsi communissimæ, & profiteatur, se novis magnisque rationibus ductum id facere, suâ authoritate efficit, ne illa opinio sit ampliùs certò probabilis quoad nos. Quæ nota tamdiu manebit, quamdiu vel ipsi nos, vel alii expenderint rationes illas novas, illasque invenerint esse improbabiles, communique suo suffragio illas ut frivolas rejecerint, tunc enim, non obstante hujus unius contradictione, opinio illa erit quoad nos certò probabilis, quia moraliter certum erit, virum illum vel ex ignorantiâ, vel ex passione aliquâ animum obcæcante deceptum fuisse, aut certè mentiendo nos decepisse; Quare judicium illius in tali materiâ pro nullo habendum erit. Quòd si postea in rationum illarum examine multi eas reprobent, nonnulli tamen eas approbent, ex vi authoritatis fieri non poterit, ut certi simus de dictæ opinionis probabilitate, nisi novæ iterum rationes inveniantur, & unanimi omnium voce probabilitas opinionis illius iterum comprobetur.

Assertio 10.

ASSERTIO DECIMA.

Non quævis opinio à Sede Apostolicâ non condẽnata est probabilis.

Non quævis opinio, quæ reperitur in Authore moderno, censeri debet probabilis, quamdiu non constat eam à Sede Apostolicâ rejectam esse tamquam improbabilem.

Demonstratio.

25. Demonstratur. Nonnulla reperiuntur apud modernos Authores, quæ primo aspectu sunt absona in moribus, & repugnant non solùm sensui communi hominum, sed communi aliorum omnium Doctorum sententiæ. Præterea Moderni illi, præterquam quod sæpè leviter & per transennam rem tractent, minimis & parvi momenti rationibus sæpè ducuntur; puta paritate tantùm rationis, aut illatione probabili ex principio tantùm probabili deductâ, ut videre est in eorum libris, qui luxuriantis ingenii, & ad novitates ac laxitates propensi nimis patentes sunt indices. Quis enim quæso talium Authorum effata, quæ docti omnes ut monstra improbabilia respuunt, prudenter existimare potest esse probabilia, eò quòd Author ille ea in suo libro edidit? Certè non propter authoritatem Scriptoris, qui sæpè evidenter dignoscitur vir doctrinæ mediocris (nam hodiè indocti etiam homines ad opuscula edenda mirum in modum propendent) & sæpissimè propter levissima fundamenta in rebus summi momenti à communi sententiâ recedunt. Unde ergo procedere potest prudens persuasio, quòd talis opinio censeri debeat probabilis? Non aliundè certè, quàm ab approbatione gravium virorum, ad quos spectat licentiam concedere, ut libri imprimantur. At hoc non sufficit, nam sæpè libri imprimuntur, ubi aut nulla aut exigua tantùm diligentiâ adhibetur, ne quid indignum prelo edatur. Sæpè illi ad quos spectat, aut per seipsos non possunt, aut propter majora negotia non permittuntur singula diligenter examinare; unde rem aliis commmittunt, qui magnâ sæpè negligentiâ, & perfunctoriè suo munere funguntur; ideoque ex illorum approbatione tanta authoritas non accedit, ut ideò quidquid continetur in libro, quem approbant, censeri debeat probabile. Sæpè etiam qui relegunt libros, aut tantam doctrinam non habent, ut possint rectum de illorum qualitate judicium ferre, aut etsi possint, tamen propter affectum erga Authorem, aut nolunt advertere, aut etsi advertant, nolunt corrigere, quæ absque diligenti examine admittenda non erant, & nec facilè probanda. Vide ex quot capitibus veritas assertionis comprobatur.

At stultissimum planè est pro regulâ pro-

babilitatis eò recurrere, ut tamdiu propositio Moderni Authoris censeatur probabilis, donec à Sede Apostolicâ rejiciatur ut improbabilis. Quid? hæresis Janseniana eratne probabilis antequam à S. Sede reprobaretur, eò quòd in Jansenii libris legeretur impressa? Minimè; antè S. Sedis condemnationem, improbabiles erant & temerariæ quinque illæ propositiones, quas Innocentius X. condemnavit ut hæreticas. Quid si, tacente adhuc Pontifice, eò quòd ob gravissima negotia non statim possit ad singula, quæ luxurians sæculi hujus ingenium profert, monstra recidenda attendere, alii omnes docti, & probi reclament? Quid si unanimiter opinationem illam ut improbabilem rejiciant? Annè illa adhuc probabilis censeri debet, quia Sedes Apostolica adhuc tacet? Nemo certè prudens ita sentiet.

Alexander VII. Pastor vigilantissimus. Verùm laus Deo, illâ non tacet, sed sub sollicitâ curâ supremi Pastoris ad corrigendas laxas opiniones in re morali desudat. Nam anno 1665. die 24. Septembris, approbante Sanctissimo, exiit decretum, in quo 28. propositiones ad mores spectantes damnantur tamquam ad minimum scandalosæ; omnibusque in virtute S. obedientiæ, & sub interminatione divini judicii præcipitur, ne quamvis illarum in praxim deducant; sed & sententia excommunicationis ipso facto incurrendæ, Romanoque Pontifici reservatæ omnibus indicitur, qui illas aut conjunctim, aut divisim docuerint, defenderint, ediderint, aut de eis etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverint, nisi eas sic tractent, ut impugnent. Inter has propositiones penultima ex condemnatis ita se habet. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolicâ tamquam improbabilem.* Ecce propositio, quam lumine rationis evidenter falsam esse noveram, cujusque falsitatem hic demonstravi, jam ab Apostolicâ Sede ad minimum damnata est ut scandolosa, nullique licet eam aut tueri, aut in praxim reducere. Similiter anno 1666. 18. Martii aliud edictum prodiit in quo sub eisdem pœnis aliæ 17. condemnatæ sunt.

ASSERTIO UNDECIMA.

Assertio 11. Omnis opinio quam gravis Author asserit esse communem, est quoad nos certò probabilis.

Opinio, quam gravis Author Modernus, maximè verò in rebus spectantibus ad jus humanum, asserit esse communem, & pro ea multorum loca citat, est quoad nos certò probabilis, non quidem omnimodâ, sed humanâ quâdam certitudine.

26. Demonstratur: & quidem quòd nullius opinionis probabilitas sit omnimodè certa, eò quòd unus Author gravis dicat eam esse communem, & à talibus affirmari, ex eo evidens est, quòd etsi mirum esset, non tamen esset moraliter impossibile, si nos deciperet. Demonstratio asserti. Nihilominùs ex vi talis assertionis humano modo loquendo certum est plures talem sententiam tenere, quia cùm affirmatio sit de re, cujus omnes habere possunt evidentiam, nemo inter Authores graves tam effrons, propriæque famæ adeò incurius inventus est, qui ausus sit affirmare opinionem aliquam communem esse, pluresque nominatim pro illa citarit, quin illa opinio esset verè communis, pluresque eam reverâ tenerent. Ratio est, quia alioquin Author ille ab omnibus peritis statim irrideretur tanquam valdè imperitus, aut palmariter mendax. Atque hinc est, quòd quoties apud gravem Authorem aliquid ejusmodi legimus, de veritate illius non dubitamus, sed humanâ certitudine securi illud ut verum supponimus. Hoc posito, sic arguo; tam certum est sententiam illam esse probabilem, quàm certum est eam esse communem,

aut

aut à pluribus absolutè teneri, juxta demonstrata Assert. 6. & 7. sed humano modo moraliter certum est, quòd plures eam teneant; ergo eâdem ratione certum est, quòd sit probabilis.

Error in citandis Authoribus alius accidentalis, alius substantialis.

27. Dices, Authores sæpè errant in suis citationibus. ergo unius tantùm assertione nulla certitudo acquiritur. Respondeo multos sæpè errare in accidentalibus, rarò in substantialibus. In accidentalibus errant, quando unum locum pro alio ponunt, quod partim incuriâ aliquâ scriptoris, partim Typographi errore frequenter evenit. Huc etiam spectat error, quo nomen unius Authoris pro alio ponitur, maximè quando nomina aut ferè, aut omninò coincidunt. Errant in substantialibus, quando citant Authores pro aliquâ sententiâ, quando illi aut nullibi eam docent, aut si doceant, tenent contrarium. Jam hoc rarissimè contingit apud graves Authores, sed quamvis illi aliquando, dum aliis fidunt, decipiuntur, & perperam citant peculiarem aliquam authoritatem; nunquam tamen substantialiter errant in omnibus, aut plerisque citationibus in uno eodemque loco coacervatis; neque unquam ullam opinionem vocant communem, quæ à pluribus non doceatur.

Assertio 12.

ASSERTIO DUODECIMA.

Opinio pro quâ gravis Author citat tres, vel quatuor Authores præstantes est quoad nos certò probabilis, si Author ille habeatur verax in suis citationibus.

Opinio, pro quâ gravis Author citat 3. aut 4. Authores præstantes, est quoad nos humano modo certò probabilis, modò Author ille publicè habeatur tanquam verax in suis citationibus. secus dicendum de illo, qui in citationibus sæpè lapsus est quoad substantialia, & tali notâ ab aliis discernitur.

Demonstratio assertі.

28. Demonstratur. In primo casu humano modo moraliter certum est eum Authorem verum dicere, non autem in secundo, Ergo in primo casu certum est opinionem illam esse probabilem, non autem in secundo. Conclusio tenet, antecedens constat ex ipsâ hypothesi. Modus autem quo argumentamur in hoc casu sic fermè exponitur à Caramuele in Apologemate: Impossibile est plures viros pios & doctos in unam convenire sententiam, quin illa gravi ac probabili nitatur fundamento: sed Sanchez dicit plures Authores convenire in sententia A. Ergo in illâ conveniunt. Ergo illa necessariò nititur gravi fundamento, & est certò probabilis. Major certa est, minor etiam supponitur esse evidens, Conclusio autem solùm infertur probabiliter, & sic ex vi formæ potest esse falsa, sed in præsenti casu ratione materiæ certò infertur absolutè, quia notorium est & moraliter certum, Sanchez quoad substantiam in suis citationibus esse veracem. Quòd si alius aliquis Author cujus fides hac in re, aut non esset benè probata, aut propter plures errores substantiales in citationibus ipsius jam detectos esset suspecta, ex vi talis affirmationis solùm esset probabile, quòd plures Authores eam tenerent, & consequenter probabilitas dictæ sententiæ quoad nos esset solùm probabilis.

Authores aliqui quoad substantiam, fideles in suis citationibus recensentur.

28. Quæres quinam sint Authores, qui publicè habentur saltem substantialiter veraces in suis citationibus? Respondeo tot esse, ut longum eorum catalogum texere esset magni laboris. Ex antiquis habes S. Thomam, S. Bonaventuram, Scotum, Durandum aliosq; primi nominis authores plurimos. E modernioribus, Navarrum, Sotum, Suarez, Ruiz, Sanchez, Layman, Basilium Pontium, Granadum aliosque plurimos, quorum libri jam cum universali famâ dictæ sinceritatis diu versati sunt in manibus legentium. Illi autem Authores, qui hac bonâ famâ non gaudent, aut qui nondum à peritis sæpiùs revoluti sunt, suâ authoritate certam non faciunt probabilitatem sententiæ, pro qua citant tres vel

quatuor; quia etsi non sit credibile eos in omni suâ citatione errare, tamen si in uno alterovè errent (non est autem certum quod sic non errent) etsi in reliquis verum dicant, non præbent argumentum, ex quo quoad nos certò constet opinionem illam esse probabilem; quia non semper verum est, quòd unius aut alterius opinio quoad nos evadat extrinsecè certò probabilis, ex eo præcisè, quòd ab uno, vel altero tradatur: sed de hoc proximè dicam uberiùs.

Assertio 13.

ASSERTIO DECIMATERTIA.

Quod ab uno perito in re ab aliis non tractata absolutè asseritur, est certò probabile quoad nos.

Quod à singulari aliquo Viro probo multùmque perito absolutè asseritur, si sit in re, quam nemo præter illum tractavit, quodque dicit nec repugnet sensui communi, nec appareat connexum cum aliquo absurdo, est certò probabile quoad nos.

Prima assertı demõstratio.

29. DEmonstratur. Evidens est, unumquemque tali viro, de tali materiâ in talibus circumstantiis seriò sententiam suam docenti, prudenter assensum præbere. At certum est nullum assensum esse certò prudentem, nisi nitatur motivo saltem probabili: Ergo certum est dictum assensum niti motivo probabili. At non nititur nisi authoritate unius viri periti & probi in talibus circumstantiis. Ergo illa talis viri opinionem reddit certò probabilem quoad nos.

Secunda ejusdem veritatis probatio.

30. Demonstratur 2. Certum est ex assensibus tali authoritati præstitis plures cum veritate connecti, quàm cum falsitate. Hoc per se notum est, quia ex unâ parte tales viri aut nunquam aut rarò mentiuntur. Ex alterâ parte longè sæpiùs non errant, quàm errent; Unde certum est tales assertiones plerumque esse veras. At quod nititur motivo, cujus vis plerumque connectitur cum veritate, est certò probabile. Ergo sola talis viri Authoritas reddit suum assertum extrinsecè, & quoad nos certò probabile.

31. Quæres quid dicendum sit, si peritus ille solùm dicat, *opinionem illam singularem esse certò probabilem?* & quid si simpliciter dicat, *illam esse probabilem?*

Peritus in re quam alii non tractarunt, reddit opinionem aliquam certò probabilem quoad nos, etsi solum affirmet illã esse probabilem.

Respondeo juxta dicta assert. 2. quòd opinio quævis reputari debeat certò probabilis, quam talis vir in circumstantiis positis affirmat esse certò probabilem; hoc ex argumentis hîc allatis colligitur, quippe quæ, ad hoc ipsum æquè applicari possunt, ac ad casum in terminis assertionis expressum. Præterea si solùm simpliciter affirmet rem illam esse probabilem, per hoc illius opinionis probabilitas quoad nos non solùm evadet certò probabilis, sed etiam simpliciter certa; quia probabilitas est res, quæ ita cadit sub experientiam, ut à viro prudenti absque passione judicanti confundi non possit cum motivo improbabili. Ergo Vir prudens tantâ fide dignus est, quando asserit aliquid esse probabile, ac quando dicit se vidisse Petrum in foro; At sola ejus authoritas reddit existentiam Petri in foro certò probabilem. Ergo probabilitas, quam affirmat, erit certò probabilis. Immo non solùm erit certò probabilis, sed etiam humano modo moraliter certa, quia nullum erit majus dubium de veritate asserti, quàm sit periculum mendacii; at tali viro circa tale objectum, homines absque dubio credunt illum non mentiri, quia mendacium in tali materiâ talibusque circumstantiis nunquam solet contingere. Ergo, in suppositione dictâ, humano modo certum erit, talem opinionem esse probabilem.

Idem confirmatur.

32. Confirmatur. Constat ex dictis idem requiri, & sufficere ut aliquid dicatur probabile, ac ut judicetur certò probabile. Ergo quoad nos hæc duo judicia à viro prudente prolata sibi æquivalent. At quidquid

quid affirmatur certò probabile in sensu assertionis eo ipso evadit extrinsecè tale quoad nos. Ergo eodem modo quidquid simpliciter affirmatur probabile, quoad nos erit certò tale.

Solvuntur objectiones.

Objectio in contrarium. 33. Objicies: Qui affirmat opinionem aliquam esse probabilem, decipi potest propter affectum inordinatum & passionem, à quâ mens excæcatur. Rursus decipere potest mentiendo. Ergo ex eo quòd dicat aliquid esse probabile, non ideò illud evadit certò probabile.

Solvitur objectio. Resp. argumentum nimis probare; nam qui absolutè affirmat aliquid, non minùs decipi potest & decipere, quàm quando dicit aliquid esse probabile; & tamen, hoc non obstante, certum est, quòd sive decipiatur sive decipiat, effatum viri prudentis & pii in circumstantiis positis evadat certò probabile quoad nos, quoties absolutè affirmat aliquid ita se habere; maximè si illud sub experientiam cadat; puta si diceret, se vidisse Petrum in foro. Ergo similiter quando affirmat aliquid esse probabile, illud erit certò tale quoad nos, licèt decipiatur aut decipiat; quia probabilitas cadit sub experientiam viri periti.

Alia solutio ejusdē objectionis. 34. Respondeo 2. directè. Concedo antecedens, sed consequens distinguendum est, nam probabilitas alia est intrinseca, alia extrinseca; jam ex antecedente solùm sequitur, quòd probabilitas intrinseca non sit certa ex vi talis affirmationis, quod ultro fateor; Verùm non sequitur quòd probabilitas extrinseca quoad nos non sit certa; sicut hoc non sequitur quando directè affirmat rem ipsam, nil dicens de ejus probabilitate. Idem autem dicendum est de probabilitate ipsâ affirmatâ, quia quoad hoc eadem est ratio de probabilitate, ac de absolutâ veritate rei seriò assertâ. Ratio est, quia res quævis æquè constituitur extrinsecè probabilis per authoritatem loquentis, sive ille decipiatur & decipiat, sive in suo judicio neque erret neque in loquelâ mentiatur; tota enim probabilitas extrinseca quoad nos oritur à prudenti præsumptione, quòd sententiam dicens non decipiatur, quia peritus est; neque decipiat, quia est bonus.

35. Atque hîc iterum adverto probabilitatem extrinsecam quoad nos arguere intrinsecam, sed non ad æqualitatem; nam extrinseca certa solùm probabiliter arguit intrinsecam; quia stante extrinsecâ, intrinseca potest deesse. Unde è converso à posteriori iterum infertur veritas præsentis assertionis. Sic enim arguo. Evidens est, quòd authoritas in assertione expressa, præcisè ex vi suâ, probabiliter inferat probabilitatem intrinsecam; quia evidens est probabilitatem assertam, nempe probabilitatem intrinsecam, ex vi talis asserti esse certò probabilem; si enim illa esset solùm probabiliter probabilis, probabilitas intrinseca non evaderet certò probabilis, quia fortasse esset, fortasse non esset probabilis, ut patet. At certum est quòd probabilitas intrinseca quoad nos evadat probabilis extrinsecè. Ergo talis authoritas necessariò infert probabilitatem certam, sed extrinsecam & quoad nos. Argumentatio hæc subtilis est, sed solidissima, quia evidenter convincit veritatem intentam. — Certa probabilitas extrinseca opinionis solùm probabiliter infert eandem esse intrinsece probabilem.

ASSERTIO DECIMAQUARTA.

Assertio 14. Singularis Doctor aliquando reddit suā sententiam probabilē cōtra communem aliorū omnium opinionē.

Singularis Doctor potest reddere suam sententiam probabilem contra communem aliorum omnium; sed non aliter, quàm si solidè respondeat omnibus in contrarium allatis, & nova tantiq; momenti argumenta pro suâ opinione afferat, ut ea apta sint ad movendum virum peritum & probum, absque indebitâ animi passione judican-

judicantem, ad recedendum à communi opinione, & ad peculiarem illam sententiam amplectendam.

Adversarii sibi contradicunt, & proprio facto sententiam suam falsitatis códénant.

36. HÆc est sententia, contra quàm non ritè intellectam nimis animosè insurrexerunt, qui Casuistas hisce ultimis annis impugnandos susceperunt. Sed frustrà insurrexerunt in communem, & ab omnibus admissam sententiam, quia facto suo comprobârunt opinionem, quam verbis acerrimis impugnârunt. Certè communis omnium opinio erat, usum opinionis probabilis esse licitum; hoc jam ab illis ut intolerabile rejicitur. Sed quo jure? non alio, quàm quia aliquis illorum, aut reipsâ, aut saltem in eorum opinione, novas rationes invenit, quibus communis sententia adeò convellitur, ut jam singulari unius aut alterius opinioni meritò postponi debeat. Ecce adversarii coguntur asserere unius doctoris opinionem prævalere posse communi aliorum sententiæ, modò ille novis rationibus aliorum principia solidè convellat, suamque opinionem contra illorum principia validè stabiliat. Mirandum sanè est in adversariis, quòd ipsi in re maximè morali, nempè in regulâ generali conscientiæ determinandâ, id sibi arrogent, quod in aliis, ne quidem in particulari, ferendum putant. Veritas ergo præsens tam certa est, ut nisi admittatur ut vera, adversarii à seipsis sint condemnandi. sed hoc prænotasse sufficiat ad probationem assertionis positæ.

Probatio.

Sæpè consensus Philosophorũ & Theologorum non est infallibilis.

Probatur ergo prima pars. Consensus Authorum in rebus obscuris non est infallibilis. Ergo falli possunt in eo, quod unanimiter tradunt. Fieri ergo potest, ut sagax & diligens rei illius indagator illorum errorem discernat, validisque argumentis confutet, oppositumque stabiliat. Si autem hæc ab aliquo contra communem sententiam fieri contingat, nova & singularis ejus sententia erit digna assensu ac probabilis, quia satisfaciet intellectui absque passione judicanti, etsi eum absolutè non convincat.

Confirmatur à posteriori, quia plures opiniones, olim universaliter admissæ, modò exulant à scholis, ex quo quis novis experimentis & rationibus præcedentium errores detexit. Hoc autem fieri non potuisset, nisi ille singulari suæ sententiæ probabilitatem conciliâsset. Sæpè ergo contigit Doctorem singularem contra communem aliorum opinionem suam sententiam probabilem reddere. Cæterùm hoc ipsum valdè rarò contingit in moralibus, unde non nisi admodum cautè admitti debet pro regulâ: quænam autem cautelæ admittendæ sint, dicetur inferius.

Confirmatio à posteriori.

Probatur 2. pars; quia nisi Doctor singularis ea omnia præstiterit, imprudenter recedet à communi sententiâ. Ergo nisi illa præstentur, sententia communi opinioni contraria non evadit probabilis, quia non est digna fide. Præterea nil requiritur in assertione, quod non spectet ad essentiam probabilitatis, ut patet ex ipsâ ejus essentiâ, quam *quæst. 2.* per totam fusè explicavimus. ergo impossibile est, quemquam suam sententiam probabilem reddere contra communem aliorum, nisi ea omnia præstiterit, quæ posita sunt in assertione.

Probatio 2. partis.

Solvuntur Objectiones.

Objectiones ex Ludovico Montaltio.

OBjicies ex Ludovico Montaltio in Epistolis ad Provincialem. Si singularis Doctor posset suam sententiam reddere probabilem, etiam contra communem aliorum omnium opinionem, posset etiam hominum conscientias pro suo arbitratu in quamvis partem versare; idque cum earum securitate de vitando peccato, si stent dictis illius. 2. si tribus quatuórve lineis suæ sententiæ probabilitatem stabiliret, eo ipso toti mundo impertiret libertatem sectandi illam absque periculo offendendi conscientiam

Prima.

Secunda.

Tertia. tiam. 3. quævis opinio à quovis Casuistâ tradita sufficeret ad fundandam conscientiæ securitatem, non obstantibus quibusvis rationibus & authoritatibus in contrarium; Quarta. quæ omnia sunt manifestè absurda. 4. demum, hæc assertio, si vera esset, innumeris criminibus januam aperiret; bonam conscientiam, quæ est secunda actionum nostrarum regula, suffocaret; magnam in doctrinam moralem confusionem induceret; animasque fidelium sub fallaci promissæ securitatis prætextu infallibili salutis jacturæ exponeret. Hoc ille absque aliâ probatione, quàm quia ipse dixit.

Responsio ad primam. Resp. mirum videri hominem ingenio & doctrinâ præditum posse talia ex animo objicere, cùm nulla appareat connexio inter antecedens & consequens. Antecedens est, quòd singularis Doctor possit suam opinionem contra communem aliorum sententiam probabilem reddere, modò sit vir doctus & probus, qui solidè satisfaciat argumentis partis adversæ, suamque etiam assertionem novis, validisque, ac fide dignis argumentis stabiliat. Quid autem clarius aut rationabilius isto axiomate dici potest? ex illo certè non sequitur, Doctorem quemcumque posse conscientias hominum pro suo arbitratu in omnem partem versare, cùm ea præstare, quæ ad probabilitatem sententiæ singularis necessaria sunt, in arbitratu nullius, & vix in paucissimorum summo conatu situm sit. Præterea ut conscientia consulentis versetur in omnem partem pro arbitratu consulti, debet consultus, sectando dictamen proprii intellectûs, pro probabilibus improbabilia, incerta pro certis proponere; (ut benè observat Ferrerius) alioquin consulentem ratione non arbitratu dirigeret. Hæc autem vir probus & peritus numquam faciet; peritus enim & probus non ita decipietur, ut errorem cum probabilitate, & certum cum incerto confundat, multoque magis nil aliis proponet pro regulâ, nisi quod ipse rationi consentaneum noverit.

Similiter non sequitur, quòd qui tribus quatuorvé lineis suam sententiam exponit, illam illicò reddat probabilem; nam tam paucis lineis nemo præstare potest, quæ requiruntur ad singularem sententiam reddendam probabilem juxta doctrinam in antecedente contentam. Cæterùm si quis eam felicitatem assequeretur, ut tribus quatuorvé lineis tum aliorum argumentis solidè responderet, tum novas, easque validas ac fide dignas rationes pro suâ sententiâ stabiliendâ sat clarè exponeret, libens admitterem Doctorem ejusmodi (utpotè qui paucis lineis plus præstare posset, quàm doctissimi multis paginis) 3. aut 4. lineis posse suæ sententiæ probabilitatem conciliare. Responsio ad 2.

Tertiò multo minùs sequitur, opinionem à quocumque Casuistâ traditam ad securitatem conscientiæ sufficere, non obstantibus quibusvis rationibus, & auctoritatibus in contrarium; oppositum enim apertè supponitur. Si enim in contrarium stet vel ratio evidens, vel ita præponderans, ut rationabiliter reputari non possit falsa; si communis PP. traditio, aut Ecclesiæ definitio dictet oppositum, singularis Doctor contra talem authoritatem & rationem numquam reddet suam sententiam probabilem. Præterea si contra communem aliorum omnium opinionem sentiat, nisi illam novis validisque argumentis muniat, numquam illi probabilitatem conciliabit. Ac tales rationes excogitare non est cujusvis casuistæ, sed paucissimorum doctissimorumque Theologorum. Hæc omnia à nobis absolutè exiguntur ut singularis opinio contra communem fiat probabilis. Mirum proindè est quomodo ex hoc Adversarii inferant, opinionem à quovis Casuistâ traditam ad conscientiæ securitatem sufficere, non obstantibus quibusvis in contrarium. Responsio ad 3.

Responsio ad 4.

Demum ex illo antecedente porta criminibus non aperitur, sed rationabiliter scitur, & prudenter creditur quid sit licitum; atque ita demum idipsum absque umbrâ sceleris in opus deducitur, non suffocando, sed fundando, aperiendo, & hilari obsequio dilatando bonam conscientiam. Nulla confusio in rem moralem inducitur, sed quæ prius confusa erant, novo lumine distinguuntur & elucidantur, adeoque veritatis indagatio acuitur, non impeditur. Neque hinc ullum salutis periculum incurritur, cùm nemo reus arguatur si fecerit, quod certò prudenter credit esse honestum.

Assertio 15.

ASSERTIO DECIMAQUINTA.

Authoritas viri præstantis aliquando quoad nos reddit suam opinionem certò probabilem; etsi illa sit côtra communem aliorum sententiam.

Authoritas unius Authoris doctrinâ ac pietate valdè præstantis reddit opinionem, quam contra communem doctorum sententiam absolutè tradit, quoad nos certò probabilem; modò dicat se ad ita sentiendum post omnia perpensa magnis rationibus, eisq; ab aliis nondum perpensis fuisse permotum. Certitudo hujus probabilitatis durat, donec alii reclament, & dicant rationes illas esse frivolas, & ad probabilitatem inducendam insufficientes.

Demonstratio assertî.

37. Demonstratur 1. pars, quæ connaturaliter sequitur ex assertione priore. Opinio plurium prudentum consentientium & affirmantium motivum aliquod esse probabile, infallibiliter connectitur cum veritate rei assertæ, ut demonstratum est quæst. 5. n. 32. Sed Suarez, Thomas Sanchez, Salonius, Valentia, Vasquez, Castro Palao, Bresserus, Esparsa, Caramuel, aliique quamplurimi, immò omnes ferè communiter docent authoritatem unius viri prudentis & pii esse motivum sufficiens, ut opinio, quam post diligens examen absolutè tradit, sit & habeatur probabilis; Ergo hoc infallibiter verum est. Porrò cum hi Authores aut expressè dicant singularem sententiam unius prudentis & pii, etiam contra communem oppositam, esse probabilem, aut certè universaliter absque exceptione ullâ suam hac in re sententiam tradant, manifestum est eos à fortiori complecti casum, prout in hac assertione proponitur.

Ratio Caramuelis ad idipsum probâdum, expenditur.

Caramuel hoc ipsum conatur probare in Apologemate hoc modo. Incredibile est virum doctum & pium ab omnibus recedere, viamque singularem inire voluisse sine gravi fundamento. Similiter incredibile est virum peritissimum confundere rationem gravem cum levi, maximè in quæstione, quam funditus examinavit. Sed hæc opinio singularis contra communem contrariam traditur à viro pio & prudente, qui singulari industriâ rem examinavit: Ergo illa habet fundamentum grave, ergo est probabilis. Minor, inquit Caramuel, supponitur evidens, major ab authoritate est valdè probabilis. Ergo & conclusio quæ eandem cum majore probabilitatem habet. Atque ita intrinseca probabilitas per extrinsecam probatur.

Ratio illa Caramuelis ostenditur esse insufficiês prout à Caramuele sumitur.

38. Discursus hic verus est, sed insufficiens ad intentum præsens, quia solùm convincit opinionem illam esse probabiliter probabilem, at ego assero esse certò probabilem. Nihilominùs ex hoc ipso discursu assertio ritè probatur hoc modo. Probabilitas intrinseca ex hoc discursu legitimè demonstratur esse probabilis propter singularem authoritatem talis viri. At probabilitas intrinseca non potest evadere certò probabilis ex vi probabilitatis extrinsecæ non certæ sed solùm probabilis, quia quod ex probabili solùm probabiliter sequitur, non est certò probabile; intrinseca autem probabilitas solùm sequitur probabiliter ab extrinsecâ; quia stante extrinsecâ, intrinseca potest deesse. Ergo intrinseca probabilitas

babilitas non esset certò probabilis, si sequeretur tantùm ex probabilitate extrinsecâ non certâ sed probabili. Rursus si extrinseca probabilitas sit solùm probabilis non certa; ergo fortè est, fortè non est. Ergo probabilitas intrinseca fortasse evadit, fortè non evadit probabilis; neque enim ritè inferri potest ejus probabilitas à motivo non probabili. At intrinseca probabilitas ita infertur, ut evadat certò probabilis. Ergo fieri non potest, quin motivum à quo infertur sit certò probabile. Non est autem nisi sola authoritas unius periti contra sententiam communem. Ergo illa est motivum certò probabile, ergo constituit assertum suum extrinsecè, & quoad nos certò probabile.

Secunda ejusdem rei probatio.

39. Probatur 2. Qui tali viro fidem adhibet, non judicat temerè, nec propter assensum datum meritò reprehendi potest. Ergo judicat prudenter & probabiliter. Ergo judicium illud nititur motivo prudenti & probabili. Antecedens patet, quia ille protestatur se ob graves & novas rationes à communi recessisse; quod si esset verum, evidens etiam esset opinionem illam esse intrinsecè probabilem quoad se. At non est prudenter credibile quòd mentiatur, cùm sit vir valdè probus. Ergo qui credit illi, non temerè sed prudenter assensum præbet.

Ratio à priori depromitur à discrimine probabilitatis intrinsecæ & extrinsecæ.

40. Ratio à priori istius & similium assertionum fundatur in discrimine inter esse intrinsecè, & esse extrinsecè probabile quoad nos. Opinio intrinsecè probabilis quoad aliquem est, quam ille gravi & probabili ratione fulciri experitur. Opinio verò extrinsecè probabilis quoad aliquem est, quam etsi ille gravi ratione fulciri non experiatur, illam tamen à gravi authoritate confirmari videt; omnis autem authoritas gravis est, & consequenter constituit motivum probabile, cui homines prudenter assentiuntur. At talis est authoritas unius viri prudentis, juxta dicta in assertione. Ergo illa sufficit ad reddendum objectum, quod affirmat, extrinsecè & quoad nos certò probabile.

Exponitur quamdiu hæc probabilitas duret.

41. Porrò certitudo hujus probabilitatis quoad nos tamdiu durat, quamdiu nobis non innotescit, quòd alii eas novas rationes ut frivolas & improbabiles rejiciant. Tamdiu enim certum est nos tali authoritati prudenter fidem dare. Quod si hoc modo reclament Authores, novarumque rationum pondus non sufficere ad probabilitatem contendant, illicò cessabit certitudo probabilitatis quoad nos, donec posteriorum ponderationes iterum examinentur, illisque non obstantibus adhuc propter nova motiva, eaque gravia vir prudens & probus absolutè affirmat veritatem partis oppositæ.

Limitatur doctrina allata, & clariùs declaratur.

42. Jam verò limitationes aliquas afferam pro pleniore assertionis intelligentiâ. Inprimis fieri potest, ut Author aliquis, post unanimem omnium aliorum sententiam damnantium opinionem aliquam ut improbabilem, adhuc illi absolutè assensum præbeat. In hoc casu nullo modo audiendus est, nisi rationes novas afferat, quæ aut à ratione aut ab authoritate sacrâ desumptæ efficaciter faveant opinioni singulari. Quòd si tales rationes novas afferat, opinio illius erit probabilis, dummodo instar viri docti & pii, post sedulam omnium argumentorum inspectionem, ex animo sincero veritatem discendi illam veram esse absolutè credat; & extrinsecè quoad nos evadet certò probabilis, si prudenter negari non possit, quin ille tales rationes habeat, & judicium, sicut decet virum peritum & probum, elicuerit. Ratio primæ partis est, quia eo ipso quòd ille solus habeat motivum aliquod pro gravi & probabili, quod omnes ut leve & nullius momenti respuunt, manifestè apparet illum ex aliquâ passione obcæcatum temerè judicâsse. Parvi ergo ducenda est ejus authoritas, nisi alia argumenta afferat,

 quam

quam quæ omnibus jam nota sunt, & ab aliis omnibus tanquam levissima sunt rejecta. Ratio secundæ partis est, quia jam novas rationes antiquioribus Authoribus non perspectas, easque magni momenti pro se habet, quæ eo ipso sunt verè probabiles, quòd omnibus aliis motivis apud virum peritum sincerè & absque passione discurrentem prævaleant. Hoc enim est evidens indicium probabilitatis veræ. Jam verò opinio illa erit quoad nos certò probabilis extrinsecè, quamdiu certò prudenter possumus illi fidem præbere, durabitque hæc certa probabilitas extrinseca, nisi reclamantium obstet authoritas; si enim Authores postea rationes illas ut improbabiles rejiciant, evidens est præsumptio, vel quòd Author opinionis singularis aliquâ passione excæcatus suam sententiam protulerit, vel quòd sententiam suam exteriùs affirmando mentitus sit.

Opinio singularis viri ad novitates inclinati, si sit contra communem, non est certò probabilis quoad nos

43. Rursus si vir cæteroquin doctus cognoscatur ingenii in rebus moralibus paradoxi, & ad res novas multùm inclinati, etsi ille pro sententiâ suâ singulari novas authoritates & rationes dicat se reperisse, ex ejus solius testimonio vix quoad nos cōstare poterit, opinionem illam esse certò probabilē; cùm detur præsumptio rationabilis, illum suam sententiam, non ut virum doctum & pium decet, sed ex aliquâ mentis perturbatione vel passione protulisse. Cessabit autem hæc præsumptio, quoties alii Doctores nullâ simili notâ infames sententiam ipsius amplexi fuerint; tunc enim constabit, eum illâ in re sapienter judicium protulisse. Hoc autem, quod hîc noto, maximè locum habet, quando sententia profertur non solùm nova & singularis contra unanimem aliorum omnium consensum, sed etiam quæ primo aspectu videtur esse contra sensum communem, & vel ideò apparet paradoxa, quia vel ex ipsis terminis apparet dura, & absurda; tunc enim quoad nos datur potior locus præsumptioni quòd ille sinistro aliquo affectu excæcatus sententiam dixerit. Idem valet de eo, qui in re magni momenti, vel pro se, vel pro suis consanguineis magnum habet interesse; quia præsumptio illa, ***nemo judex esse debet in propriâ causâ***, magnum præbet fundamentum timendi, ne is in sententiâ ferendâ affectu aliquo perturbante animum motus fuerit, cùm præsumamus eum in tali materiâ non esse idoneum Judicem. In his casibus, aliisque similibus, nunquam constare poterit, sententiam singularem, maximè contra communem aliorum opinionem, esse verè probabilem, ut vel ex ipsâ definitione opinionis probabilis apertè constat.

Assertio Auctoris ex industriâ incūbentis ad inveniendas rationes pro laxandâ conscientiâ, si sit contra cōmunem, nō est certò probabilis quoad nos.

44. Ad hanc classem accedunt ii, qui nescio quâ de causâ inducti, toti in eo laborant, ut rationes inveniant ad obligationes aut tollendas aut minuendas; hi enim cum debitâ animi dispositione ad veritatem investigandam non accedunt, quia ex industriâ in omnibus latissimam viam inire conantur, atque dum laxiorem viam suâ authoritate conantur stabilire, sibimetipsis obstant, illudque quod prætendunt, non modo non assequuntur, sed illi obtinendo potiùs obicem ponunt; efficiunt enim ut ex suâ ipsorum Authoritate nulla probabilitatis accessio parti, cui favent, accedat, cùm ansam dent præsumptionibus, quòd ob affectum in unam partem indebitè propensum in suis discursibus, non ut virum prudentem decet, conclusionem elicuerint, rationesque pro parte oppositâ, non ut decet, examinaverint; atque ita fit, ut apud sinceros rerum æstimatores propria eorum authoritas vilescat, quodque in omni deliberatione, quam inordinatus affectus regulat, moris est evenit, ut medium, quod authoritati acquirendæ opportunum credebant, eidem aut perdendæ aut minuendæ causam præbeat. Quocircà si tales viri aliquid singulare afferant, maximè verò contra sententiam,

sententiam, aut sensum communem, non illicò censeri poterit certò probabile. Si verò aliquid cum aliis commune affirment, id cum quidem gradum probabilitatis habebit, quem à priorum asserentium authoritate habuerat, sed ab illius authoritate probabilitas illa vix ullum incrementum accipiet, nisi fortè pro casu raro, quo arctiorem sententiam amplecteretur, aut aliunde constaret, eum nullâ passione vehementi impeditum suam sententiam protulisse. Neque verò ex modernis casuum scriptoribus & collectoribus desunt aliqui, quibus hæc nota inuri posse videtur, ut ex eorum libris & modo discurrendi, ac procedendi apparet; qui proinde parvam suis dictis authotatem conciliant. Novi etiam ingeniosos Theologiæ Magistros, qui sibi laudi vertebant ad laxiorem in rebus moralibus sententiam propendere, eamque defendere; qui licet, utpotè pii viri, nil novi contra communem aliorum sententiam ausi sint asserere, id tamen effecerunt, ut ob præposteram ad rectè in re maximi momenti discurrendum dispositionem, propriæ existimationi non benè consuluerint, nullumque apud talis dispositionis conscios, amplioris probabilitatis gradum sententiæ, quam defendebant, suo calculo attulerint.

Solvuntur Objectiones.

Objectio in contrarium.

45. OBjicitur. Non desunt Authores graves, qui tenent unius Doctoris authoritatem ad probabilitatem non sufficere. Ita sentiunt Vasquez *1. 2. disp. 62. cap. 4. n 17.* Et Turrianus *de Iustitia disp. 50. dub. 2. n. 7.* At eorum authoritas reddit ipsorum sententiam aut certò, aut ad minimum probabiliter probabilem. Ergo opposita non potest esse certò probabilis; quia quod est certò probabile, non potest esse nec certò nec probabiliter non probabile. Ergo unius opinio contra communem non est certò probabilis, nec multorum conspiratio in asserendâ doctrinâ, quam hic tradimus, reddit eam certam.

Solvitur objectio.

Respondeo tam Vasquem, quàm Turrianum, aliosque, si qui sint, cum illis sentientes reipsâ non discordare à communi, eâque certissimâ sententiâ; nam illi loquuntur de probabilitate intrinsecâ, quæ nunquam certò innotescit per assertionem unius viri periti, etsi loquatur de re, quam alii non tractârunt, nedum si singularis sit contra sententiam communem, uti sæpè dictum est. At nos loquimur de probabilitate extrinsecâ, eamque dicimus esse certam, eò quòd unius authoritas, qui novis gravibusque rationibus movetur ad singularem opinionem, manifestè ad hoc sufficiat. Ecce omnes in hac re, si ritè intelligantur, conveniunt. Quòd autem Vasquez & Turrianus de intrinsecâ probabilitate loquantur, mox patebit. Et certum est, neutrum illorum adversari assertioni hîc positæ, si illa cum limitationibus in ipsâ thesi expressis accipiatur, ut palam fiet unicuique illos legenti. Quòd si sint alii (quos non vidi) qui videantur contra nos sentire, fieri potest 1. ut loquantur de probabilitate intrinsecâ. 2. ut aliter, quàm nos, terminos accipiant. 3. ut non apponant limitationes, quas apposui; At in hoc sensu non contrariantur nobis, ut patet. Si qui ergo sint, qui contra nos loqui videntur, aliquo horum modorum interpretandi sunt. Nam si quis verè contrarium teneat, manifestè errat, adeoque ejus authoritas hac in re nullius momenti habenda est.

Vasquez nobis non contrarius.

46. Et quidem quod attinet ad Vasquem, ille loco citato expressè docet licitum esse unicuique operari contra propriam sententiam, quam putat probabiliorem; alienamque, etsi suo judicio minùs probabilem, sectari; modò illa ratione non destituatur, sed sit verè probabilis. Tum pergit & dicit opinionem unius Doctoris contra pro-

priam & communem sententiam, si illa ex propriis fundamentis considerata mihi non probetur,) id est si fundamenta illa mihi probabilia non appareant) utique non erit mihi censenda sufficienter probabilis, ut eam contra meam & communem sententiam sequar. Hoc est, quod Vasquez loco citato docet; in quo nobis non contradicit; Primò quia loquitur pro casu, quo vir peritus examinavit fundamenta singularis sententiæ, suæ communique aliorum omnium opinioni contrariantis, atque advertit ea esse adeò debilia, ut sententia illa, propter authoritatem unius tali nixam fundamento, reputari non debeat probabilis, contra propriam communemque opinionem. At ego loquor pro casu, quo quis nova eaque gravia affert argumenta, hactenus ab aliis aut non discussa, aut certè non reprobata. Deinde ille loquitur de homine operante contra propriam sententiam; ego loquor potissimè de illis, qui nullam hac in re propriam sententiam habent, quique dictas illas rationes nondum sufficienter examinârunt, nec tenentur eas examinare, antequam operentur. 3. Vasquez ibidem expressè fatetur, Authorem illum singularem posse sequi suam singularem opinionem, etsi minùs tutam, contra communem aliorum omnium tutioremque sententiam, modò Doctor ille rem funditus examinaverit, & non temerè aut ex passione sententiam tulerit, quia talis opinio est intrinsecè probabilis quoad illum. Rursus docet, quòd unusquisque possit sequi alterius sententiam contra propriam, non minùs quàm subdito sui præpositi opinioni contra propriam obedire liceat. Jam certum est apud Vasquez, quòd si superior sit vir doctus & pius, declaretque se habere motiva gravia, & ab aliis non perpensa pro suâ singulari sententiâ, liceat subdito superioris sententiam sectari. Ergo certum est apud Vasquez, & ex ejus doctrinâ sequitur, quòd unius Doctoris sententia in sensu assertionis sit certò probabilis, quòdque eam sequi liceat, etiam contra propriam communemque sententiam.

Sententia Vasquez explicatur, seu potiùs refertur.

47. Atque hinc alia sumitur limitatio, quam ipse Vasquez ibidem addit *n. 18.* scilicet sententiam illam doctoris singularis non debere esse antiquatam; per hoc ipsum enim quod antiquata sit, propter novas rationes à posterioribus detectas, jam reddita est improbabilis. Quare sermo est de sententiâ singulari non antiquatâ, quam scilicet posteriores non rejiciunt ut improbabilem, vel quia illam non examinârunt, vel quia eam fatentur esse probabilem.

Opinio antiquata nō est ampliùs probabilis quoad nos.

48. Porrò Turrianus loco illo solùm docet, reum etiam in causâ sanguinis teneri ad manifestandam veritatem Judici interroganti, si semiplena criminis probatio præcesserit; asseritque cum multis gravibus Authoribus, immò cum communi sententiâ oppositum esse improbabile, non obstante authoritate Panormitani, qui cum tribus quatuorve summistis (inter quos nominat Sylvestrum & Armillam *verbo confessio delicti*, qui cursim oppositam sententiam enuntiant) qui contrariam opinionem tenent. Ideò autem negat summistas quidquam Authoritatis addere, quia plerumque solùm attendunt, quid alii dixerint, non autem quid ratio postulet. Ecce Turrianus loquitur de sententiâ antiquâ, immò & antiquatâ apud ipsum, quam ipse cum aliis communiter ut improbabilem rejicit. Neque obstare debet Panormitani paucorumque antiquiorum summistarum authoritas; quia in eorum fundamentis nulla jam intrinseca probabilitas reperitur; rationes enim, quas pro suâ communique sententiâ Turrianus congerit, tales sunt, ut rationes oppositæ relatæ ad illas aut parvi aut nullius momenti censendæ sint. Ecce loquitur de manifesto defectu probabilitatis intrinsecæ, adeoque etiam ex consequenti de defectu probabilitatis

Turrianus nobis non cōtradicit. ejus sententia exponitur.

probabilitatis extrinsecæ; hæc enim semper fundat rationabilem præsumptionem de probabilitate intrinsecâ, ac proinde quoties defectus probabilitatis intrinsecæ est manifestus, toties nulla authoritatis ratio habenda est. Ecce Turrianus solùm dicit authoritatem unius aut paucorum ex antiquioribus Authoribus, maximè si sint Summistæ, non sufficere ad probabilitatem, quando posteriores Theologi rationes invenerunt, propter quas uno ore priorem sententiam improbabilitatis damnant; hoc ego etiam docui. *num. 41.* Imò ulteriùs, affirmo, quòd neque unius moderni Doctoris authoritas contra communem sententiam ad probabilitatem sufficiat, nisi novas easque graves pro se habeat rationes, quas alii post earum examen nondum ut futiles rejecerunt. At nullibi docet Turrianus unius Doctoris opinionem ad probabilitatem non sufficere, quando novas rationes easque gravissimas pro suâ sententiâ producit. Ergo nulla authoritas impugnat præsentem assertionem.

Aliqui Summistæ summis Theologis comparandi.

49. Cæterum etsi Turrianus, congruè ad præsentem tractatum, distinguat inter Summistas, & Authores Theologos, non tamen per omnia probo quæ dicit. Summistæ enim alii fuerunt summi Theologi, & in rebus moralibus longè doctissimi; Quales fuisse constat Caietanum, Sylvestrum, Emmanuelem Sa, & Franciscum Toletum; de talibus idem dicendum est, quòd de authoribus primariis; si quidem non minùs diligentiæ impenderunt in suis summis concinnandis, quàm qui omnes suas speculationes & rationes fusiùs evulgârunt. Et de his Turriani censura manifestè nimia est. Alii sunt meri collectores, qui præcipuè inquirunt quid alii dixerint, ut illud collectim proponant. Jam certum est, quòd plurium talium authoritas nullâtenus comparanda est cum authoritate unius Theologi, qui funditus res ipsas excussit. Quòd si talis Author quid singulare doceret, maximè contra communem sententiam, illud non esset ne quidem probabiliter probabile. Quod cum illis ipsis notum sit; nunquam ex suâ sententiâ absque aliorum authoritate quidquam definiunt. Alii demum docti sunt, & in principiorum moralium studio non mediocriter profecerunt, & hi tantum authoritatis dant suæ sententiæ, quantum derivari potest à singulari eorum studio & doctrinâ, juxta utriusque magnitudinem ritè perpensam. Sed unius tantùm authoritas ad certam probabilitatem non sufficit, maximè si sit contra communem aliorum sententiam. Turriani ergo censura summistas secundi ordinis ita complectitur, ut ulteriùs extendi non debeat.

Alii parvam probabilitatē suis dictis conciliant.

Tres Summistarum classes sūt, ad quas omnes reduci possunt.

Secunda objectio.

50. Objicies 2. Honoratus Fabri in *dial. de opin. prob.* etsi admittat quòd in novis & nondum tractatis unius authoritas certò moveat ad assensum prudentē; si tamen unus Author contra alios reclamantes asserat opinionem aliquam esse probabilem, negat quod illius authoritas sufficiat ad certam probabilitatem, quamvis gravissimâ ratione ducatur, & nil dicat contra lumen naturæ, aut communem fidelium sensum, vel usum Ecclesiæ; putat enim quòd toto hoc stante talis assertio non sit certò sed solùm probabiliter probabilis. Ergo signum est, posita in assertione ad certam probabilitatem non sufficere; alioquin vir solidè doctus ac prudens, qui rem hanc ex professo examinavit, negâsset assertionem evidenter veram, quod non est credibile.

Solvitur hæc objectio.

Resp. Fabrum ita quidem docere, sed nobis non contrariari, qui expresè docemus, opinionem singularem, si alii reclament, judicentque rationes, quas Author ille affert ad probabilitatem non sufficere, eo ipso non esse certò probabilem quoad nos, immò puto, quòd opinio illa non maneat probabiliter probabilis. Ecce Faber non negat, quod opinio Doctoris singularis

Mens Honorati Fabri circa rem hanc explicatur.

gularis &c. non sit certò probabilis, sed solùm quòd perdat certitudinem probabilitatis, quando alii reclamant. At ego ita admitto hoc secundum à Fabro dictum, ut etiam asseram primum ab illo non negatum. Faber ergo plus dicit quàm ego, quia vult opinionem illam non obstante aliorum contestatione manere probabiliter probabilem, quod tamen in eâ universalitate ego non admitto; fieri enim potest ex aliorum contradictione, ut opinio illa singularis sit quoad nos certò improbabilis. Deinde Fabri, ut ex contextu patet, loquitur de probabilitate intrinsecâ & quoad se; ego loquor de probabilitate intrinsecâ, & quoad nos.

Assertio 16.

ASSERTIO DECIMASEXTA.

Apud virum peritum omne illud est certò probabile, quod aut probabiliter sequitur ex certis; aut certò consequitur ex unâ præmissâ certâ, & alterâ certò probabili. E contrà nihil illico evadit certò probabile ex eo, quòd vel probabiliter ex probabili, vel certò deducatur ex utrâque præmissâ probabili.

Constat ex dictis quæst. 5. assert. 5. n. 13. & ex eâdem quæst. assert. 2. n. 3.

Corollarium.

Multa apud Modernos asserta inveniuntur, quæ certò probabilia non sunt.

Quæ contra communem omnium sententiam merè à pari deducantur non

51. Hinc sequitur, multa reperiri apud Authores, potissimè in re morali, quæ judicari non debent certò probabilia. Nominatim autem sunt ea, quæ contra communem sententiam solùm à paritate alterius sententiæ probabilis deducuntur. Plura istiusmodi invenire est apud Caramuelem in Theologiâ fundamentali (quæ tamen ipsemet postea retractavit) aliosque non paucos. Ratio est, quia quod solùm probabiliter sequitur ex probabili, non est certò probabile: sed quod infertur à pari, solùm infertur probabiliter; quia omnis disparitas possibilis, etsi non appareat, efficit ne consequens sequatur; imò etsi nulla sit disparitas, adhuc consequentia non est necessaria, quia voluntas legislatoris poterat ferri ad unum & non ad alterum. Ergo quod infertur solùm à pari ex opnione probabili non est certò probabile. Ut ergo talis opinio evadat certò probabilis, defectibilitas illationis conferri debet cum efficaciâ paritatis, simulque inspici debent præsumptiones, quibus Legislatoris intentio probatur æquè ferri ad utrumque; & tum demum, si omnibus inspectis viri prudentes communiter asserant hoc motivum esse probabile, reputari debet tale; secus autem dicendum, si unus solus paritatem instituat, & ab eâ aliquid inferat ut probabile, quod per communem sententiam falsum & improbabile reputatur. Tam parva enim authoritas tam fallibili fundamento nixa non dat fundamentum grave ad recedendum à sententiâ communi.

sunt certò probabilia.

Objectiuncula.

52. Dices, quidquid hactenus dictum est de opinione certò probabili procedit de subjecto non supponente: quia nulla opinio esse potest certò probabilis, probabilitas enim mutari potest; siquidem opinio ex probabili evadere potest improbabilis. At quod est certum variari non potest.

Solvitur objectiuncula.

Resp. argumentum æquè probare, nemini certum esse posse, quod lapis sit calidus, quia lapis ex calido fit frigidus, cum tamen quod certum est, mutari non possit. Dico ergo probabilitatem esse prædicatum contingenter connexum cum propositione, probabilitas enim à multis conflatur, quæ, stante propositione, variari possunt. Conflatur enim ex ratione, & authoritate gravi seu probabili; ex argumentorum contrariorum solutione, ex authorum consensu, &c. Quamdiu hæc, aliaque hujusmodi manent, opinio manet probabilis; si hæc mutentur, probabilitas quoque desinit.

ASSER-

Assertio 17.

ASSERTIO DECIMASEPTIMA.

Quæ contra commmunem sententiam solùm per trãsennam dicuntur non sunt certò probabilia quoad nos.

Quod ab aliquo tantùm, aut ab aliquibus paucis Authoribus dicitur per transennam, maximè si sit contra communem opinionem, non semper judicari potest probabile.

Demonstratio assertii.

53. Probatur. Non semper est fundamentum credendi, authorem illum ritè examinâsse omnia, quæ contra tale assertum afferri possunt, adeóque non constat, assertum illud cum eâ serietate prolatum fuisse, quæ necessaria est ad fundandam probabilitatem extrinsecam, & ad arguendam intrinsecam. Ergo taliter asserta non semper possunt judicari probabilia, nisi aliunde credibilitatem accipiant, quàm ab accidentali illâ, & non benè discussâ talis authoris assertione. Minimè verò talia judicari debent, quando communi aliorum sententiæ adversantur.

Limitatur præcedens assertio.

54. Nec tamen existimes, Corollaria evidenter deducta ex principaliter assertis, & post seriam argumentorum omnium contemplationem conclusis, in hanc classem rejici debere; illa enim eandem cum principali asserto probabilitatem obtinent, ut dictum est qu. 5. Assert. 2. Imo etsi probabiliter tantùm deducantur, censenda sunt saltem probabiliter talia, quia nemo solet talia inferre, nisi post sufficientem rerum omnium ad ea spectantium considerationem; quâ habitâ, tradit illa tanquam complementum doctrinæ principalis, quam ex professo examinat, hoc autem sufficit, ut assertum aliquod evadat probabiliter probabile.

Assertio 18.

ASSERTIO DECIMAOCTAVA.

Quæ post majorem diligẽtiam traduntur, cæteris paribus sunt aliis probabiliora.

Illa quoad nos sunt certò probabiliora, quæ cæteris paribus traduntur ab iis, qui diligentiùs rem examinârunt à fundamentis, quàm quæ post tantam diligentiam tradita non sunt. Idem dicendum de iis, quæ cæteris paribus à posterioribus traduntur, maximè in materiâ spectante ad jus humanum positivum.

55. Probatur ex dictis quæst. 5. assert. 6. item assert. 9. num. 27. & seq. nam ex iilis assertio hæc evidenter deducitur.

Assertio 19.

ASSERTIO DECIMANONA.

Quæ ex se vehementiùs intellectum trahunt sunt aliis probabiliora.

Quoad peritos illæ opiniones sunt certò probabiliores, quarum fundamenta ritè perpensa, antecedenter ad affectum aut absolutum assensum uni parti alligatum, manifestè magis trahunt ad assensum, quàm motiva alteri opinioni faventia.

Demonstratio assertionis.

56. Veritas asserti patet, quia mensura probabilitatis consistit in magnitudine inclinationis allicientis ad assensum; modò inclinatio illa antecedat assensum & affectum ulli contradictionis parti alligatum. Ergo si hæc inclinatio sit certò major quoad aliquem, probabilitas ipsa quoad eundem erit etiam certò major. Jam manifestum est omnem probabilitatem, suos gradus habere; eosque sæpè esse evidenter ab invicem discernibiles. Sic in alearum jactu probabilius est, quòd ex centum jactibus fortuitis Petri sæpiùs evenient puncta paria, quàm ex octoginta Pauli. Hic excessus probabilitatis intrinsecæ est evidens. Nihilominùs in multis casibus, tum propter dissimilitudinem motivorum, tum propter parvum excessum inter inclinationes à diversis motivis excitatas, hæc diversitas non est certò perceptibilis, & in hoc casu peritus errare potest, dum credit unam opinionem esse aliâ probabiliorem, ut satis patet.

Aliquando major probabilitas est, aliquando non est evidenter discernibilis.

Assertio 20. Difficile sæpe est scire, quænam omnibus pensatis sint reliquis probabiliora.

ASSERTIO VIGESIMA.

Sæpè impossibile est certò scire quænam opinio sit quoad se probabilior aliâ, etsi certum sit, quænam quoad nos probabilior sit aliâ.

Demonstratio asserti.

57. PRobatur ex Caramuele in Apologemate, cum quo sic discurro. Illa opinio est probabilior extrinsecè, quæ majore nititur authoritate. Sed sæpè impossibile nobis est scire, quænam authoritas reipsâ sit major; authoritas enim consistit in magnitudine doctrinæ, industriæ & probitatis: sic si quis sit decies doctior alio in aliquâ materiâ, & uterque eandem diligentiam in veritatis investigatione impendat, certum est, quòd sententia illius unius sit quoad se multò probabilior extrinsecè, quàm opinio à pluribus minùs doctis asserta. Rursus si doctior ille majorem diligentiam impendat quàm minùs docti, ex hoc iterum probabilitas extrinseca reipsâ incrementum sumet. At sæpè impossibile est certò scire, quisnam duorum majorem habeat peritiam in hac materiâ particulari, aut quis majorem diligentiam impenderit. Contingit enim aliquando aliquem, cujus peritia nos latet, esse longè doctiorem in aliquâ materiâ, majoremque in illâ diligentiam impendisse, quàm qui magnâ doctrinæ & diligentiæ famâ celebrantur. Ergo sæpè impossibile nobis est certò scire, quænam opinio sit reipsâ extrinsecè probabilior, non solùm quando utraque æquali fermè Authorum numero fulcitur, sed etiam quando una à paucis tantùm probatur, & alia longè plures sectatores habet.

Aliquando certò constat, quænam opinio sit quoad nos probabilior aliâ.

58. Nihilominùs in hoc ipso casu aliquando quoad nos certum esse potest, quòd una opinio sit aliâ probabilior. Illa enim opinio est quoad nos extrinsecè probabilior, de quâ habemus evidentes præsumptiones, quòd majore authoritate nitatur. Sic opinio, à tribus apprimè doctis funditùs examinata & unanimiter approbata, est quoad nos extrinsecè probabilior, quàm opinio quæ solùm à duobus non tantæ famæ in doctrinâ, diligentiâ, & probitate traditur; quia sunt evidentes præsumptiones, quòd eorum authoritas sit major istorum authoritate, quamvis præsumptiones illæ aliquando fallant. Sic sæpè majores sunt præsumptiones de sanctitate hypocritæ, quàm alterius viri sanctissimi. Atque hinc est, quòd omnes libenter acquiescant authoritati eorum, qui propter præsumptiones manifestas amplioris doctrinæ ac diligentiæ habentur majoris authoritatis. Ideò rectè & plausibiliter dixit Bernardus, malle se cum Augustino errare, quàm cum aliis sapere.

Inter opiniones classicas difficillimum est discernere quænam sit probabilior opposità.

59. Cæterùm inter opiniones, quæ in scholis communes sunt, sæpè difficillimum est determinare, quænam illarum, etiam quoad nos, sit probabilior. Quis enim præcisè ex hujusmodi præsumptionibus proferre potest sententiam Thomisticam tamquam probabiliorem Scotistarum opinione? Nemo certè, qui utriusque rationes funditus non examinat, & absque passionis impetu eas inter se comparat; Verùm neque sæpè sic poterit litem derimere, & si unam alteri præferat, jam fert sententiam de intrinsecâ tantùm earum probabilitate, idque non absolutè, sed relatè ad seipsum; nam si loquatur absolutè, plurimos contradictores habebit, siquidem tam Scotistæ quàm Thomistæ suas opiniones oppositis probabiliores esse uno ore contendunt. Ergo in casu tali vix quisquam certificari potest, utrùm illa sententia sit probabilior opposità, sive sermo sit de intrinsecâ, sive de extrinsecâ ejus probabilitate.

Inter alias opiniones sæpè evidenter discerni potest quænam sit probabilior aliâ.

60. At aliæ sunt opiniones, inter quas facilè est discernere, quænam illarum sit quoad nos probabilior aliâ. Illæ enim rationes quoad nos censentur probabiliores, seu majori vi ad assensum alliciendum pollere, à quibus de facto videmus longè plures

plures æquè doctos aut doctiores liberè opinantes in assensum trahi. Musica enim enim illa melior est & suavior, quæ pluribus benè dispositis gratior accidit. At sæpè evidens est plures æquè doctos aut doctiores liberè discurrentes magis adhærere uni opinioni, quàm alteri. Plures, inquam, qui propter evidentissimas præsumptiones apud nos habentur æquè docti, aut doctiores aliis. Ergo sæpè evidens est, aliquam opinionem quoad nos esse tam extrinsecè quàm intrinsecè aliâ probabiliorem. Extrinsecè quidem propter authoritatem longè majorem uni quàm alteri faventem; intrinsecè verò, quia per discursum scimus, quòd melioribus fundamentis nitatur. Colligimus autem fundamenta hujus sententiæ esse potiora, quia placent pluribus æquè doctis aut doctioribus liberè opinantibus, quàm alterius opinionis fundamenta.

Major opinantium multitudo non semper arguit majorem probabilitatem.

61. Dixi, *à pluribus liberè opinantibus*, quod valdè attendendum est; nam si qui ex juramento, aut lege aliquâ obligentur ad particularem opinionem docendam, probabilitas extrinseca quoad nos non augetur proportionaliter cum numero Authorum uniformiter sentientium, neque intrinseca probabilitas præsumitur æqualiter crescere cum Authorum multitudine, quia semper adest præsumptio, quòd ab urgente obligatione stimulati ad ita sentiendum, quòdque plures eorum, si liberè opinari potuissent, in contrariam sententiam deflexissent.

Regulæ de Probabilitate quoad nos.

Regula prima.

Vide asser. 1. hujus quæst.

Omne illud est certò probabile viro perito & probo, quod ille post omnium aut potissimorum in utramque partem considerationem judicat esse probabile, modò absolutè existimet sententiam contrariam esse veram, & conscius sit, se absque passione sententiam suam protulisse.

Regula II.

Illud est certò probabile viro perito, quod ille, post omnium aut potissimorum inspectionem, aut absolutè verum esse existimat, aut judicat esse certò probabile, modò conscius sit se absque passionis impetu suam dixisse sententiam. Vide asser. 1. hujus qu.

Regula III.

Quod peritus post diligentem quæstionis discussionem judicat esse probabile, est quoad illum certò probabiliter tale. Imò absolutè reputare potest illud certò probabile, modò conscius sit se, ut probum & peritum decet, judicâsse. Vide quæst. hanc n. 8.

Regula IV.

Quidquid vir peritus evidenter scit ritè inferri ex unâ præmissâ certâ & alterâ probabili; aut probabiliter inferri ex ambabus præmissis certis, quoad illum est certò probabile. Vide quæst. hanc n. 8.

Regula V.

Quoad Idiotam omne illud est certò probabile, quod illi à viro, qui habetur peritus & probus, proponitur ut verum, quamdiu nemo, nec propria ratio quidquam in oppositum suggerat. Vide quæst. hanc n. 9.

Regula VI.

Illud ab Idiotis, omnibusq; aliis, qui ab extrinsecâ authoritate gubernantur, reputari debet certò probabile, quod vir peritus & probus asserit esse certò probabile. Quod autem simpliciter asseritur esse probabile, est certò probabiliter tale quoad Idiotas, imò ab illis reputari debet certò probabile, modò nil afferatur in contrarium. Vide quæst. hanc n. 12.

Regula VII.

Quidquid ab omnibus asseritur esse probabile, etiam ab illis, qui absolutè existimant illud esse falsum, est certò probabile quoad omnes, qui rationes non expendunt, aut novas easq; magni momenti in contrarium non habent. Vide quæst. hanc n. 17.

Regula VIII.

Illa propositio est certò probabilis quoad omnes, qui novas easq; urgentissimas rationes non habent, quæ de præsenti viget in Ecclesiâ, quámque sapientes non improbant, & Ecclesia tolerat. Vide quæst. hanc n. 19.

REGULA IX.

Vide quæst hanc n. 18 *Omnis propositio, quam tres quatuorvè viri doctrinâ & pietate præstantes absolutè tradunt ut veram, aut, etsi teneant oppositum, docent esse probabilem, est certò probabilis quoad nos, modò nemo talis opinionis probabilitatem in dubium revocet, licèt alii communiter ut falsam rejiciant.*

REGULA X.

Vide ibid. num. 21. *Omnis opinio de præsenti communis in scholis Catholicis, cujus probabilitas a viris peritis in dubium non revocatur, est quoad nos certò probabilis.*

REGULA XI.

Ibidem num. 23. *Nulla opinio, cujus probabilitas aut negatur, aut in dubium revocatur à tribus quatuorvè viris modernis pietate ac doctrinâ præstantibus, est certò probabilis quoad eos, qui rationes ipsas non expenderunt.*

REGULA XII.

Vide hanc quæst. n. 26 *Omnis opinio, quam gravis Author Modernus, maximè in rebus ad Ius humanum spectantibus, asserit esse communem, & pro eâ multorum loca citat, est quoad nos certò probabilis, non quidem omnimodâ, sed humanâ quâdam certitudine.*

REGULA XIII.

Vide hanc quæst. n. 28 *Omnis opinio, pro quâ gravis Author citat tres vel quatuor Doctores præstantes, est quoad nos humano modo certò probabilis, modò Author ille publicè habeatur verax in suis citationibus; secus dicendum de illo, qui sæpè labitur in suis citationibus, etiam quoad substantialia, & tali notâ discernitur ab aliis, qui in citando veraces habentur.*

REGULA XIV.

Vide quæst. hanc n. 29. *Quod à singulari viro probo multùmque perito absolutè asseritur; si sit in re, quam nemo præter illum tractavit, quodq; dicit nec repugnet sensui communi, nec appareat connexum cum aliquo absurdo, est certò probabile quoad nos.*

REGULA XV.

Authoritas unius Authoris doctrinâ ac pietate præstantis reddit opinionem, quam contra communem Doctorum sententiam absolutè tradit, quoad nos certò probabilem; modò dicat se post omnia perpensa magnis rationibus, quas alii non examinarunt, ad sic existimandum fuisse permotum. Certitudo hæc durat, donec alii reclament, & dicant rationes illas esse frivolas, & ad probabilitatem insufficientes. Vide quæst hanc n. 37. & seqq.

REGULA XVI.

Omne illud apud virum peritum est certò probabile, quod aut probabiliter sequitur ex certis, aut certò consequitur ex unâ præmissâ certâ & alterâ certò probabili. E contrà nil illico evadit certò probabile, eò quòd vel probabiliter ex probabili, vel certò deducatur ex utrâque præmissâ probabili. Vide asser. 18. hujus ad n. 51.

REGULA XVII.

Quod ab aliquo tantùm, vel aliquibus paucis Authoribus solùm dicitur per transennam, maximè si sit contra communem sententiam, non semper judicari potest probabile. Vide quæst hanc n. 53.

REGULA XVIII.

Illa sunt certò probabiliora quoad nos, quæ cæteris paribus traduntur ab iis, qui diligentiùs rem à fundamentis examinârunt, quàm quæ post tantam diligentiam tradita non sunt. Idem dicendum de iis, quæ cæteris paribus à recentioribus traduntur, maximè in rebus ad jus humanum spectantibus. Vide quæst. hanc n. 55.

REGULA XIX.

Quoad peritos illæ opiniones sunt certò probabiliores, quorum fundamenta ritè perpensa, antecedenter ad affectum aut absolutum assensum uni parti alligatum, manifestè magis trahunt ad assensum, quàm motiva alteri parti faventia. Vide quæst hanc n. 56.

REGULA XX.

Sæpè nobis impossibile est certò scire, quænam opinio sit quoad se probabilior aliâ, etiamsi certum sit quænam earum sit probabilior quoad nos. Vide quæst hanc n. 57.

QUÆ-

QUÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum intellectus assentiri possit parti probabiliori, quando pars opposita ipsi apparet probabilis?

Status quæstionis.

Status quæstionis.



1. QUòD intellectus per voluntatis imperium possit assentiri motivo probabiliori, spreto minùs probabili, adeò notum est, ut nunquam credidissem virum doctum veritatem tam apertam in dubium revocare potuisse. Verùm Mercorus *parte 2. art. 7.* aliter sentit; nam expresse tradit intellectum flecti non posse in assensum partis probabilioris, quamdiu pars opposita apparet probabilis. Quocirca ne quis ex Mercori opinione hac in re offendiculum patiatur, quæstio hæc dilucidè proponenda est, ejusque veritas demonstranda.

Cóvenientia hujus quæstionis

Quæstiónis Resolutio.

ASSERTIO UNICA.

Assertio unica.

Intellectus assentire potest motivo probabiliori spreto minùs probabili.

Quando utraque pars contradictionis eidem intellectui apparet probabilis, sed una alterâ probabilior, voluntas flectere potest intellectum in assensum partis probabilioris.

Prima probatio.

2. DEmonstratur 1. ex omnium communi experimento, & apertâ confessione, qui, quamvis post exactam quæstionis discussionem arbitrentur, & asserant, unam contradictionis partem esse probabilem, simul tamen, hoc non obstante, absolutè affirmant oppositam esse absolutè veram propter motiva probabiliora, quibus eorum intellectus ad illam asserendam impellitur. Legantur Authores, & nil hac veritate frequentius reperietur. Itaque dicendum est, hos authores aut nescisse, quid senserint, aut ignorâsse contra quæ motiva judicium tulerint; aut certè eos mendacii reos arguendos esse. Si enim mentiti non sint, sed sciverint cui parti, contra quæ motiva, assensum præbuerunt, evidens est, eos assensum præbuisse uni parti contradictionis, quamvis simul viderent, & crederent alteram partem esse probabilem; quia expresse hoc asserunt. At quis dubitare potest, an omnes isti authores mentiti fuerint, aut ignoraverint cui parti, & contra quæ motiva, subscripserint? Nemo prudens hoc crediderit; ergo intellectus flecti potest ad probabiliter assentiendum uni contradictionis parti, quæ probabilior est & apparet, quamvis simul judicet alteram partem esse etiam probabilem.

Authores omnes nisi vel in propriâ experientiâ decepti fuerint, vel mentiantur; assensum dedère motivo probabiliori spreto minùs probabili.

Secunda probatio.

3. Demonstratur 2. ex omnium consultantium experientiâ. consulat unusquisque seipsum, & inveniet, se sæpe probabiliter concludere unam contradictionis partem, cùm simultaneâ rationum oppositarum rejectione, ita ut intellectus in eo instanti judicet partem hanc veram esse, non obstantibus omnibus in contrarium. At sæpè, quæ obstant, sunt motiva probabilia, imò sæpè evidenter constat ea esse probabilia, ut quando Thomistæ tradunt suas sententias contra Scotistas, & è contrà. Ergo sæpè probabiliter judicamus aliquid esse verum, etsi oppositum appareat & credatur esse probabile.

Instantia ad hominem contra Mercorum.

4. Et ut verum fatear, alium hujus veritatis judicem non cupio, quàm ipsum Mercorum. Peto enim, an assensum præbuerit assertis, quæ in suo opusculo edidit? Haud dubiè asseret se assensum iis præbuisse. Rursus itaque interrogo, an quando assensum præbuit, animum intenderit ad ea quæ opponi poterant? Si neget: imprudenter, temerè, & absque sufficienti veritatis examine intellectum suum ad unam partem præcipitavit; nam qui in rebus obscuris, difficilibus, & magni momenti fert judicium prælativum unius partis, temerè judicat, nisi aut actu examinet fundamenta partis oppositæ, aut certè nisi recordetur eorum, atque unà illa ad invicem comparet. Si enim eorum non recordetur, pro eo instanti ita se habet intellectus, ac si de illis nunquam cogitâsset. Ergo intellectus tam temerè præcipitatur ad unam partem, quàm si nunquam antea veritatem indagâsset. Affirmabit ergo Mercorus se, dum judicium tulit, omnia probè consideràsse, & habuisse vivam memoriam eorum, quæ in contrarium afferri solent. Iterum ergo peto, an motiva alicui saltem suorum assertorum opposita probabilia non sint: & ita quidem probabilia, ut non sit ingens diversitas inter probabilitatem sententiæ, quam amplectitur, & ejus, quam rejicit? Si concedat, habeo intentum. Si verò neget, totum mundum sibi contrarium habebit, quia evidens est, Mercorum non demonstrâsse omnia asserta sua, sed plurima eorum non nisi probabili conjecturâ confirmâsse, idque ita, ut oppositarum rationum vis, in sensu composito rationum quas ipse affert, magnum ad animum in contrariam partem inclinandum momentum habeat. Hoc autem est uni ex partibus probabilibus assensum præbere, non obstante alterius partis probabilitate.

Prudenter judicans debet ad motiva contraria attendere.

Mercori replica diluitur.

5. Quod si Mercorus dicat, intellectum non nisi post argumenta contraria soluta opinari posse, ideoque intellectum semper morali quâdam certitudine ferri in objectum quod affirmat. Si, inquam, hoc dicat, simulque asserat, se fuisse & esse moraliter certum de suorum omnium assertorum veritate, libens acquiesco: sed inde manifestè infero præsens intentum; nam cùm evidens sit, eum, multis saltem in locis, non attulisse argumenta, quæ habeant vim certificandi intellectum, ut omnibus, qui absque affectu mentem excæcante librum legunt, manifestum est; clarè consequitur, assensum certum longè superare meritum argumentorum, quibus suam sententiam confirmat. Hic excessus in certitudine assensûs, non ab objecto, sed à voluntatis imperio ortum agnoscit: unde arguo sic: si voluntas tantum imperium exerceat supra intellectum, ut quæ nullo certo argumento confirmantur, quasi certa appareant, & ab ipso certò credantur esse vera; utique poterit exercere imperium longè minus, & intellectum ad assensum saltem formidolosum de parte probabiliore flectere, minore alterius partis probabilitate non obstante.

6. Demonstratur 3. Evidens est, nos per imperium voluntatis sæpissimè elicere judicia actu formidolosa, per quæ ita affirmamus aliquid esse, ut simul formidemus, an verè sit nec ne. Hoc enim est opinari, ut cum Aristotele & S. Thomâ omnes per propriam experientiam docti unanimiter tradunt. Ergo judicare possumus, non obstantibus motivis retrahentibus. Ergo cùm pars probabilior magis alliciat animum, quàm minùs probabilis, voluntas poterit flectere intellectum in assensum illius, minore illâ probabilitate nonobstante. Non enim est cur hæc magis obstet, quàm alia quæ sæpè experimur obstare. Imò hæc, quæ experimur obstare, sæpè sunt motiva evidenter probabilia, quibus non obstantibus, adhuc de oppositâ parte absolutum

Probatio tertia.

Intellectus opinari potest non obstantibus motivis in contrarium.

solutum judicium ferimus.

Quarta probatio. Voluntas magnum imperium exercet in intellectû.

7. Probatur 4. voluntas sæpè flectit intellectum ad judicium verè temerarium, id est, ad ferendum judicium propter levissima motiva, quæ ad probabilitatem causandam non sufficiunt. Hoc posito sic: major probabilitas sæpè adeò excedit minorem, ut excessus ille contineat motivum longè majus motivo, in quo judicium temerè conceptum fundatur. Ergo si intellectus flecti potest ad temerè judicandum, multò magis ad judicium de parte probabiliore ferendum flecti poterit.

Confirmatur eadem veritas exemplo manifesto.

8. Confirmatur. Consulat aliquis plures, ut sciat quænam ex duabus viis conducibilior sit ad iter intentum. Sint tres, qui præferant & consulant viam A; duo verò æquè graves præferant & consulant viam B. In hoc casu probabilius illi est viam A esse opportuniorem: verùm de opposito necessariò formidat, quia duo viri prudentes dicunt se in viâ A plures longè difficultates expertos fuisse, quàm in viâ B. In hoc casu ille potest prudenter eligere viam A, adeoque credere potest, eam esse alterâ conducibiliorem; ideò enim præcisè illam alteri præfert, quia eam ad finem obtinendum alterâ esse conducibiliorem credit. At hoc est judicare de parte probabiliore, rejectâ parte minùs probabili.

Replica in contrarium.

9. Dices cum Mercoro; qui opinatur de unâ parte, solùm judicat partem oppositam esse alteri non sibi probabilem, quatenus judicat, motiva contrariæ parti faventia seorsim sumpta sufficere ad causandam opinionem, modò intellectus non advertat ad rationes, quibus de facto movetur ad opinandum de hac determinatâ contradictionis parte.

Solvitur replica.

Sed contrà; quia evidens est, opinantes de unâ parte sæpè judicare, partem oppositam esse & sibi & aliis probabilem, etiam in sensu composito rationum, quibus moventur ad assentiendum. Rationes enim illæ, cùm obscuræ sint & incertæ, solutionem admittunt, non secùs, ac rationes pro parte oppositâ. Et sanè omnes docti opinantes hoc nôrunt de suis opinionibus, & ita de illis sentiunt. v. g. Thomista tenet materiam existere per existentiam formæ; sed simul putat oppositam sententiam esse probabilem propter argumenta aliorum contradicentium; quæ judicat esse probabilia, etiam relatè ad argumenta, in quibus ipse fundatur; iis enim non obstantibus, plurimi tenent oppositum, talesque solutiones adhibent argumentis Thomistarum, ut ea nil convincere manifestè ostendant. Errat ergo Mercorus in hac persuasione sibi propriâ, neminique alteri, quod sciam, communi.

Opinantes sæpe putant partem contrariam & sibi & aliis esse probabilem.

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima.

10. Objicies 1. motivum probabile est motivum grave, quod ab intellectu dissimulari, & contemni non potest. Hoc ergo convenit etiam motivo minùs probabili. At tale motivum, si præsens sit & urgeat intellectum, necessariò causat dubium de veritate, quam motivum oppositum probabilius confirmat. Ergo intellectus, cui utraque contradictionis pars est probabilis, necessariò dubitat de veritate utriusque. ergo de neutrâ opinari potest, quia opinans uni parti absolutè assentitur, Ita Mercorus *P. 2. art. 7.*

Solvitur objectio.

Respondeo, Mercorum confundere formidinem cum formali dubio. Dubium formaliter consistit in suspensione judicii ad quamvis partem alligati; formido autem est proprietas opinionis, quâ una pars determinatè asseritur, assensu quidem absoluto, sed vacillante propter carentiam certitudinis. Intellectus enim ita dicit: *credo quòd Petrus veniet, sicut promisit; quamvis timeam, ne ob aliquod impedimentum fortasse non sit venturus.* Hanc formidinem judicio absoluto-

Formido de veritate unius partis non infert suspensionem judicii de parte opposita.

ſoluto annexam omnes admittunt, eamque neceſſariò inferri à motivo probabili ſtante in contrarium probè intelligo; ſed quomodo dubium formale ex illo neceſſariò ſequatur, nec probat, nec probare poteſt Mercorus; pergit tamen &

Secunda objectio.

11. Objicit 2. Nemo opinatur, qui probabiliter ſaltem non ſolvit argumenta contraria. ergo quamdiu non ſolvuntur, opinari nemo poteſt, quia urgent, & generant dubium formale. At poſtquam ſoluta ſunt, non ſunt ampliùs probabilia illi, qui illa ſolvit.

Reſponſio.

Reſpondeo, opinantem ſolere quidem utcumque ſolvere (ſi quæ ſint) argumenta contraria, verùm illa, etiam ut probabiliter ſoluta, retinent vim ſuam, nec perdunt pondus ſuæ probabilitatis; quia ſolutio illâ non convincit, quòd ſint falſa, ſed ſolùm oſtendit, quod non ſint certa. Immò opinans videt debilitatem ſuorum argumentorum, novitque quòd non convincant; immò novit ea æquè ſolvi poſſe, ac oppoſita; opinatur tamen ſed cum formidine oppoſiti. Eſto ergo, nemo opinari poſſit, niſi ſolverit argumenta, quæ tunc menti objiciuntur; quomodo inde infers, quòd tam iis, quàm propriis ſolutis, adhuc opinari non poſſit? certè omnis doctus, qui opinatur, ſæpiſſimè & ſua, & aliorum argumenta optimè ſolvit, quia videt principia, quibus utraque pars fulcitur eſſe poſſe falſa. At poſt omnia ſoluta adhuc una pars eſt probabilior alterâ: ergo tunc intellectus opinari poterit de parte probabiliore.

Solutio argumenti probabilis non oſtendit argumentum illud eſſe falſum, ſed ſolùm non eſſe certũ.

Tertia objectio.

12. Objicit 3. Si quis cupidus adeundi prata conſtitueretur in bivio, ſimulque duos obvios haberet, virum gravem & fœminam, prudenter utrumque interrogaret, quænam ex duabus viis duceret ad prata: ponamus jam eorum teſtimonia eſſe inter ſe diſcordia: ſi ergo vir diceret, via A. ducit ad pratum, via B ad nemus, in quo degunt leones. è contrà verò mulier diceret, via B ducit ad pratum, ſed via A ad nemus, & leones: teſtimonium viri gravis eſſet probabilius fœminæ teſtimonio; nihilominùs imprudenter ageret, qui ſequeretur ſententiam viri, eo quòd ſe exponeret periculo; quia teſtimonium fœminæ, etſi minùs probabile, non poteſt ita contemni, quin relinquat dubium de rei veritate. Deinde applicat hoc intellectui, cui, quoties utraque pars contradictionis eſt probabilis, duæ viæ aperiuntur, quarum altera ducit ad veritatem, altera ad falſitatem. Ergo licèt motivum probabilius oſtendat veritatem in hâc tantum viâ inveniri, nihilominùs intellectus imprudenter amplectitur viam illam, contra quam motivum minùs probabile vires ſuas exerit, eò quòd falſitas fortaſsè in illâ lateat, à quâ intellectus, ut à monſtro naturaliter abhorret. Ergo intellectus neceſſariò manebit in bivio, & neutri parti aſſenſum præbebit.

Reſpondeo, nos quærere hîc, utrùm intellectus abſolutè poſſit, temerè ſaltem, aſſentire opinioni probabiliori. At argumentum hoc concionatorium ad ſummum probat, quòd intellectus neutri parti abſque imprudentiâ aſſentiri poſſit. Hoc autem, etſi admittatur, non probat intentum.

Solvitur objectio.

Reſpondeo 2. objectionem hanc convincere noſtram ſententiam; nam etſi homo ille ſtultè progrederetur in viâ propter periculum mortis, nihilominùs non ſtultè, ſed prudenter crederet virum illum gravem, v. g. Sacerdotem Religioſum, verum dicere, & fœminam errare. Verùm quia adhuc formidaret de veritate partis probabilioris, imprudenter ageret, ſi abſque neceſſitate iter inceptum continuaret. Ut autem videas hominem illum in ſimili caſu poſſe abſolutè, & prudenter fidem dare motivo probabiliori, ponamus eum in neceſſitate continuandi iter conſtitui. Tum neutra via proponatur ut monſtris infeſta, aut

Alia reſpõſio.

Itinerans credere poteſt virum gravem indicare viam rectam, etſi fœmina oppoſitum dicat.

ut alii periculo obnoxia, quàm quòd ad metam præfixam non perducat. In hoc casu nonne ille aliquam ex illis viis prudenter eligit? Utique, quia pejus est manere, aut redire, quàm progredi, ut supponimus; eò quòd necessitas continuandi itineris illum urgeat. Itaque prudenter init viam à viro gravi monstratam, fœminâ illâ nequidquam reclamante. Ergo judicare potest virum verum dicere, & fœminam falli. Nemo enim amplecti potest media ad finem obtinendum, quin ea fini acquirendo judicet esse idonea. At, nisi vir ille verum dicat, nulla est utilitas in ejus directione quoad obtinendum finem ab itinerante præfixum. Ergo itinerans credere potest illum verum dicere, quia aliter credere non potest, quòd sequi directionem illius sit medium opportunum, ut ad metam perveniat.

Confirmatur responsio. 13. Confirmatur. Itinerans ille sperat se ad metam perventurum, si viri consilium sequatur; alioquin viam ab illo monstratam non arriperet. At spes, & experientiâ teste, & omnium Authorum consensu, præsupponit judicium probabile, quòd res sperata absolutè sit obtinenda. Ergo sic sperans judicat, quòd via, quam tenet, sit vera. At hoc est, quod intendimus; quia absolutè præbet assensum parti probabiliori. Imò ex hoc exemplo efficaciter probatur, intellectum, per voluntatis imperium, flecti posse ad assensum præbendum cuicumque ex partibus contradictoriis æquè probabilibus, casu quo, viri illi, contraria docentes de eâdem viâ, essent æqualis authoritatis; Nam voluntas potest alteram illarum eligere; quod non posset præstare, nisi priùs impellere posset intellectum ad credendum, quòd tenendo hanc viam potiùs quàm illam ad metam perventurus sit. Nisi enim intellectus ita crederet, voluntas metam in hac viâ præ alterâ investigare non posset. Sed de hoc plura in sequentibus.

Spes præsupponit judicium quòd res sperata sit eventura.

14. Nec quidquam obstat, quòd in casu allato homo ille patiatur necessitatem continuandi iter; hoc enim nullum confert motivum intellectui, ut uni potiùs parti, quàm alteri assensum præbeat, quia nullius partis verisimilitudinem auget, vel diminuit. Itaque intellectus verè opinatur de parte probabiliori. Necessitas tamen illa ad practicam judicii illius elicitionem multùm conducit; nam cùm voluntas ex necessitate operari debeat, & ex aliâ parte operari non possit, nisi juxta dictamen prævium, illa imperat intellectui, ut de objecto illo formet judicium, quod hic & nunc potest; nempè formidolosum; ut sic demum eligat viam, quam judicat ad metam ducere. At si nulla necessitas pergendi urgeret voluntatem, tum fortè intellectus relinqueretur in dubio, quia è re voluntatis non esset illum ad ullius partis assensum flectere. Porrò quia hoc sæpissimè contingit, ideò ex illâ frequenti experientiâ moveri poterat Mercorus ad existimandum, rem hanc aliter non posse contingere. *Occurritur replicæ in còtrarium.*

15. Demum nullam in argumento paritatem invenio; nam quòd intellectus ab errore, ut à monstro quodam insensissimo, abhorreat, ad splendorem dicitur, non ad veritatem. Abhorret quidem intellectus ab errore patente, & manifesto; at ubi error latet, & veritas probabili ratiocinatione colligitur, non abhorret ab erroris periculo, sed illud potiùs quàm fœdæ ignorantiæ tenebras sponte amplectitur. Melius enim est intellectui in rebus obscuris probabiliter judicare, quàm absque omni discursu, & absoluto judicio, in ignorantiæ tenebris jacere. Et sanè cùm ipsa argumenta probabilia magnam vim sollicitandi ad assensum habeant, manifestum est, quòd intellectus à periculo erroris sub probabili veritatis specie latentis non abhorreat. Non ergo est paritas; nam ille itinerans, merè non progrediendo, ab omni periculo *Nulla est paritas in objectione superiùs positâ.*

se servat incolumem, in quod verisimiliter incurreret, si progrederetur. At qui motivis probabilibus pro utrâque parte sollicitatur, si judicium omne suspendat, pessimè se habet; quia omnem veritatem tam certam, quàm probabilem respuit; quod pejus est, quàm magnâ cum probabilitate judicando aliquando per accidens errare. Deinde ubi evidentia haberi non potest, optimum intellectûs est major probabilitas; ergo tunc intellectus in illam propendet, non autem ab illâ ut à monstro abhorret. Itaque intellectus in casu allato, si omnem assensum suspendat, omni suo bono certissimè privatur. At opinando juxta motiva probabiliora, ad optimum, quod hîc & nunc habere potest, certissimè perducitur. Stet ergo certissimum esse, quòd intellectus opinari possit minore alterius partis probabilitate non obstante.

Probabilitas est optimum intellectûs, ubi certitudo deest.

QUÆSTIO OCTAVA.

Vtrùm intellectus pro libitu voluntatis flecti possit ad assentiendum cuilibet ex partibus contradictionis æquè probabilibus?

Status Quæstionis.

Status quæstionis.

1. NONNULLI putant, intellectum flecti non posse ad assentiendũ nisi parti probabiliori, quod si verum esset, id utique non parum conduceret ad probandam sententiam illorum, qui putant nemini licere sequi partem minùs tutam, si illa sit aut æquè, aut minùs probabilis parte tutiore. Quocirca opus est quæstionem hanc diligenter determinare, quia ejus resolutio ad pleniorem quæsiti principalis notitiam multùm conducit.

Intellectus ita se habet ad sua motiva sicut voluntas ad sua.

2. Porrò ut res ista meliùs intelligatur, juvat advertere, motiva intellectûs ita se habere ad intellectum, sicut motiva voluntatis se habent ad voluntatem.

Inprimis sicut purum bonum evidenter cognitum necessitat voluntatem ad sui amorem, ita purum verum evidenter cognitum necessitat intellectum ad illi præbendum assensum. 2. sicut bonum imperfectum, aut malo aliquo admixtum, nullam in voluntatem necessitatem inducit, ita nec motivum obscurum, aut probabile ullam assentiendi necessitatem intellectui imponit. 3. sicut in bonis imperfectis voluntas seipsam determinat, quia est libera; ita intellectus, ut in obscuris assensum præbeat, determinari debet per voluntatis imperium, quæ sicut sola est potentia libera, seu electiva, ita sola aliarum potentiarum indifferentiam determinare potest. 4. sicut voluntas in actu 1. impelli potest ad utramque partem oppositam per motiva sibi contraria, ita intellectus ad partes contradictorias sæpè impellitur propter argumenta utrique parti faventia. Cæterùm hic impulsus intellectûs & voluntatis ad opposita, non est ad illa copulativè, sed solùm disjunctivè sumpta; quia impulsus à naturâ institutus ad possibilia tendit, non ad impossibilia; ideoque sicut voluntas non potest simul efficaciter eligere objecta inter se contraria, ita intellectus flecti non potest ad simul opinandum de utrâque parte contradictionis. 5 sicut motiva voluntatis aliquando sunt penitus similia, ut quando electio instituitur inter duo objecta ejusdem omninò

Motiva intellectus alia sunt inter se similia, alia dissimilia. Utraque suscipiunt magis & minus.

minò bonitatis, puta, inter duos aureos penitus similes & æquales; aliquando verò sunt dissimilia, quia continent bona diversi generis, uti fit dum honestatem voluptati præferimus, vel è contrà; bona enim hæc dissimilia sunt, & utrumque secundùm quid excedit alterum, & ab eodem secundùm quid exceditur; ita motiva intellectûs pro utraque parte contradictionis aliquando sunt similia, aliquando dissimilia. Similia sunt motiva intellectûs, quæ ab authoritatibus v. g. penitus similibus desumuntur; dissimilia sunt, quæ ex rationibus dissimilibus sumuntur; ut si pro unâ parte staret experimentum, pro alterâ principium aliquod Metaphysicum; vel una pars soli authoritati niteretur, altera soli rationi; vel demum, si utraque contradictionis pars tam rationibus, quàm principiis diversis fundaretur. Tunc enim utrumque fundamentum secundùm quid excederet alterum, & secundùm quid ab eodem excederetur; quia unumquodque motivum continet aliquam veri apparentiam, quæ in altero dissimili non continetur: sicut eâdem de causâ dissimilia motiva voluntatis secundùm quid se invicem excedunt, & ab invicem exceduntur.

Apparentia veritatis alia antecedit affectum voluntatis, & assensum intellectus alicui parti impensum, alia eundem subsequitur.

3. Demum hac in re distinguenda est apparentia pro utrâque parte contradictionis, quæ omnem voluntatis affectum peculiarem, omnemque etiam intellectûs assensum alicui parti affixum antecedit, ab eâ, quæ dictum voluntatis affectum, atque intellectûs assensum comitatur, aut consequitur. In hoc enim paritas currit intellectum inter ac voluntatem; sicut enim voluntas per ipsam objecti electionem vehementiùs in illud propendet, quàm antè ejusdem electionem propenderet; ita intellectus tam per, quàm post assensum alicui objecto præstitum, longè majore vi ad illud credendum impellitur, quàm impelleretur pro illo priori, in quo obscurè tantum stimulabatur ad assensum illi præstandum. Et sanè, affectum uni parti singulariter impensum plurimum efficere circa apparentiam veritatis in objecto, est certissimum; facilè enim credimus, quod cupimus; difficilè verò assentimur illi, quod nolumus. Similiter cùm ipsum judicium sit absoluta adhæsio objecto ut vero, manifestum est, quòd per ipsum judicium alia formaliter apparentia veritatis habeatur, quàm quæ existebat in intellectu pro priori. Similiter consequenter ad tale judicium alia est apparentia veritatis, quàm quæ præcesserat tale judicium; quia ex memoriâ prioris judicii & modi quo veritas objecti per illud intentionaliter existebat in mente, intellectus fortiùs inclinatur ad iterum illi assentiendum, quàm ab initio traheretur. Rursus unusquisque post talem assensum difficiliùs credit oppositum, quàm ab initio credidisset; nunc enim à veritate semel creditâ recedere non potest, nisi se deceptum fuisse existimet; at nemo facilè credit, se in suo judicio fuisse deceptum. Hæc in re clarissimâ dicta sufficiant pro detegendâ adversariorum hallucinatione, qui, dum apparentiam veritatis antecedentem judicium cum apparentiâ veritatis illud consequente confundunt, moventur ad asserendum, intellectum de alterutrâ parte ex æquè probabilibus, pro libitu voluntatis, opinari non posse. Sed de hoc mox plura.

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio 1.

Intellectus flecti potest ad assentiendũ cuivis ex partibus æquè probabilibus, si motiva sint dissimilia.

Voluntas flectere potest intellectum ad assensum cuilibet ex partibus contradictionis præbendum, modò partes illæ pro priori ad omnem affectum & assensum sint æquè probabiles, & motiva, in quibus earum probabilitas consistit, sint dissimilia.

4. Probatur 1. intellectus in obscuris naturaliter subjacet imperio voluntatis, non

Probatio prima.

non solùm quia ex se sine ejus imperio nulli objecto obscurè proposito assentire potest; sed etiam quia ejus imperio naturaliter obedit, & necessariò atque determinatè producit assensum, quem voluntas imperat, quando adest sufficiens motivum ad illum imperandum. Hæc apud omnes certa sunt. Sed quando pro priori ad omnem assensum & affectum utraque pars contradictionis est æquè probabilis, intellectus trahitur utrimque, & habet utrimque motivum verè magnum pro utraque parte, quod etiam in alterius contradictione valdè stimulat ad assensum. Ergo tunc intellectus absolutè subjacet voluntatis imperio; quia adest motivum sufficiens ad assensum utriuslibet partis imperandum. Quod autem illud motivum sit sufficiens, inde constat, quia motiva propria voluntatis æqualia & dissimilia manifestè sufficiunt, ut voluntas se determinet ad alterutrum ex objectis oppositis æquè bonis amplectendum. Ergo motiva æqualia & dissimilia sufficiunt, ut ex vi illorum intellectus flecti possit in assensum. Talia siquidem sunt, ut si intellectus liber esset, sicut est voluntas, haberet motivum sufficiens ad assentiendum, sicut voluntas habet ad amandum unum ex æqualibus bonis, & illud alteri præferendum. Ergo motivum hoc sufficit ut intellectus per imperium voluntatis ad alterutram partem credendam flectatur; nam voluntas quoad hanc determinationem aliud non facit, quàm ut suppleat vices, quas intellectus suppleret, si esset liber. Præterea absurdum est existimare, voluntatem plus requirere in motivo potentiæ sibi subjectæ, ut actum ejus imperet, quàm ipsa in proprio motivo requirit, ut ad electionem se determinet. At motiva æqualia & dissimilia sufficiunt in voluntate pro electione alterutrius partis pro libitu. Ergo sufficiunt etiam pro voluntate, saltem dependenter ab imperio voluntatis.

Quodvis ex motivis æqualibus sufficit voluntati ut eligat, & intellectui, ut assensum præbeat.

5. Dices: hæc ratio supponit, motiva æqualia & opposita simul habere vim movendi intellectum ad opposita; at hoc falsum est quia motiva æqualia inter se pugnantia censentur, ac si nullius essent virtutis; quantum enim alterum allicit, tantum alterum retrahit.

Replica in oppositū.

Respondeo rationem allatam meritò supponere, quod motiva contraria, & æqualia polleant vi alliciendi intellectum ad assensum, quia idipsum evidenter cadit sub experientiam. Peto ergo an in voluntate perinde sit nullum esse motivum, ac duo æqualia & repugnantia? Nonne evidens est, nullam esse posse electionem, ubi nullum adest motivum eligendi? Similiter nonne certum est voluntatem ex motivis oppositis æqualibus & dissimilibus posse pro arbitratu utrumlibet eorum eligere? At idem valet de intellectu, qui non minùs trahitur per actus vitales prævios, quàm voluntas; quique per voluntatem non est minùs indifferens, quàm voluntas immediatè in se sit libera. Itaque replica hæc evidenter est nulla.

Omne motivum allicit intellectum & voluntatem, etiam in sensu composito cum motivo cōtrario ad oppositum sollicitāte.

6. Probatur 2. à priori ex Stephano Spinula. Ubicunque datur naturalis inclinatio alicujus potentiæ ad aliquem terminum, terminus ille possibilis est; quia naturalis inclinatio nec frustra est, nec fertur ad impossibilia. Sed intellectus, stante motivo probabili pro unâ parte, ex vi motivi oppositi dissimilis & æqualis urgetur, trahitur, & inclinatur ad assensum præstandum parti oppositæ. Ergo assensus illius partis est possibilis, etiam stante motivo æquali in oppositum. Major videtur per se nota, quia opus naturæ est opus intelligentiæ, nec frustrà fertur in terminum impossibilem. Præterea id ipsum declaratur exemplo voluntatis, quæ eo ipso, quòd in actu 1. ante omnem electionem, ad aliquam partem inclinetur & trahatur, potest in illam partem ferri, non obstante opposito motivo-

Probatio secunda.

Quævis potentia potest ponere effectum ad quem naturaliter inclinat.

tivo in contrarium inclinante. Ergo idem eâdem de causâ de intellectu sentiendum est, quia istæ duæ potentiæ, utpotè rationales, sibi maximè proportionantur in inclinatione ad objecta contraria, & in possibilitate operationum, per quas in illa tendunt proportionaliter. Minor est evidens per communem omnium experientiam, & efficaciter probatur, 1. à paritate voluntatis, quæ, dum eligit exercitium virtutis, pro priori ad illam electionem sæpissimè sollicitatur vehementer ad oppositum bonum, apparens in vitio. Ergo idem etiam dicendum est de intellectu, qui pro priori ad omne judicium habet motiva dissimilia & æquè probabilia pro utraque parte contradictionis. Probatur idipsum 2. ex proprio intellectûs experimento. Sæpè enim, dum actu credimus, ita tentamur ad discredendum, ut pro priori ad actum fidei, ejus elicitio consueto difficilior evadat. Hoc aliundè non provenit, quàm quia intellectus pro illo priori advertit ad aliqua in oppositum, ad quæ aliis temporibus non advertit; atque ab illis hic & nunc trahitur ad dissentiendum. At illa motiva, relatè ad motiva credendi tunc præsentia, parva sunt, motivisque ad credendum multò minora; & tamen pertrahunt, ac sollicitant intellectum ad oppositum. Ergo multò magis pertrahitur intellectus ad oppositum, quando pro parte illâ oppositâ adest motivum non inferius motivo in contrarium sollicitante. Præmissæ itaque veræ sunt, & consequentia sequitur in formâ.

Prima replica.

7. Dices 1. cum Mercoro argumentum nimis probare, atque inde colligi posse, majorem esse falsam. Cum enim motiva æqualia æqualiter urgeant, intellectus simul habet inclinationem ad assentiendum utrique parti; ergo, ne inclinatio hæc sit frustrà, sequitur, quòd intellectus simul possit opinari de utrâque contradictionis parte. Quod tamen implicat.

Solvitur replica. Voluntas & intellectus inclinant simul ad effectus contrarios non copulativè, sed disjunctivè ponendos.

Respondeo, certum esse, intellectum simul habere motivum inclinans ad utramque partem contradictionis, sicut habet etiam voluntas liberè operans; verùm certum etiam est, quòd motiva illa non inclinent ad utramque partem copulativè sumptam, sed solùm ad utramque sub disjunctione. Motiva enim imitantur potentias, quas movent. Potentia autem non est ad utrumque actum copulativè, sed solùm fertur ad utrumque sub disjunctione; quia etsi detur simultas potentiæ, non tamen datur potentia simultatis. Et sanè nemo unquam sensit se impelli ad conjungendum amorem alicujus objecti cum odio ejusdem, aut ad componendum assensum cum dissensu ejusdem objecti; unusquisque tamen sentit se inclinari ad amandum Petrum, v. g. rejecto motivo illum odiendi, & simul sentit se inclinari ad illum odiendum, rejecto motivo illum amandi. Idem valet de intellectu simul propenso ad credendum, & non credendum, idest ad non dubitandum, & dubitandum de eodem objecto; imò sæpè etiam ad discredendum. Nulla ergo inclinatio naturalis frustrà est, nec ulla fertur ad objectum impossibile; quia inclinatio non est ad utrumque actum conjungendum, sed solùm ad utrumlibet ab altero dividendum. Stat ergo veritas majoris, quæ hîc Mercori replicâ non infringitur, sed stabilitur.

Secunda replica Mercori.

8. Dices 2. minorem esse falsam, quia intellectus in casu argumenti ad nulli parti assentiendum inclinatur. Intellectus enim in tantùm inclinatur ad assensum unius partis, in quantum sufficienter trahitur à motivo ejusdem partis. Sed dum ab hoc motivo trahitur, æquè ab opposito retrahitur; ergo ad neutram partem inclinatur. Hoc ipsum confirmat Mercorus ex S. Thomâ de veritate *quæst. 14. art. 2* ubi hæc habet. *Intellectus quandoque non magis inclinatur ad unum quàm ad aliud, vel propter defectum moven-*

S. Thomas de Veritate quæst. 14. art. 2.

moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus; vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem. Ecce per S. Thomam intellectus in casu argumenti non magis inclinatur in unam, quàm in alteram partem.

Solvitur replica. Respondeo minorem allati Syllogismi esse evidentem. Et sanè si Mercorus oculos in voluntatem conjecisset, de intellectu aliter sensisset. Peto enim, utrùm voluntas in actu 1. antè electionem non inclinetur in utramque partem? rursus peto, utrùm motivum retrahens voluntatem ab unâ parte efficiat, ne simul ad illam partem magnam sentiat inclinationem? Si negas, nullus es; quia oppositum omnibus est evidens; si concedis, habeo intentum: quia idem dico de intellectu; sicut enim voluntatem trahi per unum, & retrahi per aliud motivum æquale & dissimile, non est voluntatem non trahi, sed est simul ita trahi ad opposita, ùt nec omnem volitionem omittere, nec ullam absque difficultate exercere possit; ita intellectus, dum propter motiva æqualia & dissimilia in contraria trahitur, verè ad utrumque trahitur, & inclinatur, nec obstat quod tantùm ab uno retrahatur, quantùm ab altero trahitur; quia cùm motiva illa secundùm quid ab invicem mutuò excedantur, neutrius vis per alterum tollitur, sed solùm aliquantùm imminuitur. Neque textus S. Thomæ huic assertioni contrariatur; quia licet intellectus, quando desunt rationes, ad neutram partem inclinetur, & sic non magis ad unam quàm ad alteram moveatur, quando tamen adsunt motiva æqualia, illa positivè inclinant, sed æqualiter; & ideò S. Thomas expresè de illis dicit, *quæ movent ad utramque partem.* Ecce S. Thomas dicit intellectum moveri ad utramque partem, Mercorus verò expresè ait intellectum tunc ad nullam partem inclinari; & quod mireris, ad hoc probandum affert hunc textum S. Doctoris, asserto suo penitus contrarium. Imò S. Thomas ibidem paulò inferiùs satis expresè docet, hanc intellectûs dispositionem in actu 1. consistentem in motione utrimque æquali sufficere, ut voluntas possit assensum alterutri parti imperare. Ait enim: *Quandoque intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis, neque statim per ipsas definitiones terminorum, sicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, sicut in conclusionibus demonstrativis est; determinatur autem per voluntatem, quæ eligit assentire uni parti determinatè, & præcisè propter aliquid, quod est sufficiens ad movendum voluntatem, non autem ad movendum intellectum; utpotè quod videtur bonum, vel conveniens huic parti assentire. & ista est dispositio credentis, ut cùm aliquis credit dictis alicujus hominis, quia videtur decens vel utile. Et sic etiam movemur ad credendum dicta* (supple, à Deo) *in quantum nobis repromittitur, si crediderimus, præmium vitæ æternæ. Et hoc præmio movetur voluntas ad assentiendum his, quæ dicuntur, quamvis intellectus non moveatur per aliquid intellectum.* Ecce S. Thomas expresè admittit voluntatem posse flectere intellectum ad assentiendum motivo, quamvis illud motivum ex se non possit intellectum determinare; & quia loquitur expresè tam de fide humanâ, quàm divinâ; & in utrâque occurrere solent motiva retrahentia, ideò manifestum est mentem S. Thomæ esse, quòd voluntas flectere possit intellectum ad assentiendum objecto dicto, quamvis motiva urgeant in oppositum.

Voluntas mota ad opposita nullam volitionem exercere potest absque difficultate.

S. Thomas ibidem.

9\. Dices 3. esto intellectus in actu 1. ad utrumque inclinetur, non inde sequitur, quòd ad ulli parti assentiendum in actu 2. moveri possit. Sic licèt grave, dum sursum detinetur, inclinet esse deorsum, non tamen sequitur, quòd, stante impedimento, moveri possit deorsùm. At nos loquimur de assensu præstando uni parti in eodem instanti, in quo durat motivum contrarium, quod

Tertia replica Mercori.

quod est impedimentum. Ergo tunc intellectus impeditus nulli parti assentire potest.

Solvitur replica. Respondeo, Mercorum hîc etiam debuisse oculos in voluntatem conjicere, ut ita disceret distinctionem inter impedimentum verè impediens, & impedimentum solum difficultans; seu inter impedimentum superabile, & insuperabile; ita enim nullitatem paritatis allatæ facilè discernere potuisset. Quis enim non videt, motiva retrahentia voluntatem esse impedimenta electionis, dum motivis impellentibus consentit? quis tamen simul non agnoscit, hæc motiva esse solum impedimentum difficultans, & superabile, non impediens seu impossibilitans actionem, aut insuperabile? At quoad hoc par est ratio de motivis intellectûs & voluntatis, cum utraque sit potentia rationalis, & neutra operetur nisi præcedente aliquo intentionali allicio, & motione.

Impedimentum aliud solùm difficultat, aliud verè impedit seu impossibilitat effectum.

10. Atque hinc etiam evidens est disparitas inter intellectum & corpus grave; nam corpus grave est agens ex suâ essentiâ determinatum ad unum, omni prorsus carens libertate & indifferentiâ ad plura; quod proinde, stante actu 1. sufficiente ad aliquem effectum, illum necessariò producit. Non sic voluntas, quæ est potentia libera, & indifferens; non sic intellectus, aut quævis alia potentia subjecta voluntatis imperio, illæ enim, non minùs quàm voluntas, indifferentes sunt ad plura, ad quæ pro ejus arbitrio determinantur. Sic attollo, vel deprimo digitum pro libitu; sic in obscuris vel hæremus dubii, vel dubio deposito, in unam partem assensum flectimus in obsequium fidei, aut ad opinandum determinamus. Et sanè licèt digitus ob aliquam indispositionem non nisi difficulter, & cum gravi dolore moveatur, nihilominùs digitus in re difficili obedit voluntati imperanti. Sic etiam eidem obedit intellectus, quando pro utrâque parte habet motiva ipsum allicientia; quia indispositio digiti, & oppositum motivum intellectûs non sunt impedimenta impossibilitantia, sed solùm difficultantia obsequium voluntatis imperio tribuendum. Idipsum videri potest; quando assensus præbetur parti probabiliori, tunc enim motivum contrarium, etsi minùs probabile, retrahit intellectum, solùm tamen est impedimentum difficultans, non absolutè impediens, aut impossibilitans assensum partis probabilioris. Idem valet in casu nostro.

Intellectus, etsi sit potentia necessaria, & æqualiter moveatur ad opposita in actu primo, non tamen ita se habet ad actum secundum sicut lances libræ, quibus pondera æqualia injiciuntur.

11. Probatur 3. Intellectus assentiri potest motivo probabiliori, ergo & æquè probabili. Antecedens demonstratum est quæstione superiori. Consequentia tenet, quia distantia inter paulò probabilius & æquè probabile est adeò parva, ut dispositio intellectûs & voluntatis sit fermè eadem in utroque casu; atque adeò impossibile est, quòd una ex illis dispositionibus sufficiat ad inducendum effectum specie diversum ab aliâ. At sufficeret, si in 1. casu assensus circa partem A. induci posset, & non in 2. Ergo vel in utroque, vel in neutro assensus circa partem A elici potest. At certò potest, quando major probabilitas favet. Ergo elici etiam potest, quando par tantùm probabilitas favet. Hoc argumentum eodem modo servit pro assensu præstando parti minùs probabili.

Tertia probatio assertionis positæ.

12. Confirmatur. Si intellectus assentiri possit parti probabiliori, nulla est ratio, cur assentiri non possit parti æquè probabili. Si enim gravis ratio in oppositum, qualis est in parte etiam minùs probabili, etsi retrahat intellectum ab assensu partis probabilioris, non tamen impedit, quò minùs voluntas flectere possit mentem ad absolutè assentiendum parti parum probabiliori, non est ratio, cur assensus illius partis ideò præcisè impediatur, quia motivum retrahens paululum augetur, & evadit æquale

Grave motivũ, quod ex se non impossibilitat assensum partis contrariæ, non impossibilitat eundem etsi parum augeatur.

motivo.

motivo impellenti; hoc enim parvum incrementum motivi retrahentis, solùm reddit priorem assensum paulò difficiliorem quàm esset antea; quæ parva difficultas priori superaddita, non sufficit, ut assensus ille hic & nunc reddatur impossibilis.

Probatio quarta è paritate voluntatis desumitur.

13. Probatur 4. sicut se habet voluntas ad bonum, ita intellectus ad verum; saltem prout intellectus subditur libero voluntatis imperio. Sed voluntas ex duobus objectis æquè bonis sed contrariis eligere potest quodvis eorum; ergo & intellectus per voluntatis imperium assentiri potest cuivis ex partibus æquè probabilibus. Præterea motivum probabile est medium sufficiens ad opinionem mediante imperio voluntatis causandam. Sed motivum probabile, etiam in concursu motivi oppositi æquè probabilis, est verè probabile, & habet vim motivi probabilis. Ergo sufficit ad opinionem mediante voluntatis imperio causandam.

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima ex Vasquez.

14. Objicies 1. cum Vasquez, qui *1. 2. disp. 43. cap. 2.* existimat voluntatem, inter bona æqualia constitutam, neutram partem posse eligere, sed solùm electionem suam suspendere; & pro se suàque sententiâ citat S. Thomam *1. 2. qu. 13. art. 6. ad 3.* (S. Thomas) ubi S. Doctor respondens objectioni, in quâ, ut argueret electionem ex necessitate procedere, sic discurrit. *Si duo sint penitus æqualia, non magis movetur homo ad unum, quàm ad aliud; sicut famelicus, si habet cibum æqualiter appetibilem in diversis partibus, & secundùm æqualem distantiam, non magis movetur ad unum, quàm ad alterum, &c. sed multò minùs potest eligi, quod accipitur, ut minus, quàm quod accipitur, ut æquale, &c. ergo illud ex necessitate eligitur, quod eminentius apparet.* Cui objectioni sic respondet. *Ad 3. dicendum, quod nihil prohibet, si aliqua duo æqualia proponantur secundùm unam considerationem, quin circa alteram consideretur aliqua conditio, per quam eveniat, ut magis flectatur voluntas in ipsum, quàm in aliud.* Ecce S. Thomas, inquit Vasquez, supponit voluntatem non posse eligere ullum medium ex æqualibus, nisi aliqua nova ratio superveniens majorem utilitatem in altero eorum ostendat. Hoc tamen non obstat, quò minùs voluntas liberè eligat, quia per novam consultationem potest novum motivum invenire. Ratio hujus rei hæc ponitur à Vasquez loco citato. Electio necessariò procedit ex judicio consultationis, quia electio juxta Aristotelem *3. Eth. cap. 3.* Nyssenum *libro Philos. cap. 4.* & Damascenum *2. de fide. cap. 22.* quorum verba refert, definitur esse appetitus ejus, quod præjudicatum est. Ergo electio poni non potest, nisi præcedat judicium consultationis. At judicium consultationis nunquam est de æquali aut minori; quia intellectus nunquam concludit unum ex æqualibus esse sequendum, & multò minùs inter inæqualia concludit amplectendum esse illud, quod videt esse minus. Ergo electio non potest esse de minori, aut æquali bono; ergo idem dicendum de intellectu relatè ad motiva æquè probabilia.

Responsio

Voluntas liberrima est ad eligendum quodvis ex bonis æqualibus æqualiter propositis.

Respondeo Vasquez in hac parte non esse audiendum; tunc enim voluntas est maximè libera, quando maximè est indifferens, & minimè determinatur ab objecto: quia tunc maximè seipsam determinat, quod proprium est voluntatis liberæ, & liberrimæ. At in casu motivorum æqualium voluntas minimè determinatur ab objecto. ergo tunc est maximè indifferens, adeoque expeditissima ad seipsam determinandam. Sic eligo pro arbitratu unum ex duobus aureis, quos constat esse æqualis ponderis, & pulchritudinis, & dico da illum, quem habes in sinistrâ, etsi hoc quod est illum esse in sinistrâ vel dextrâ largientis; nullam circumstantiam

circumstantiam afferat, ratione cujus, nummus ille ullatenùs appareat altero præstantior. Idem valet de Episcopo conferente beneficium Ecclesiasticum uni ex duobus concurrentibus, quos examinatores judicant esse penitus æquales. Dare enim potest beneficium illi, cujus nomen incipit à litterâ priorem in alphabeto locum tenente, etsi nil aliud de illis cogitet; cùm tamen certum sit, hanc circumstantiam nullatenus augere dignitatē accipientis, aut plus valere ad movendam voluntatē conferentis, quàm si illud ei conferret, ut potest si velit, cujus nomen à litterâ posteriore inciperet.

Electio semper fit ex judicio consultationis, & terminatur ad id, quod ex consilio præjudicatum est.

15. Atque hinc ad rationem Vasquez respondeo, electionem unius ex mediis æqualibus semper fieri ex judicio consultationis, & terminari ad id, quod ex consilio præjudicatum est, uti loquitur Aristoteles loco citato. Verùm consultatio illa non concludit hoc determinatè esse sequendum; sed, ubi media inveniuntur æqualia, sic concludit; *alterutrum horum pro arbitratu eligendum est, quia utrumque sufficiens est ad intentum, & pro fine consequendo æquè opportunum.* Similiter quando media sunt inæqualia, intellectus non necessariò concludit medium præstantius esse adhibendum, sed sic concludit. *Vtrumque medium, utpote sufficiens, pro arbitratu eligi potest, quamvis paulò opportunius sit unum alteri præferre.* Unde voluntas manet indifferens ad electionem medii etiam minùs boni, meliore relicto. Sed de hoc postea.

Voluntas intendere potest quævis ex duobus finibus æqualibus.

16. Cæterùm Vasquez ipso loco citato, admittit, voluntatem posse pro libitu ferri in unum ex bonis æqualibus, tanquam in finem, puta in unum ex duobus incompossibilibus æquè honestis, aut æquè delectabilibus, quia de illis non est consultatio, aut electio, sed voluntas, vel propositum, quod scholastici intentionem appellant. Verùm eadem est ratio de electione mediorum, & intentione finium æqualium, quia voluntas utrobique gubernatur per prævium judicium collocativum unius ad alterum, nam omnis volitio deliberata est voluntaria, & consequenter procedit à cognoscente singula, id est non apprehendente solùm, sed à judicante qualitatem objecti; neque enim qui solùm apprehendit & nil judicat, dicitur singula cognoscere. Præterea sicut simplices affectiones voluntatis oriuntur ab apprehensionibus simplicibus, ita actus deliberati non nisi à judicio absoluto provenire possunt, quia operationes perfectæ voluntatis, quæ est potentia secunda, postulant radicari in operatione perfectâ intellectûs, qui est potentia prima. Quocirca Vasquez immeritò supponit intentionem finis à simplici tantum terminorum apprehensione provenire posse. Præterea manifestum est Deum ex duobus possibilibus inter se æqualibus unum alteri præeligere; omne enim creatum refertur ad Deum tanquam medium ad finem. Ergo Deus potest ex æqualibus eligere unum, altero rejecto. Ergo idem præstare poterit libertas creata. Nec obstat Deum non consultare, sed merè eligere, absque eo quod judicium divinum dictet hoc esse eligendum præ illo; nam ideò nos consultamus, ut veniamus ad notitiam objecti, ad quam si semel devenerimus, non est cur nos etiam eligere non possimus, etsi judicium non dictet hoc esse illi præferendum.

Eadem est ratio de electione.

Deus inter æqualia eligit. Ergo creatura inter æqualia potest eligere.

17. Idipsum probatur ratione. Ponamus aliquem actu efficaciter intendere finem; tum illi proponantur plura media æqualia; in hoc casu per te sequeretur, intendentem finem ideò præcisè esse impotentem eligere medium hîc & nunc utile & sufficiens ad finem, quia magna ei mediorum sufficientium copia suppetit. At quid absurdius dici potest? Sequela tamen aut est ipsa adversariorum doctrina, aut certè ex illâ sequitur.

Confirmatur hæc veritas.

Sententia S. Thomæ exponitur.

18. Ad authoritatem S. Thomæ respondeo inprimis cum Caietano, S. Doctorem solùm intendisse solvere argumentum, concessis etiam principiis in objectione adhibitis, etsi ea nec certa sint, nec absolutè vera. Et sanè talis responsio abundè sufficiebat ad intentum articuli, in quo quærebatur, utrùm homo liberè an ex necessitate eligat? Deinde dico responsionem illam S. Thomæ optimè convenire cum thesi positâ; quia loquimur de motivis dissimilibus, quæ in aliquo se invicem mutuò excedunt. Hic excessus est sufficiens ratio, ut voluntas, si velit, eligat unum præ altero; atque ita magis in actu 2. flectatur ad unum, quàm antea in actu 1. ad illud propenderet. Et sanè S. Thomam, per illud *quòd voluntas magis flectatur*, intelligere propensionem in actu 2. non autem in actu 1. ex eo credibile redditur, quòd in totâ responsione non fiat alia mentio de ipsâ electione, de qua tamen sermo potissimus objectionis, & intentum adæquatum articuli institutum erat. At non est credibile S. Thomam potissimam substantiam responsionis omisisse. Jam si illud, *magis flecti voluntatem* referatur ad actum 2 electionis, sensus Angelici Doctoris est iste, etsi motiva dissimilia sint inter se æqualia, quia tamen secundùm quid exceduntur, & excedunt se invicem, ideò, inspecto illo excessu, voluntas in actu 2. potest magis flecti ad unum eorum, quàm ad alterum, atque ita electio libera est, non necessaria.

19. Stat ergo voluntatem inter æqualia eligere posse; adeoque & intellectum inter æqualia opinari. Imò hoc secundum à potiori sequitur; quia voluntas potest habere majus motivum ad assentiendum huic, quàm illi opinioni; adeoque determinare potest intellectum, cui naturaliter imperat, ad assentiendum alterutri parti pro libitu; nam licèt ratio veri apparentis sit æqualis in utrâque parte, tamen ratio boni potest esse inæqualis. Hac inæqualitate boni inventâ in parte minùs probabili, voluntas determinare potest intellectum ad assensum partis minùs probabilis; nec mirum; quia hoc ipsum videre est in aliis potentiis voluntati subjectis, nam licèt, spectato fine potentiæ visivæ, minùs conducat oculis intueri hoc, quàm illud objectum, imò licèt intueri hoc objectum sit illis nocivum; adhuc si aspicere hoc objectum deserviat fini à voluntate intento, illa talem aspectum imperare potest. Idem valet de aliis potentiis voluntati subjectis. Ergo voluntas, si id è re suâ sit, multò magis imperare poterit intellectui, ut assensum præbeat parti etiam minùs probabili; cùm talis assensus non sit nocivus intellectui, sed solùm paulò minùs conveniens, quàm assensus probabilior.

Voluntas imperare potest potentiis sibi subjectis quod minùs illis conducit.

20. Objicies 2. cum Mercoro *p. 2. art. 3.* Ideò voluntas liberè eligit unum ex duobus mediis æqualibus, quia illa media sunt ad invicem disparata; nam certum est, quòd si unum eorum bonum sit, alterum quoque sit bonum, ideóque voluntas certa est, quod utrumque medium sit opportunum. At nil simile contingit in intellectu inter diversa motiva constituto; loquimur enim de opinionibus contrariis, quarum si una sit vera, altera certò est falsa. Præterea probabilitas unius partis pugnat cum alterius probabilitate; ideò intellectus inter motiva æqualia de neutro opinari potest, etsi voluntas eligere possit inter æqualia.

Objectio secunda ex Mercoro.

Respondeo: licet media voluntati proposita sæpè se habeant, sicut dicit Mercorus, aliquando tamen contrario modo se habent; sic medico ignoranti certam morbi qualitatem & causas, duo media se exhibent sibi contraria, quorum alterum opportunum est, si morbus è nimio calore ortum habuerit; alterum è contrà opportunum non est, nisi morbus ex frigore fuerit

Solvitur objectio.

Voluntas non semper eligit inter motiva disparata, sed sæpè inter media, quorum alte-

rum utile, alterum inutile est, electionē suam exercet. fuerit contractus. In similibus casibus medicus, ex intentione sanitatis procurandæ, eligere potest unum ex duobus mediis æqualibus, etsi verum sit, quòd si alterum prosit, alterum prodesse non possit, sed necessariò aliquantùm obsit. Si enim necessitas alterutrius administrandi incumbat, eò quod homo certò tendat ad interitum, nisi natura sublevetur ope medicinæ, alterutra medicinarum æqualium, quarum singulæ æquè probabiliter aut remedium afferent, aut parem, sed non magnam noxam creabunt, idque prudenter eligi poterit. Atque in hoc casu plena paritas est inter voluntatem, & intellectum. Similiter si proponeretur eligenda una ex duabus capsis, in quarum alterâ gemma pretiosa, in alterâ ficta tantùm conservatur, si nulla esset ratio apparens, quòd vera gemma in unâ potiùs quàm alterâ lateret, eligi posset quævis ex capsis; & tamen media hæc non sunt disparata; nam si hoc medium est proficuum, illud erit inane, & è contrà. Proinde replica Mercori nulla est. Sed esto; media æqualia relatè ad voluntatem supponantur semper esse inter se disparata. Quid inde? nonne eodem modo se habent motiva intellectus? Quid enim refert quod altera pars sit falsa, si opposita sit vera? hoc certè non tollit, quò minùs utraque sit probabilis. Itaque intellectus certus est, se per utrumque eorum idem bonum obtenturum. Si enim neutrum horum medicorum adhibeat, manebit quasi stipitis instar; si autem alterum adhibeat, benè se habet, & æquè benè, sive reipsâ accedat parti veræ, sive falsæ; nam si accedat parti veræ, non ideò frui potest veritate secundùm se, tanquam bono certo præsente, & possesso; quia intellectus formidat, se in suo judicio decipi. Itaque solum fruitur spe rationabili veritatis inventæ; seu quod idem est, fruitur probabilitate veritatis adeptæ. At eisdem bonis fruitur intellectus, etsi ferat judicium pro parte falsâ; cùm enim falsitas judicii non innotescat, sed par vigeat probabilitas de ejus veritate, ac de veritate judicii oppositi, manifestum est, intellectum æquè contentum esse, & verè ac intrinsecè æquè benè se habere, iisdemque bonis frui in quamcunque partem judicium ferat. ergo in ordine ad finem intellectûs, ejusque fruitionem, seu in ordine ad optimum hic & nunc illi possibile, perinde est in quamcunque partem voluntas flectat assensum. Ergo paritas inter intellectum & voluntatem est plenissima. Quod autem Mercorus dicit, probabilitatem unius partis alterius partis probabilitati repugnare, falsum est in rigore, quia utraque propositio simul est probabilis, etsi utraque non possit simul esse vera. Itaque in tantùm una probabilitas pugnat cum alterâ, in quantum una suadet assensum, quem altera dissuadet. Verùm hoc modo motiva æqualia voluntatis pugnant inter se, quia alterum movet ad amorem objecti, à cujus amore alterum revocat. Nulla ergo est disparitas allata.

Intellectus non minùs opinatur inter motiva disparata, quàm voluntas eligat inter media disparata, si tam finis intellectûs, quàm voluntatis habeatur præ oculis.

21. Objicies 3. Esto motivum probabile seorsim sumptum sit medium sufficiens ad inducendam opinionem, illud tamen non sufficit ad talem assensum, quando concurrit cum opposito æquè probabili. Tunc enim intellectus se habet sicut libra, in cujus lancibus æqualia pondera conjiciuntur. Sicut enim neutrum ex ponderibus inclinat lancem deorsum, quia oppositum pondus talem descensum impedit; ita licèt quodvis motivum trahat intellectum ad assensum, alterum tamen tantundem illum ab assensu retrahit. Ergo intellectus tunc necessariò manet in æquilibrio, sicut libra in casu allato. Ergo de neutrâ parte ex æquè probabilibus opinari potest. Ita Mercorus. Ergo secunda ratio in ultimo argumento expensa nulla est.

Objectio tertia ex Mercoro.

Respondeo replicam probare quidem, intellectum,

Objectio solvitur & clara disparitas assignatur.

intellectum; utpotè potentiam necessariam, ex se manere in æquilibrio, sed non tangere præsentem difficultatem, quæ in eo sita est, utrùm intellectus, per voluntatis imperium, flecti possit in unam partem? Intellectus enim, prout subditur voluntati, ea potest præstare, quæ præstare posset, si esset immediatè liber. At si esset liber, assentiri posset alterutri ex motivis æquè trahentibus, sicut de facto voluntas potest. Neque obstat, voluntatem tantum retrahi per unum motivum, quantum per alterum trahitur; nam, hoc non obstante, quia libera est, potest unum eorum amplecti, & rejicere alterum. Ergo intellectus, per voluntatis imperium, contemnere potest unum motivum & alterum approbare. Nulla ergo est paritas prætensa inter agens necessarium vel determinatum ad unum, ac inter agens liberum, vel indifferens ad plura.

Assertio 2.

ASSERTIO SECUNDA.

Intellectus flecti potest ad assentiẽdum cuivis ex motivis oppositis æqualibus & similibus.

Quando motiva pro utraque contradictionis parte, ante omnem assensum & peculiarem affectum, sunt æqualia, intellectus flecti potest ad assensum cujusvis partis, etsi motiva illa sint similia.

Probatio prima.

22. PRobatur 1. Voluntas eligere potest quodcunque motivum ex æqualibus oppositis, & similibus. Ergo & intellectus per imperium voluntatis, flecti potest in assensum alterutrius ex motivis oppositis & similibus; eadem enim ratio utrobique valet. 2. motivum quodvis trahit intellectum ad assensum, etiam in contradictione alterius motivi æqualis, & similis; ut patet experientiâ. Et sanè in casu nostro supponimus motivum intellectûs in contradictione oppositi similis manere probabile; id est habere magnam vim alliciendi assensum, alioquin non sumus in casu. At hic stimulus convincit possibilitatem consensûs in voluntate, & assensûs in intellectu, uti jam ostensum est in 1. Assert. 3. omnia fermè, quæ pro superiore assertione allata sunt, æquè arguunt veritatem præsentis; neque enim ulla alia diversitas est, quàm quòd motiva æqualia juxta thesim priorem sint dissimilia, & secundùm quid singula excedantur à singulis, secundùm istam autem supponantur esse similia, & commensurabilia sine excessu. At hoc non obstat, nisi illa æqualitas tollat stimulum ad assentiendum singulis partibus. At certum est, quòd stimulus maneat in intellectu, sicut manet in voluntate, quando motiva sunt similia; imò supponimus stimulum manere, uti proximè dictum est. Ergo nil obstat, quò minùs voluntas flectere possit intellectum in assensum cujusvis partis. Et sanè, qui admittit veritatem assertionis 1. ex nullo fundamento rationabili præsentis thesis veritatem negare potest.

Secunda.

Tertia ratio.

23. Confirmatur. Itinerans, in bivio constitutus, potest credere cuicunque voluerit ex duobus æquè gravibus, qui, interrogati de viâ tenendâ, in suâ directione discrepant. Vide dicta suprà *quæst. 7. n. 8. & n. 13. ac 14.* Et sanè, posse aliquem credere alterutri duorum testium æqualium, ex voluntatis imperio, certissimum mihi videtur; maximè quando ex tali assensu magnum bonum accedit voluntati, ut puta, si per fidem illi præstitam certò sit lucraturus amicitiam illius, cui fidem adhibet, ejusque amicitia illi futura sit valdè utilis; nam in hoc casu, si vir ille fidem suam resolvat petenti, *cur credis huic potiùs, quàm illi?* respondebit, *credo huic potiùs quàm illi, quia cùm habeam motivum credendi utrique, volo huic non illi credere*; quod si petas, *cur vis huic, non illi credere?* dicet, *quia credere huic majus mihi bonum secum affert, quàm illi credere.* Neque unquam dabit in resolutione suæ fidei,

Confirmatur exemplo.

fidei, quòd hic sit dignior fide altero; quia suppono, quod, antecedenter ad affectum credendi, existimet utrumque æqualiter fide dignum esse. Jam verò istæ circumstantiæ nullàtenus augent credibilitatem objecti, sed solùm inserviunt, ut voluntas habeat peculiare motivum ad assensum istius, potiùs quàm oppositæ partis imperandum.

Assertio 3.

Intellectus opinari potest inter motiva credita æqualia.

ASSERTIO TERTIA.

Hactenus dicta intelligi debent etiam pro casu, quo quis, ante affectum & ante assensum ulli ex partibus oppositis præstitum, comparat motiva, & credit illa esse æqualia.

Prima ratio.

24. PRobatur. Inprimis assertio locum habet in voluntate, uti & per se patet, & constat ex dictis; ergo à pari habet etiam locum in intellectu, quatenus ille subditur imperio voluntatis. 2. quod in se existens non impedit assensum, illud cognitum sicuti est, non potest eundem impedire: at æqualitas motivorum in se exercitè existens non impedit assensum cujusvis partis, ut ostensum est: ergo æqualitas illa signatè cognita eundem assensum non impedit. Neque enim per comparationem illam aliud fit, quàm ut motiva ita sint, & reflexè appareant in mente, sicut reverâ sunt in seipsis. Ergo sicut per illa in seipsis voluntas potest verè imperare assensum vel dissensum pro libitu; ita si reflexè cognoscantur, intellectus, per ea sic cognita, solùm certificatur, quòd voluntas habeat motivum sufficiens, & potestatem expeditam ad utrumlibet pro libitu imperandum. At hoc non impedit, sed potiùs facilitat electionem assensûs, vel dissensûs; quia sicut hæc reflectio, convincit assensum vel dissensum pro libitu voluntatis esse possibilem, (uti constat ex rationibus, per quas, reflectendo supra motivorum æqualitatem, ostendimus tam assensum quàm dissensum

Secunda ratio.

Quod existens in intellectu nó impedit assensum, illud reflexe cognitú assensum impedire non potest.

contineri sub liberâ potestate voluntatis) ita exstimulat voluntatem ad aggrediendum opus sibi opportunum, eò quòd ritè noverit illud esse possibile.

Assertio 4.

ASSERTIO QUARTA.

Apparentia verisimilitudinis consequens ad assensum, quem intellectus uni contradictionis parti absolutè præbuit, semper major est, quàm apparentia veritatis pro parte oppositâ. Atque in hoc sensu verum est, intellectum nunquam assensum præbere, nisi parti, quæ, omni apparentiâ inspectâ, tam antecedente quàm consequente dictum assensum, apparet probabilior.

Propria opinio unicuique apparet probabilior oppositâ.

25. PRobatur. Apparentia verisimilitudinis, consequens ad judicium objecto præstitum, fundatur non solùm in ipsâ judicantis authoritate, sed potissimè in vitali repræsentatione affirmativâ objecti ut veri, & rejectivâ oppositi ut falsi; id est, in ipso judicio absolutè illud affirmante ut verum. Rursus fundatur etiam in affectu voluntatis ad illam partem, à quo, ut à voluntatis imperio, assensus ille, utpotè obscurus, dependet. At apparentia ad ista consequens, & priori apparentiæ superaddita, constituit majorem apparentiam veri pro objecto affirmato, quàm pro negato. Ergo &c. Probatur minor; & inprimis, si pro priori ad assensum apparentia veritatis pro utrâque parte contradictionis erat par, clarum est, quòd accedente propriâ authoritate favente illi, & contrariante alteri parti, jam major fit apparentia veri pro unâ, quàm pro alterâ parte. Verùm quia tria capita pro apparentiâ veritatis augendâ attuli, opus est singula eorum examinarè.

Probatio ex triplici capite desumpta.

16. Inprimis contemplor amorem deliberatum uni parti alligatum, per quem assensus illi præstitus imperatur; & dico rationes priores,

Primum caput est affectus uni parti deliberatò alligatus.

priores, prout huic amori conjunctas, necessariò apparere majores, quàm apparerent, si absque tali conjunctione considerarentur. Ratio est, quia amor ille complacet sibi in rationum illarum apparentiâ, & displicet sibi in apparentiâ rationum oppositarum; ergo cognitio reflexa motivorum illorum, ut huic complacentiæ & displicentiæ substantium, ostendit unum eorum ut congeneum, alterum ut heterogeneum cum judicantis genio. Hæc autem est apparentia magis sollicitans ad assensum pro parte congeneâ, quàm pro oppositâ, ut patet. Ergo vel ex hoc solùm capite apparentia veritatis, consequens ad dictum affectum, est major pro illâ parte, in quam affectus inclinat, quàm pro alterâ. Et hinc sumitur ratio à priori, cur affecti vehementer passione amoris vel odii valdè proclives sint ad temerè judicandum, & ita fixi in suis judiciis, etsi temerè conceptis, ut nullâ ratione, quantumvis efficaci, nisi valdè difficulter ab illis revocari possint.

Temerè opinantes fixi sunt in suis opinionibus, & cur?

Ratio est, quia donec passio deponatur, considerant rationes illas, ut suæ complacentiæ, aut displicentiæ substantes. Atque ita, etsi rationes pro alterâ parte sint in se majores motivis faventibus parti, cui passio inclinat, imò etsi rationes illæ etiam illorum menti repræsententur, nihilominùs apparent ut contrariæ, & inconvenientes genio judicantis, adeóque relatè ad illum apparent simpliciter minores oppositis. Qui ergo mederi vult judiciis temerariis hominis sic dispositi, ante omnia conetur, ut ille passionem deponat; tunc enim facillimè efficiet, ut mutet judicium, erroremque suum discernat, quem sicut nunquam agnoscet, dum passio viget; ita omnia remedia frustrà applicantur, donec passio deponatur.

Quomodo curandi sint temerè judicantes?

27. Pergo ad authoritatem judicantis uni parti impensam, & dico, eam necessariò causare majorem verisimilitudinem in parte cui favet, quàm in parte quam condemnat. Ratio est, quia unusquisque propriam authoritatem plurimi facit, eamque, dum actu impenditur, auctoritati omnium, quos putat sibi contrariari, anteponit. Impossibile enim est, quin eos falli putet in re, quam ipse veram reputat; ergo in ordine ad hoc objectum se omnibus contrarium opinantibus anteponit. Itaque si objectum, unâ cum rationibus pro priori habitis, sumatur prout simul substat authoritati hominis actu sic judicantis, non potest apud ipsum judicantem non apparere ut anteponendum omnibus, quæ pro contrario afferuntur. Atque hic titulus priori additus clariùs explicat, quomodo objectum illud per hanc apparentiam consequentem appareat ut congeneum huic intellectui, cùm objectum oppositum ut illi disconveniens repræsentetur. Unde quidquid dictum est num. 26. iterum efficaciter confirmatur.

Secundum caput est propria judicantis authoritas.

Omnis opinans necessariò præfert propriam authoritatem omnibus contradicentibus, quãdo actu judicat cõtra illos.

28. Demum considero ipsum actuale judicium affirmans unum, & negans alterum esse verum; & dico, objectum taliter affirmatum, si consideretur ut substans huic judicio, necessariò apparere illi intellectui, ut verisimilius opposito. Ratio est, quia hoc objectum apparet ut absolutè verum, alterum ut absolutè falsum; quia hoc creditur verum, illud falsum. Ergo impossibile est, quòd oppositum objectum huic intellectui appareat ut verisimilius; quod enim non solùm apparet ut falsum, sed etiam absolutè creditur esse falsum, non potest apparere tam verisimile quàm illud, quod apparet ut absolutè verum, & ut tale absolutè creditum. Rem claram exemplo manifestiorem facio. Quod apparet ut deficiens ab altero, aut ut illud excedens, non potest simul eidem intellectui apparere ut magis accedens ad æqualitatem cum illo, quàm quod illi absolutè apparet congruere; quia congruere est esse æquale. Jam veritas consistit in æqualitate quâdam, & conformitate

Tertium caput est ipsum proprium judicium reflexè cognitum.

Objectum ut substans judicio actu existenti, & judicanti illud esse verum, necessariò apparet intellectui, sic judicãti ut probabilius opposito.

conformitate judicii cum objecto. Ergo impossibile est, ut intellectus, reflectens super apparentiam objecti ut absolutè à se crediti, non repræsentet illud, non solùm ut verisimile, sed ut absolutè verum, & oppositum ut absolutè falsum; id est, illud ut congruum judicio ipsum affirmanti, & ut illi æqualiter commensuratum; oppositum verò ut disconveniens judicio illud affirmanti, & ut illud excedens, aut ab illo deficiens. Ergo objectum creditum, de consequenti ad judicium illud affirmans, necessariò apparet probabilius, & verisimilius opposito, quod absolutè condemnatur ut falsum. Collige jam omnia hæc tria capita in unum, & statim videbis thesim positam esse efficaciter probatam. Et rationem habes illius dicti, *unicuique suum opinatum est probabilius*: verè enim uniuscujusque opinio, concomitanter & consequenter ad ipsum judicium in quo consistit, est probabilior ipsi judicanti, quàm sententia opposita.

Replica in cōtrarium. 29. Dices: intellectus per te potest judicare illud esse verum, quod pro priori ad ipsum judicium & ad omnem affectum credidit esse æquè, aut etiam minùs probabile opposito. Eliciatur hoc judicium de æqualitate motivorum utrique parti faventium; tum imperetur assensus absolutè alligatus parti A; & fieri non poterit, ut intellectus, ne consequenter quidem ad assensum illum, simul judicet partem A. esse probabiliorem parte B, alioquin intellectus simul eliceret judicia sibi contradicentia; quia simul diceret, A est probabilius & minùs probabile, quàm B. Ergo assertio hæc repugnat cum priore; ergo alterutra earum est falsa.

Responsio. 30. Respondeo duo illa judicia non esse incompossibilia; quia primum judicium solùm enunciat de apparentiâ, quam objectum habet in intellectu, pro priori ad omnem affectum, omnemque assensum erga illud absolutè impensum; secundum verò enunciat de apparentiâ, quam habet, prout illud unà cum prioribus motivis nunc substat efficaci amori, absoluto assensui, atque authoritati judicantis actualiter in illud impensæ. At hæc apparentia diversa est à priori, & à diversis causis derivatur. Ergo absurdum non est quòd idem intellectus simul enunciet primam apparentiam pro utrâque parte æqualem esse; aut certè apparentiam illam primam pro parte A, esse potiorem, quàm pro B, secundam verò magis favere B, quàm A.

31. Verum quidem est, quòd rarissimè hæc duo judicia conjungantur, 1. quia prima illa comparatio raro fit antecedenter ad omnem affectum uni parti singulariter additum, 2: si illa aliquando fiat antè omnem affectum voluntatis uni parti addictum, id non solet contingere nisi in rebus purè speculativis, in quibus sicut nil penitus curamus quæ pars sit, quæ non sit vera; ita voluntas non habet motivum accedendi ad unam partem, potiùs quàm ad alteram. In talibus autem, si motiva sint æqualia, omne judicium solet suspendi; si autem altera pars sit probabilior, voluntas assuevit in illam assensum flectere; adeóque utraque comparatio eidem parti favet; atque inde aut rarò, aut nunquam evenit, ut diversæ illæ comparationes fiant in eodem instanti. Certè comparatio hæc ultimatè fieri non solet, nisi post assensum uni parti præstitum; quia quando enunciamus de aliquâ opinione, solemus enunciare de illâ post totum discursum peractum, & non tam ferimus judicium de apparentiâ. quâ præcisè inducti sumus ad amandum & credendum hanc partem præ illâ, quàm de apparentiâ, quâ nunc consideramus nos dispositos ad continuandum in præsenti opinione. Et sanè hic est communis sensus omnium, quia apud omnes, idem est reputare aliquam opinionem esse suam, & esse probabiliorem. Qui

In purè speculativis voluntas communiter imperat assensum partis probabilioris.

autem

autem ex imperio voluntatis opinantur contra motiva in actu primo urgentiora, primò assensum præbent opinioni, deinde affirmant se illam reputare opposità probabiliorem; considerant enim totam dispositionem præsentem, quæ conflatur ex propriâ authoritate impensâ in unam partem, ex affectu judicioque illi parti favente, & ex communibus motivis illam confirmantibus; & omnibus inspectis, se magis ad illam retinendam, quàm oppositam admittendam propensos experiuntur, atque ita interiùs sentiunt illam esse, sibique videri probabiliorem oppositâ.

Radix hallucinationis, propter quam adversarii existimant intellectû semper affigi parti probabiliori, detegitur.

32. Atque hinc detegitur ipsa radix æquivocationis, per quam decepti sunt Adversarii; illi enim reflectentes ad suas opiniones jam conceptas, advertebant se non posse non existimare illas esse oppositis probabiliores; atque inde intulerunt intellectum non posse assentiri nisi parti probabiliori, quia eo ipso quòd aliquis assentiat alicui contradictionis parti, illicò eam oppositâ probabiliorem esse judicat. Verùm confundebant apparentiam consequentem ipsum assensum, cum apparentiâ illum antecedente, & universaliter de omni apparentiâ enunciârunt, quod consequenti tantùm conveniebat. Quòd si has duas apparentias ritè distinxissent, vidissent & nostram sententiam absolutè esse veram, & suam debitè intellectam illi non contradicere.

Replica secunda.

33. Instabis: ergo intellectus, qui hìc & nunc putat opinionem, cui assensum præbet, esse probabiliorem oppositâ, potest simul existimare illam non esse oppositâ probabiliorem, quantùm spectat ad rationes utrique parti faventes pro priori ad omnem affectum, & judicium uni parti impensum. At hoc durum est, quia intellectus, dum actu assentitur, alii motivo non nititur, quàm illi ipsi, quod pro priori proponebatur ut minùs, aut certè ut non magis probabile opposito. Quomodo ergo potest mox existimare, illud idem objectum, pro quo rationes novas non habet, esse probabilius opposito?

Solvitur replica.

Respondeo sequelam nec absurdam esse, nec miram, quia propria opinantis authoritas, & objectum ipsum, ut comparatum cum priori judicio, illique perfectè correspondens, semper accedunt tanquam nova motiva repræsentantia verisimilitudinem ipsius objecti. Ergo falsum est, quòd intellectus, consequenter ad assensum, pro affirmandâ rei veritate nova motiva non habeat. Deinde, etsi intellectus non haberet nova motiva, illa tamen eadem motiva, prout consequuntur ad assensum, & apparent conjuncta cum affectu & judicio absolutè approbante illa, aliter apparent ad movendam eandem mentem, quàm apparerent pro priori antè tales affectus. Ergo prout apparent consequenter ad assensum, repræsentant idem objectum esse probabilius, quàm ex vi prioris apparentiæ illud repræsentabant. Ex his duobus ritè intellectis difficultas hæc manifestè solvitur; quia nunquam verum est, quòd intellectus simul de eodem secundùm idem enunciat illud esse, & non esse probabilius opposito; sed solùm quod idem secundùm has circumstantias sit probabilius, & secundùm alias minùs probabile opposito: quod sæpè contingit.

Replica tertia.

34. Dices iterùm, licèt aliquis pro priori videat meliora probetque, & deinde pro posteriori sequatur opposita deteriora, objecta tamen illa consequenter ad electionem ipsorum non apparent meliora suis oppositis. Ergo assertio locum non habet in voluntate, ergo nec in intellectu.

Solvitur replica.

Respondeo; nisi per ipsam experientiam, aut aliunde per accidens res amata inveniatur non esse tam bona, sicut apparebat pro priori (quod aliquando contingit) illa, consequenter ad amorem magis afficit & allicit animum (modo circumstantiæ sint pares)

Sæpè res amata post amorem magis placet quàm ante, sæpè minùs, & cur? pares) quàm eum priùs alliciebat; quia nescio quid dulcedinis secum fert res amata, quando bonitas illius per experimentalem notionem innotescit, & ut substans liberæ electioni, atque ut per illam approbata consideratur. siquidem tam bonitas experimentalis objecti, quàm libera ejusdem electio plurimùm allicit ad idem objectum iterum eligendum. Itaque doctrina assertionis etsi non æqualiter, proportionaliter tamen locum etiam habet in voluntate.

Disparitas inter intellectum & voluntatem expeditur. 35. Porrò ratio disparitatis inter intellectum, & voluntatem ea est, quòd voluntas approbans deteriora, cognita ut talia, statim fundat testimonium conscientiæ, quod malè fecerit, quo tanquam stimulo excitatur ad pænitendum. Porrò cùm hic conscientiæ remorsus sit proprius effectus electionis pravæ; fit ut post exercitium rei malæ exoriatur cognitio experimentalis effectûs mali ab objecto amato causati, qui antea non nisi abstractivè innotuerat. At cognitio experimentalis mali longè efficaciùs movet, quàm cognitio abstractiva ejusdem. ergo malè operans detegit rationem mali in suâ electione ex objecto electo, quam priùs non detexerat. Rursus electio objecti mali cohæret cum conscientiâ peccati, & cum judicio dictante objectum illud malum esse, ejusque electionem esse malam, adeoque talis electio causare non potest apparentiam, quòd objectum illud sit melius suo opposito, quod constat esse simpliciter bonum. At omnia opposito modo se habent in intellectu, nam post judicium, nil ex vi illius repugnans veritati detegitur, aut per illud sub experientiam cadit; è contrà verò potiùs ipsa veritas rei aliqualiter degustatur per assensum absolutè præstitum, quia veritas consistit in conformitate judicii cum suo objecto, quàm hic adesse intellectus reflexè judicat. Ratio autem à priori disparitatis est, quia apparentia boni consequens amorem objecti non est actus voluntatis, quæ amat, sed intellectûs, qui amare non potest; atque adeò, cùm amor & apparentia boni sint actus diversarum potentiarum, actus voluntatis non efficit, ut intellectus contra evidentem veritatem judicet objectum ut amatum esse absolutè melius objecto rejecto. At cùm apparentia, tam antecedens quàm consequens assensum, sit actus ejusdem potentiæ intellectivæ, quæ contrarios actus de eodem objecto simul elicere nequit, fit ut, in sensu composito judicii uni partium affixi, assensus partis contrariæ impossibilitetur; atque adeò quòd, consequenter ad tale judicium, apparentia veritatis & verisimilitudinis necessariò crescat juxta dicta.

36. Hinc sequitur, eum, qui, omnibus apparentiis tam directis quàm reflexis pro veritate rei perpensis, absolutè credit utramque contradictionis partem esse æquè probabilem, nulli contradictionis parti assensum præbuisse. Eo ipso enim, quòd uni parti assensus præbeatur, & exercitè, & ex comparatione reflexâ necessariò oritur major apparentiâ veritatis pro parte affirmatâ, quàm pro negatâ. Ergo æqualitas apparentiæ pro utriusque partis veritate eo ipso tollitur. Qui omnibus omnino inspectis existimat utramque partê contradictionis esse æquè probabilem neutri parti assensum præbet.

Solvuntur Objectiones.

37. Objicies 1. Intellectus, dum dubitat, de neutrâ parte judicare potest: atqui dum æqualia motiva stant pro utrâque parte, intellectus de veritate utriusque dubitat; Ergo. Probatur minor ex S. Thomâ *quæst. 14.* de veritate art. 1. ubi expressè ait, *quandoque intellectus non magis inclinatur ad unum, quàm ad aliud, vel propter defectum rationum, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem, & ista est dubitantis dispositio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionû.* Ecce per S. Thomam æqualitas motivorum pro Objectio prima. S. Thomas.

Q utrâque

utrâque contradictionis parte infert dubium de veritate utriusque.

Solutio argumenti. Respondeo, S. Thomam hoc loco nullatenus contrariari assertionibus hic positis. Inprimis ergo respondeo cum Honorato Fabri, S. Thomam ponere propositionem indefinitam, non universalem: ait enim *quandoque intellectus non inclinatur, magis ad unum, quàm ad alind, vel propter defectum moventium, vel propter apparentem aqualitatem eorum, qua movent ad utramque partem.* Quandoque ergo intellectus non inclinatur magis in unum quàm in aliud, quando motiva pro utrâque parte contradictionis sunt æqualia; sed hoc non obstante, verum est, quòd, stante tali æqualitate pro priori, quandoque intellectus pro posteriori in unam partem inclinatur per imperium voluntatis. Neque ullibi oppositum docetur à S. Thomâ.

Prima responsio ad authoritatem S. Thomæ.

Replica contra solutionem. Dices: illud *quandoque* solùm cadit supra dubium, ut sensus sit, *quandoque intellectus dubitat*; non autem supra causas allatas, ut sensus sit *quandoque intellectus non magis inclinatur ad unum, quàm ad alind, quando motiva sunt aequalia pro utroque; & tunc dubitat*: ergo hæc interpretatio Fabri violenta est: maximè cùm S. Thomas ponat omnes causas dubii, illasque tantùm assignet, quæ necessariò conjunguntur cum dubio.

Solvitur replica. Resp. negando antecedens. Nam S. Thomas hîc non numerat omnes causas inductivas dubii, sæpè enim dubitamus, etsi motiva pro unâ parte majora sint, quàm pro aliâ. Ergo sanctus Doctor non intendebat numerare omnes causas illativas dubii; sed solùm aliquas causas assignare, ex quibus dubium formale oriri potest. Hoc præstitit duobus exemplis, quorum prius necessariò infert dubium, posterius verò sufficit ad illud inducendum; etsi non inducat illud necessariò. Et sanè licèt in priori exemplo ratione materiæ necessariò sequatur dubium formale, in secundo tamen exemplo, cùm materia capax sit distinctionis, & phrasis S. Thomæ sit indifferens, manifestum est, interpretationem hanc non esse violentam. Ostendatur ex S. Thomâ, quòd illa dispositio necessariò inferat dubium seu suspensionem omnis judicii, & fatebor locum hunc præsenti asserto contrariari.

Deinde respondeo S. Thomam hoc loco solùm exponere causam formalem dubii; dicit enim dispositionem dubitantis consistere in hoc, quòd intellectus non magis flectatur in unam partem, quàm in aliam; hoc universaliter verum est, quando intellectus, neque per apprehensiones prævias, neque per judicium subsequens, ad unum potiùs, quàm ad aliud flectitur; nam si per judicium feratur ad unam partem, non ampliùs dubitat. quia dubium formaliter consistit in carentiâ judicii uni ex partibus apparentibus alligati. In hoc ergo sensu claro & connaturali propositio S. Thomæ universalis est, & vera. Toties enim intellectus dubitat, quoties ita disponitur. cæterùm S. Thomas non assignat omnes, sed aliquas causas, ex quibus hæc dispositio oritur; primam ponit carentiam motivorum, quæ necessariò infert dubium; secundam assignat motivorum æqualitatem, sed nullibi indicat eam esse necessariò connexam cum dubio formali, Imò oppositum satis efficaciter colligitur ex hoc ipso articulo, uti proximè ostensum est. *num. 8. propè finem.*

Secunda responsio ad S. Thomam.

38. Objicies 2. ex Mercoro. Opinari est intellectum assentiri uni partium oppositarum, sed cum formidine oppositi proveniente tantùm ex inefficaciâ motivi, quod quia est incvidens, non convincit. Sed intellectus, in concursu utriusque partis oppositæ æquè probabilis, non solùm habet formidinem ex inefficaciâ cujusvis motivi, sed etiam ex resistentiâ motivi contrarii æqualis, arguentis falsitatem objecti, cui contradicit.

Objectio secunda ex Mercoro.

tradicit. Ergo in tali casu intellectus non potest opinari, sed necessariò dubitat.

Solvitur objectio. Resp. & audacter nego majorem, quam omnes fermè falsam reputant. omnes enim, pauculis exceptis, docent intellectum posse assentire parti probabiliori, etiam in contradictione partis oppositæ minùs probabilis. In hoc casu intellectus opinatur, & tamen habet formidinem tam ex debilitate proprii motivi; quàm ex resistentiâ contrarii. Quid dico, *pauculis exceptis?* Nemo est, quod sciam aut audiverim, præter unum Mercorum, qui hoc in dubium revocavit. Fallitur ergo Mercorus, opinari enim est assentiri cum formidine, undecunque ea proveniat, sive ex solâ motivi debilitate, sive etiam ex motivis oppositis; ut evenit, quando intellectus assentitur parti probabiliori, non obstantibus motivis probabilibus in contrarium. Ergo idem dicendum, quando utraque pars est æquè probabilis. Quod æquivocationem Mercoro facit, est illum confundere æqualitatem inclinationis in actu primo, cum eâdem æqualitate in actu secundo; simulque putare æqualitatem in actu primo non posse cohærere cum inæqualitate in actu secundo. Verùm sicut fallitur in voluntate, ita etiam decipitur in intellectu, qui in obscuris naturaliter subjacet voluntatis imperiò. Rursus cùm ratio dubii consistat in suspensione judicii, seù in eo, quòd intellectus per judicium in actu secundo in neutram partem absolutè propendeat, Mercorus, quasi hoc esset intellectum in utramque partem æqualiter propendere (à quo tamen toto cælo differt, quia est illum in neutram partem flecti in actu secundo) intulit intellectum necessariò dubitare per hoc, quòd in actu primo æqualiter propendeat in utramque partem. Verùm in utroque erravit, ut constat ex dictis.

(Margin: Opinari est adsentire cum formidine, undecumque formido proveniat.)

Replica. Dices sola debilitas motivi infert formidinem, ergo contradictio motivi oppositi plus facit. Ergo necessariò inducit dubium.

Solvitur. Respondeo motivum oppositum plus facere quia facit intellectum magis formidare, quàm formidaret præcisè ex vi motivi, cui assensus probabilis innititur, ut videre est, quando assensus præbetur parti probabiliori, rejecto motivo minùs probabili.

Objectio tertia. 39. Objicies 3. nemo opinari potest de propositione, quæ illi apparet æquè falsa, ac vera; quia opinari est judicare illam esse veram, sed cum formidine quòd sit falsa. At, quando motiva sunt æqualia, propositio non magis apparet vera, quàm falsa; quia quàm vera apparet ex proprio motivo, tam falsa apparet ex opposito. Ergo, æqualibus motivis utrique parti faventibus, intellectus de neutrâ opinari potest. Saltem qui judicat motiva utrique parti faventia esse inter se æqualia, de neutrâ parte opinari potest.

Solvitur objectio. Resp. si loquamur præcisè de apparentiâ veritatis habitâ per actus imperfectos se tenentes ex parte actûs primi, consistente in apprehensionibus præviis ad assensum, major falsa est; quia ex imperio voluntatis absolutè judicare possumus aliquid esse verum, etsi pro priori motiva sint, & credantur æqualia. Nec enim hæc duo opponuntur, *actum perfectum, seu judicium uni parti adhærere, & actus imperfectiores, seu apprehensiones prævias uni potiùs quàm alteri non adhærere.* Sicut hæc duo, *voluntatem per actus imperfectos, seu simplices affectiones non magis in unum, quàm alterum propendere; & voluntatem per volitionem deliberatam, & operationem perfectam uni parti determinatæ adhærere*, contraria non sunt. At si loquamur de totâ apparentiâ, quam opinans habet tam concomitanter, quàm consequenter ad ipsam opinionem, major est vera, quia opinans per talem apparentiam formaliter præfert unam partem alteri, illamque veram reputat.

(Margin: Intellectus pro priori ad assensum æquè inclinatur ad utramque partē, sæpè tamen in actu 2. præfert unam alteri.)

reputat, oppositam verò ut falsam rejicit. Juxta eandem doctrinam distinguenda est minor, nam quando motiva consistentia in apprehensionibus prævijs sunt, & creduntur æqualia, neutra pars pro illo priori apparet magis vera, quàm altera. At, illis actibus imperfectis se tenentibus ex parte actûs primi, superaddi potest affectus ad unam partem, & assensus perfectus, per quem intellectus in actu secundo uni parti per absolutum judicium adhæreat, & oppositam falsam reputet. Atque ita intellectus de partibus æquè probabilibus opinari potest pro arbitrio voluntatis.

Objectio quarta. 40. Objicies 4. Ex propositionibus contradictoriis æquè probabilibus necesse est alteram veram esse, alteram falsam. Ergo intellectus non potest prudenter ulli earum assentiri; quia eo ipso exponeret se evidenti periculo errandi; error autem est venenum, vulnus, & naufragium intellectûs. Sicut enim nemo prudens navigaret in ullâ duarum navium, quarum altera certò esset naufragium passura, nisi determinatè sciret, quænam esset peritura, ita neque intellectus, propter periculum erroris, potest ulli partium æquè probabilium prudenter assensum præbere. Idem argumentum aliis paritatibus, nil singulare habentibus, ad ornatum proponitur à Mercoro, & multùm urgetur.

Solutio prima. Resp. argumentum nimis probare; quia æquè valet contra opinionem probabiliorem. Imò & contra omnem opinionem, quia opinio semper connectitur cum formidine erroris, etiam quando nil adducitur in contrarium. Resp. 2. nos hîc non quærere quid possit fieri prudenter, sed quid absolutè fieri possit, sive temerè, sive prudenter.

Solutio secunda. Resp. 3. assensum illum fore prudentem, quia in quamcunque partem intellectus à voluntate flectatur, semper flectitur in partem, de cujus veritate attingendâ magna & præsens spes affulget. Hoc enim est utramque partem esse probabilem. At ubi talis spes veritatis affulget, judicium prudenter elicitur.

Solutio tertia. Demum ut omnia istiusmodi exempla ostendantur non esse ad rem præsentem; fateor, illum imprudentem censendum esse, qui absque gravi necessitate alterum duorum ciborum sumeret, de quibus certum esset alterum eorum esse venenatum, & de singulis probabile esset, quod nullus venenum contineret. Idem dico de electione navis, prout casus ponitur in argumento. Verùm lata est disparitas inter hæc & opinionem probabilem, in ordine ad hoc, ut eligantur. Hæc enim stultè eliguntur, quia per eam electionem homo absque necessitate se conjicit in periculum probabile mortis; at homo flectens intellectum ad assensum opinionis probabilis, per hoc meliùs se habet, quàm si omne judicium suspenderet; si enim omne judicium suspenderet, hæreret instar stipitis, atque omni operatione intellectuali perfectâ, & ut ita dicam, propriè humanâ orbatus, in densissimâ ignorantiæ nocte jaceret; quod homini longè deterius est, quàm aliquando per accidens errare, modo judicium errans rationabili motivo subnixum sit; siquidem hoc modo errare non est contra, sed juxta conditionem humanæ naturæ; & homines pluris faciunt notiones probabiliter opinativas de rebus abditissimis, & sublimibus, etsi fortassè falsas, quàm demonstrationes & certitudines de aliquibus rebus obviis, & imperfectis. Itaque in hoc casu voluntas prudenter flectit intellectum in assensum alterutrius partis, quia ex duobus malis quibus intellectus necessariò subjacet, quod minus est eligit. Itaque dicere errorem esse vulnus, pestem, venenum, & naufragium intellectûs, est rhetoricari ad pompam, non philosophari ad veritatem, & proportionaliter ad exigentiam naturæ humanæ. Nam esto hæc omnia vera sint de errore.

Intellectus probabiliter opinans, etsi erret, meliùs se habet, quàm si judicium omne suspenderet.

errore temerè & vincibiliter concepto, & multò magis de errore affectato; certum tamen est, quòd frivola sint & falsa, si loquamur de periculo errandi, & errore secuto propter assensum motivo probabili præstitum. At hic est casus noster.

QUÆSTIO NONA.

Vtrùm Intellectus assentiri possit opinioni minùs probabili?

Status & ordo Quæstionis.

Status quæstionis proponitur juxta cōmunem ejus intelligentiam.

1. UÆRITUR in præsenti, utrùm intellectus ille, cui motivum incitans ad existimandum, *quod pingere*, v. g. *in die festo sit illicitum*, est vehementius & majus quàm motivum probabile impellens ad credendum, *quòd sit licitum*, possit, hoc non obstante, ex imperio voluntatis flecti ad absolutè judicandum *quòd licitum sit pingere in die festo*.

Subtilior, & accuratior sensus quæstionis exponitur.

2. Hic est communis modus proponendi quæstionem præsentem, & censetur unicus status hujus controversiæ; nihilominùs ego duplicem quæstionem, eamque diversam invenio; prima procedit quando dicta motiva exercitè tantùm sunt inæqualia, secunda quando etiam signatè proponuntur intellectui ut talia. Quæritur ergo in utroque sensu, utrùm intellectus ex imperio voluntatis flecti possit ad assensum præbendum, non solùm parti minùs allicienti, sed etiam parti quæ absolutè creditur minùs allicere. Quæstio hæc multum conducit ad resolutionem quæsiti principalis, ideóque solidè determinanda est.

Restringitur quæstio ad apparētiam, quæ prioritate naturæ antecedit assensum.

3. Verùm adverto me solùm loqui de apparentiâ antecedente assensum, & omnem peculiarem affectum voluntatis ad unam partem; nam apparentia veritatis concomitans, aut subsequens dictum assensum, semper est major pro parte, cui assensus præbetur, quàm pro oppositâ, ut dictum est *quæst. 8. num. 25.* Similiter loquor juxta observationes alias in dictâ quæstione ponderatas, potissimè autem quando motiva sunt dissimilia; cui aliquid subnectam pro casu, quo fuerint similia.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio 1.

Intellectus ex imperio voluntatis flecti potest ad assensum præbendum illi parti contradictionis, quæ exercitè est, & signatè creditur minùs probabilis, rejectâ parte probabiliore, modò motiva fundantia probabilitatem sint dissimilia, & pro priori ad omnem affectum & assensum uni parti peculiariter affixum, sint & credantur inæqualia.

Intellectus assentire potest motivo minùs probabili, rejecto probabiliori.

Probatio prima.

4. RAtio prima desumitur à duobus efficacissimis exemplis, quorum primùm à libertate fidei Christianæ, secundùm à judicio temerario sumendum est. Inprimis plures, quibus Mysteria Fidei sufficienter proponuntur, adhuc non solùm illis non præbent assensum, sed è contrà ex imperio voluntatis adhærent motivis hæresum, & errorum, etiam in sensu

Prima ratio desumitur à libertate fidei Christianæ.

 compposito

composito cum sufficienti propositione Mysterii credendi. Sed nulla motiva errorum & hæresum, relatè ad motivum sufficiens credendi, tantæ apparentiæ sunt, quantæ est motivum minùs probabile, relatè ad motivum oppositum probabilius. Ergo à fortiori assentiri possumus motivo minùs probabili, in sensu composito motivi probabilioris. Consequentia tenet; Minor certa est, quia Mysteria fidei, ut sufficienter proponantur, debent esse evidenter credibilia super omnem doctrinam contrariam, ut unanimiter omnes Theologi quasi certum dogma tradunt. Quare sola difficultas est in Majore, quam hîc probandam assumo.

Probatur ergo Major 1. ex sacrâ Scripturâ, *Actorum 17. in fine*, ubi refertur prædicatio Pauli Areopagitis facta; in quâ sine dubio Mysterium, de quo disserebat, sufficienter omnibus intimatum fuit, cùm quidam ex auditoribus crediderint. At, stante eâ propositione Mysterii credendi, aliqui adhæserunt suis erroribus; audi verba S. Scripturæ: *Cùm audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: audiemus te de hoc iterùm. Sic Paulus exivit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt.* Ecce hîc distinguuntur tres classes auditorum; prima irridentium, id est eorum, qui non solùm suspendebant judicium fidei, sed qui positivè adhærebant errori opposito, cum contemptu Evangelii. 2. eorum, qui merè suspendebant judicium fidei, & ideò dicebant, *audiemus te de hoc iterùm.* 3. eorum, qui dictis fidem adhibebant. Ergo, etsi Mysteria fidei sufficienter proposita sint, fieri potest, ut intellectus ea contemnat, oppositoque errori adhæreat. Ecce fides libera est, non solùm libertate contradictionis, & quoad exercitium; sed etiam contrarietatis, & quoad specificationem. Quod adeò verum putavit Suarez *disp. 6. de fide, sec. 6.* ut cùm in thesi dixisset fidem esse liberam libertate non solùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem, vir accuratissimus & longè eruditissimus, nec unum afferat Authorem, qui contrarium teneat, sed nec ullam rationem proponat, propter quam dubitari possit, utrum fides, modò concedatur esse libera, utrâque libertate non gaudeat.

Fides libera est tam libertate contradictionis, & quoad exercitiũ, quàm contrarietatis, & quoad specificationem.

5. Eadem major probatur 2. ratione. Et sanè, inprimis, nos, etsi cum difficultate, credere possumus, non obstantibus argumentis & tentationibus ad discredendum. In quo casu difficultas credendi non oritur solùm ab inevidentiâ tum mysterii, tum motivi, sed etiam multò magis à naturali talium mysteriorum incredibilitate, & argumentis arguentibus illa mysteria esse impossibilia. Nihilominùs in sensu composito harum difficultatum fides est possibilis, alioquin tentati de fide non possent credere. Ergo fides est libera non solùm quoad exercitium, seu contradictionem, sed etiam quoad specificationem, seu contrarietatem. Probatur consequentia, sola inevidentia objecti revelati, etsi nulla ratio militat in contrarium, sufficit ad libertatem exercitii, seu contradictionis, quia motivum obscurum non necessitat ad assensum. ergo, stantibus rationibus in contrarium, fides debet esse libera libertate contrarietatis, & quoad specificationem; quia illa major difficultas credendi potissimè oritur ex proximâ possibilitate judicii contrarii, ad quod intellectus vehementer sollicitatur per motiva ab assensu fidei retrahentia. Et sanè cùm intellectus in sensu composito cum dispositione sufficiente ad credendum incitetur ad discredendum, clarè sequitur, assensum contrarium assensui fidei esse possibilem, juxta dicta *quæst. 7. n. 6.*

Assensus fidei est possibilis in sensu composito tentationis ad discredendum.

6. Confirmatur. Qui in conflictu motivorum retrahentium à fide credit aliquid, ita credit, ut possit judicium suspendere; ergo

In cõflictu tentationum oppositarum plus

requiritur ad suspendendum assensum, quàm ad assentiendum ulli determinatæ parti contradictionis.

ergo potest etiam oppositum judicium formare. Probatur consequentia. Intellectus ex se magis abhorret à suspensione judicii, quàm ab assensu ullius ex partibus contrariis; nam ut suspendatur judicium, intellectus violenter detineri debet, ne amplectatur ullum eorum objectorum, ad quorum assensum stimulatur; atque ita duplicem subit violentiam, cùm unam tantùm subiret, si alterutri parti assensum præberet. At intellectus magis abhorret à duabus violentiis quàm ab unâ illarum. ergo si voluntas potest suspendere omnem assensum, multò magis poterit flectere intellectum, ut cuicumque partium assensum præbeat. Considera hoc argumentum in paritate voluntatis ad duo bona opposita sollicitatæ, & se violenter detinentis ab utriusque prosecutione, & genuinam ejus vim intelliges.

Prima replica.

Mysteria fidei debēt esse evidēter credibilia. & apparere ut certa.

7. Dices 1. Mysteria fidei, ut sufficienter proponantur, debent esse evidenter credibilia; immò, ut credi possint, debent apparere tanquam certa; in hoc enim Theologi meliores conveniunt cum Divo Thomâ. Hinc sic arguit Mercorus: ut aliquid sit credibile debet apparere certum. ergo impossibile est, utramque partem contradictionis esse simul credibilem; quia utraque deberet simul apparere certa, quod repugnat. ergo si una pars est credibilis, altera est incredibilis; ergo fides non est immediatè libera libertate contrarietatis, sed solùm contradictionis. alioquin si intellectus assentiret parti, quæ non apparet certa, crederet incredibile.

Hoc tamen non est verum de objecto fide humanâ credibili; sed solùm de objectis fide divinâ credibilibus.

8. Resp. Mercorum hic confundere credibilitatem mysteriorum fidei, cum cujusvis alterius objecti credibilitate. Omne quidem objectum debet apparere credibile, ut credi possit, at mysteria fidei, ut assensu firmissimo prudenter credantur super omnia, debent esse evidenter credibilia super omnia, & apparere ut radicaliter certa, alioquin non mererentur assensum super omnia; & hoc est in quo meliores Theologi conveniunt. Verùm inde non sequitur, omne objectum, ut sit qualitercumque credibile, debere apparere certum; imò oppositum est evidenter verum; ut enim aliquis humanâ fide credat aliquid cum formidine oppositi, sufficit si confirmetur authoritate viri gravis, per quam objectum apparet verum & credibile, sed non certum; alioquin omnis fides, etiam humana, esset certa, quod certissimè falsum est. Jam ex illâ Theologorum doctrinâ, solùm sequitur utramque contradictionis partem non posse simul esse credibilem tantâ credibilitate, quanta requiritur ad fidem, quod verissimum est; sed inde, non sequitur, utramque contradictionis partem non posse simul esse credibilem fide formidolosâ, aut unam prudenter credibilem super omnia, aliam verò aliquâ fide formidolosâ, ac imprudenti affirmabilem. Stat ergo fidem esse liberam libertate contradictionis & contrarietatis.

Secunda replica.

9. Dices 2. Quæstio procedit de uno eodemque instanti temporis, pro quo exempla è Sacrâ Scripturâ allata nil probant; quia etsi quidam irriserint doctrinam fidei sufficienter propositam, non tamen constat, quòd eam irriserint pro eodem instanti, seu in sensu composito cum sufficiente propositione Mysterii. Ergo ex ejusmodi exemplis, nil pro thesi positâ concluditur.

Perversi discredunt mysteriis fidei in sensu composito propositionis sufficientis ad credendum.

Resp. irrisionem illam exteriùs habitam fuisse, statim post propositionem mysterii, adeóque internum contemptum aut simultaneum, aut certè proximum fuisse post dictam propositionem; quoad hoc autem perinde est, quòd aut simul fuerit, aut proximè propositionem mysterii fuerit subsecutus, quia toto eo tempore aut ipsa propositio, aut ejus memoria vigebat; quâ vigente, impossibile est ullum errorem tantâ veritatis apparentiâ antecedente affectum proponi,

proponi, quantâ mysterium fidei proponitur; quia memoria motivi, & obligationis urgentis ad credendum super omnia, æquivalet ipsi propositioni sufficienti ad credendum, & consequenter prævalet omni apparentiæ in contrarium.

10. Et sanè hic eorum assensus in errores & hæreses debet fieri in sensu composito rationum prævalentium pro mysteriis fidei, eorumque credibilitate, alioquin homines non imprudenter assentirentur hæresi; sicut hæretici materiales non imprudenter agunt fidem dando suis erroribus: nemo enim imprudenter assentitur illi contradictionis parti, pro quâ habet rationes fortiores, quàm pro alterâ, cui tamen ideò præcisè, quia non assentitur, imprudenter agit.

Motiva credibilitatis fidei longè magis superant motiva hæresum, quàm quodvis motivum probabile aliud minùs probabile.

Hoc posito, iterum sic formo argumentum. Motiva fidei Catholicæ longè magis excedunt motiva cujusvis erroris & hæresis, quàm motiva cujuscumque opinionis probabilis excedant motiva alterius opinionis pariter probabilis. Ergo si intellectus per voluntatis imperium flecti potest in assensum hæresum, non obstante motivo sufficientis credibilitatis allicientе ad assensum fidei; multò magis determinari potest ad assensum opinionis minùs probabilis, non obstante motivo majoris probabilitatis de opposito. Et sanè casus iste efficaciter probat totum assertum, nam motiva sufficientis credibilitatis pro assensu fidei Catholicæ, relatè ad motiva faventia hæresi, non solùm sunt exercitè, sed etiam signatè evidenter cognoscuntur esse potiora; quia evidētia summæ credibilitatis super omnia, non solùm absolutè, sed etiam relatè ad quamcumque sectam in contrarium propositam, est unum ex requisitis ad sufficientem propositionem mysteriorum fidei; saltem respectu intellectûs, cui nota sunt motiva faventia hæresi, & contradicentia mysteriis fidei. Ecce quando motiva pro unâ parte, & exercitè sunt, & signatè sciuntur esse majoris momenti, quàm motiva antecedentia omnem affectum pro alterâ parte; adhuc intellectus ex imperio voluntatis flecti potest ad assensum partis oppositæ, pro quâ in actu primo non stant nisi motiva minùs potentia, etiam cognita ut talia.

Intellectus flecti potest in assensum partis, cui minora motiva favent etsi hoc ipsum signatè cognoscatur ab intellectu.

11. Confirmantur hæc omnia; quia alioquin nemo peccare posset formali peccato hæresis, quia nemo peccat peccato hæresis propter assensum erroneum, quamdiu mysteria fidei non proponuntur cum majori verisimilitudine, quàm errores contrarii, nam *qui citò credit levis est corde.* Rursus per adversarios nemo potest assentiri erroribus, nisi illi proponantur intellectui cum majori verisimilitudine, quàm objecta opposita. At in sensu composito talis dispositionis nemo peccat peccato hæresis, qui objecto sic proposito assensum præbet; nam assensus ille, omnibus hîc & nunc in utriusque partis favorem apparentibus ritè perpensis, prudens est, quia parti verisimiliori adhæret, quod prudentiæ est, non pertinaciæ, & hæresis. Ergo per adversarios nemo potest esse formalis hæreticus, præcisè quia assentitur ulli errori contra authoritatem Ecclesiæ sufficienter propositam. Ad hoc etiam probandum multùm facit illud *Ioan. 12.* ubi habetur. *Et cùm tanta signa fecisset coram eis, non poterant credere*: ubi Augustinus. *Quare non poterant credere? quia nolebant*: sicut & illud *Ioan. 15. 22.* ubi de Judæis incredulis, & in suis erroribus, etiam post miracula & propositionem mysteriorum à Christo factam, obstinatis dicitur: *Nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Hine enim constat omnes hæreticos obstinatos, ideò esse inexcusabiles, & esse hæreticos formales, quia assentiuntur erroribus, postquam mysteria fidei sufficienter illis proponuntur; & in sensu composito cum motivis potioribus pro mysteriis fidei, suis erroribus pertinaciter adhærent.

Qui peccat peccato hæresis formalis, assentitur errori minus efficaciter proposito, quàm mysterium fidei eodem tempore proponitur.

Nolle attendere motivis fidei non est peccatum formale hæresis, sed infidelitatis.

Nec dicas, ideò eos esse hæreticos, quia nolunt attendere rationibus & motivis fidei: nam nolle illis attendere non est peccatum hæresis, sed solùm infidelitatis. Præterea, quamdiu habent apparentiam majorem veri pro errore, non tenentur motivis contrariis attendere; nam ideò tenentur illis attendere, quia habent motiva probantia quod teneantur illis attendere; hæc autem motiva indivisibiliter suadent mysteria fidei esse vera, & errores oppositos esse falsos. nemo enim tenetur ulli doctrinæ intendere, nisi quatenus illa proponitur ut vera; ergo, in sensu composito cum evidentiâ obligationis intendendi motivis fidei, non potest esse major verisimilitudo pro errore, quàm pro mysterio credendo; certum tamen est, quòd homo, si velit, possit adhuc errori pristino pertinaciter inhærere.

Hæreticus materialis non tenetur attendere cuicumque dicenti illum esse in errore, sed illi solùm, quæ sufficiéter reddit illum perplexū, & dubium de fide pristinâ.

Confirmatur: Hæreticus materialis non tenetur attendere cuicumque dicenti illum esse in errore, nisi afferantur motiva sufficientia ad illud ipsum persuadendum, & ad reddendum illum omninò dubium, & perplexum in fide pristinâ. At talia motiva suadent fidem priorem fuisse erroneam, & opposita Mysteria fuisse à Deo revelata; ergo jam non habet motiva potiora pro errore, quàm pro fide; sed è contrà potiora favent fidei; adhuc tamen potest obstinatè adhærere errori; alioquin numquam peccare posset formali peccato hæresis.

Intellectus temerè judicās sæpè præfert motiva minora validioribus pro contrario ejus, quod affirmat.

12. Secundum exemplum sumitur ab iis, qui temerè judicant de aliis, etiam quando illis proponuntur motiva non solùm sufficientissima in actu 1. ad judicium illud deponendum, sed etiam manifestè prævalentia motivis, quæ habent pro suo judicio. v. g. Maritus Zelotypus sæpè temerè judicat de uxore ob minimum aliquem defectum in eâ notatum: neque deponit illud judicium, quamvis & viri graves ostendant insufficientiam motivi, cui nititur, & ipsa uxor maxima probitatis argumenta præbeat. Rursus qui graves cum alio inimicitias gerit, sæpè adduci non potest, quin credat suum inimicum animo ficto amicitiam petere, ut ipsum circumveniat, quamvis motiva longè probabilissima in contrarium afferantur. Et ratio est, quia non vult affectum, & judicium uni parti alligatum deponere; inde enim fit consequenter ad tale judicium, ut vehementer stimuletur ad assentiendum uni parti præ aliâ; quo tamen non obstante, manifestum est, rationes, pro priori ad omnem affectum & judicium, sæpè esse potentiores pro parte, quàm temerè judicans respuit. Judicat tamen: ergo adhæret motivo verè minori, potiore contempto, quod est intentum.

Prima replica.

Judicium, contra legem charitatis elicitum, non semper est intrinsecè temerariū, licèt dici possit temerè imperari; quatenus contra obligationem legis divinæ elicitur.

13. Dices 1. Judicium ideò temerè concipitur, quia concipitur contra legem Charitatis, vel Justitiæ. Sed contrà; quia quod judicium contrà legem eliciatur, solùm reddit judicium illud extrinsecè temerarium; nam judicium valdè probabile justis de causis prohiberi potest; quamvis, spectato motivo, sit intrinsecè prudens, & omnem temeritatem excludat: sic si aliquis suo amico juraret, nolle se de illo malum credere, nisi per evidentiam veritatis determinetur ad judicandum; hic si postea ex magnis indiciis sed inevidentibus judicium formaret, temerè quidem imperaret judicium illud contrà suum juramentum; nihilominùs judicium illud in se temerarium non esset; quia gravi fundamento niteretur. At nos loquimur de intrinsecâ temeritate, & improbabilitate judicii ex defectu motivi gravis, cujusmodi quamplurima sunt obvia.

Secunda replica.

14. Dices 2. judicium est temerarium, quia intellectus ex imperio voluntatis assentitur actu intensiori, quàm motivum exigat.

Judicium sæpè temerarium est non solùm ratione

Sed contrà 1. quia judicium non solùm ratione intensionis, sed etiam ratione substantiæ sæpissimè est temerarium, ergo

 responsio

intẽſionis, ſed etiam eatione ſubſtantiæ ipſius actûs.

reſponſio nulla eſt. Contrà 2. quia vel exiſtunt, vel non exiſtunt motiva oſtendentia, objectum non mereri aſſenſum tam intenſum. Si primum, ſumus quidem in caſu, ſed argumentum nobis favet, nam intellectus præfert motiva non merentia talem aſſenſum, motivis efficacioribus oſtendentibus, quòd objectum non mereatur tantum aſſenſum. Ergo intellectus ex imperio voluntatis opinionem minùs probabilem probabiliori præferre poteſt. Si ſecundum, non eſt cur judicium illud cenſeatur temerè conceptum, quia voluntas non percipit quidquam in contrarium, propter quod conatus ad aſſenſum illum prohibeatur. 3. incerta ſunt omnia, quæ dicuntur de majori & minori intenſione actûs: actus enim intellectûs & voluntatis ſæpè indifferens quidem eſt, ut prodeat vel non prodeat, ſed hîc & nunc ab hâc causâ prodire non poteſt, niſi actus tantæ perfectionis determinatæ: ratio eſt, quia vel tota potentia exiſtens applicatur ad agendum vel nil illius applicatur; ergo vel totus actus, qui in illâ virtute continetur, prodit; vel nil omninò prodit. Quod facit æquivocationem in hac re, eſt communis perſuaſio, quòd ſicut majorem conatum vel minorem in attollendo pondere pro libito impendimus, ita putamus eandem potentiam poſſe pro arbitratu noſtro cum majori, vel minori conatu impendi ad producendum effectum; adeóque ex hoc ſolo capite effectum prodire majorem vel minorem, nullâ factâ varietate ex parte cauſæ; ſed in hac re oportet ritè diſtinguere actum ſecundum à primo: v, g. voluntas libera eſt ad magnum vel parvum impulſum producendum; ſimiliter indifferens eſt ad imperandum motum tardum vel celerem, quorum alter eſt difficilis, alter facilis. jam certum eſt, voluntatem, utpotè liberam, eligere poſſe ullum ex iſtis motibus, & ita ponere effectum difficiliorem, atque in hoc ſenſu, uti majori conatu; verùm, ut impulſus minor producatur, aut ut hoc imperium eliciatur, non poteſt impendi major vel minor conatus, quia ſi producitur, omni conatu poſſibili producitur, totus enim actus primus, quantus quantus eſt, in ejus productione impenditur; adeóque quicquid ille continet, totum producitur. Jam ergo, cùm intellectus ſit potentia neceſſaria, tota hæc doctrina ad eum applicari debet; nam impoſſibile eſt, quòd, ſtante motivo probabili in contrarium, voluntas imperet aſſenſum non formidoloſum; quia actus primus in intellectu exiſtens continet in ſe cauſam formidandi; ſi ergo applicetur ad agendum, formido neceſſariò prodibit. Idem valet de quocumque gradu formidinis contento in actu primo. Itaque in his determinatis circumſtantiis tres ſolùm effectus ſunt poſſibiles; unus eſt ſuſpenſio omnis judicii: alter eſt aſſenſus alligatus parti probabiliori: tertius aſſenſus partis minùs probabilis. Ex his tribus effectibus poſſibilibus in manu voluntatis eſt, ut quilibet ponatur; ſed ut unus eorum ponatur ex majori vel minori conatu, non eſt in poteſtate voluntatis pro hoc inſtanti. Idem dico de ipsâ voluntate amante Deum, in hoc determinato inſtanti; libera enim eſt voluntas ad amandum, vel non amandum; ſed non eſt libera ad amandum majori, vel minori conatu; quia cùm tam motivum impellens voluntatem ad amandum, quàm motivum illam ab amore retardans pro hoc inſtanti ſit aliquid determinatum, conſtituitur actus primus determinatus, qui aut totus applicari poteſt ad agendum, aut totus ab actione ſuſpendi; neque poteſt voluntas partem actûs primi applicare, & partem ab actione ſuſpendere; hoc autem ſtante, ſolùm fieri poteſt, ut effectus hic determinatus prodeat, vel non prodeat.

Quando ſubſtantia actus eſt liberal, ejuſdem intenſio non eſt libera pro eodem inſtanti.

15. Quæres, in quo ergo conſiſtit major & minor conatus potentiæ? Reſpondeo certum

Explicatur quomodo potentiæ adhibeant majorem vel minorem conatum in operando.

certum esse, quòd potentiæ sæpè adhibeant magnum conatum in operando; sed hic conatus aliquando habetur pro uno solùm determinato instanti; sæpè autem non invenitur nisi in successione effectuum consequenter productorum. Tunc invenitur in unico instanti, quando ex pluribus effectibus possibilibus, difficilior producitur. v. g. quando inimicus ex motivo Charitatis diligitur; tunc enim dicimur multum conari, quia effectum difficilem ponimus. Rursum conatus invenitur in successione actuum, quando, ut ad diligendum inimicum perveniamus, adhibemus multos actus prævios; v. g. quòd Deus hoc præceperit; quòd dilectio inimici sit actus generosus, Deoque gratissimus; quòd sit medium opportunum ad obtinendam peccatorum remissionem, &c. Post hæc progredimur ad Deum pro illo orandum, ad obsequia inimico præstanda &c. Demum in ardentem ejus amorem prorumpimus. Verùm hac in re aliud non fecit voluntas, quàm ut per actus priores inducerentur cogitationes, & motiva aptiora ad inimicum diligendum; id est, ut, per continuatam seriem actuum, tandem constitueretur actus primus, à quo amor generosus proximi facilè prodire posset. Porrò, quia difficile est talem seriem effectuum producere, ideò potentia illam ponendo dicitur conatum adhibere. Cæterùm in totâ hac serie, numquam invenies ullum actum, qui potuit intensior aut minùs intensus prodire, ut ratio allata convincit.

Conatus potentiæ in operando, quid sit?

Tertia replica.

16. Dices 3. Judicium ideò est temerarium, quia voluntas non dat locum rationibus in contrarium, sed illas absolutè rejicit, & imperat assensum; cùm tamen antequam judicium ferat, teneatur rationes contrariæ parti faventes inspicere, & ponderare.

Temerè judicans quomodo se gerat in judicando?

Sed contrà 1. quia homines sæpè audiunt rationes in contrarium, sæpè illæ veniunt in mentem nolentibus, sæpè memoria illarum, utpotè proximè expositarum, est inimpedibilis; intellectus tamen persistit in suo judicio temerè concepto. Contrà 2. quia adhuc judicium hoc non esset intrinsecè, sed solùm extrinsecè temerarium, quia judicium etiam probabile & prudens prohiberi potest, donec aliqua peculiaria in contrarium examinentur, quamvis illorum examen necessarium non sit ad ferendum judicium intrinsecè prudens. At nos loquimur de judicio intrinsecè temerario, contra rationes validissimas in contrarium ut dictum est.

Quod in se existens in intellectu non impedit judicium aliquod, illud cognitum non potest judicium illud impedire.

17. Jam verò si intellectus, relictis potentioribus motivis, assentiri potest motivis exercitè minùs potentibus, potest eisdem etiam assentiri, etsi reflexè advertat se ad unam partem, quàm ad aliam, vehementiùs impelli; nam id quod in se non est impedimentum operationis, per hoc quod cognoscatur sicut est, non potest esse impedimentum. At majorem & minorem probabilitatem signatè cognosci & credi, nil aliud est, quàm intellectum reflexè cognoscere se vehementiùs in unam, quàm aliam partem allici. Ergo si impulsus ille exercitè major non impedit assensum, neque ut reflexè cognitus eundem impedire potest. Atque ita totius assertionis veritas probata manet.

Ratio Secunda.

Secunda ratio. Intellectus nequit assentire objecto inevidenti nisi dependenter ab imperio voluntatis.

18. Probatur 2. ab authoritate S. Thomæ. Certum est, voluntatem magnum supra intellectum imperium exercere; intellectus enim numquam exire potest in absolutum judicium rei inevidenter propositæ; nisi ad hoc per voluntatis imperium determinetur. Difficultas est circa quæ voluntas imperare possit rationi. S. Thomas *1. 2. quæst. 17. art. 6. ad 1.* expressè asserit, quòd ratio eodem modo imperat sibi circa actus obscuros, sicut voluntas movet se

R 2 ipsam,

Intellectus per S. Thomam non aliter movetur per voluntatem ad assentiendum objectis obscuris, quàm voluntas movet seipsa.

ipsam. At ratio, juxta S. Thomam ibidem *art. 1. in corpore*, non aliter imperat sibi, quàm præsupposito actu voluntatis; ergo intellectus ex mente S. Thomæ, ita subest imperio & motioni voluntatis circa assensum dependentem à motivo obscuro, sicut voluntas movet seipsam. At voluntas ita movet seipsam, ut inter motiva inæqualiter impellentia determinare se possit ad quodvis eorum, modò illa secundùm quid excedant se invicem, ut clarè constat ex naturâ liberi arbitrii. Ergo voluntas movere potest intellectum ad utrumlibet ex motivis inæqualibus, dummodò inter illa detur idem uniuscujusque supra aliud excessus secundùm aliquid, quod erat probandum.

S. Thomas sensit intellectum per voluntatē posse hîc & nunc assentire vel dissentire eidem objecto.

19. Confirmatur. S. Thomas loco citato, in corpore art. hæc habet. *Sunt quædam apprehensa, quæ non adeò convincunt intellectum, quin possit assentire vel dissentire; vel saltem assensum vel dissensum suspendere propter aliquam causam. & in talibus assensus ipse, vel dissensus est in potestate nostrâ, & sub imperio cadit.* Hæc locutio S. Thomæ supponit assensum & dissensum esse aliquando in potestate nostrâ; tunc scilicet quando motiva pro utrâque parte urgent; aliquando verò assensum tantùm ejusque suspensionem subdi voluntatis imperio, tum scilicet cùm pro alterâ parte adest motivum sufficiens quidem, sed non necessitans, & nullum adest pro parte oppositâ. At nos aliud non contendimus.

Voluntas in obscuris determinat assensum, quando determinatio illa bona est voluntati.

20. Idem magis expresè tradit S. Thomas, *de veritate qu. 14. art. 1.* ubi ait, *Intellectus determinatur per voluntatem, quæ eligit assentire uni parti determinatè & expressè propter aliquid, quod sufficiens est ad movendam voluntatem, non ad movendum intellectum; utpotè quòd videtur bonum & conveniens uni parti assentire.* Hæc locutio S. Thomæ expresè supponit, voluntatem posse flectere intellectum, ad alterutram ex opinionibus probabilibus affirmandam propter motivum voluntatis proprium. Ergo & ad assensum præbendum opinioni minùs probabili, quando id voluntati expediret. Itaque cùm multùm expediat voluntati, intellectum credere aliquid licere, etsi probabilius sit illud esse illicitum (sic enim judicando liberatur à gravissimo conscientiæ onere, quo gravatur si aut suspendat omne judicium, aut flectat intellectum ad assentiendum parti probabiliori) poterit voluntas flectere intellectum in assensum partis minùs probabilis. Ergo assensus inter motiva probabilia est liber libertate contrarietatis.

21. Dices cum Mercoro; fateor S. Thomam tenere, assensum uni ex contrariis opinionibus præstitum esse liberum libertate contrarietatis, & quoad specificationem: verùm hæc libertas, in eo solùm consistit, quòd voluntas possit omne judicium hîc & nunc suspendere, & applicare intellectum ad postea investigandas rationes potiores pro unâ, quàm pro alterâ parte, quibus inventis, poterit assensum illi parti affixum imperare: numquam enim assensus ulli parti impendi potest, quamdiu motiva gravia favent utrique parti. *Replica Mercori.*

Resp. hoc esse ludere circa explicationem S. Thomæ. Si enim datur libertas contrarietatis ad aliquid, illa pro aliquo determinato instanti existit, vel numquam datur. At per te pro nullo determinato instanti existit hæc libertas. Ergo illa non datur. Cur ergo asseris eam dari? Deinde neque sic salvatur libertas contrarietatis; nam etsi sit in meâ potestate quærere meliores rationes pro unâ determinatâ parte, non tamen est in meâ potestate eas invenire; fortasè enim non inveniam, sed nolens inveniam rationes pro parte oppositâ. Rursus, quamvis magnâ ex parte sit in meâ potestate non cogitare de motivis huic parti faventibus, non tamen est in meâ potestate ne occurrant,

Assensus liber libertate contrarietatis debet esse liber hac libertate pro uno eodémque instanti determinato.

occurrant, quando cogito de motivis partis contrariæ, maximè quando illa sunt obvia & notissima. Ergo si pro uno eodemque instanti voluntas non sit libera ad assentiendum utrilibet ex opinionibus contradictoriis, non est libera libertate contrarietatis ad illos assensus, quia circumstantiæ, per te requisitæ ad talem libertatem; sæpè non sunt in potestate volūtatis. Genuimus ergo sensus S. Thomæ est, quod opinionum electio pro uno eodemque instanti sit libera quoad specificationem; quod solùm intendimus.

Reliquæ Rationes:

Tertia ratio. Singulæ potentiæ corporis & animæ omnibus aliis potentiis æquè ac sibi deserviunt.

22. Probatur 3. à priori; quia sicut singulæ potentiæ corporis non solùm sibi, sed toti corpori deserviunt, v. g. sicut oculus videt toti corpori, ita etiam singulæ potentiæ Animæ, uti advertit S. Thomas *1. 2. quæst. 17. art. 5. ad 2.* non sibi solùm, sed omnibus aliis potentiis deserviunt; sic intellectus & sibi, & voluntati, omnibusque aliis potentiis intelligit; item voluntas & sibi & omnibus aliis vult, quæcumque ad illas spectant. Cùm ergo non sit nisi una potentia libera in homine, nempè voluntas, ad illam spectat determinare indifferentiam aliarum potentiarum, circà objecta illarum. Itaque quoties adsunt motiva probabiliter impellētia intellectū ad utramque partem, spectat ad voluntatem posse illum in alterutram flectere pro suo arbitrio; ad hoc enim potentia necessaria subditur potentiæ liberæ, ut imperium & electio potentiæ liberæ idem præstet, quod præstare posset ipsa potentia necessaria, si eâdem aut pari libertate immediatâ gauderet. At si intellectus pari cum voluntate libertate poriretur, posset utique se determinare ad amplectendum quodvis motivum probabile, relicto etiam probabiliori, aut alio quovis non necessitante, quia in singulis repperiret suum motivum, nempè verum apparens. Ergo de facto voluntas suo imperio ad talem assensum determinare potest intellectum, quia ad illud omne suo imperio Intellectum fluctuantem & hinc inde inclinatum passivè determinare potest, ad quod activè & electivè seipsum potest determinare; cùm suppleat vices libertatis suæ pro intellectu, qui illâ caret. At suâ electione præferre potest minùs bonum majori etiam cognito ut majori; ergo determinare potest intellectum, ut assentiatur motivo minùs probabili, etiam signátè cognito ut tali.

Potentia necessaria cur subdatur imperio potentiæ liberæ?

23. Probatur 4. Intellectus stimulatur ad assensum ex vi motivi minùs probabilis, etiam contra motivum probabilius cognitum ut tale. Ergo assensus præstari potest parti minùs probabili cognito ut tali. Naturalis enim illa propensio & stimulus non est ad terminum impossibilem. Vide dicta *quæst. 8. num. 6. & seqq.* illa enim efficaciter convincunt, quod hîc dicitur. Ratio quarta.

24. Probatur 5. Intellectus per voluntatem flecti potest ad assentiendū parti probabiliori & æquè probabili. Ergo & minùs probabili. Vide dicta *quæst. 8. num. 11. & 12.* Ratio quinta.

Probatur 6. Intellectus, inter motiva probabilia opposita constitutus, suspendere potest omne judicium. ergo flecti potest ad assentiendum utrilibet; alioquin cogeretur subire magnam violentiam, & deteriùs se haberet, quàm si esset indifferens ad assentiendum utrilibet. Vide dicta *num. 6. hujus quæst.* illa enim probant intentum. sicut & ea quæ *quæst. 8.* allata sunt ad confirmationem *Assert. 1.*

Solvuntur objectiones.

25. Objicies 1. omnis potentia necessaria in illud necessariò flectitur, in quod majori vi impellitur. Sed intellectus est potentia necessaria, ergo necessariò flectitur ad assensum motivi probabilioris, utpotè Prima objectio.

utpotè ad quem majori vi impellitur. Ergo non poteſt aſſentiri motivo minùs probabili, probabiliore relicto.

Non omnis potentia neceſſaria neceſſariò fertur in illud in actu ſecũdo ad quod id actu primo magis impellitur.

Reſp. Illa ſolùm potentia neceſſaria neceſſariò flectitur, in quod majori vi impellitur, quæ nulli potentiæ liberæ ſubordinatur; ſic lances libræ in eam partem flectuntur, in quam majore vi impelluntur; at intellectus quoad omnes aſſenſus obſcuros ſubordinatur imperio voluntatis, adeóque flecti poteſt ad aſſenſum præbendum motivo etiam minùs probabili, ad quem à ſolo motivo ſuo proprio flecti non poterat. Sic intellectus, etſi magis propendeat ad aſſenſum quàm ad ejus ſuſpenſionem, cogi poteſt ad omnem aſſenſum omittendum; ſimiliter quamvis pars iraſcibilis vehementiùs feratur in unum, quàm alterum objectum oppoſitum, per imperium tamen voluntatis flecti poteſt ad illud, in quod minùs propendet. Ergo & intellectus.

Secunda objectio.

26. Objicies 2. Qui aſſentitur alicui propoſitioni, abſolutè credit eam eſſe veram & oppoſitam falſam. ergo qui aſſentitur uni, non poteſt ſimul exiſtimare oppoſitam eſſe probabiliorem, ſeu veriſimiliorem; alioquin ſimul crederet opinionem, quam reputat falſam, eſſe veriſimiliorem illâ, quam veram judicat; quod eſt impoſſibile; quia judicare aliquam opinionem eſſe veriſimiliorem, aut probabiliorem aliâ, eſt credere illam eſſe aliâ veriorem. At quod creditur falſum non poteſt ſimul credi verius eo, quod abſolutè verum creditur. Ergo intellectus non poteſt opinari de parte, quam credit minùs probabilem.

Apparẽtia veritatis conſequẽs aſſenſum ſemper major eſt pro objecto affirmato, quàm pro oppoſito.

Reſp. concedendo totum loquendo de apparentiâ concomitante & conſequente aſſenſum; illa enim ſemper major eſt pro parte affirmatâ, etſi antecedenter minùs probabili. At loquendo de apparentiâ antecedente, dico aliquem de conſequenti exiſtimare poſſe cum formidine, aliquid eſſe verum, quamvis pro priori reputaret oppoſitum eſſe probabilius. Nec mirum: quis cùm multa falſa ſint probabiliora veris, exiſtimat hoc peculiare objectum eſſe unum ex probabilioribus, quæ falſa ſunt. Porrò abſurdum in objectione poſitum non ſequitur. Nam qui aſſentitur opinioni minùs probabili judicat quidem illam eſſe veram, ſed ſimul non judicat oppoſitam eſſe veram, aut veriorem; neque enim idem eſt eſſe probabile, & eſſe verum; probabilius & verius, niſi termini ſumantur in ſenſu tranſlatitio; quia ſimul judico utramque propoſitionem eſſe probabilem, non tamen ſimul judico utramque eſſe veram. Rurſus opinio eſt certò probabilis, non tamen eſt certò vera. Rurſus idem eſt judicare aliquid eſſe verum, & aſſentire; at non aſſentitur probabiliori, ergo non putat illam eſſe veram aut veriorem. Intellectus ergo pro priori ſolùm judicat utramque partem magno niti fundamento, ſed unam paulò majori, non tamen determinante ad aſſenſum; adeóque videt intellectum à voluntate determinari poſſe, & pro poſteriori experitur voluntatem determinâſſe intellectum ad aſſenſum illius partis, cui motivum minùs favebat, rejectâ illâ, ad cujus aſſenſum motivum paulò majus pro priori ſollicitabat intellectum.

Hoc tamen verum non eſt de apparentiâ antecedẽte aſſenſum.

Non eſt idem eſſe verius & probabilius, niſi termini ſumantur in ſenſu improprie.

27. Dices, intellectus, quantum poteſt, adhæret veritati: ergo & parti probabiliori.

Reſp. intellectum adhærere quantùm poteſt veritati patenti, ſed veritati obſcuræ ex ſe adhærere non poteſt; ſed ſolùm ex imperio voluntatis; voluntas ergo flectere poteſt intellectum, quò voluerit, ubi adeſt verum apparens & probabile; imò ſæpè, licet antecedenter ad paſſionem & affectum voluntatis, motivum apparens ſit exiguum & leve, voluntas per contumaciam flectit intellectum ad unam partem temerè affirmandam oppoſitâ parte rejectâ, etſi melioribus motivis ſubnixâ.

28. Objicies 3. Philoſophus 2. *de Animâ*, *tex.* 153. expreſsè aſſerit, facultatem opinativam

Tertia objectio.

tivam non ita subesse voluntatis imperio, sicut eidem subest facultas imaginativa. Verba ipsius hæc sunt: *Licet fingere pro libito quicquid volumus: opinari autem in nobis non est. necesse enim est verum aut falsum dicere.* Ergo intellectus non potest flecti in assensum motivi minùs probabilis, probabiliore relicto; alioquin non minùs esset in arbitrio voluntatis opinari, quàm imaginari.

Phantasia plenissimè subditur voluntati ad quidlibet fingendum pro libito. Non ita intellectus ad assentiendum.

Resp. Aristoteles eo loco probat distinctionem inter Phantasiam & opinionem, eamque ritè infert ex vi fingendi quidquam pro libito, absque ullâ ratione aut motivo peculiari ad illud fingendum; cùm absque motivo peculiari suadente aliquid verum esse aut falsum, nemo quidquam opinari possit. Cæterùm Philosophus non intendit opinionem non esse ullatenus in nostrâ potestate; hoc enim evidenter est falsum: sed solùm vult Phantasiam universalissimè de quolibet institui posse; cùm opinio ferri non possit, ne quidem ex imperio voluntatis, nisi adsit motivum aliquod intellectum impellens ad opinandum.

Objectio quarta.

29. Objicies 4. Esto intellectus subsit imperio voluntatis ad assentiendum, & non assentiendum motivo probabiliori, quia per illud non convincitur; non tamen subest illius imperio ad dandum assensum cuivis motivo probabili, etiam in præsentiâ motivi contrarii probabilioris; quia motivum probabilius impedit, quò minùs intellectus feratur in assensum motivi minùs probabilis. Et consequenter impedit, quò minùs voluntas possit illum ad talem assensum determinare. Itaque intellectus in hâc parte solùm subjacet voluntatis imperio quoad libertatem contradictionis, non autem quoad libertatem contrarietatis. ita Mercorus.

Omnis libertas voluntatis refunditur in potétias ab ipsâ voluntate determinabiles.

Resp. omnem libertatem voluntatis refundi in alias potentias ab ipsâ determinabiles, ut supra ostendi. fateor ergo motivum magis probabile retrahere intellectum ab assensu motivi minùs probabilis, & hoc modo reddere assensum illum difficiliorem, sicut motivum validius in voluntate difficiliorem reddit electionem motivi minùs validi. Verùm sicut difficultas orta ex majori motivo voluntatis non est impedimentum absolutè impediens, aut impossibilitans, sed solùm retardans, & difficultans electionem liberam motivi minùs validi; ita nec motivum magis probabile aliter impedit assensum motivi minùs probabilis, quàm illum difficultando, non impossibilitando.

Et sanè argumentum (si tamen vim ullam habet) ab omnibus solvendum est; nam etiam motivum æquè aut minùs probabile impedit assensum motivi æquè, aut magis probabilis; quia reddit assensum difficilem, ut patet. Nihilominùs non impossibilitat assensum illum, nec tollit à voluntate vim determinandi intellectum ad assensum motivi æquè aut magis probabilis. Ergo cùm intellectus ex imperio voluntatis inclinari possit ad assentiendum motivo æquè aut magis probabili, non obstante motivo æqualiter aut paulò minùs retrahente in oppositum; quo fundamento dici potest parvum illum excessum majoris probabilitatis, non solùm retardare, sed omninò impossibilitare assensum præstandum motivo minùs probabili? Nonne in progressu inter motiva retardantia datur magis & minùs? qua ergo ratione asseri potest, quòd intellectus æqualiter tractus assentiri possit cuilibet ex motivis, à quibus trahitur; sed si vel minimum quid uni parti accedat, non solùm retardatur magis quàm antea, sed etiam impossibilitatur assensus partis, ad quam paulò minùs trahitur, quàm antea traheretur.

Libertas contrarietatis non convenit assensui, quando

Demum libenter admitto, voluntatem, ratione cujuscumque motivi probabilis determinatè sumpti, non aliam supra intellectum exercere libertatem, quàm contradictionis,

intellectus ſolùm habet motivum pro unâ parte, ſed quádo in actu primo movetur ad utrãque partẽ contradictionis.

dictionis, quatenus determinare poteſt intellectum ad illi præſtandum vel non præſtandum aſſenſum. Sed ſimul hæc libertas concedenda eſt voluntati ſupra intellectum relatè ad quodvis motivum probabile, quamdiu manet probabile. Quocircà cùm utrumque contradictorium poſſit eſſe ſimul probabile, quamvis alterum ſit altero probabilius, ſequitur voluntatem habere vim determinandi intellectum ad alterutrius aſſenſum pro libito, adeóque ratione utriuſque collectivè ſumpti habere libertatem contrarietatis, quamvis ratione ſingulorum ſolùm habeat libertatem contradictionis. Verùm eodem modo ſe habet voluntas ratione motivorum quibus ipſa ad liberè operandum immediatè impellitur, nam ratione ſingulorum non habet niſi libertatem contradictionis, cùm ratione utriuſque libertatem habeat contrarietatis.

Quinta objectio.

31. Objicies 5. Imperium voluntatis ſupra alias potentias non eſt deſpoticum, ſed politicum; id eſt, potiſſimè inſtitutum eſt in bonum potentiarum ſubjectarum, non autem in bonum ipſius voluntatis. ergo voluntas non poteſt imperare aſſenſum, qui non expedit intellectui. Sed aſſentiri parti minùs probabili, probabiliore relictâ, non expedit intellectui. ergo voluntas non poteſt imperare talem aſſenſum.

Imperium voluntatis in intellectum abſolutè eſt politicum, multum tamen participat de dominio deſpotico.

Reſp. imperium voluntatis ſupra alias potentias primariò quidem inſtitutum eſſe in bonum aliarum potentiarum, adeóque illud eſſe abſolutè politicum, nihilominùs multùm participat de dominio deſpotico, quia cùm ſola voluntas ſit libera, ad eam ſpectat reliquas determinare; quod fieri nequit abſque dominio aliquo modo deſpotico. Nam ſine dubio voluntas determinare poteſt potentias ad actus illis incongruos. Sic oculum in ſolem intendere poteſt, etiam cum potentiæ viſivæ læſione Ratio eſt, quia voluntas cùm ſit libera, & peccabilis, abuti poteſt dominio ſuo politico, & per illud ſe gerere, ac ſi haberet dominium deſpoticum. Idem dico de dominio voluntatis ſupra intellectum; ſicut enim certiſſimè poteſt ſuſpendere judicium intellectûs tam in aſſenſu fidei, quàm in omni aliâ veritate obſcurâ, etſi non expediat intellectui aſſenſum illum ſuſpendi; ita imprudenter poteſt flectere intellectum in aſſenſum temerarium, etſi id non expediat intellectui. Cæterùm expedit intellectui aſſentiri parti minùs probabili, quia talis aſſenſus prudens eſt, quamvis oppoſitum judicium magis expediat, ut infrà fuſiùs declarabitur.

Sexta objectio.

32. Objicies 6. Intellectus non poteſt ferri niſi in verum, aut veriſimile; quia per nullum imperium voluntatis ferri poteſt extra ſuum objectum. At motivum probabilius eſt idem, ac veriſimilius; ergo intellectus per nullum imperium voluntatis ferri poteſt in minùs probabile, probabiliori relicto; quia ferretur in objectum non veriſimile, veriſimiliori relicto.

Aſſenſus alligatus minori veriſimilitudini, majore relictâ, ſimpliciter fertur in motivũ veriſimile.

Reſp. Omne motivum probabile eſt veriſimile, & apparet verum etiam comparatè ad motivum probabilius; adeóque intellectus quando per imperium voluntatis fertur in aſſenſum motivi probabilis, probabiliore relicto, non fertur extra ſuum objectum; ſicut voluntas non fertur extra ſuum, quando motivo ſimpliciter meliori relicto, amplectitur motivum contrarium ſimpliciter minùs bonum, minúſque efficax ad alliciendum amorem ſui. Et ſanè ſicut voluntas non ſolùm poteſt præferre bonum ſimpliciter minùs, majori bono relicto; ſed etiam temerè amplecti malum propter parvam aliquam bonitatem apparentem, motivo incomparabiliter meliore contempto; ita poteſt impellere intellectum ad temerè judicandum, propter aliquam parvam veriſimilitudinem uni parti faventem, etſi motiva alia incomparabiliter majora tam validè confirment partem

Poſſibilitas judicii temerarii fundatur in imperio voluntatis ſupra intellectum.

oppoſitam,

oppositam, ut illam, cui intellectus assentitur, reddant improbabilem; quia tota libertas voluntatis circa suum motivum proprium, deservit intellectui ad illum determinandum, quoties ab evidentiâ sui motivi non rapitur in assensum.

Septima objectio.

33. Objicies 7. ex Mercoro. Testes contrarii in essentialibus, si concordari non possint; nihil probant, imò suspecti sunt de falso, etsi probarent, si non essent contrarii, ut pluribus tradunt Farinacius *de Testibus quæst. 65.* & Carena *de officio S. Inquisitionis, 3. parte, titulo 6. §. 7.* Ergo motiva probabilia inter se pugnantia neutram partem reddunt credibilem; quia quantùm valet unum motivum ad persuadendum, tantùm, imò plus valet alterum potentius ad dissuadendum.

Testes cõtrarii nil probant in foro externo. motivũ tamen minus probabile sufficiẽter probat contra motivum probabilius, quòd assensus parti minùs probabili præstari possit.

Resp. Farinacium & Carenam, aliosque tractantes de testibus, loqui solùm pro foro externo, in quo ut quis legitimè damnetur probatio criminis debet esse plena; at quamdiu testes æquè digni fide contraria dicunt, crimen non plenè probatur, ideoque accusatoris testimonium pro nullo reputatur à judice, quantùm spectat ad fundandam sententiam condemnatoriam partis accusatæ, cui in obscuris favendum est, juxta regulas juris utriusque. verùm hinc non sequitur, motiva opposita non reddere utramque partem aliquo modo credibilem, certum enim est, omne motivum probabile, etiam in contradictione probabilioris, sollicitare mentem ad assensum, quod fieri non posset, nisi redderet objectum suum aliquo modo credibile, nemo enim sollicitatur ad credendum quod non est credibile. Ergo utraque pars est credibilis, etsi nulla earum sit certa, aut plenè probata; nam ut assensus aliquis sit probabilis, non requiritur plena objecti probatio, ut notum est. Quod autem unum motivum attrahat, & alterum retrahat mentem ab assensu præstando, efficaciter probat, utramque contradictionis partem esse credibilem. Sed ut nullitatem argumenti meliùs percipias, considera illud in voluntate, ejusque electione; & statim videbis quod nil valeat.

Octava objectio.

34. Objicies 8. Assertio ista est contra experientiam; nemo enim sive hæreticus, sive Catholicus, sive Philosophus, aut Theologus invenitur, qui fateatur se sequi opinionem, quam putat esse minùs probabilem oppositâ. At oppositum contingeret aliquando, si voluntas flectere posset intellectum ad dandum assensum objecto minùs probabili. Sic experimur, voluntatem amplecti minùs bonum, juxta illud, *video meliora proboque, deteriora sequor.*

Non desunt, qui tenent sententiam, eamque veram reputant; etsi sciant, & credant oppositam esse probabiliorẽ.

Resp. admittendo totum, si sermo sit de apparentiâ consequente affectum, aut judicium præstitum, in quo tantùm sensu, numquam invenitur, qui dicat opinionem quam sequitur, sibi videri minùs probabilem oppositâ, quam rejicit. Verùm si sermo sit de apparentiâ antecedente affectum animi, & assensum mentis, dico plurimos flectere intellectum in assensum partis minùs probabilis; etiam antecedenter cognitæ ut talis. Tales sunt, qui astricti sunt peculiaribus sententiis, quarum aliquæ non possunt multis nõ apparere minùs probabiles oppositis. v. g. fieri non potest, quin alicui saltem Thomistæ antecedenter minùs probabile appareat, quòd materia existat per existentiam formæ: fingamus enim Doctorem egregium, qui mordicus tenet materiam existere per propriam existentiam, ingredi ordinem Dominicanorum, fierique magistrum Ordinis, hic statim docebit contrarium, neque tamen cum veste corporis antecedentia motiva mentis deponuntur; manent ergo illa, neque nova ulla adveniunt pro sententia illâ Thomisticâ, cùm omnia antea ab illo benè perpensa fuerint. His tamen non obstantibus, statim docet sententiam oppositam, illamque veram reputat, etsi, pro priore ad talem assensum &

affectum erga illum, negare non possit, quin motiva pro parte quam rejicit, sint oppositis probabiliora. Cæterùm suum cuique opinatum non solùm probabilius est concomitanter & consequenter ad judicium; sed etiam aliquo modo antecedenter. Intellectus enim in obscuris opinari non potest, nisi dependenter ab affectu & imperio voluntatis. ergo affectus iste necessariò præcedit. At motiva, ut substantia huic affectui illa suo modo approbanti, magis placent, magisque alliciunt intellectum, quàm motiva, quæ affectus ille respuit, ut dictum est *quæst. 8. num. 26.* Et hæc est causa cur sua cuique opinio & sit & reputetur probabilior. Sed hoc non obstat assertioni positæ.

Objectio 9.

35. Objicies 9. Intellectus in opinando naturali impetu intendit veritatem attingere. Ergo, ut finem suum in opinando obtineat, ex eodem naturali impetu debet adhibere medium fini acquirendo proportionatum. At motivum minùs probabile in contradictione motivi probabilioris non est medium proportionatum ad veritatem attingendam; quia sequens motivum minùs probabile sæpiùs aberrat à vero; quàm sequẽs medium probabilius. Ergo intellectus naturali impetu determinatur ad non opinãdum ex medio minùs probabili. Rursus ex eodem argumento sequitur, voluntatem non posse talem assensum imperare, quia intellectus illius imperio non subjacet, nisi in ordine ad finem proprium ipsius intellectûs, & usum mediorum ad finem illum conducentium. Ruit ergo doctrina hactenus posita.

Solvitur per paritatem voluntatis.

Resp. 1. argumentum habere instantiam in voluntate, quæ, licèt naturali impetu feratur ad beatitudinem, cum tamen sit libera, adhibere potest media importuna ad finem acquirendum, modò aliqua in illis bonitas appareat incompossibilis cum bonitate mediorum conducentium ad finem. Idem valet de potentiis non liberis, quando subduntur voluntati liberæ; quia voluntas illas ita flectit circa propria illarum objecta, sicut circa suum seipsam determinat. At intellectus in obscuris subditur voluntati. Ergo ille ex voluntatis imperio uti potest medio minùs opportuno ad veritatem attingendam. At aliud non intendo.

Finis intellectûs est ut obtineat veritatem, illâque obtentâ fruatur.

36. Resp. 2. intellectum naturali impetu ordinari ad veritatem ut ad finem, ad quem proinde dupliciter ordinatur; primò ut illum obtineat, secundò ut suo modo fine jam obtento fruatur. In primâ consideratione quando omnia media sunt incerta & errori obnoxia, ut in casu nostro, tunc omnia media probabilia sunt opportuna ad finem obtinendum, quia fortassè veritas latet sub quovis illorum determinatè sumpto; est enim magna spes veritatis obtinendæ, si medium probabile adhibeatur; quod verum est de medio minùs probabili, etiam in contradictione medii seu motivi probabilioris. Itaque inter hæc media nulla est diversitas nisi secundùm magis & minùs; atque ideò utrumque illorum adhiberi potest; nec obstat, intellectum verisimiliùs errare sectando motivum minùs probabile, quàm sectando probabilius, nam fortassè hîc & nunc errabit sectando motivum probabilius, & verisimiliter veritatem attinget sectando motivum minùs probabile. Atque ideò intellectus ex naturæ impetu non determinatur aut ad assentiendum motivo probabiliori, aut ad non opinandum ex minùs probabili; sed totum hoc dependet ab imperio voluntatis. In secundâ consideratione intellectus frui nequit veritate certò & evidenter cognitâ, seu, quod idem est, evidentiâ rei, sed solùm ejusdem probabilitate, seu eâdem ut probabiliter cognitâ cum formidine oppositi; at hic finis obtinetur, cuicumque tandem parti assensus præbeatur, neque alia diversitas invenitur in uno, quàm in alio assensu,

Quodvis motivum probabile est mediũ opportunũ ad veritatem obtinendam, etiã in cõtradictione motivi probabilioris.

Intellectus tam fruitur veritate si assensum præbeat minori probabilitati rejecta majori; quam si è contrariò assensum elicuisset.

assensu, quàm quæ se habet secundùm magis & minùs, quæ ad determinandum intellectum non sufficit. Intellectus ergo in probabilibus subditur imperio voluntatis, & per eam flecti potest ad assensum alterutrius partis pro libito.

Assertio 2.

ASSERTIO SECUNDA.

Intellectus inter motiva cōtraria & similia cōstitutus flecti potest ad dissensum assensum motivo minùs probabili.

Voluntas flectere potest intellectum in assensum partis minùs probabilis, etsi major partis opposita probabilitas sit ejusdem rationis cum minore alterius probabilitate. Sermo est de probabilitate antecedente assensum, & affectum ad ullam ex partibus oppositis.

Declaratur assertio: Constitutus in bivio à duobus fide dignis interroget, quænam duarum viarum ducat ad metam. Jam alter eorum dicat, viam A, rectà ducere ad metam, & viam B. à metâ deviare; alter verò dicat, viam B. ad metam tendere, viam A ab illâ deviare. Rursus uterque juret se verum dicere, idque ex propriâ experientiâ centies repetitâ didicisse. Ponamus jam alterum illorum aliquâ ratione alterum excedere, ut antecedentibus omnibus pensatis unius authoritas appareat nonnihil alterius authoritatem superare. Dico itinerantem ex imperio voluntatis posse credere viro fide minùs digno, rejectâ authoritate viri fide dignioris. Et sanè extra casum hujusmodi assertio locum non habet, quia, dempto casu authoritatis nixæ simili experimento, motivum favens uni parti necessariò dissimile est motivo partis oppositæ. Assertio ergo sic declarata

Voluntas pro libitu eligere potest minimum ex duobus bonis dissimilibus.

37. Probatur à paritate voluntatis; voluntas enim non solùm eligere potest inter motiva æqualia, sive illa sint dissimilia, sive similia, maximè quando meliùs est alterutrum eligere, quàm utroque carere: *ut quæstione superiore num. 14.* ostensum est; sed etiam eligere potest ex duobus objectis inæqualibus, quod minùs est in bonitate, sive objecta illa sint dissimilia, sive similia. Et sanè quòd minùs bonum eligi possit, relicto majore dissimili, inde manifestum est, quia cùm in utroque extremo aliqua ratio boni appareat, quæ non invenitur in altero, nullum illorum determinare potest voluntatem ad sui amorem, relinquitur enim stimulus ad fruendum bonitate, in hoc & non in alio objecto contentâ, hìc & nunc incompossibili cum bonitate objecti oppositi; atque ita voluntas libera est ad utrumlibet eorum pro libito amplectendum; quamvis intellectus, omnibus consideratis, concludat objectum quod relinquitur, esse absolutè melius illo, quod eligitur. Et sanè hæc veritas adeò patens est, ut solo lumine naturæ immediatè innotescat, juxta illud Poëtæ: *video meliora proboque, deteriora sequor.* Certè qui peccat ex malitiâ, maximè si sit Christianus, optimè novit melius sibi esse, omnibus consideratis, non peccare, quia per peccatum Deus offenditur, & reatus pœnæ æternæ incurritur; quod simpliciter deterius est; quàm brevis, & parva voluptas, quâ peccando se sperat fruiturum; nihilominùs cedit passioni; & ex affectu ad bonum delectabile præsens, præfert illud vitationi divinæ offensæ, omniumque malorum consequentium ad illam. Neque de tali veritate dubitare potest fidelis, multóque minùs oppositum judicare; quia eo ipso peccaret peccato hæresis, cùm hæc propositio, *omnibus consideratis, hic & nunc absolutè melius mihi est furari & Deum offendere, quàm non furari, & præsens incommodum tolerare*, errorem in fide contineat.

38. Neque obstat, quod opponit Mercorus *parte 2. art. 4.* scilicet omnem, qui peccat, esse ignorantem, quia ex Aristotele *3. Ethic. cap. 5. omnis malus est ignorans*, & quod plus est, *ex Proverb. 14. Errant qui* Effatum illud Philosophi *omnis malus est ignorans* exponitur.

operantur iniquitatem; nam ignorantia quædam dignitatis divinæ, & summæ gravitatis peccati peccantes comitatur, & multò magis peccata subsequitur: quæ si clarè & ritè apprehenderentur, nemo peccaret; atque ita ex harum & similium rerum ignorantiâ peccat, quicumque peccat. Imò multi errores circa plura objecta sæpè comitantur, antecedunt, & etiam subsequuntur peccata, nec tamen vel ullâ ratione probatur, quod peccatores necessariò habeant hunc errorem, *simpliciter loquendo mihi melius est peccare, quàm non peccare*; hoc enim non dicendum, sed aliquâ ratione à Mercoro probandum erat. Non enim est veritas per se nota; sed è contrà est propositio falsissima, & continet errorem in fide. ergo si omnis peccans eum actum eliceret nemo peccaret, quin simul in fide erraret. At hoc falsissimum est. Sed ut tam ille, quàm quivis videat casum clarissimum, in memoriam vocetur juvenis ille legis divinæ à pueritiâ observantissimus, qui cupidus vitæ æternæ, illamque ut finem præ oculis habens, à Christo petiit media, quibus ad eam certiùs perveniret; sed cùm audiisset illa verba; *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo; & veni sequere me*, statim, uti refertur Mathæi 19. *abiit tristis: erat enim habens multas possessiones*. Hic adolescens liberè omisit consilium & vocationem Christi; neque tamen censendus est existimâsse contra sententiam Salvatoris, omissionem illam vocationis divinæ esse absolutè magis conducibilem ad finis intenti adeptionem, quàm impletionem consilii à Christo, quem ille hac in re ut præceptorem veridicum suspiciebat, impositi. Et sanè si ita judicâsset, non esset cur tristis abiisset. Annè materia tristitiæ est, ea media pro fine adipiscendo eligere, quæ illi acquirendo aptiora judicantur? Nonne potiùs talis electio gaudium generat, maximè quando unà cum corporis commoditatibus conjuncta est, uti in hac adolescentis hujus electione contigit? Cur ergo tristis abiit? ratio in promptu est; quia, cùm nimio affectu divitiis inhæreret, illisque spoliari nollet, agnovit hunc amorem inferre carentiam medii ad finem intentum maximè opportuni, quod non poterat non tristitiam causare, quia erat magnum malum præsens.

39. Jam verò quòd voluntas ex duobus bonis similibus eligere possit minùs, majore relicto; manifestum est in Deo, qui ex omnibus rebus possibilibus hanc seriem elegit, omnemque aliam omisit; cùm tamen possibilis esset alia series istâ melior. Imò si loquamur de ipso fine Dei, scilicet de hâc gloriâ suâ, quam de facto ut finem intendit, illa consistit in cognitione & amore creaturarum talis determinatæ intensionis ac speciei; poterat autem non hanc sed aliam majorem gloriam intendere, consistentem in cognitione & amore perfectiore intra eandem speciem; noluit tamen, sed hanc prælegit; ergo Deus ex duobus bonis similibus intendere potest minùs, majore & meliore relicto. Ergo etiam voluntas creata, idque à fortiori, quia voluntas creata defectibilis est, & à rectâ ratione potest deflectere, suumque bonum negligere, imò & malum suum stultè procurare. *Deus ex duobus bonis similibus prælegit quod est minus.*

40. Dices 1. Deus eligit bona aliis necessaria, non sibi; ergo non est paritas. *Prima replica.* Respondeo Deum sibi eligere bonum honorificum, etsi illud sibi nec utile sit, nec necessarium; sed solùm aliis; ergo creatura liberè poterit alteri etiam eligere quod minùs est ex duobus bonis similibus. Hoc autem sufficit pro intento præsente, quia voluntas imperare poterit intellectui (qui comparatur cum voluntate, ut potentia distincta) assensum erga motivum minùs, majore relicto. Imò quod plus est, potest ipsa sibi intendere ex duobus bonis quod minùs *Solvitur.*

minùs est; quia etsi talis intentio esset minùs prudens intentione oppositâ, hoc tamen modo deficere per defectum prudentiæ, non est supra conditionem libertatis creatæ.

Secunda replica. 41. Dices 2. nulla est ratio, cur bonum minùs præferatur majori omninò simili. At, ut præferatur, aliqua debet esse ratio. *Solvitur.* Respondeo argumentum habere instantiam in Deo; in quo nulla est ratio, præter illam, quia ita voluit. Eadem ratio valet in creaturis liberis, in quibus sæpè nulla est ratio, cur unum eligatur potiùs quàm aliud, nisi quia ita volunt. Datur quidem semper ratio cur utrumque eligi possit; quia scilicet utrumque bonum est, & singularem bonitatem, eamque ab alterius bonitate realiter diversam habet; quod cùm cognoscatur, neutrumque illorum bonorum habeat vim determinandi, ac absolutè necessitandi voluntatem, illa potest alterutrum præ altero intendere; quod si quis ita faceret, alia ratio non esset, quàm quia ita voluit.

Tertia replica. 42. Dices 3. Est ratio, cur voluntas creata sibi intendat bonum majus, minore relicto; & nulla est ratio in contrarium; siquidem bonum majus continet quidquid amabile est in bono minore, & aliquid amplius; è contrà bonum minùs nil continet, quod in majore non comprehendatur. Ergo si voluntas aliquod eorum intendat, necessariò intendit præstantius; quia voluntas nil potest intendere absque aliquâ ratione, cur illud intendat.

Solvitur. Respondeo inprimis per instantiam libertatis divinæ. 2. per instantiam voluntatis creatæ intendentis bonum alteri, non sibi. 3. respondeo in casu voluntatis eligentis sibi, dico enim, quòd detur ratio, cur possit alterutrum eorum eligere, illamque jam proximè assignavi; ergo fieri potest ut intendat, quod minùs est; quòd si illud intendat, jam datur ratio consequens intentionem illam, scilicet ideò intendit illud, quia sic voluit, cùm potuit; etsi non detur ratio antecedens ipsam intentionem, cur illud intendat potiùs quàm alterum.

Quarta replica. 43. Dices 4. Creatura, quæ intendit sibi bonum, indiget bono; ergo determinatur ad intendendum quod melius est. Exemplum pono in beatitudine, ad quam intendendam & non intendendam nemo est liber, cùm omnes necessariò intendant esse beati. *Creaturæ rationales non liberè, sed necessariò cupiunt esse beatæ.* ponat ergo Deus in manu creaturæ ut statim transferatur ad beatitudinem ut sex, vel ut octo. In hoc casu, creatura necessariò intendit beatitudinem ut octo, seu quod idem est, beatitudinem majorem. Idem valet in aliis casibus.

Solvitur replica. Respondeo, etiam in hoc casu creaturam posse liberè intendere minorem beatitudinem, omissa majore, quia libera est ad illud omittendum, quo simpliciter non indiget, ut benè sit simpliciter. *Creatura potest intendere minorem beatitudinem præ majore, quando in manu ejus est, quamlibet præ aliâ intendere.* At non indiget majore illâ beatitudine, ut benè sit simpliciter, & ut omnis miseria depellatur, quia minor beatitudo utrumque præstat; scilicet omnem miseriam depellit, & continet statum simpliciter satiativum appetitûs creati. ergo libera est ad intendendam, vel non intendendam beatitudinem majorem; adeóque intendere potest minorem beatitudinem, relictâ majore.

Ratio à priori, cur creatura possit minorem beatitudinem intendere præ majore. 44. Confirmatur. Beatitudo major, ut major est, non solùm simpliciter, sed neque relatè ad creaturam est purum bonum. ergo beatitudo major, ut major est, non habet vim determinandi ac necessitandi voluntatem ad illam intendendam, relictâ minore. Consequentia tenet; quia nil præter purum bonum necessitat voluntatem, ut in confesso est; & vel inde convincitur, quòd nec umbra rationis appareat, cur tale bonum voluntatem necessitet. Probatur antecedens; & primò quidem beatitudo major, quà talis, non est purum bonum simpliciter, quia est quid creatum, & consequenter imperfectum in genere entis, in quo genere

ſolus Deus, ſeu ſola beatitudo objectiva (quæ non ſuſcipit magis & minùs) eſt purum bonum. Deinde non eſt purum bonum relatè ad creaturam; quia creatura illâ non indiget ut benè ſit ſimpliciter, omniq̀ue miſeriâ careat. Ergo beatitudo major, ut major, negligi & omitti, ſeu aliqualiter etiam contemni poteſt à voluntate, quia voluntas illâ determinatè non indiget. At quod eſt purum bonum reſpectu voluntatis ab illa omitti aut contemni non poteſt, quia voluntas eo indiget, ut ſimpliciter benè ſit, omniq̀ue miſeriâ careat; quale bonum eſt beatitudo ſolùm quoad ſubſtantiam, non autem quoad gradum; quia gradus ille major contemni, & omitti poteſt. At cujuſvis rei contemptibilitas habet ſpeciem mali, & imperfecti, relatè ad perſonam, à qua res illa negligi & contemni poteſt. Ergo beatitudo major, ut major, non eſt purum bonum relatè ad creaturam; ergo minor beatitudo liberè intendi poteſt, relictâ majore. Idem dicendum eſt de electione medii minùs boni, poſitâ intentione finis; nam ſi utrumque medium ſufficiat ad finem intentum; alterum eorum eligi poteſt pro arbitratu; quia intendens finem alterutro tantùm indiget, & quod minùs eſt ſufficit, adeóque majus & conducibilius medium contemni poteſt. Pono exemplum; intendat quis iter aliquod cymbâ conficere propter commoditatem iter ſic conficiendi. In hoc caſu proponantur duæ cymbæ, quarum altera paulò amplior, paulò ornatior, & in omnibus paulò commodior alterâ, ſed ſolùm eum exceſſu in eâdem ſpecie. In hoc caſu, ſtante dicti finis intentione, liberè eligi poteſt quævis ex illis cymbis ad conficiendum iter; iter enim illud juxta finem præintentum, utrâlibet ex illis confici poteſt; quia neutra determinatè ſumpta eſt neceſſaria ad obtinendum finem, cùm utraque ſufficiat; una tamen continet quicquid commodi continetur in altera, & aliquid amplius. Verùm exceſſus ille contemni poteſt, ut ſatis ex ſe patet, cùm nulla, vel minima ratio afferri poſſit ad contrarium comprobandum, quæ ſtatim non appareat nullius eſſe momenti, ut ex objectionum ſolutione clariùs conſtabit.

Creatura eligere poteſt ex duobus mediis ſimilibus, quod minus còducit ad finè præintentum.

45. Dices 5. cum Vaſquez; homo eligit unum ex pluribus per conſultationem propoſitis; & ideò illud eligit, quia per conſultationem judicatum eſt eſſe melius oppoſito. Rurſus homo eligit unum comparatè ad aliud. At Deus non ita eligit; non enim eligit unam creaturam relatè ad aliam, quia judicium Dei non proponit unam creaturam ut alteri præferendam; ſed ſimpliciter proponit bonitatem utriuſque. Rurſus Deus non eligit hanc creaturam, quia eſt melior aliâ; ſed ſolùm quia bona eſt, ideò Deus, ſtante eodem judicio, eligere poteſt majus aut minus pro libito: at homo quando eligit melius, ideò illud eligit, quia melius eſt; adeóque, ſtante eodem judicio, non poſſumus eligere quod non apparet melius; alioquin diceremur eligere, quia volumus, non quia melius eſt. Ratio à priori diſparitatis inter Deum & hominem eſt, quia Deus abſque ullâ indigentiâ eligit; at nos ſemper ex indigentiâ eligimus, & ideò conſultamus, ut quod melius eſt inveniamus, eoq̀ue utamur.

Quinta replica.

Reſpondeo Deum cognoſcere unam creaturam relatè ad alias, & velle unam, rejectis aliis; quod autem Deus non utatur conſultatione, oritur ex infinitâ Dei perfectione, cui omnia ſine conſultatione ſunt manifeſta. Rurſus Deus ſæpè vult unam creaturam potiùs quàm aliam, quia melior eſt; ſic voluit Incarnationem quia ad finem Redemptionis erat medium omnium optimum; & quia ex omnibus modis ſe communicandi, illa erat ſumma ſui communicatio. Idemque dico de propoſitione beatitudinis

Deus cognoſcit unà creaturam relatè ad aliã, unamq̀ue præ alia eligit.

beatitudinis supernaturalis, potiùs quàm naturalis, pro fine creaturæ rationalis; ideò enim illam, non istam proposuit, quia illa melior est.

Creaturæ sæpè eligūt & non ex indigentiâ.

Præterea creatura sæpè eligit non ex necessitate & indigentiâ; sic Beati eligunt multa, quibus simpliciter non indigent, quia sunt in termino suæ beatitudinis, nulloque indigent, ut simpliciter benè sint. Rursus quando aliis eligimus, non eligimus ex indigentiâ. Tertiò ideò præmittimus consultationes, ut cognoscamus utilitatem, & præstantiam mediorum, illâ autem cognitâ, jam liberi sumus ad eligendum quodcumque medium sufficiens, quia absolutè non indigemus meliori. Quod autem sæpè eligamus medium melius, quia melius est, & præferimus illud alteri, quod sufficiens est, non probat, quò minùs, stante eâdem dispositione intellectûs, eligere possimus quod minus est, quia est sufficiens, & quia meliore non indigemus. Argumentum ergo à Deo ad nos in hac re efficax est; nec ulla assignari potest disparitas.

Duplex dictorum cōfirmatio.

46. Confirmatur 1. quia finium & mediorum similium excessus esse potest adeò exiguus, ut facillimè contemni possit. 2. quia voluntas creata defectibilis est, & sæpè solet deficere tam in intentione finis, quàm in electione mediorum. Confer hæc duo simul; atque illa sic collata exemplis propositis corrobora, & clarè videbis, voluntatem non solùm intendere posse finem minùs bonum, relicto meliore & simili; sed etiam ex mediis similibus & inæqualibus, sed sufficientibus, eligere posse, quod minùs est aptum, contempto aptiore.

Eadem libertas, quæ est in voluntate in ordine ad suum motivum, reperitur in intelle-

47. Ex hac voluntatis libertate convincitur intentum; quia indifferentia intellectûs ad assentiendum vero apparenti dependet ab imperio voluntatis, & per omnia proportionatur ipsius voluntatis libertati in ordine ad intentionem & electionem boni. Voluntas enim suâ libertate indifferentiam potentiarum sibi subjectarum ita determinat, sicut illæ potentiæ seipsas determinare possent, si pari cum voluntate libertate gauderent. At tunc intellectus assentire posset minori ex motivis similibus; ergo de facto per imperium voluntatis flecti potest ad talem assensum eliciendum.

ctu, prout subditur voluntati; in ordine ad suum.

Potentiæ voluntati subjectæ, ab illâ determinari possunt ad minus earū bonum relicto majore simili.

48. Deinde idipsum sic probatur: Potentiæ subjectæ voluntati, ita illi subduntur, ut ab illâ determinari possint ad minus bonum, relicto majore simili. Sic etsi oculis hîc & nunc melius sit viriditatem tantæ, quàm alterius intensionis aspicere, voluntas potest eos convertere in viriditatem intensionis minùs congruæ, imò cogere potest ad contemplandum objectum illis noxium. Idem valet de potentiâ loco-motivâ, aliisque similibus; & consequenter etiam de intellectu, qui, in ordine ad assensum obscurum, non minùs subditur voluntatis imperio; quàm potentia visiva aut quævis alia. Unde ulteriùs sequitur, quod licet voluntas ferri non posset in bonum minus, relicto majore simili, tamen intellectus per voluntatis imperium flecti posset ad assentiendum motivo debiliori. Sicut enim hoc evenit in aliis potentiis voluntati subjectis, ita etiam in intellectu evenire potest; maximè quando magis conduceret voluntati, si intellectus assensum præberet motivo, à quo antè tale imperium minùs trahebatur, quàm ab opposito. Sicut enim tunc voluntas flectit reliquas potentias ad minus bonum earum, sed majus bonum suum; ita à fortiori flectere potest intellectum, ad motivum antecedenter minus, quia illud motivum accedente voluntatis imperio crescit, & magis sollicitat intellectum, quàm motivum oppositum.

Præterea possibilitas assensûs alligati objecto minùs probabili, non solùm colligitur ex stimulo illum eliciendi, & ex aliquibus aliis argumentis, quæ supra ponderata sunt,

sunt, sed etiam directè convincitur; quia si itinerans ille, de quo supra facta est mentio, ponatur necessitatem habere iter continuandi, eò quòd nisi tempore præfixo perveniat ad metam, magnum illi malum immineat; in tali casu ille efficaciter intendit pervenire ad metam, ad quam pervenire non potest, nisi rectam viam teneat, quam tamen hîc & nunc à deviâ certò discernere non potest. Ergo cùm efficaciter intendat finem, eligere potest aliquod ex mediis propositis, imò non potest non aliquod eorum eligere; at nil est in ullâ illarum viarum determinatè sumptâ, quod determinet voluntatem ad illam eligendam præ alterâ; nam intentio finis non necessitat ad electionem medii, quod fortassè est inutile, contempto medio, quod fortassè est utile. Ergo liber est ad ineundam viam B relictâ viâ A. Non potest autem eligere viam B. ut medium, nisi credat illud esse utile, & speret se per illud ad metam perventurum. Hoc autem nec credere nec sperare potest, nisi judicet viam B. esse rectam, & viam A. deviam. Ergo intellectus ex voluntatis imperio determinari potest ad absolutè credẽdam partem antecedẽter minùs probabilem.

Intentio finis non necessitat ad eligendum medium meliùs ex duobus inæqualibus & similibus.

Solvuntur Objectiones.

Prima objectio.

49. Objicies 1. Ex duobus finibus similibus & inæqualibus minor, quà talis, habet speciem mali, quia constituitur minor per carentiam boni amplioris, carentia autem boni est mala formaliter. Ergo voluntas non potest intendere finem minùs bonum, relicto meliore sive simili sive dissimili; quia non potest intendere malum sub ratione mali. Idem argumentum fortiùs urget in electione mediorum; quæ non nisi post consultationem eliguntur. At medium minùs utile, sub tali respectu consideratum, est malum quoddam formaliter. Certum autem est voluntatem non posse per electionem ferri in malum formaliter. Ergo non potest eligere medium minùs utile, utiliore neglecto. Ergo intellectus flecti non potest in assensum motivi minoris, quia eadem est ratio intellectûs ad absolutè credendum objectum obscurè propositum, & voluntatis ad suum objectum liberè amplectendum.

Prima responsio.

Resp. 1. Quando finis & media sunt dissimilia, minor bonitas excedit majorem secundùm quid, & illud, quod movet, non est defectus bonitatis simpliciter, sed excessus bonitatis secundùm quid. Atque ita, etsi voluntas præferat quod simpliciter minus est, imò etsi minoritas boni sit formaliter mala, voluntas tamen nec intendit nec eligit malum sub ratione mali, sed movetur tantùm à bonitate peculiari, quâ aliud medium simpliciter utilius absolutè caret. Idem dico de fine.

Secunda responsio.

Resp. 2. loquendo de finibus, & mediis similibus, & dico, voluntatem, intendentem finem minùs bonum, non moveri à minoritate, nec ideò illum intendere, quia minor est; sic enim intenderet malum formaliter; sed ideò illum intendit, quia finis ille sufficiens est, & alter paulò melior non est simpliciter necessarius. Hoc modo minùs bonum identicè tantùm, non autem formaliter quà tale, intenditur; hoc autem non est absurdum.

Quando bonum minus intenditur, minoritas boni non est motivum formale dictæ intentionis.

Eodem modo discurro de mediorum electione: media enim, etsi post consultationem inveniantur esse inæqualia, singula tamen inveniuntur ad finem sufficientia; & intellectus concludit neutrum esse determinatè necessarium. Ergo voluntas neutro indiget determinatè. Itaque eligere potest minùs utile; non quidem quia minùs utile est, sed quia sufficiens est; simulque alterum utilius respuere, non quia utilius est, sed quia non est necessarium ad finem, sub qua consideratione habet quandam speciem mali & defectûs.

Idem locum habet in electione medii, minùs utilis, relicto utiliore.

50. Ob-

Secunda objectio.

50. Objicies 2. Unusquisque necessariò vult felicitatem suam, quam potest maximam; ad eam autem media optima sunt unicè necessaria. ergo nemo liber est aut ad intendendum finem minùs bonum, aut ad eligendum medium minùs utile.

Voluntas libera est ad gradū, sed non ad substātiam felicitatis intendendam.

Resp. neminem liberum esse ad intentionem felicitatis summæ quoad substantiam, quia unusquisque illâ indiget absolutè, utpotè sine quâ necessariò est miser. At quoad gradum felicitatis intendendum liber est, & potest quemcumque voluerit intendere. Similiter positâ intentione felicitatis, si medium utilissimum sit simpliciter necessarium ad ejus adeptionem, fateor nullam esse novam libertatem ad medii illius electionem, quia supponimus nullum aliud medium sufficiens proponi. At hic casus non est ad rem: quærimus enim de indifferentiâ electionis inter media sufficentia, quorum alterum altero utilius est. Et in hoc casu dico, voluntatem liberam esse ad minùs utile eligendum juxta probata superiùs.

Tertia objectio.

51. Objicies 3. Intellectus non potest simul approbare & reprobare idem motivum; at si simul assentire posset motivo minori, rejecto majore simili, simul approbaret, & reprobaret idem motivum; approbaret enim minus motivum, & reprobaret majus, ut supponitur. At motivum majus supponitur esse simile minori; ergo involvit quidquid continetur in minore. Ergo majus motivum reprobari non potest, nisi etiam minus reprobetur, ergo idem motivum approbaretur, & simul reprobaretur ab eodem intellectu.

Solvitur objectio.

Resp. nos loqui de motivis realiter distinctis, quorum alterum reprobatur, alterum approbatur; in hoc autem nulla est absurditas, quæ esset, si idem approbaretur & reprobaretur. Sume exemplum à voluntate approbante unum, & reprobante aliud motivum simile & æquale aut etiam majus, & videbis nullitatem argumenti. Jam quod motivum minus dicatur involvi in majori simili, solùm verum est de æquivalentiâ quadam, non autem de identicâ inclusione; unde non sequitur idem approbari, & reprobari. Et sanè in casu nostro intellectus credit Petro, & discredit Paulo; approbat authoritatem Petri, & rejicit authoritatem Pauli; hoc autem non est simul approbare & reprobare eandem authoritatem.

Replica in cōtrarium.

52. Dices. Authoritas Pauli est æquè digna, imò dignior fide, authoritate Petri. Ergo authoritas Pauli non potest rejici, si approbetur authoritas Petri.

Solvitur replica.

Respondeo utramque authoritatem esse fallibilem, & alteram in casu nostro necessariò falli, cùm ponantur asserere contraria. Hinc fieri potest, ut minor authoritas reipsâ nec fallatur, nec fallat; major autem fallatur & fallat. Rursus intellectus stimulatur ad credendum minori, & discredendum majori authoritati, quia una contra aliam impenditur. Ergo credere potest aut hanc, aut illam fallere vel falli, cùm habeat motivum ad utrumlibet eorum asserendum.

Objectio quarta.

53. Objicies 4. contra omnes theses tam hujus, quàm superioris Quæstionis. Si intellectus per voluntatis imperium flecti posset in assensum partis minùs aut æquè probabilis pro libito, posset etiam toties quoties mutare sententiam, & statim post aliquod creditum, ut verum, existimare illud esse falsum; iterumque statim pòst illud ipsum verum reputare, etsi nulla nova ratio movens intellectum succederet, quia totum pendet per nos ab arbitrio voluntatis. At consequens est falsum, & contra experientiam. ergo &c.

Respondetur 1. per instantiam.

Resp. retorquendo argumentum in voluntate. Si voluntas posset amare bonum minus vel æquale, posset etiam absque novo motivo statim odisse Petrum, quem antè sincerè amabat, iterúmque amare, ac odisse

odisse &c. At sequela est absurda & contra experientiam. Ergo voluntas non potest eligere bonum minus vel æquale, sed solùm majus. At constat, voluntatem posse eligere bonum æquale, immò & minus. Ergo constat argumentum fallaciam aliquam continere.

Responsio directa.

Resp. 2 directè. voluntas humana non potest nisi difficulter mutare suos actus, si motiva, aut circumstantiæ non mutentur; quia actus nostri deliberati aliquid participant de absolutâ immutabilitate voluntatis angelicæ, ut constat experientiâ in objectione perpensâ. Ergo licèt objectum aliquod liberrimè ametur; non tamen ideò amor semel elicitus tam liberè rejicitur. Jam quod dictum est de voluntate, valet etiam de intellectu; qui in obscuris assentiri non potest absque imperio voluntatis. Itaque nisi imperium voluntatis mutetur, intellectus non potest dissentire objecto, cui antea assensum præbuit. Difficultas ergo, aut etiam, si velis, impossibilitas mutandi opinionem, non oritur ab impossibilitate assentiendi parti minùs aut æquè probabili, sed solùm à difficultate, aut si velis, ab impossibilitate absque novo motivo tam citò mutandi imperium voluntatis, quo mutato nulla superest impossibilitas mutandi opinionem. Sic vir doctus à Deo ad Ordinem Dominicanorum aut Minorum vocatus, & ad sanctitatem illorum Ordinum derepentè valdè affectus, facilè mutat opiniones suas, doctrinæque sui Ordinis adhæret, quam antea reputabat longè minùs probabilem; idque verum est, etsi nulla nova motiva ad movendum intellectum suppetant.

Voluntas humana aliquid participat de immutabilitate voluntatis angelicæ.

Immutabilitas voluntatis est unica causa immutabilitatis in opinionibus.

Natura & qualitas imperii, quo voluntas in obscuris flectit intellectum ad assensum explicatur.

54. Ratio æquivocationis in hac re oritur ab ignorantiâ naturæ imperii, quo voluntas flectit intellectum in assensum. Hoc enim imperium non est actus voluntatis utcumque dicens volo hunc, volo illum assensum; sed opus est ut bonum aliquod appareat in tali assensu, in quod voluntas feratur; quia solum bonum est objectum voluntatis. Jam si bonum aliquod de novo appareat in aliquo judicio, quod antea non apparebat: & voluntas afficiatur illi bono, illudque velit, eligatque judicium pro medio aut necessario aut utili ad illud obtinendum, intellectus statim obedit, elicitque judicium contrarium illi, quod antea elicuerat. etsi nullum novum motivum intellectûs proprium appareat: nisi consequenter ad dictum affectum. Sicut enim motivum formale piæ affectionis ad fidem necessariò requisitæ aliud non est, quàm bonitas salutis æternæ per fidem propositæ, ad quam fides ipsa est medium necessarium, ita motivum voluntatis cujusque imperantis assensum solet esse bonum aliquod, ad quod obtinendum judicium imperatum conducit; omne enim aliud bonum impertinens est ad imperandum talem actum, ut patet. Et sicut si voluntas absolutè amet bona æterna per fidem proposita; ad quæ obtinenda fides proponitur ut medium necessarium, nulla est difficultas in eliciendâ fide, sed intellectus statim obedit voluntati; ita quando voluntas absolutè afficitur bono ad quod judicium aliquod conducit, intellectus obedit, statimque elicit judicium illud juxta placitum, seu imperium voluntatis. Qui hæc percipit, duo satis clarè intelligit. Alterum est natura imperii in voluntate requisiti ad assensum obscurum; Alterum est modus, quo intellectus subditur voluntatis imperio, & ad ejus nutum non violenter, sed connaturali suavitate movetur ad assensum.

55. Objicies 5. ex Vincentio Baronio *disp. 2. sec. 2. art. 2. parag. 6.* Etsi voluntas possit eligere inter bona opposita æqualia, & etiam inæqualia pro arbitratu; intellectus tamen non potest assentiri ulli ex æquè probabilibus, & multò minùs parti minùs probabili. Disparitas est, quia ex bonitate unius contrariorum

Objectio quinta.

contrariorum nil perit de bonitate alterius. At motiva probabilia non ita se habent, quia veritas unius arguit falsitatem alterius.

Responsio. Resp. disparitatem hanc, etsi admittatur, non probare intellectum flecti non posse ad assensum cujusvis partis quomodocumque probabilis; quia unum motivum probabile, etsi minuat, non tamen tollit vim motivi oppositi. Verùm disparitas nulla est, nisi quæ nobis faveat; nam bonitas motivorum contrariorum simul amari non potest; qui enim amat unum, repudiat alterum. At probabilitas unius motivi, etiam affirmata, non tollit alterius probabilitatem, cùm utraque possit simul affirmari. Præterea bona invicem repugnantia, eo ipso minora sunt, quòd repugnent aliis, non minùs quàm motiva probabilia sint minora, si aliis contradicant. Ergo in nullo est disparitas. ergo veritas assertionis manet inconcussa.

QUÆSTIO DECIMA.

Vtrùm prudenter censendus sit judicare, qui assensum præbet opinioni minùs probabili?

Statut Quæstionis.

Status quæstionis.

1. VIDIMUS assensum motivi minùs probabilis esse possibilem; superest quærendum, utrùm assensus istiusmodi sit imprudens, temerarius, & stultus; an verò simpliciter loquendo sit assensus prudens, & laudabilis. Ex hoc enim resolutio quæstionis principalis magnâ ex parte dependet. Quæstio ergo dupliciter institui potest. 1. utrùm in speculativis, 2. utrùm saltem in practicis temerarium sit, & imprudens assensum præbere motivo minùs probabili, probabiliore relicto. Deinde dupliciter sumi potest utraque ex istis quæstionibus: 1. utrùm assensus sit prudens fine intellectûs præcisè spectato: 2. utrùm simpliciter prudens esse possit alio fine ante oculos habito. Sed advertendum est, quòd semper loquamur de opinione minùs probabili antecedenter ad omnem affectum uni parti peculiariter impensum, nam consequenter ad illum, pars, cui assensus præbetur, apparet probabilior oppositâ.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio 1.

Qui in speculativis absolutè assentitur motivo minùs probabili, probabiliore relicto, fine intellectûs tantùm spectato, prudenter judicat, quamvis minùs prudenter, quàm si oppositum judicium ferret.

Fine intellectûs præcisè spectato assensus partis minùs probabilis prudens est saltem in speculativis.

2. PRobatur assertio ex ipsâ probabilitatis notione. Ut opinio sit probabilis in comparatione probabilioris, debet niti motivo tam validè alliciente intellectum ad assensum sui, ut verè & meritò censeatur motivum magnum, & aptum ad movendum virum prudentem in sui assensum, etiam quando totum motivum oppositum illi repræsentatur. At quando voluntas intellectui imperat assensum ex tali motivo, non temerè, non ex animi levitate

Prima probatio ex notione probabilitatis desumitur.

illum præcipitat ad unam partem, sed ex motivo verè magno & sufficienti ad prudens judicium, illum affigit ad partem, in quâ veritas, quæ est unicus finis intellectûs, creditur latere; hoc enim est essentiale omni motivo verè probabili. Ergo talis assensus, sine intellectûs præcisè spectato, non est temerarius, aut stultus, sed benè consideratus, & omnibus pensatis prudens. Impossibile enim est assensum, qui motivo probabili & prudenti nititur, non esse probabilem & prudentem.

Dominium voluntatis supra intellectum arguit assensum motivo minùs probabili præstitum esse prudentem.

3. Probatur 2. ex dominio voluntatis supra intellectum, & consequenter ex curâ, quæ illi incumbit non temerè præcipitandi intellectum in quemvis assensum probabilem, sic enim arguo. Ut voluntas prudenter imperet assensum, idque ex intuitu boni proprii intellectûs, non requiritur major cura & sollicitudo, quàm ab eâdem voluntate exigitur in ordine ad proprium objectum, ut illud amplectendo prudenter operetur. At, ut in electione proprii objecti prudenter agat voluntas, non est necesse, ut eligat bonum præstantiùs ex oppositis; sed sufficit si eligat bonum minus, etiàm cognitum ut minus: ergo ubi veritas verisimiliter tantùm apparet in utroque ex contradictoriis, ut voluntas prudenter determinet intellectum ad assensum, non tenetur illum ad partem verisimiliorem affigere; sed sufficit, si ad partem minùs probabilem suo imperio illum determinet; tum quia sic magis promovet bonum illius, quàm si intellectum ab omni judicio suspenderet, tum quia magnâ spe veritatis obtinendæ id facit.

Assensus datus motivo minùs probabili, est minùs prudens, quàm assensus motivo probabiliori præstitus, si

4. Cæterùm evidens est, quòd, si finis solius intellectûs spectetur affixio illius ad partem minùs probabilem, minùs prudenter imperetur à voluntate, quàm affixio ejusdem ad motivum probabilius; omnis enim electio medii minùs apti ad finem intentum caret gradu prudentiæ, quem electio medii conducibilioris in se continet. At talis est electio assensûs præstiti motivo minùs probabili, probabiliore relicto. Idipsum constat ex paritate voluntatis, operantis circa proprium objectum; semper enim eò minùs prudentem electionem instituit, quò medium minùs aptum præfert medio aptiori; ergo idem dicendum est de voluntate respectu intellectûs, si præcisè bonum intellectuale spectetur; quia motivum probabilius ad veritatis adeptionem est medium aptius motivo minùs probabili.

finis intellectûs tantùm consideretur.

Replica.

5. Dices: ideò voluntas, quando eligit minus bonum meliore relicto, agit prudenter, quia evidens est quòd feratur in bonum simpliciter. At quando intellectus determinatur ad motivum minùs probabile, non est evidens quòd feratur in verum, id est in finem suum; ergo argumentum à paritate voluntatis desumptum nullum est.

Solvitur replica.

Resp. non semper est evidens, medium à voluntate electum esse aptum fini intento; sic medicus ex probabili tantùm conjecturâ dat medicinam ægroto, & tamen tunc etiam datur locus electioni prudenti. Causalis ergo falsa est, ergo tota objectio ruit. Sed esto, causalis illa vera sit in voluntate respectu sui objecti, non tamen valet de ejusdem imperio respectu intellectûs; quæstio enim procedit pro casu inevidentiæ, quando veritas rei latet sub velamine obscuritatis, etiamsi assensus præbeatur parti probabiliori. In hoc casu bonum, quo intellectus frui potest, non est nisi probabilitas, seu verum probabiliter apparens. ergo totum, quod voluntas agit, est præferre minùs verisimile magis verisimili; in quo ita penitus se gerit respectu intellectûs, sicut se gerit respectu sui, quando inter media proposita eligit minùs conducibile. At respectu sui prudenter exercet talem electionem ergo. prudenter etiam affigit intellectum motivo minùs probabili, probabiliore relicto.

ASSERTIO

Assertio 2. Spectato fine voluntatis sæpè prudentiùs agit voluntas imperando assensum motivo minùs, quàm magis probabili.

ASSERTIO SECUNDA.

Si finis voluntatis spectetur, sæpè voluntas prudentiùs agit imperando assensum motivo minùs, quàm magis probabili.

Prima probatio.

6. PRobatur. Ex dictis constat voluntatem, spectato fine solius intellectûs, prudenter imperare assensum partis minùs probabilis, probabiliore relictâ. Ponamus jam aliud emolumentum grande ex tali assensu intellectûs provenire voluntati, quod certè evenire potest. In hoc casu, omnibus pensatis, voluntas longè prudentiùs agit imperando dictum assensum, quàm oppositum. Omnibus enim spectatis, plus boni accedit voluntati ex tali, quàm ex opposito imperio. Ergo prudentiùs agit determinando intellectum ad partem minùs probabilem, quàm si illum ad probabiliorem alligaret; mensura enim prudentis electionis non aliundè, quàm à quantitate boni indè provenientis desumitur.

Doctor pauper prudentiùs docet opinionē minùs probabilem, ut stipendium quo indiget, obtineat, quàm omittat stipendium absque alio emolumēto, ne doceat opinionem minùs probabilem.

7. Probatur 2. exemplis. Instituatur cathedra aliqua ad docendum determinatam opinionem probabilem; *v. g. quòd mundus esse possit ab æterno*; Porrò stipendium optimum annexum sit cathedræ; nec quisquam ad illam assumatur, nisi juret se absolutè existimare eam sententiam veram esse, nec diutiùs accepturum stipendium, quàm & credat, & doceat illam veram esse. Vir doctus sed pauper, cui opposita sententia apparet probabilior, invitetur ad lectionem illam. Hic vir prudentiùs faciet, determinando intellectum ad credendam opinionem; quæ illi antecedenter minùs probabilis apparebat quàm opposita. immò imprudenter ageret tale judicium non imperando, si nulla alia via ad indigentiam suam sublevandam suppeteret. Huc spectat praxis eorum, qui jurant in verba Magistri, qualis est tam illa Thomistarum, qui jurant se non recessuros à doctrinâ Sancti Thomæ; quàm aliorum Ordinum, qui absque ullâ obligatione laudabiliter suum Authorem mordicùs defendunt. Utilitas enim propagandi sententias tam illustrium Doctorum ad perpetuum talis familiæ decus, reddit talem usum, immò & tale juramentum valdè prudens, quod alioquin non adeò prudenter iniri posset. Et sanè fieri nequit, quin plures talium familiarium Doctores, in aliquâ saltem peculiari opinione, sæpè videant rationes antecedenter probabiliores pro parte oppositâ; qui tamen longè prudentiùs sententiam suam defendunt, docent, & amplectuntur, quàm si illam in secreto mentis desererent; maximè quando suâ authoritate debent discipulos in eâ confirmare; nam si discipuli peterent à magistro, utrùm credat illam sententiam veram esse, & ille pro falsâ illam se habere diceret, ingens indè familiæ dedecus provenire posset, quod certè non expedit.

8. Atque hinc prior assertio confirmatur; nisi enim judicium partis minùs probabilis, in sensu composito apparentiæ simpliciter validioris pro parte oppositâ, esset intrinsecè prudens, spectato tantùm fine intellectûs, illicitum esset Thomistis, voto se obligare ad sectandam in omnibus doctrinam sui Magistri. Illicitum enim est obligare se ad eliciendum judicium intrinsecè imprudens; at necessariò ad hoc obligarentur; nam fieri non potest, quin aliquæ saltem sententiæ S. Thomæ hic & nunc aliquibus ex Magistris appareant minùs probabiles oppositis; ergo si obligent se ad sectandam doctrinam sui magistri, obligant se ad judicium imprudens, aut certè sese exponunt evidenti periculo talium judiciorum, quod etiam est illicitum.

Si assensus motivi minùs probabilis non esset prudēs illicitū esset Thomistis jurare in verba Magistri sui.

9. Nec dicas, quòd solùm obligentur ad exteriùs docendum; non autem ad interno judicio se confirmandum doctrinæ S. Thomæ. nam contrà: quia utraque obligatio perindè

Replica quædam proponitur.

Solvitur replica. perindè se habet in ordine ut sit, aut dicatur licita; nam unusquisque Magistrorum illorum ita in externâ locutione gerere se debet, ac si crederet eam sententiam veram esse: At qui ita se gerit, mentitur, nisi verè ita credat, quia alioquin exterior locutio assertiva esset difformis menti. Neque enim illa exterior locutio solùm significat opinionem, quam docet, esse probabilem, (per hoc enim non satisfit intento juramenti) sed simpliciter veram: Atqui non ita judicat. ergo mentitur. Ergo qui ita voveret, exponeret se manifesto periculo mentiendi; à quo officium Magistri, ad quem spectat totam S. Thomæ doctrinam defendere, & docere, esset inseparabile, nisi intellectus flecti posset ad assensum parti minùs probabili præstandum.

Assertio 3.

ASSERTIO TERTIA.

Assensus motivi minus probabilis, etiã in practicis, prudẽs est, & sæpe prudentior opposito.

Judicium affixum motivo minùs probabili probabiliore relicto, etiam in moralibus est prudens, quamvis solus finis intellectûs inspiciatur. At si sermo sit utrùm res aliqua liceat, sæpè est longè prudentius judicio opposito, si omnia considerentur.

Prima assertionis pars evincitur.

10. Probatur 1 pars eisdem rationibus, quibus primæ assertionis veritatem convicimus; neque enim, si finis intellectûs tantùm spectetur, ulla diversitas est, sive objectum, cui intellectus affigitur, sit practicum sive speculativum; unicus enim finis intellectûs est veritas, quæ per judicium probabile, etiam spreto motivo probabiliore, non minùs in practicis, quàm in speculativis obtinetur. Nec magis refert intellectui, ut intellectus est, quòd decipiatur, aut periculo deceptionis exponatur in practicis, quàm in speculativis.

Secunda ejusdem pars probatur.

11. Probatur 2 pars ex argumentis pro assert. 2. allatis; quæ ut efficaciùs applicentur, supponendum est, quæstionem ad hoc in præsenti restringi, ut investigetur, an liceat v. g. pingere in die festo? In hoc casu voluntas, spectato fine suo proprio, prudenter affigit intellectum ad probabiliter credendum, quòd liceat pingere in die festo, licet oppositum sit probabilius, quia sic ex unâ parte plurimùm promovet bonum suum, & ex parte oppositâ nil detrimenti patitur. Nil quidem detrimenti patitur, quia etsi judicet, quòd liceat pingere, adhuc fruitur totâ suâ libertate ad non pingendum, id est ad sequendam partem oppositam tutiorem; quam sequi est opus consilii, & majoris perfectionis. Plurimùm verò auget bonum suum, quia aufert à se obligationem abstinendi ab illo opere, atque ita caret periculo peccandi; cui hic & nunc subjaceret; imò cui seipsam exponeret, si intellectum ad oppositum assensum determinaret: Eo ipso enim quòd crederet opus pingendi esse illicitum, peccaret illud amplectendo, ut patet. Ergo in eo casu voluntas prudenter imperat intellectui assensum partis minùs probabilis. Ratio hæc vel maximè vim habet pro casu, quo quis videret se expositum periculo desiderandi, aut faciendi rem illam, sive propter propriam indigentiam, sive propter alienum imperium &c. tunc enim stultissimè faceret, & si imperaret assensum de inhonestate operis, quia sciens & volens exponeret se periculo peccandi; quo liberari posset, si intellectum contrariæ parti suo Imperio affigeret, quod quomodo verum sit, fusiùs infrà declarabitur.

Qui exponitur periculo faciendi aliquid, prudenter credit id sibi licere, modò probabile sit quòd liceat; licet oppositum sit probabilius.

Solvuntur objectiones.

Prima objectio.

12. Objicies 1: Nonne imprudens esset, qui amicum ad viam tenendam cogeret, per quam, si incederet, cum minori probabilitate ad præfixum terminum tenderet, quàm si oppositam teneret? At hic

hic est casus noster; voluntas enim est socia conjunctissima intellectui; ergo, si spectetur finis intellectûs, voluntas imprudenter agit, si intellectum ad assensum motivi minùs probabilis determinet; quia præcipit intellectui, ut ineat viam, quæ minùs probabiliter ducit ad veritatem, id est ad finem intellectûs, quàm opposita.

Responsio. Resp. ut argumentum habeat plenam paritatem, supponendum est 1. nullam viam hîc & nunc adesse, per quam, si incedat amicus, constat eum ad terminum præfixum perventurum. 2. supponendum est, quòd per quamcumque viam incedat, non possit post iter confectum evidenter cognoscere, utrùm rectam viam tenuerit necne, sed solùm sperare se non errâsse; hoc enim est proprium intellectûs ad veritatem per obscuras probabilitatis vias tendentis. 3. supponendum est, quòd etsi contingat cum in viâ errâsse, nil tamen indè detrimenti eveniat in ordine ad ultimum itineris finem, sed quòd æquè expeditus sit, ut ad eum pertingat, sive erret, sive non erret in hoc itinere. Hic enim est status intellectûs propter motivum fallibile judicantis; siquidem, si contingeret intellectum reipsâ errare sequendo opinonem probabiliorem, (ut potest evenire) non ideò deteriùs disponeretur ad finem suum simpliciter ultimum, qui est veritas evidens, & certa. Idem dicendum est de errore, quem fortè incurreret sequendo opinionem minùs probabilem; non enim ideò deteriùs disponeretur ad suum finem ultimum; sicut, si eandem opinionem probabilem sequendo reverâ veritatem assequeretur, non ideò meliùs disponeretur ad evidentiam, quæ est finis ultimus ejusdem. 4. supponendum est, socium illum esse adeò indeterminatum, ut seipsum suâ libertate determinare non possit; nam alioquin alter deberet solùm consulere, non cogere; alioquin cogendo esset injuriosus propter ipsam coactionem, non propter directionem itineris. His pro plenitudine paritatis antè oculos habitis; Respondeo virum illum, qui amicum ad iter, quod minùs tantùm probabiliter conduceret ad finem intentum, cogeret, aut suo consilio determinaret, prudenter quidem, sed minùs prudenter facturum, sicut faceret, si suaderet amico, aut illum indeterminatum ad matrimonium determinaret præ cælibatu; sicut enim ipse prudenter quidem, etsi minùs prudenter matrimonium cælibatui prætulit, ita prudenter, sed minùs prudenter socio idipsum persuadere, aut etiam ad illud eum determinare posset. Nec in hoc violaret leges amicitiæ, sed solùm non adhiberet media amicitiæ perfectissimæ. Verùm quia ista non inveniuntur in viro determinante socium ad iter minùs probabiliter conducens ad terminum, ideò magna est disparitas inter omnia istiusmodi exempla, & voluntatem intellectui imperantem assensum minùs probabilem.

Intellectus probabiliter errans non deteriùs disponitur ad suum finē ultimum, quàm si in illo judicio non errasset.

13. Deinde finis, quo intellectus hîc & nunc frui potest, non est veritas ipsa, seu absoluta correspondentia inter objectum & cognitionem, sed veritas ut cognita. Atqui veritas ut evidenter cognita hîc & nunc est impossibilis. ergo finis intellectûs non est veritas ut evidenter cognita; alioquin hîc & nunc respiceret finem sibi impossibilem. Finis ergo intellectûs hîc & nunc non est nisi veritas ut probabiliter cognita; atqui evidenter possidet hunc finem, in quamcunque partem inclinetur à voluntate. ergo voluntas prudenter determinat illum ad quamvis ex partibus oppositis, quia sic certò obtinet finem suum; non tamen obtinet omnem perfectionem finis, quia dictus finis meliùs possidetur per assensum motivo probabiliori præstitum. Hoc autem solùm arguit tale imperium, fine intellectûs tantùm spectato, non esse tam prudens, quàm oppositum; quod ultrò

Intellectus eodem bono fruitur, sive erret, sive non erret in judicio probabili; similiter eodem specie bono fruitur, si assentiatur motivo minùs probabili, quo fruetur, si assentiretur probabiliori.

conceditur: Unde alia item disparitas inter assertionem, & exemplum in argumento positum desumitur; nam qui sequitur viam aliquam, non assequitur suum finem, nisi verè ad terminum præfixum pertingat. Secus contingit in intellectu præstante assensum parti minùs probabili.

Probabilitas, ubi possibilitas certitudinis deest, est optimũ quod intellectus habere potest

14. Ad meliorem responsionis intelligentiam adverte, probabilitatem esse bonum intellectûs ejusque optimum, quoties possibilitas certitudinis deest. Constat hoc, quia laudabilior est intellectus errans, sed probabiliter judicans de rebus abditissimis, quàm intellectus circa illa non errans, sed ipsa penitus ignorans; & unusquisque talem discursum periculo errandi obnoxium totali ignorantiæ ab omni errandi periculo infallibiliter immuni libenter præferret. Itaque voluntas in eo casu prudenter affigit intellectum parti minùs probabili, ejusque bonum simpliciter loquendo promovet; quia deterius illi esset omnem assensum suspendi, quàm judicium minùs probabile à voluntate imperari.

Præstat probabiliter errare discurrẽdo de rebus abditis, quàm illas penitùs ignorare.

15. Cæterùm post tot disparitates evidentissimas absolutè respondeo, virum illum non imprudenter socio suo consulere talem viam præ aliâ; quia etsi altera, omnibus consideratis, appareat præferenda, non tamen certò constat, quòd ad terminum intentum perducat; è contrà verò magnis rationibus movetur intellectus ad prudenter credendum, hanc viam, non illam ad terminum ducere. Sicut ergo si quis ex tali motivo viam illam sibi præeligeret, non imprudenter, sed solùm minùs prudenter ageret; ita pariter, qui socium ad eam ineundam determinaret, non imprudenter, sed solùm minùs prudenter causam ejus ageret. Idem à fortiori valet in intellectu, propter disparitates allatas.

Infimum in unoquoque genere,

16. Porrò quod reddit istiusmodi exempla primo aspectu duriora, est universale illud principium, quo omnibus constat, quòd infimum in unoquoque genere, si comparetur cum supremo in eodem genere, appareat instar rei spectantis ad genus oppositum. Sic liberalis, & fortis, si comparetur cum magnifico & magnanimo, apparet instar timidi & avari, ut Esparza *de act. hum. quæst. 23. ad 4.* optimè observat ex Aristotele *2. Ethic. cap. 8.* Idemque videre est tam in physicis, quàm in moralibus; In physicis quidem, quia vir staturâ magnus, comparatione habitâ ad gygantem, parvus videtur; Et terra ipsa ratione cæli punctum censetur; In moralibus verò, quia qui soli mandatorum observationi insistit, & opera consilii negligit, imprudens videtur respectu hominis perfecti, qui consilia diligenter complectitur, ut securiùs ad finem pertingat. Ratio autem est, quia infimum in unoquoque genere aut parum distat ab opposito vitio, aut certè parum distare videtur, ratione habitâ ad magnam distantiam supremi ab infimo in eodem genere. Jam imperare, consulere, atque amplecti medium minùs probabiliter illativum finis intenti, est infimus gradus prudentiæ, cùm quicquid infra illum est, manifestam contineat temeritatem, & imprudentiam. ergo si hic gradus, utpotè infimus, comparetur cum imperio, atque consilio medii ex omnibus opportunissimi, qui est supremus prudentiæ gradus, nil mirum si primo aspectu appareat instar electionis imprudentis, propter propinquitatem gradûs infimi ad genus oppositum, & utriusque distantiam à supremo in eodem genere. Cæterùm hac hallucinatione apparentiæ semel detectâ, exemplum allatum, ut jacet in terminis, retorqueri potest contra adversarios, sicut & omnia alia ejusmodi, quæ potiùs confirmant nostram sententiam, quàm illam impugnent.

si comparetur cum supremo in eodem genere, apparet instar rei spectantis ad genus oppositum.

17. Objicies 2. voluntas, sine intellectûs tantùm spectato, minùs prudenter agit imperando assensum motivi minùs quàm magis probabilis,

Secunda objectio.

probabilis, uti dictum est. Rursus in practicis, quando quæritur, utrùm aliquid liceat necne, proprio etiam fine voluntatis ante oculos habito, voluntas imprudenter, aut certè minùs prudenter imperat assensum partis minùs probabilis, potiùs quàm probabilioris; quia per tale judicium exponit se periculo peccandi saltem materialiter; cui periculo non exponeretur, si flecteret judicium in partem oppositam probabiliorem & tutiorem; si enim crederet partem minùs probabilem minúsque tutam esse illicitam; eo ipso quasi necessitaretur ad partem tutiorem sectandam. ergo falsum est, quòd voluntas, omnibus spectatis, longè prudentiùs in ejusmodi casibus imperet assensum opinionis minùs probabilis. Imò simpliciter imprudenter agit, quia minùs prudenter agit ex utroque capite; defectus autem prudentiæ, in gradu infimo constitutæ, novo defectu auctus in imprudentiam degenerat.

Respondetur per instantiam. Resp. argumentum hoc non magis impetere prudentiam assensûs præstiti motivo minùs quàm magis probabili; siquidem pars minùs probabilis æquè potest esse tutior, & remotior à peccato materiali, ac pars probabilior. ergo ex hoc capite nil singulariter affertur contra prudentiam assensûs affixi motivo minùs probabili, quod non æquè urgeat contra prudentiam judicii alligati motivo probabiliori.

Qui minùs probabiliter credit aliquid esse licitum, sæpè prudentiùs agit, quàm qui magis probabiliter credit illud esse illicitum. 18. Resp. 2. voluntatem imperantem assensum minùs probabilem non exponere se ulli periculo, ne quidem materialiter peccandi; nam, stante tali judicio, adhuc integrum illi est sequi partem oppositam tutiorem. quòd verò dicitur, voluntatem per imperium judicii oppositi necessitare se ad non peccandum materialiter, non est verum, nisi quatenus quasi obligat se sub peccato formali, ad non ponendum actionem, quæ probabiliter non prohibetur, quæque etsi reverâ prohiberetur, non esset nisi peccatum materiale, modò voluntas flecteret judicium in assensum motivi minùs probabilis; At hoc est exponere se certo periculo peccati formalis, ut pluribus stimulis avertat se ab actu, qui fortè erit peccatum materiale; fieri enim potest, ut quis multis de causis sollicitetur ad partem minùs probabilem minúsque tutam, aut certè periculum immineat, ne sollicitetur ad illam. Jam ergo peto, quæ prudentia eluceat in tali electione? certè talis electio imprudens est, maximè quando voluntas inclinatur, & sollicitatur ad amplectendam partem minùs probabilem minúsque tutam. At hic est casus noster.

19. Objicies 3. Esto, assertiones illæ veræ essent, si nulla lex obstaret; At obstat lex, qua quisque tenetur sequi aut partem tutiorem, aut certè probabiliorem, relictâ parte minùs probabili minúsque tutâ. Ergo voluntas imprudenter agit imperando talem assensum, utpotè per quem violat dictam legem; omnis enim violatio legis est actus imprudens. Probatur minor, quia *qui amat periculum peribit in illo.* Eccles. 3. vers. 27. ergone quis pereat, tenetur sequi opinionem tutiorem, aut certè magis probabilem, & vitare periculum peccati inseparabile ab usu opinionis minùs probabilis, minúsque tutæ. Tertia objectio.

20. Resp. quastionem principalem in eo verti, utrùm detur obligatio sectandi opinionem tutiorem, aut probabiliorem, relictâ minùs probabili, minúsque tutâ; quâ de re latè infrà; nunc, quantùm ad præsens attinet, etsi daretur talis lex, non ideò voluntas imprudenter imperaret dictum judicium; quia, illo stante, integrum esset voluntati sequi partem tutiorem, & probabiliorem, ergo nulla lex vetat tale judicium. Nec mirum: quoties enim judicium spectato fine intellectûs est prudens, & ex aliâ parte nulli affert nocumentum, imò è contrario magnum afferre soleat emolumentum, Solvitur objectio. Nulla lex prohibet judicium prudens, quod nulli affert nocumentum.


mentum, cujusmodi est hoc præsens judicium; ut ostensum est, nullâ lege prohibetur; aut prohiberi potest; quia lex istiusmodi imprudens esset, & nociva. Demum vel ex ipsis adversariorum fundamentis infrà demonstrabimus, non modò nullam esse legem, non dico figendi intellectum parti minùs probabili, sed neque in praxi sectandi partem tutiorem aut probabiliorem. Præsens itaque objectio non tangit præsentem difficultatem, sed confundit unam quæstionem cum aliâ.

QUÆSTIO UNDECIMA.

Vtrùm voluntas Dei sit prima & universalis regula objectiva moralitatis Theologicæ?

Status Quæstionis.

Peccatum theologicum quid sit?

1. UPPONO nunc ex optimorum Theologorũ doctrinâ, nullum peccatum Theologicum, quo scilicet aliquo modo separamur à fine ultimo, & meremur pœnas illas horrendas damni & sensûs, quas Deus pravis nostris actionibus pro futurâ vitâ destinavit, committi posse cum invincibili Dei ignorantiâ, imò nec absque actuali cognitione, per quam infinita Dei bonitas & majestas aut explicitè, aut certè sub terminis cum clariore ejusdem conceptu convertibilibus, implicitè nobis innotescat. Similiter suppono nullam honestatem Theologicam derivari in actus nostros, nisi illi regulentur à cognitione divinæ bonitatis. Suppono, inquam, hanc sententiam, quia fixum mihi est ad nullam quæstionem divertere, cujus notitia ad resolutionem quæsiti principalis necessaria non sit.

Regula objectiva moralitatis Theologicæ non distinguitur à Deo.

Hoc ergo supposito, illicò sequitur regulam objectivam omnis moralitatis Theologicæ esse à Deo indistinctam. Verùm adhuc dubium est, quidnam in Deo dicendum sit, prima universalis regula objectiva operationum humanarum habentium bonitatem aut malitiam Theologicam. Hanc quæstionem brevissimè expediam, ut sciamus quodnam sit objectum conscientiæ, quâ proximè dirigimur ad operandum; nam nomine *regulæ objectivæ* intelligimus objectum menti repræsentatum, per quod ita dirigimur ad operandum, ut opus, si illi conformetur, propter hanc ipsam conformitatem evadat honestum, atque ad finem ultimum conducat: sin autem opus illi contrarietur, eo ipso sit peccatum, & à fine ultimo aliqualiter separet; nempè absolutè si materia sit gravis, &c. quia tunc peccatum evadet mortale; aut certè secundùm quid, si materia sit levis &c. quia tunc peccatum erit solùm veniale.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Quoad aliqua objecta, divina voluntas non est ratione nostrâ prima regula objectiva operationum moralium. *Divina voluntas non est prima regula omnis moralitatis.*

2. PRobatur. 1. Dictamen divinæ Sapientiæ circa objecta essentialiter mala & bona, ratione nostrâ præcedit divinam *Prima ratio.*

Divinus intellectus est regula aliquorum prior ratione, quàm divina voluntas.

divinam voluntatem. At dictamen Sapientiæ divinæ circa objecta hujusmodi per se precisè est sufficiens regula moralitatis. ergo. Probatur minor: dictamen hoc divinæ Sapientiæ est essentialiter verum. Ergo quicumque sciens & volens huic dictamini conformatur in operando, honestè operatur, quique ab illo discordat, turpiter agit, & peccat. Imò hoc dictamen divinæ Sapientiæ est regula ipsius divinæ voluntatis, quæ ideò infinitè sancta est, quia infinitè conformatur dictamini divinæ Sapientiæ.

Secunda probatio.

3. Probatur 2. Ipsa divina bonitas seu essentia est prior ratione nostrâ, quàm voluntas divina. At ipsa divina bonitas & essentia quoad aliqua est regula moralitatis, & quidem ratione nostrâ omnium prima; quia cùm ipsa divina essentia sit finis ultimus creaturarum, tam divinum dictamen, ut sit rectum, quàm voluntas divina regulans creaturas, ut sit honesta, conformari debet bonitati & essentiæ divinæ, maximè in illis, quæ essentialiter consonant, aut dissonant cum divinâ essentiâ. Certè quicumque ideò ponit opus, quia conscius est, quod illud exigatur à divinâ bonitate & essentiâ, honestè operatur, quia conformatur fini suo; & qui è contrariò sciens & volens ponit actionem illi contrariam turpiter agit, & peccat, quia fini ultimo contrariatur. Ergo divina voluntas quoad aliqua est regula moralitatis, & quidem ratione nostrâ prior non solùm voluntate, sed etiam dictamine Sapientiæ divinæ; imò ratione nostrâ nulla regula est prior divinâ bonitate essentiali, in ordine ad ea objecta, quæ per se ad illam tendunt, vel ab illâ recedunt, cùm clarum sit nullam regulam hâc priorem excogitari posse.

Divina essentia est regula ratione nostrâ omnium prima.

ASSERTIO SECUNDA.

Divina voluntas quoad ali- [quæ est prima regula moralitatis.]

Divina voluntas quoad aliqua est regula moralitatis Theologicæ ratione nostrâ omnium prima.

4. Probatur. Plura sunt objecta, quibus Deus de facto voluit nos uti, tamquam mediis ad ultimi finis consecutionem necessariis, quæ tamen ex suâ naturâ non solùm ad finem acquirendum necessaria non sunt, sed neque ullam præ aliis ad illum aptitudinem habent. Talia sunt Baptismus, & reliqua Sacramenta, aliaque plurima, quæ partim prosequi, partim vitare tenemur; quamvis alia loco illorum substitui potuissent. Jam quoad hæc objecta divina essentia quoad se præcisè non est regula, cur his potiùs quàm illis utamur, quia ex se ad omnia hæc, tam omittenda, quàm exigenda, est indifferens, similiter nullum dictamen divinæ Sapientiæ determinatè approbat aut reprobat hujusmodi objecta, antecedenter ad divinam voluntatem liberam, & quod plus est, nullum ejusmodi dictamen nobis innotescit, nisi per voluntatem Dei liberam, pro priori nobis manifestatam. Ergo sola Dei voluntas est prima regula objectiva, per quam operationes humanæ diriguntur circa usum rerum hujusmodi.

5. Neque dicas, voluntatem divinam nil posse determinare, quod à dictamine divinæ Sapientiæ pro priori non approbetur; adeóque dictamen divinæ Sapientiæ quoad omnia esse regulam ratione nostrâ priorem voluntate divinâ. Nam imprimis dictamen Sapientiæ antecedens voluntatem Dei liberam solùm proponit aptitudinem horum vel illorum objectorum, & nil determinatè enunciat de absolutâ illorum necessitate, & ordinatione ad finis adeptionem; alioquin divina voluntas non esset libera in eorum electione; quia pro priori existeret absoluta necessitas hæc tantùm, & non alia, constituendi pro mediis ad salutem necessariis. Ergo dictamen divinæ Sapientiæ absolutè enuncians hujusmodi objecta ad finis consecu-

Objectio.

Solutio.

Dictamen, antecedēs divinam volitionem liberam, non semper est regula moralitatis prior divinâ voluntate.

consecutionem esse necessaria, vel consequitur ad divinam electionem liberam pro signo posteriori, vel certè nullatenùs antecedit dictam electionem liberam, sed illam ad summum comitatur, quatenùs absoluta voluntas libera, quâ Deus vult aliquid hujusmodi, est indistincta virtualiter intrinsecè à dictamine libero intellectûs, quo idipsum per modum imperii absolutè enunciatur tamquam necessarium. Jam si dictamen divinæ Sapientiæ sit consequens ad electionem liberam, clarum est, quòd voluntas libera sit prima regula objectiva, quâ ad hujusmodi objecta vitanda vel prosequenda dirigimur. Si verò dictamen illud sit concomitans, imprimis voluntas divina erit prima regula talium objectorum non solùm negativè, quatenus nulla alia est illâ prior, sed etiam quoad nos, & ratione nostrâ positivè, quia dictamen illud nobis innotescit per voluntatem liberam, & non è contrà. Valet enim dicere *: ideò divina Sapientia absolutè judicat hoc esse necessarium, quia Deus voluntate suâ liberâ illud absolutè eligit*, & non è contrà, *ideò elegit, quia absolutè judicavit illud esse necessarium*; alioquin non possemus intelligere, quomodo Dei voluntas liberè eliceretur; quia pro priori intelligeremus dictamen inferens omnimodam necessitatem eligendi hoc præ illo.

Quæ sunt intrinsecè bona, vel mala pro priori regulantur à divina sapientia, quàm à volùtate Dei.

6. Jam verò facile est explicare objecta, quæ à divinâ bonitate, & à dictamine Sapientiæ divinæ regulantur pro priori ad intelligentiam divinæ voluntatis. Sunt enim omnia & sola, quæ necessariò & intrinsecè connexa sunt cum naturâ rationali, quæque essentialiter, intrinsecè, & determinatè connectuntur, aut opponuntur cum fine ultimo; qualia sunt, quæ aut non possunt à divino intellectu non approbari, & à divinâ voluntate non præcipi, vel suaderi, quia bona; aut certè non possunt non reprobari à dictamine divinæ Sapientiæ, & à divinâ voluntate non prohiberi, quia mala, aut non dissuaderi quia minùs bona; nam in ordine ad reliqua, divina bonitas indifferenter se habet, neque magis connectitur cum his quàm cum illis mediis, quibus tamen de facto ad illam debemus accedere. Ergo in ordine ad hæc nulla est regula nisi divina voluntas, quâ accedente, omnia & singula, quæ vitare, quæque prosequi debemus, ut finem assequamur, determinantur.

Reliqua omnia pro priori regulantur à divinâ voluntate liberâ.

ASSERTIO TERTIA.

Sola divina voluntas est ratione nostrâ prima universalis regula objectiva omnis moralitatis Theologicæ.

Sola Dei voluntas est prima regula universalis omnis moralitatis Theologicæ.

7. Probatur. Divina voluntas est regula (etsi ratione nostrâ non prima) etiam relatè ad ea, quæ à divinâ bonitate, & à necessario dictamine Sapientiæ divinæ regulantur; quia Deus vult illa omnia, suâque voluntate illa à nobis exigit. Ergo manifestum est, quòd voluntas divina sit universalis regula objectiva, quæ omnem actionem tam honestam, quàm turpem demonstrat. Rursus, cùm nulla sit regula objectiva divinâ voluntate prior, quæ omnia complectatur, sed illa inter regulas omnes priùs quàm ulla alia ad omnia extendi intelligatur, manifestum est solam divinam voluntatem esse primam regulam universalem objectivam, per quam scilicet determinatè dirigimur circa omnia omninò, quæ aut facienda, aut fugienda sunt.

ASSERTIO QUARTA.

Non omnis voluntas Dei est regula, cui nos conformare debemus.

Non omnis Dei voluntas est regula, cui nos conformare debemus.

8. Probatur. Deus plura vult, quæ nobis velle non licet; puta mortem alicujus in statu peccati mortalis, reproborum damnationem &c. hujusmodi voluntas Dei non est regula voluntatis nostræ; sed.

sed illa solùm, quâ Deus fertur in nostras operationes, quâ scilicet vult nos velle hæc, & nolle illa, ut ad æternam beatitudinem perveniamus. Hæc Dei voluntas, si sit antecedens, & voluntas signi, ut aiunt Theologi, est universalis regula operationum Theologicarum, illarum scilicet quæ habent conducibilitatem ad finem ultimum obtinendum, aut amittendum; reliquæ enim voluntates divinæ, tam de aliis objectis, quæcumque demùm illæ sint, quàm de nostris etiam operationibus, modò sint voluntates ad illas cõsequentes, aut, ut aiunt, voluntates beneplaciti, rationem regulæ universalis, quâ dirigamur, non obtinent, ut per se patet.

Voluntas sola quâ Deus antecedenter vult nos velle vel nolle, est regula moralitatis Theologicæ.

9. Dixi hanc voluntatem signi, antecedentem nostras operationes nobis manifestatam; esse *regulam universalem objectivam actionum Theologicarum*. Theologicarum, inquam, quia licèt convenientia & disconvenientia actionis cum naturâ rationali, quâ rationalis est, sæpè innotescat, antequam quidquam sciamus de divinâ voluntate circa hanc, aut illam actionem particularem, cùm sæpissimè ex illâ convenientiâ, aut disconvenientiâ præcognitâ inferamus Deum velle aut nolle illud amari â nobis, quia conveniens aut disconveniens est cum naturâ rationali, quà tali, nihilominùs hæc convenientia aut disconvenientia cum naturâ rationali, quà rationalis est, est solùm regula objectiva universalis refundens in actiones honestatem, aut turpitudinem quandam Philosophicam, seu purè civilem, relatè ad finem reipublicæ, aut certè ad finem privatum prudentiæ humanæ, quam *monasticam* appellant, non autem Theologicam relatè ad finem ultimum; omnis enim operatio specificatur à fine per ipsam intento, aut contempto, & ab eo intento vel contempto totam suæ bonitatis vel malitiæ mensuram accipit. Manifestum autem est finem nullum aut amari aut contemni posse, nisi finis ille per Intellectum voluntati repræsentetur. Consequens ergo est, quòd absque finis ultimi cognitione actus nullam speciem moralitatis Theologicæ accipere possit; omnis enim moralitas Theologica solùm desumitur à fine ultimo; sicut moralitas Philosophica à particulari aliquo fine suam speciem accipit. Universalis ergo regula objectiva moralitatis Theologicæ est voluntas Dei disponentis de actibus nostris, quorum aliqui sunt media necessaria, alii verò tantùm utilia ad consecutionem finis ultimi.

Cõvenientia, & disconvenientia cum naturâ rationali non est immediata regula moralitatis Theologicæ, sed solam civilis.

Finis ultimus est mensura moralitatis Theologicæ.

10. Itaque inter differendum supponam voluntatem divinam superiùs declaratam esse primam & universalem regulam objectivam moralitatis Theologicæ; non quòd ea suppositio sit prorsus necessaria; neque enim volo dicenda huic peculari sententiæ alligari, quasi eorum veritas aliter non posset consistere, (ex ipso enim discursu evidenter constabit, omnem assertionem de quæsito principali, ac rationes omnes, quibus comprobatur, æquè cum unâ, ac cum aliâ quâvis sententiâ, de primâ & universali regulâ objectivâ moralitatis cohærere) sed quia claritatis causâ inter discurrendum expedit regulam proximam & formalem certæ alicui regulæ objectivæ applicare, & non semper in abstracto loqui; ideò conveniens fuit regulam veram præ falsâ assumere; maximè cùm nemini dubium esse possit, omnem conformitatem aut difformitatem cum hâc regulâ, moralitatem Theologicam contrahere, & dubium valdè sit utrùm talis moralitas ab ullâ aliâ regulâ objectivâ specificari possit.

Veritas dicendorum non depédet ab ullâ peculiari sententiâ de primâ regulâ moralitatis Theologicæ.

ASSERTIO QUINTA.

Voluntas Dei seu lex æterna, à quâ tamquam à primâ regulâ objectivâ omnis moralitas Theologica derivatur, duplex est; alia quæ per se, alia quæ

Lex æterna alia existit per se, alia per accidés.

quæ per accidens existit, & dirigit nos.

11. Omnis Dei voluntas regulans moralitatem, vel est præcipiens, vel vetans, vel certè consulens, aut permittens electionem alicujus objecti. Omnis autem voluntas Dei seu lex æterna hujusmodi ad duas classes reducitur, quarum altera talis est per se, alia talis est per accidens. Do exemplum, & rem declaro. Illa Dei voluntas obligat per se, quâ Deus directè & ex primariâ intentione exigit à nobis aliquod obsequium. talis est voluntas, quâ Deus omnibus directè præcipit observationem Decalogi, & auditionem Sacri diebus festivis; quia per se directè & ex primariâ intentione Deus à creaturis suis postulat hæc obsequia sibi præstari. Illa verò voluntas Dei obligat per accidens, quæ neque directè, neque ex primariâ Dei intentione, sed solùm ex suppositione alicujus ignorantiæ vel erroris in mente creaturæ hîc & nunc exigit obsequium ab illâ. V. g. existimet aliquis ex errore diem hodiernum esse festivum; adeóque credat, Deum lege æternâ omnibus hodierno die directè præcipere auditionem Sacri. Posito hoc errore in mente hominis, certum est Deum lege æternâ voluisse, & velle, ut ille audiat Sacrum, hæc Dei voluntas æterna supponens legem directam erroneè creditam, atque ex suppositione talis erroris exigens obsequium, dicitur lex æterna obligans per accidens, non quòd per accidens sit hominem obligari, stante tali mentis persuasione, (hoc enim non est per accidens, sed necessarium) sed quia Deus non intendit talem deceptionem, nec per se intendit talem obligationem, sed solùm illam intendit ex suppositione erroris, qui nonnisi per accidens, & præter intentionem supremi legislatoris irrepit in mentes hominum. Hæc distinctio, utpotè summi momenti, omninò præ oculis est habenda. Cæterùm quod specificatum est exemplo legis æternæ obligantis, æquè intelligi debet de voluntate Dei præcipiente, consulente, ac permittente, cum eadem ratio militet pro singulis.

Quæ sit voluntas obligans per se?

Quænam per accidens obligat?

ASSERTIO SEXTA.

Regula objectiva refundens moralitatem in actus nostros, non est voluntas Dei falsò existimata; sed solùm lex æterna verè existens, & cognita.

Sola lex æterna verè existens & cognita, refundit moralitatem in actum voluntatis.

12. Probatur 1. Gradus moralitatis non desumitur à voluntate Dei existimatâ, sedâ verâ; sic qui putat actum aliquem Deo placere ut 6. seu mereri præmium ut 6. non ideò meretur præmium tale, nec Deo placet ut 6. Ergo substantia moralitatis non desumitur à voluntate Dei existimatâ, sed à verâ; eodem enim modo discurrendum est de ipsâ rei substantiâ, ac de ejusdem augmento; unumquodque enim, quod suscipit magis & minùs, per idem specie constituitur in esse simpliciter, per quod ejus augmentum constituitur in esse intenso. Atqui pro intentione, & augmento moralitatis non sufficit augmentum complacentiæ divinæ existimatæ, sed veræ; ergo pro essentiâ & substantiâ non sufficit existimata, sed vera Dei complacentia requiritur. Jam lex illa, seu voluntas Dei cognosci debet, ut possit moralitatem in actum refundere. ergo tota assertio vera est.

Substantia moralitatis ab eodem derivatur, à quo gradus moralitatis causatur.

13. Probatur 2. Peccatum Theologicum non committitur præcisè, quia lex tantùm existimata violatur, peccatum enim definitur ab Augustino, *dictum, factum, concupitum contra legem æternam*; at lex tantùm existimata non est lex æterna, quia quod non existit, æternum non est. Ergo præcisa violatio legis tantùm existimatæ non est peccatum. Et sanè absque dubio Augustini

Idem probatur ex definitione peccati.

ſtinus in illâ definitione; omnesque alii cum illo per legem æternam intelligunt legem verè æternam à Deo latam: non autem legem merè exiſtimatam, ratio autem evidens eſt, quia peccatum eſt veræ legis trangreſſio. At lex tantùm exiſtimata non eſt vera lex, ergo ejus violatio non eſt vera ſed exiſtimata tantùm trangreſſio. Idem autem à fortiori valet de actu bono; quia plus requiritur ad bonitatem, quàm ad malitiam, cùm bonum ſit ex integrâ causâ, malum autem ex quolibet defectu habeatur. ergo ſi malitia Theologica non contrahatur niſi per violationem legis æternæ, non tantùm exiſtimatæ, ſed veræ, multò magis voluntas Dei tantùm exiſtimata non ſufficiet ad refundendam honeſtatem Theologicam in actum, quem regulat. Ecce ſola lex verè exiſtens eſt regula objectiva ſufficiens ad refundendam moralitatem Theologicam in actus, quos regulat. At ut regulet, debet cognoſci. ergo.

Alia ejuſdē rei probatio.

14. Probatur 3. Voluntas Dei fundans peccatum Theologicum, eſt lex æterna comminatoria pœnæ, & ſufficiens ad pœnam inducendam, ſi violetur. Similiter voluntas Dei fundans honeſtatem Theologicam, eſt lex æterna proponens præmium, & ſufficiens ad illud inducendum; ſi quis legi illi obtemperet. At lex exiſtimata non ſufficit ad inducendam pœnam aut præmium. ergo non ſufficit ad fundandam moralitatem Theologicam; ſed ad hanc fundandam requiritur lex vera, & illa quidem cognoſci debet, alioquin non poſſet ullam moralitatem refundere in actum, quia non uniretur potentiæ volitivæ, cùm illi non proponeretur.

Confirmatur exemplo.

15. Idipſum confirmatur exemplo. Sit aliquis qui invincibiliter putet Deum univerſaliter præcipere mendacium, quotieſcumque ex illo magnum damnum ſpirituale proximi vitatur. tum ſic, talis homo mentiendo non operaretur honeſtè, ſi ultimum dictamen conſcientiæ eſſet judicium falſum ex hoc aut alio ſimili ſyllogiſmo illatum. *Deus univerſaliter omnibus jubet mendacium, quoties per illud magnum proximi damnum ſpirituale tollitur. Sed hîc & nunc, per mendacium hujuſmodi damnum tollitur. ergo Deus eâ voluntate, quâ præcipit omnibus, mihi etiam hîc & nunc præcipit hoc mendacium.* Concluſio enim iſta falſa eſt, cùm nitatur majori falſæ, quæ continet cauſam, propter quam intellectus credit Deum univerſaliter omnibus præcepiſſe ejuſmodi mendacium. ergo actus per tale judicium regulatus non poteſt eſſe bonus; ut enim bonus ſit, debet conformari voluntati divinæ, ſeu regulæ objectivæ per mentem applicatæ. Atqui illi non conformatur, cùm nulla talis ſit voluntas in Deo, ſed oppoſita. Ergo ut actus ſit bonus, debet reipsâ conformari voluntati divinæ, & ipſa Dei voluntas debet cognoſci; & repræſentari voluntati, alioquin illa non poſſet ſufficienter regulare actum, illique moralitatem tribuere.

Solvuntur objectiones.

Objectio prima.

16. Objicies 1. Sufficit ſi actus ille regulatur à voluntate Dei exiſtimatâ.

Reſpondetur.

Reſp. ſi conformetur voluntati Dei tantùm exiſtimatæ, non ideò acquiret veram honeſtatem, & præmiabilitatem, ſed ſolùm apparentem. & ſanè ſi verè nulla ſit voluntas Dei cui conformetur, non erit undè ſumat veram honeſtatem, quia omnis vera honeſtas à verâ conformitate cum divinâ voluntate deſumitur; quia ſola divina voluntas vera, eſt prima & univerſalis regula, à quâ omnis honeſtas derivatur.

Secunda objectio.

17. Objicies 2. Adeſt divina voluntas, cui actus ille conformatur; Deus enim indirectè ſaltem, & per accidens vult unumquemque operari juxta dictamen ſuæ conſcientiæ,

conscientiæ, uti proximè dictum est.

Responsio. Resp. dari quidem talem voluntatem in Deo, verùm illa Dei voluntas in præsenti hypothesi non proponitur intellectui per illud judicium falsum; sed alia longè voluntas, quâ Deus putatur universaliter præcipere mendacium, quoties per illud grave damnum vitatur; adeoque etiam hîc & nunc directè præcipere mendacium, independenter ab omni reflectione supra statum objecti, prout existit in mente. At hoc est falsum; cùm nulla sit ejusmodi voluntas in Deo. ergo ut operatio à judicio erroneo orta sit honesta, debet regulari à cognitione reflectente supra statum objecti in intellectu, quæ conjuncta cum universali principio synderesis inferat conclusionem veram, per quam lex illa æterna accidentalis, & indirecta repræsentetur; siquidem hæc Dei voluntas nullam honestatem refundere potest in actum, nisi cognoscatur, & per intellectum applicetur voluntati operanti. At primum illud judicium directum & erroneum nullo modo repræsentat hanc Dei voluntatem; ergo hæc voluntas Dei nullam potest refundere honestatem in actum illum, mediante priori illo judicio erroneo; sed nec aliter potest eam refundere, quàm per judicium reflexum super statum objecti in intellectu unà cum generali illo principio synderesis, per quæ hæc Dei voluntas applicatur voluntati, refunditque veram honestatem in actum à tali judicio regulatum. Fateor ergo omnem actum procedentem ab hujusmodi judicio erroneo esse honestum, sed ejus honestas non desumitur à judicio erroneo tamquam à regulâ formali, sed à judicio alio evidenti, & vero, quod est judicium ultimum practicum essentialiter participativum dictaminis sapientiæ divinæ; propter infallibilem, & evidentem conformitatem sui cum voluntate Dei, quam repræsentat. Ergo moralitas omnis operationis honestæ, & inhonestæ desumitur à voluntate Dei verâ, & non tantùm existimatâ.

Nulla operatio est honesta, nisi reguletur à cognitione verâ.

Honestas actûs procedentis à judicio erroneo non desumitur à voluntate Dei falsò propositâ per tale judicium.

18. Objicies 3. Qui erroneè putaret peccatum esse levare festucam, utique peccaret, si festucam levaret; & tamen non violaret nisi voluntatem Dei existimatam. ergo voluntas Dei existimata sufficit ad refundendam malitiam Theologicam in actum, quem regulat; quia sic operans in suâ conscientiâ æquè contemnit Deum, ac si Deus verè prohibuisset festucam levari.

Objectio tertia.

Resp. Eo ipso quòd quis erroneè credat Deum præcepisse, ne levet festucam, statim consurgit conscientia reflexa, per quam homo clarè perspicit Deum nolle se operari contra voluntatem ipsius existimatam. Hæc Dei voluntas, seu lex verè existens, & per accidens obligans ad non violandam legem existimatam, clarè innotescit homini in dictis circumstantiis constituto, qui propterea levando festucam peccat prævaricando legem æternam verè existentem, & non tantùm existimatam.

Solutio.

Qui erroneè putat Deum aliquid prohibere, certò cognoscit legẽ veram, qua illud hîc & nunc illi prohibetur.

19. Instabis: impediat Deus cognitionem reflexam de lege per accidens obligante, & homo aliud judicium non habeat, quàm obscurum illud & erroneum, quo existimat Deum universaliter omnibus præcepisse, ne levent festucam. In hoc casu adhuc peccaret levando festucam, quia non aliter contemneret Deum ejusque legem, quàm si Deus legem talem reverâ pro omnibus tulisset. Ergo sola Dei voluntas existimata sufficit ad refundendam malitiam Theologicam in actum, quem regulat.

Replica contra dicta.

Resp. 1. cognitionem illam reflexam ex naturâ rei impediri non posse, quia dicta conscientia reflexa necessariò oritur ex illâ directâ, ut dictum est, & infrà fusiùs ostendetur. Jam ergo cùm semper adsit conscientia de lege per accidens obligante, & illa existat, dicimus malitiam ab hac lege cognitâ & contemptâ derivari, non autem à lege falsò existimatâ.

Solvitur replica.

20. Resp.

Secunda responsio.

20. *Resp.* 2. Sicut fieri non potest, quin Deus habeat illam voluntatem reflexam, ita nullâ ratione fieri potest, quin illa in dictis circumstantiis innotescat homini proximè completo ad liberè levandam festucam. Ratio est, quia dedecet Deum impedire promulgationem hujus legis æternæ, quando omnes causæ secundæ proximè dispositæ sunt ad illam manifestandam. Deo enim tribueretur, quòd homo hîc & nunc non haberet stimulum à malo deterrentem, & incitantem ad bonum, ad quem extandum homo ipse, & causæ secundæ sunt sufficienter dispositæ. Uno verbo, Deus esset author mali, si talem cognitionem impediret, quia esset causa deordinationis, pervertendo ordinem optimum absque ullâ alterius ordinis melioratione; hoc autem Deo repugnat, quia Deus cum sit author ordinis, nullam ordinis debiti inversionem causare potest, nisi per hoc alius ordo superior meliùs se habeat. Sic miracula fiunt in ordine naturæ sensibilis, ut ordo naturæ intelligibilis meliùs conservetur, & dirigatur. Atque hinc est, quod in supremo ordine nullum fieri possit miraculum, nec inversio ordinis, quia illa inversio esset simpliciter mala, cùm ad alium ordinem conservandum, aut promovendum non deserviret. Talis est ordo naturaliter debitus creaturæ rationali liberè operanti; immutare enim hunc ordinem, impediendo ea, quæ ex naturâ rei debentur tamquam naturaliter requisita ad plenam notionem divinæ voluntatis, non deservit ad meliorandum alium ordinem. ergo talis immutatio, seu inversio hujus ordinis est Deo impossibilis. Est autem omni creaturæ impossibilis. ergo simpliciter repugnat.

Deus non potest immutare ordinem supremum; nec ordinem naturaliter debitū creaturæ liberè operanti.

Solutio tertia.

21. *Resp.* 3. Esto in casu illo naturaliter saltem, & ut existimo, absolutè impossibili, impediatur omnis cognitio reflexa de Dei lege per accidens existente. In hac hypothesi dico, quòd homo ille levando festucam non peccaret; quia cùm non certò sciat Deum nolle, ut festucam levet, ita judicat hoc sibi prohibitum esse, ut tamen judicet illud fortasse non esse prohibitum. Dubitat ergo aliquo modo an lex existat; ergo operans precisè ex vi talis cognitionis directæ non certò; sed solùm fortassè contemnit Deum ejusque legem; scilicet casu quo illa existat. Supponimus enim quod homo ille non aliter reflectat ad hoc periculum, quàm sicut directè proponitur per actum illum; nam si per principia synderesis reflexa formaret conscientiam hoc modo: *non licet in dubio transgressionis operari, ego hic & nunc dubito an hæc actio sit transgressio &c. ergo hæc actio mihi non est licita*, eo ipso lex æterna per accidens existens innotesceret, quod est contra suppositum. Falsum itaque est, quòd in illo casu Deus & divina lex æquè contemneretur, sive existeret, sive non existeret. Nam etsi homo ille, quantum est ex se in utroque casu idem faceret; tamen voluntas hominis in primo casu verè non contrariaretur voluntati divinæ, cui verè contrariaretur in secundo, idque per physicam disconvenientiam, & veritatem logicam. Ergo in primo casu non peccaret, sed solùm in secundo. Ratio ulterior est, quia dictamen illud ultimum est falsum, dicit autem quòd actus violet divinam legem. Ergo in hoc fallitur, alioquin esset verum. ergo actus ille verè non esset peccatum, nec contrariaretur divinæ legi, illámve contemneret. Sicut ergo homo ille solùm apparenter, non verè contemneret Dei legem cognitam, ita solùm apparenter, non verè peccaret.

Qui falsò putat aliquid esse peccatum, non peccaret illud ponendo, si omnis cognitio vera legis prohibentis impediretur.

Alia ejusdē veritatis probatio.

22. Confirmatur. In illo casu nulla lex actu obligans violaretur. Ergo nullum peccatum committeretur. probatur antecedens. Lex reflexa per accidens existens non violaretur, quia supponitur nullo modo cognosci. Lex directa, utpotè non existens, non habet vim obligandi, quia


quod non existit nullum verum effectum potest causare. ergo nulla lex obligans violaretur. ergo nullum peccatum committeretur, quia peccatum essentialiter consistit in violatione alicujus legis obligantis.

Deus non posset talē actum punire. 23. Confirmatur 2. Deus non posset talem actionem punire. Ergo illa non esset peccatum. Consequentia tenet. Probatur antecedens. nulla lex esset lata, ex vi cujus induci posset pœna. non lex directa & per se, non reflexa & per accidens. Non directa, quia illa non existit. ergo non potest movere Deum ad pœnas infligendas. propter illius violationem. Non reflexa, quia illa non violatur, cum nullo modo cognoscatur. Ergo illa non potest movere Deum ad pœnas infligendas; nulla enim lex aliter movet ad pœnas infligendas, quàm si violetur; nec fieri potest, ut lex non violata sit motivum ad infligendas pœnas propter aliam legem verè violatam, sic lex statuens pœnam homicidio, si non violetur, non potest esse radix inductiva pœnæ statutæ contra furtum, ut patet. Ergo Deus non posset actionem talem punire, cum à nullius suæ voluntatis transgressione ad illam puniendam moveri posset. Stet ergo solam Dei voluntatem verè existentem & cognitam esse regulam objectivam moralitatis Theologicæ.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De discrimine Synderesis, & conscientiæ.

Terminorum explicatio.

Synderesis quid sit. 1. SYNDERESIS sumitur dupliciter, pro potentia scilicet, & pro habitu. Nomine synderesis sumptæ pro potentiâ, intelligo facultatem intellectivam relatè ad universalia principia bonæ & malæ operationis moralis; qualia sunt ista: *Bonum faciendum est; malum autem vitandum. Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris*, &c. quod si synderesis sumatur pro habitu, est habitus talium principiorum elicitivus. In hoc ergo synderesis differt à conscientiâ, quòd synderesis sit potentia vel habitus, prout respicit principia generalia directiva operationis moralis; conscientia verò sit actuale judicium de morali aliquo, sed singulari operabili, ut hîc & nunc ponendo vel omittendo ab ipso judicante. Et sanè in hac acceptione synderesis Authores communiter conveniunt, qui tamen inter se plurimum discrepant, quid conscientiæ nomine intelligendum veniat. Has quæstiones, quæ solùm sunt de nomine, ut vitem, opus est explicare, quid Conscientiæ nomine intelligi velim in decursu præsentis tractatûs; in cujus tamen significatione accipiendâ sequar communiorem Theologorum acceptionem, Sanctique Thomæ sententiæ in omnibus insistam.

In quo synderesis differat à conscientiâ.

2. Conscientiæ ergo nomine intelligo judicium quodvis intellectûs immediatè enunciäns aliquid de convenientiâ aut disconvenientiâ actionis alicujus, ut in particulari ab ipso judicante ponendæ vel positæ, cum primâ & universali regulâ moralitatis. Primum judicium est practicum, quia dirigit, & applicat principium universale ad actum particularem, & vocatur dictamen conscientiæ, cujus munus est dictare, ligare, ab obligatione liberare, instigare &c. prout repræsentat connexionem operationis hîc & nunc

Quid sit conscientia. Dictamen conscientiæ & ejus munus.

nunc ponendæ cum voluntate Dei obligante, consulente, vetante, permittente, &c. secundum judicium est speculativum, quia respicit operationem vel ut præteritam, vel ut positam de præsenti, cum respectu aliquo ad regulam objectivam moralitatis, & vocatur testimonium conscientiæ; cujus munus est testari, accusare, remordere, convincere, condemnare, à reatu liberare &c. prout judicat operationem positam aut non positam fuisse vel cum vel sine advertentiâ ad voluntatem Dei, quæ est prima & universalis regula moralitatis.

Testimonium conscientiæ, & ejus munus.

Conscientia alia antecedens, alia consequens.

3. Conscientia hoc modo sumpta dividitur 1. in antecedentem, & consequentem. Conscientia antecedens est dictamen practicum jam explicatum, per quod dirigimur ad operandum. Conscientia consequens est judicium speculativum de opere jam facto, vel omisso, & est ipsum testimonium conscientiæ jam proximè explicatum. Porrò tam Conscientia antecedens, quàm consequens dividitur, seu potiùs subdividitur in certam, dubiam, probabilem, scrupulosam, & laxam. Cum enim conscientia sit judicium de particulari operabili, ut ponendo vel posito ab ipso judicante, manifestum est conscientiam divisionem omnem admittere, quæ tali judicio convenire potest. Quoties ergo judicium illud excludit formidinem oppositi, dicitur conscientia certa; quando verò intellectus est anceps, & de neutrâ parte contradictionis determinatè fert sententiam, dicitur habere conscientiam dubiam. Demum quando judicium de unâ parte contradictionis elicitur, sed cum formidine oppositi, dicitur conscientia probabilis, modò motivum, cui judicium nititur, sit prudens, prout requiritur ad probabilitatem fundãdam juxta dicta; secus judicium illud erit conscientia scrupulosa, aut laxa; scrupulosa quidem, si judicium temerè conceptum levissimo fundamento nitatur, & ex inordinatâ perturbatione animi præcipitanter tendat ad ostendendum, vel arguendum defectum, & culpam in operatione: laxa verò, si temerarium judicium levi nitens fundamento, & ex passione aut culpabili ignorantiâ exortum eò tendat, ut operationem aut à culpâ, aut certè à gravitate culpæ excuset. Jam verò cùm certum sit, judicium, quo intellectus enuntiat de particulari operabili ejusque conformitate cum volũtate divinâ, subire omnes istas acceptiones, nullumque judicium conscientiæ assignari posse, quod ad aliquod istorum capitum non reducatur, constat divisionem hanc adæquatam esse, & bonam.

Conscientia certa quid sit?

Conscientia dubia quid sit?

Conscientia probabilis.

Conscientia scrupulosa.

Conscientia laxa.

Conscientia alia recta, alia erronea.

4. Rursus conscientia tam antecedens quàm consequens dividitur in rectam, & in errantem seu erroneam. Recta communiter dicitur, quando judicium, quo conscientia constituitur, verè conformatur cum suo objecto, etiam materialiter sumpto. Errans verò seu erronea, quando discrepat à suo objecto, saltem materialiter sumpto. Exemplum conscientiæ veræ seu rectæ est in homine accedente ad suam uxorem, quando illa verè est propria uxor. At exemplum conscientiæ errantis habetur in Jacobo accedente ad Liam suppositam loco Rachelis; Jacob enim putavit se ad suam Rachelem accedere; sed erravit, quia verè ad suam uxorem non accessit, sed ad aliam dolosè substitutam; & propterea operatus est ex conscientiâ erroneâ, seu errante.

Porrò in hoc tractatu non agimus de judicio speculativo, seu de testimonio conscientiæ; illud enim, cùm sit posterius operatione voluntatis, impertinens est ad eam regulandam; cùm totam ejus bonitatem aut malitiam ut jam existentem supponat. Tota ergo quæstio est de dictamine conscientiæ, potissimè verò de ultimo, quod præcedit electionem liberam, & quæritur utrùm illud sit regula formalis proxima moralitatis. Porrò hoc judicium rectè

 definitur

Cõscientiæ definitio ex Magistro, & S. Thomâ.

definitur cum Magistro, S. Thoma, aliisque *ultimum judicium practicum de aliquo hic & nunc benè vel malè faciendo.* His positis ad intelligentiam terminorum, sit

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Omnia principia synderesis ad duo capita reducuntur.

Principia synderesis alia directa, alia reflexa

5. PRima principia synderesis, alia sunt directa, alia reflexa: directa sunt, quæ enuntiant de objecto prout est in se independenter à modo existendi ipsius in mente nostrâ: talia sunt: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. unicuique jus suum tribuendum est.* &c. reflexa sunt, quæ enuntiant de objecto prout substat actibus intellectûs nostri, & ab illis, ut ita dicam, circumstantiatur. cujusmodi sunt, *nullum objectum, cujus honestas est dubia, dubio non deposito, est amplectendum. quidquid prudenter creditur esse honestum, eligi potest absque peccato:* &c. Hæc ultima principia enuntiant de objecto prout substat actibus intellectûs, & ab illis circumstantiatur; & ideò illa voco principia synderesis reflexa, quia verè reflectunt supra actus intellectûs nostri, & non enuntiant de objecto ejusque honestate secundùm se, sed prout subest actibus intellectûs, & ab illis particularem circumstantiam accipit.

Hæc distinctio valdè notãda est.

6. Distinctio hæc inter principia directa, & reflexa synderesis præ oculis habenda est, quia multa ab illâ dependent; imò per eam tota præsens quæstio, velut ex ipso abditæ veritatis fundamento eruitur & efficaciter stabilitur. quocircà aliquas horum principiorum differentias examinabo; quia illæ non parùm ad sequentia conducunt.

ASSERTIO SECUNDA.

Principium reflexum

Principium synderesis reflexum est axioma, à quo nullum dictamen conscientiæ elici potest, nisi superaddatur minor, quæ sit actus experimentalis reflexus super statum objecti in mente, prout illud ab actibus intellectûs circumstantiatur.

Synderesis pro formandâ cõscientiâ postulat minorem, quæ sit actus experimentalis reflexus super statũ objecti in mente.

7. REm exemplo demonstro. Sumatur aliquis syllogismus ex principio reflexo formatus, v. g. iste. *Non licet ad eam accedere, de qua dubito an sit mea, sed de hac hic & nunc dubito an sit mea, ergo hic & nunc non licet ad hanc accedere.* Major est axioma synderesis reflexum; minor verò est actus experimentalis reflexus supra statum honestatis objecti in mente; & si talis actus experimentalis de statu honestatis objecti in mente non superadderetur, nulla alia minor superaddi posset, ex qua quidquam pro constituendo conscientiæ dictamine inferri posset in conclusione; cùm enim axioma sit principium universale reflexum super statum objecti in mente, atque de ejus honestate sub hac tantùm consideratione enuntiet, nisi illa ipsa circumstantia iterum in minori objectivè affirmetur vel negetur de re, cujus honestas quæritur, nil penitus de illius honestate inferri potest ex vi dicti principii reflexi; quia *dubitare quod hæc sit mea*, est unicus medius terminus, quo uti possum ex vi hujus principii ad inferendum, quòd *non liceat ad eam accedere:* quare ille idem medius terminus iterum affirmandus est in minori; sed ille affirmari non potest nisi per actum reflexum experimentalem; quia per alium affirmare non possumus, an dubitemus necne. Ergo nullum dictamen pro conscientiâ constituendâ inferri potest ex hoc principio, nisi pro minore superaddatur actus experimentalis reflexus super statum objecti in mente, prout illud ab actibus intellectûs circumstantiatur. Idem omninò valet de omni

alio-

alio ejusmodi principio synderesis reflexo.

Corollarium primum. Atque hinc infertur 1. *quòd principia synderesis reflexa pro constituendâ conscientiâ essentialiter postulent actum experimentalem reflexum super statum objecti in mente sibi superaddi.* Constat ex jam dictis.

Corollarium secundum. Infertur 2. *quòd actus experimentales hujusmodi, reflexi super statum honestatis objecti in mente*, ut constituant *conscientiæ dictamen, necessariò præsupponant ejusmodi principium synderesis reflexum.*

8. Constat ex dictis, quia actus illi ita ad invicem sunt comparati, ut nec minor illa alteri majori, nec major illa nisi minori hujusmodi pro constituendâ conscientiâ adjungi possit. Et hæc est diversitas inter principia reflexa & directa, nam directa non postulant hujusmodi minores; imò non sunt capacia, ut illis adjungantur, quia petunt adjungi cum actibus repræsentantibus ea solùm, quæ directè constituunt prædicatum quod objicitur, non autem cum actibus, qui repræsentant illud ipsum prædicatum ut taliter cognitum, seu ut taliter objectivè existens. Hoc videre est in omni syllogismo, cujus conclusio est dictamen conscientiæ, quod infertur ex principio synderesis directo.

ASSERTIO TERTIA.

Principia synderesis directa per se, reflexa solùm per accidens intenduntur à naturâ. *Principia synderesis directa per se intenta sunt à naturâ; principia verò reflexa potiùs per accidens propter nostram ignorantiam.*

9. Probatur; & quidem quòd principia directa per se intendantur à naturâ, evidens est, quia illa sunt veritates æternæ, & prima principia in re morali, sine quibus vita moralis absque errore traduci non potest. Deinde sunt radicaliter perfecta morum doctrina; quia si intellectus haberet scientiam de rebus particularibus, illa sola sufficerent ad conscientiam in omnibus regulandam; nam de facto in tantum illa sola non sufficiunt, in quantum multæ veritates particulares nos latent. v. g. hæsitamus, an liceat pingere in die festo, quia nescimus utrùm pingere sit opus servile. Quòd si certò sciremus qualitatem talis operis, sufficienter dirigeremur in hoc casu per illud axioma directum & certum, *opus servile non est licitum in die festo.* At natura per se intendit hujusmodi principia pro doctrinâ morali, & conscientiâ regulandâ.

10. Quod verò principia synderesis reflexa potiùs per accidens quàm per se intendantur, indè manifestum est, quia substituta sunt ad regulandam conscientiam pro casu dubii, aut judicii directi, sed incerti circa aliquod objectum particulare. Si enim nunquam esset dubium de quovis objecto, sed semper certò scirem qualitatem cujusvis objecti, nulla esset minor apta ad constituendum syllogismum cum illa majori, *nullum objectum, cujus honestas est dubia, dubio non deposito, est amplectendum*, per quem formari posset conscientia; ut patet ex dictis. Ergo tale principium pro formandâ conscientiâ ad nihil deserviret. in tantum ergo deservit, in quantum propter ignorantiam multæ veritates sunt dubiæ. ergo tale principium indirectè tantum & per accidens, atque in defectum scientiæ ad supplendam nostram ignorantiam à naturâ institutum est. Idem proportionaliter valet de omni alio principio reflexo, quia nullo eorum indigeremus, si de rebus particularibus earumque qualitate certam scientiam haberemus, siquidem conscientia certificari posset de cujuscumque objecti honestate, ac inhonestate per principia synderesis directa, absque reflexione ad statum objecti in mente. Principia synderesis reflexa ideo instituta sunt, ut suppleant defectum scientiæ in hominum plurima ignorante.

ASSERTIO QUARTA.

Conscientia plerumque, sed *Conscientia plerumque est particularis conclusio deducta ex aliquo principio universali.*

nō semper est conclusio ex præmissis deducta.

universali synderesis. Non tamen est semper conclusio ex præmissis deducta.

Probatur prima pars asserti.

11. Prima pars probatur. Communiter non habemus immediatam certitudinem de honestate aut turpitudine objectorum, quæ in particulari se offerunt ut amplectenda, vel omittenda. Ergo dictamen conscientiæ de honestate vel turpitudine objecti particularis plerumque est actus mediatus, seu conclusio à præmissis deducta. Consequentia tenet. Antecedens probatur inductione. Inprimis ad hanc classem evidenter reducuntur non solùm ea omnia, de quibus Theologi disputant, utrùm liceant necne; sed etiam alia innumera, quæ propter varietatem circumstantiarum diversa sunt à casibus, quos Authores ponunt, & determinari non possunt, nisi post seriam consultationem. Deindè vix assignari potest casus ullus in rebus etiam obviis & facillimis, in quibus honestas operabilis particularis immediatè innotescat: nam rusticus, exempli causâ, proprio equo utens, non habet notitiam immediatam, quòd sibi liceat uti hoc equo; cùm enim hic equus indifferens sit, ut ad alium spectet, non potest esse per se notum quod ipse potiùs, quàm alius eo uti possit pro libito. Ergo vel ipsi rustici in rebus facillimis communiter non formant conscientiam per actum immediatum. Ergo plerumque conscientia non formatur nisi per conclusionem seu actum mediatum. At illa conclusio necessariò dependet ab aliquo principio synderesis, quia, cùm enuntiet de turpitudine & honestate objecti, necesse est, ut aliqua ex præmissis immediatis de eadem turpitudine & honestate enuntiet. At omne principium enuntians de honestate & turpitudine objecti, est principium spectans ad synderesim ergo conscientia plerumque est conclusio deducta ab aliquo principio synderesis. Et sanè hoc adeò verum est, ut plures contendant conscientiam numquam formari nisi per conclusionem de operabili particulari à præmissis illatam; sed contra hos.

12. Probatur secunda pars. Inprimis Angeli saltem circa naturalia non discurrunt, cùm tamen circa multa operabilia intra ordinem naturæ contenta forment judicium conscientiæ. Unde arguo à pari ad homines, de quibus tantùm sermo est in præsenti quæstione. Ideò enim conscientia Angelorum est actus immediatus, quia honestas & turpitudo particularis operabilis immediatè innotescit Angelis absque discursu. Sed aliquando turpitudo & honestas particularis operabilis immediatè innotescit nobis absque discursu. ergo tunc conscientia formatur absque discursu. Probatur minor. Turpitudo blasphemiæ contra Deum immediatè nota est ex terminis; quod verum est sive sermo sit de blasphemiâ ut sic, sive de blasphemiâ particulari ut hic & nunc ponendâ: ergo conscientia dictans hic & nunc non esse blasphemandum constitui potest absque actu illato. Immò frustrà adhiberetur consultatio ad concludendam veritatem ex terminis evidentem. Idem valet de omni operabili particulari, cujus honestas aut turpitudo immediatè innotescit ex ipsâ terminorum notione. Sunt autem plura ejusmodi operabilia, quale est hoc. *Non est malum hic & nunc barbam fricare*, quod lumine naturæ notum est absque ullo discursu, ergo aliquando conscientia est actus immediatus, & non semper conclusio ex præmissis illata.

Secunda pars probatur.

Objectiuncula.

13. Dices omnia hæc deduci possunt ex præmissis per formam legitimam; formari enim potest hic syllogismus. *peccatum non est licitum, sed blasphemare hic & nunc est peccatum, ergo blasphemare hic & nunc non est licitum.* ergo conscientia semper est conclusio.

Resp.

Solutio.

Resp. esto formari possit talis syllogismus, ille tamen frustrà formaretur, quia consequens ex ipsis terminis est æquè notum, ac ulla ex præmissis. ergo potest omitti, & non formari, nec aliud contendo. jam verò etsi syllogismus ille formetur, erit quidem syllogismus vocaliter propter materialem dispositionem terminorum juxta formam logicam, non tamen erit syllogismus formalis, nec vim syllogisticam exercebit, quia cum consequens ex terminis evidenter notum sit, intellectus determinatus est ad non inferendum illud tamquam ignotum ex notis. Et sanè congruum fuit intellectum sic determinari, ne exponeretur necessitati operandi frustrà, cui subjaceret, si posset talem conclusionem elicere; quoties enim præmissæ essent evidentes necessitaretur ad conclusionem, idest ad actum frustratorium, utpotè necessariò præsupponentem alium actum immediatum, per quem objectum illatum esset perfectissimè possessum. Ergo frustrà superadderetur notio mediata, per quam scilicet intellectus non se haberet melius in ordine ad tale objectum, quàm si non superadderetur. Hoc argumentum evincit intentum in immediatis, quia nullum objectum immediatum potest inferri ex præmissis, alioquin dum video Petrum præsentem, possem existimare illum adesse propter has præmissas. *Quotiescumque sol splendet, & oculus est benè dispositus, atque medium limpidum absque ullâ alteratione constitutum, objectum quod apparet præsens, verè adest: sed hic & nunc hæc dantur, & Petrus apparet præsens: ergo verè adest.* At consequens est falsum, cùm sit contra naturam, quòd unquam credamus propter discursum mediatum, quæ evidenter & immediatè subsunt oculis. Hoc multò magis valet in iis, quæ ex terminis sunt metaphysicè evidentia. Ergo aliquando conscientia non potest esse actus illatus. Ergo à fortiori aliquãdo potest nõ esse actus illatus.

Quæ immediatè innotescũt, inferri non possunt ex præmissis.

ASSERTIO QUINTA.

Propositum sit exactè declarare quid sit, conscientiam seu rationem, per quam conscientia constituitur, esse rectam.

Conscientia, seu ratio recta, quid?

14. Rem difficilem aggredior. S. Thomas *1.2. quæst. 19. art. 3.* expressè docet, bonitatem & rectitudinem voluntatis dependere & quasi derivari à rectitudine rationis, seu conscientiæ dictantis & proponentis bonitatem objecti. Sed quia ex Aristotele *6. Eth. cap. 2.* habetur, quòd bonitas intellectûs practici sit verum conforme appetitui recto, ait enim, *activæ mentis veritas est, quæ appetitui recto consentanea sit*, ideò circulus videtur committi in explicatione rationis seu conscientiæ rectæ. Nam appetitus rectus est, qui conformatur rationi rectæ, & recta ratio, quæ conformatur appetitui recto. Multi desudant, ut vitiosum circulum evitent; sed plurimi eorum frustrà, ut videre est apud Vasquez *disp. 58. cap. 1.* & Arriagam *disp. 22. sec. 1.* Et sanè si contendas rectitudinem voluntatis desumi à ratione rectâ, & rectitudinem rationis à conformitate objecti, contra est, quia sæpè voluntas est recta, quando ratio errat, ut patet in Jacob accedente ad Liam loco Rachelis dolosè suppositam. ergo vel rectitudo voluntatis non dependet à ratione rectâ; vel rectitudo rationis aliunde desumitur, quàm à conformitate cum objecto. At certum est, voluntatem rectam dependere à ratione rectâ; omnis enim ratio regulans voluntatem bonam meritò vocatur & est recta. Ergo rectitudo rationis aliunde desumi debet quàm à conformitate cum objecto. Sed si non sumatur à conformitate cum objecto, sumi debet à conformitate cum appetitu recto, quia nil aliud est, relatè ad quod ratio seu conscientia dici possit recta. Ecce circulus vitiosus in explicatione rationis rectæ.

Circulus vitiosus cõmittitur in explicatione rationis, seu cõscientiæ rectæ.

15. S. Tho-

S. Thomas explicat quid sit rationem esse rectam.

15. S. Thomas loco citato *ad 2.* dicit Philosophum *6. Ethic. cap. 2.* loqui de intellectu practico, quatenùs consultat & ratiocinatur de iis, quæ sunt ad finem; & in his fatetur rectitudinem rationis consistere in conformitate ad appetitum finis debiti; quod ita tamen intelligi debet, ut appetitus finis debiti semper præsupponat rectam apprehensionem de fine, idest rationem rectam. Hac ratione benè explicatur, quid sit ratio recta de mediis, quia est illa, quæ conformatur recto appetitui finis debiti; sed quia appetitus finis debiti non est rectus, nisi reguletur per rationem rectam de fine, ideò nisi explicetur unde ratio proponens finem sit recta, omnia manent inexplicata. Quod si ratio proponens finem sumat rectitudinem à conformitate cum objecto, omnia ritè salvantur absque circulo, modò ritè explicetur quomodo id eveniat; sed si exponatur per relationem ad appetitum rectum finis debiti, per circulum vitiosum reditur ad idem per idem.

Vasquez & Arriaga impugnant S. Thomam.

16. Propter hanc difficultatem Vasquez & Arriaga, locis citatis, aliam viam ineunt; dicunt enim omne judicium invincibile de honestate objecti esse rationem seu conscientiam rectam; quia manifestum est, quòd fundet voluntatem rectam, seu honestam; ut videre est in Jacob accedente ad Liam loco Rachelis. Ecce rectitudo voluntatis explicatur in ordine ad rationem rectam, quæ iterum non explicatur per appetitum rectum, aut per conformitatem cum objecto, sed per invincibilitatem judicii ipsius.

Sed frustrà, quia idem penitus dicunt.

17. Hæc explicatio speciosa quidem est, sed omninò insufficiens nisi aliquid aliud addatur, quia penitus coincidit cum illâ S. Thomæ, secus quàm ipsius Authores contendunt. Rem sic declaro. Peto enim quid sit judicium aliquod esse invincibile? Dices est illud non temerè, sed post diligens examen fuisse elicitum ex motivo probabili, quia tale judicium non potest verti vitio, seu imputari culpæ, licèt fortassè à vero aberret. Rectè quidem, nam non solùm omne judicium evidens de honestate objecti, utpotè quod non est in potestate voluntatis, est invincibile, sed etiam omne judicium inevidēs, non temerè, sed post maturam & debitam considerationem elicitum, est invincibile, quia culpæ verti non potest. Sed cur quæso culpæ verti non potest? certè non aliâ de causâ, quàm quia voluntas imperans tale judicium (nullum enim judicium obscurum elicitur nisi dependenter ab imperio voluntatis) est honesta & recta. Ecce judicium est inculpabile seu invincibile, quia conformatur appetitui recto antecedenti, à quo imperatur. Sed appetitus ille rectus est, & ad peccatum imputari non potest, quia dirigitur à ratione rectâ. Peto jam unde sumatur rectitudo hujus rationis? non ab invincibilitate, alioquin idem explicaretur per idem; ergo vel à conformitate cum objecto, & non explicatur quomodo hoc fiat; vel à conformitate cum appetitu recto, & circulus non vitatur. Immò hi Authores cùm explicent rectitudinem rationis per conformitatem cum appetitu recto antecedente, coincidunt cùm explicatione S. Thomæ juxta glossam, quam adhibet ad locum citatum Philosophi, quia primus inter omnes appetitus rectos, est appetitus finis debiti. Ergo tandem hæc explicatio ad illam S. Thomæ devolvitur.

Sententiam cū Gersone & Cordubâ.

18. Ego igitur paulò aliter discurrendum sentio. Distinguo enim dictamen rationis ultimum à non ultimo; & dictamen per principia directa synderesis illatum, à dictamine illato per principia synderesis reflexa. Hoc posito: Dico cum Gersone *3. parte, tract. de vita spirituali. Sect. 4. Coroll. 3.* Corduba *lib. 1. Quæst. 23. §. Respondeo tripliciter*, aliisque: dico, inquam, omnem appetitum rectum regulari à ratione rectâ,

quæ

Appetitus rectus est, qui regulatur à ratione rectâ; si ratio autè recta est, quæ suo objecto cóformis est.

quæ ideò recta est, quia verè conformatur suo objecto. Ratio est: quia nulla unquam volitio honesta elicitur, quæ non reguletur ab ultimo conscientiæ dictamine certo & evidenti: uti fusiùs ex professo ostendam quæst. sequenti. Quod facit æquivocationem est, quòd hoc ultimum conscientiæ dictamen sæpè inferatur ex principiis conscientiæ reflexis, cùm dictamen non ultimum, quòd ex principiis directis infertur, sæpè sit inevidens, & errori obnoxium. Atque ita dum solùm reflectimus ad cognitiones directas fallibiles & sæpè falsas, mirum auditu est, quòd conscientia formata fuerit per judicium certum & evidens. Verùm, si ad principia synderesis reflexa oculos conjiciamus, statim cessat dubium, v. g. Jacob accedens ad Liam poterat dupliciter conscientiam formare, primò per syllogismum directum hoc modo: *ad meam uxorem accedere mihi licitum est: hac mulier est mea uxor: Ergo ad hanc mihi accedere licitum est.* In hoc syllogismo etsi consequens videatur esse verum, tamen consequentia falsa est, non solùm quatenus reflectit supra præmissas, illasque aliquo modo iterum affirmat, sed etiam quia prædicatum conclusionis, *licitum est* debet esse idem cum prædicato majoris per eosdem terminos *licitum est* expresso. Sed prædicatum illud in majori solùm exprimit Dei voluntatem, quæ universaliter permittit unicuique ad suam accedere, solúmque supponit pro hac Dei voluntate. Unde ut syllogismus sit bonus, inferri debet in conclusione, quod illa voluntas Dei permittat mihi ad hanc accedere: At hoc est falsum. ergo non solùm consequentia, sed etiam consequens in sensu legitimo sumptum falsum est, etsi idem consequens grammaticaliter sumptum verum esse possit, si termini vel sumantur in totâ latitudine, quam possunt habere, vel ad aliquam determinatam significationem, cujus sunt capaces, restringantur. Ecce conscientia hoc modo constituta non est recta propter conformitatem cum objecto.

Dato appetitu recto, statim ostèdi potest syllogysmus cujus conclusio sit vera, & à qua appetitus ille regulari poterat.

19. Secundò Jacob poterat formare conscientiam per syllogismum reflexum hoc modo. *Ad eam, quæ prudenter præsumitur propria uxor, licet accedere: At hæc prudenter præsumitur propria uxor, ergo ad eam licet accedere.* In hoc syllogismo tam consequentia, quàm consequens in propriâ terminorum suppositione verum est, adeóque Jacob ad Liam accedens honestè operatus est, quia actio ipsius directa fuit per rationem rectam, seu veram.

Cõsciĕtia erronea solum remotè fundat appetitũ rectũ, & ideò numquam est ratio recta.

20. Verùm quia constat apud omnes conscientiam erroneam sæpè excusare à peccato, & ad honestam operationem sufficere, ideò videtur quòd ipsa conscientia erronea aliquando sit recta, etsi non conformetur cum suo objecto; quomodo enim reddit operationem honestam, nisi sit ratio recta? At nondum explicatum est, unde hæc rectitudo habeatur, & quomodo possit explicari absque circulo vitioso. Ut huic etiam quæstioni satisfiat, dici potest primò, conscientiam erroneam nunquam esse rectam; quia illa se solâ non sufficit ad operationem honestam; dicitur tamen aliquando excusare à peccato, & honestam operationem fundare, quatenus, quando est invincibilis, fundat judicium reflexum, certum & evidens de honestate operationis, uti videre est in exemplo Jacob accedentis ad Liam jam expenso. Hæc responsio veram continet doctrinam, quia conscientia erronea numquam excusat, nisi quando fundat discursum, per quem honestas operationis certò innotescit, uti efficaciter constabit ex quæst. sequenti: verùm quia nonnulli putant conscientiam erroneam excusare à peccato, etsi reflexus ille discursus non formetur, & consequenter asserunt conscientiam erroneam aliquando esse rationem rectam, ideò videndum est, quomodo

hoc absque circulo vitioso explicari possit.

Explicatur in quo sensu côscientia invincibiliter erronea dici possit ratio recta.

21. Ego igitur, ut illis etiam satisfaciam, breviter sic rem expono. Omne judicium practicum de honestate particularis opo-rabilis est ratio recta, modò judicium illud sit vel certum & evidens, vel directè causetur, & inducatur in animum per imperium voluntatis honestæ à judicio certo regulatæ. Probatur, quia omne judicium affirmans honestatem, si sit certum & evidens, est rectum per conformitatem cum objecto affirmato; si verò sit judicium opinativum, illud dependet ab imperio voluntatis, cùm intellectus nisi per imperium voluntatis non possit illud elicere; jam ergo si voluntas, à quâ judicium hoc imperatur, reguletur per judicium certum & evidens (sistendum est autem tandem aliquando in judicio certo & evidenti, quia omne imperium voluntatis, maximè verò honestum, præsupponit judicium evidens de honestate sui objecti; nam omne judicium inevidens præsupponit aliud imperium. Ergo tandem sistendum est in judicio evidenti, quod ab imperio voluntatis non dependet; hoc autem est judicium, de quo loquor, & à quo series continuata effectuum derivatur usque ad elicitionem secundi judicii inevidentis) si, inquam tale judicium sit evidens, honestas secundi judicii, prout est objectum subjacens imperio voluntatis, tamquam certa proponitur; adeóque certum est voluntatem imperantem illud esse honestam. Dico igitur tale judicium esse rationem rectam, etsi logicè aberret à vero; denominatur autem ratio recta non à conformitate cum objecto, sed à conformitate cum causâ tam proxima, quàm remotâ; à proximâ quidem, idest ab appetitu recto prævio; quia homo per illum honestè operatur. Meritò ergo vocatur ratio moraliter recta, cùm ejus existentia laudi non vitio verti possit. Porrò rectitudo talis appetitûs seu imperii desumitur à ratione evidente, quæ recta est per conformitatem cum suo objecto. Ecce autem incidimus in causam remotam ejusdem judicii, scilicet in assensum evidenter enuntiantem de honestate judicii imperati, quod proinde denominatur ratio recta à rectitudine assensûs evidentis, à quo primitùs derivatur. nec mirum; cùm enim causa, à quâ primitùs procedit, sit ratio recta, suoque objecto conformis, eademque ratio enuntiet de hoc secundo judicio, quòd sit prudenter elicibile, utique hoc judicium imperatum prudens est, adeóque sufficit ad fundandam honestatem electionis, quam regulat, quia inculpabiliter, imò laudabiliter constituit conscientiam practicè enuntiantem de honestate objecti, quod proponit. Ergo judicium illud imperatum est ratio moraliter recta; nam aliud per rationem moraliter rectam non intelligimus, quàm conscientiæ dictamen sufficiens ad fundandam honestatem operationis, quam regulat.

Omnis volitio honesta resolvitur in judicium evidês de honestate sui objecti.

Conciliantur omnes, qui contraria videbâtur sentire.

22. Porrò hæc explicatio rationis rectæ coincidit tam cum illâ S. Thomæ, quàm cum illâ Vasquez & Arriagæ. Inprimis coincidit cum illâ S. Thomæ, quia primum judicium evidens proponit finem, aut aliquid conducens ad finem per rationem certam, & rectam rectitudine desumptâ à conformitate cum objecto, ideóque regulat appetitum rectum, seu debitè tendentem in verum finem; hic autem apppetitus, utpotè intrinsecè rectus, suâ vi inducit judicium illud secundum, de quo est sermo, atque denominat illud rectum, quia reverâ rectum est, eò quòd conforme sit appetitui recto prævio, à quo derivatur. Atque ita omnis circulus vitatur; quia rectitudo judicii inevidentis desumitur à rectitudine appetitûs, cujus rectitudo desumitur à rectitudine logicâ judicii evidentis. Itaque idem per idem non explicatur. Deinde coincidit cum explicatione Vasquez & Arriagæ;

Arriagæ, quia clarè ostēdit, unde contingat judicium post serium & diligens examen esse invincibile, quia scilicet præcedere debet judicium aliud certum & evidens enuntians de illo, quod sit prudēs, & prudēter elici possit. Ecce Authores illi reverà non discrepant ab invicem, nec à nobis, qui hac in re veritatem deteximus, omnesque in unam sententiam ac mentem conspirare ostendimus.

Corollarium magni momenti.

Judicium certò probabile enūtians de honestate operis est ratio recta, & constituit conscientiam rectam.

13. Atque hinc efficaciter infertur, *omne judicium certò probabile, quod post diligens examen elicitur, esse rationem rectam, ac proinde sufficere ad constituendam conscientiam, seu rationem rectam.* Infertur, inquam, efficaciter, quia certò constat tale judicium esse irreprehensibile, & invincibile, ac prudenter imperari posse; nemo enim, qui post diligens examen, motivo probabili innixus elicit aliquod judicium, ideò potest reprehendi tamquam temerarius aut insipiens, quòd tale judicium elicuerit. Immò eâdem de causâ clarè constat primum judicium, à quo imperium judicii probabilis descendit, esse evidens; atque adeò conforme suo objecto; nam omnis voluntas honesta tandem resolvi debet in judicium evidens, ut ostensum est. Ecce omne judicium probabile, post diligens examen elicitum, est ratio recta, tum quia est conforme prævio appetitui recto finis; rectitudo enim rationis practicæ consultantis de mediis, juxta Aristotelem & S. Thomam, consistit in hac conformitate; tum quia conformatur judicio evidenter enuntianti de honestate sui objecti, idest de prudentiâ & honestate voluntatis imperantis judicium probabile, quatenus illud post diligens examen, scitur esse certò rationabile, quia prudenti nititur fundamento. Ergo omne judicium certò probabile & inculpabiliter elicitum est prudens, & consequenter constituit conscientiam, & rationem moraliter rectam.

QUÆSTIO DECIMA-TERTIA.

Vtrùm ultimum conscientiæ dictamen sit certum & evidens.

Status Quæstionis.

Quæstio non est de quovis, sed de ultimo conscientiæ dictamine.

1. Omnis quidem conclusio particularis, & absolutè enuntians de honestate vel inhonestate cujusvis actionis singularis hic & nunc exercendæ, est conscientia, seu dictamen conscientiæ; sed non omnis talis conclusio est ultimum conscientiæ dictamen, sed illa sola, inter quam & operationem liberam ab ipsâ directam alia non intercedit. Jam quòd potissimè hic quæritur est, utrum hoc ultimum conscientiæ dictamen necessariò sit evidens, aut saltem ad minimum moraliter certum.

Communis fermè omnium sententia est, quòd, ut operatio aliqua licitè ponatur, intellectus debeat saltem moraliter esse certus, operationem illam non esse peccaminosam. Pro hac sententiâ apud Honoratum Fabri *de opinione probabili* citantur Authores sequentes. Summistæ omnes, *verbo opinio, vel dubium.* S. Tho. *quodlib. 8. art. 13.* Gerson. *Tract. 36.* Joan. Major *in 4. quæst. 1.* Henricus *quodlib. 4.* Navarrus — Referuntur opiniones Authorū.

cap. 1. si quis autem. n. 63. disp. 7. de pœnit. Suarez *de Censuris disp. 40. sec. 5. n. 14. & sec. 6. n. 6.* item de actibus humanis *disp. 12. sec. 4.* Benedictus Justin. *in Paraphrasi cap. 13. ad Rom.* Lessius *lib. 2. cap. 1. dub. 1.* Merenda *de conscientia* Layman *lib. 1. tract. 1. cap. 5.* Lugo *de fide disp. 5. sec. 1. n. 16.* Carena *par. 2. titulo. 5. D. 4.* Arriaga. *tomo. 3. disp. 23. sec. 2. subsec. 2.* Salas *1. 2. tract. 8. sec. 4.* Mercorus *parte 1. art. 10. & 11.* Cajet. *2. 2. quæst. 47. art. 3.* Azor *1. p. lib. 3. cap. 25. quæst. 2.* Medina *1. 2. quæst. 19. art. 5. & 6.* Alensis. *in summa p. 1. q. 16.* Sanchez *in summa lib. 6. cap. 3. & lib. primo. cap. 6.* Sayrus *in clavi regia lib. 1. cap. 13. n. 13.* Filliutius *tomo 2. tractatu. 21.* Lao *de consc. disp. 1. dubio. 6.* Ferrerius *lib. de probabilitate cap. 7.* Mastrius *in 2. sentent. disp. 5. controv. 1. p. 2. n. 18.* Bardi *disp. 4. cap. 10.* quibus addi possunt Card. Pallavicinus *de actibus humanis* & ipse Honoratus Fabri, aliique quamplurimi, nam omnes, quòd sciam, ita sentiunt, præter Sanchez in summâ *lib. 1. cap. 9. n. 10.* & Vasquez. *1. 2. disp. 62. cap. 5. n. 22.* qui secùs sentire videntur; cæterum Sanchez, ne sibi contradicat, censendus est loqui non de ultimo conscientiæ dictamine, sed de alio aliquo prævio; sicut & Vasquez eodem modo intelligendus est, alioqui sibi contradiceret, ut optimè advertit & probat Arriaga *tomo 3. disp. 23. sec. 2. subsec. 2.* Ego sanè hos duos hac ratione interpretandos esse omninò judico, quia ut mox ostendam, verum est, quod uterque dicit; sed illud non contradicit communi sententiæ, quam hîc explicandam assumo.

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Dantur in intellectu consciêtiæ dictamina circa idem operabile sibi subordinata.

Dari possunt simul in intellectu duo dictamina conscientiæ sibi subordinata circa eandem actionem particularem, quorum unum ex naturâ rei sit ultimum, & præsupponat alterum tamquam capax, ut sit non ultimum.

2. Probatur, & pono casum in conscientiâ dictante quòd pingere in die festo sit licitum. Inprimis hoc dictamen ex principio syndereseis directo & minori directâ probabili inferri potest: nam formo hunc syllogismum. *omne opus non servile mihi licitum est in die festo: sed pingere est opus non servile: ergo pingere mihi licitum est in die festo.* Major est certa; minor est probabilis, & ritè deducitur ex præmissis probabilibus; cõclusio etiam ipsa est probabilis; & continet probabile dictamen, quo conscientia asserit sibi hîc & nunc in die festo licitum esse pingere. Verùm hoc conscientiæ dictamen admittit aliud essentialiter isto posterius, quod ex principio synderesis reflexo deducitur. nam simul formo hunc syllogismum. *Omne opus, quod omnibus inspectis prudenter judico esse licitum, mihi licitum est in die festo. Sed ego hîc & nunc, omnibus inspectis, prudenter judico, quod pingere sit opus licitum. ergo pingere mihi licitum est in die festo.* Ecce hoc secundum dictamen ex naturâ rei præsupponit primum, ex quo tamquam ex præmissâ objectivâ per actum experimentalem reflexum cognitâ, simulque ex principio synderesis reflexo deducitur. Porrò certum est, hoc secundum dictamen coexistere posse priori in eodem intellectu. ergo dari possunt simul in intellectu duo dictamina conscientiæ sibi subordinata circa eandem actionem particularem, quorum unum ex naturâ rei sit ultimũ, nempè illud quod ex principio reflexo deducitur, & præsupponat alterum tanquàm capax ut sit non ultimum, nempè illud quod ex principiis directis infertur, cui alterum superaddi potest. Quòd autem illud, quod ex principiis reflexis deducitur ex naturâ rei sit ultimum, inde patet, quòd aliud nullum sit,

Dictamina conscientiæ ex principiis synderesis reflexis deducta ex natura rei sunt ultima.

ſit, quod illi ſuperaddi poſſit, quia jam intellectus omnia principia conſuluit tam directa quàm reflexa, ex quibus moralitas hujus actionis hîc & nunc deduci poteſt. ergo ſecundùm illud dictamen tale eſt, ut ex naturâ rei aliud illi ſuperaddi non poſſit. ergo ex naturâ rei eſt ultimum. Præterea ſi quod aliud ſuperaddi poteſt, illud vel eſſet directum vel reflexum; non directum: quia omni directo aliud reflexum connaturaliter ſuperaddi poteſt. ergo ſemper ſiſtendum eſt in aliquo reflexo, tamquam in ultimo. Non reflexum; quia in hujuſmodi principiis ad actionem moralem præviis proceſſus in infinitum eſt inutilis & ex naturâ rei impoſſibilis; ergo ſiſtendum eſt in aliquo dictamine ex principio reflexo legitimè deducto, tamquam in ultimo, cui aliud ex naturâ rei hîc & nunc circa hanc actionem ſuperaddi non poteſt.

ASSERTIO SECUNDA.

Ultimum conſciētiæ dictamē ex principiis directis deductum ſæpè non eſt certū & evidens.

Ultimum conſcientiæ dictamen, quod ex principiis directis deducitur, & in ſuo genere ſufficit ad fundandam actionem honeſtam, ſæpè nec certum eſt, nec evidens.

3. PRobatur; quærit pictor, an licitum ſit pingere in die feſto: ſi per principia ſynderesis directa procedat, veniro tandem poterit ad concluſionem probabilem, per quam, non obſtantibus rationibus in contrarium, exiſtimet exercitium pingendi ſibi licitum eſſe etiam in die feſto, quia probabile eſt quod pingere non ſit opus ſervile; ſed nunquam perveniet ad concluſionem particularem, ſeu ad dictamen conſcientiæ evidens aut certum, quo certò aut evidenter ſciat id ſibi licere, quia nulla habemus principia, per quæ hoc certò aut evidenter ſciri poſſit, alioquin nullum de hac re apud Authores dubium ſupereſſet. Jam verò quòd hoc judicium ſeu dictamen ſit ultimum eorum, quæ ex principiis directis deduci poſſunt, probatur, quia per illa circa hoc peculiare objectum ulteriùs progredi non poſſimus. Similiter quod dictamen hoc in ſuo genere ſufficiat ad fundandam actionem honeſtam probatur, quia poteſt eſſe longè probabilius oppoſito, in quo caſu certum eſt apud omnes, uno aut altero dempto, quòd in ſuo genere ſufficiat ad fundandam actionem honeſtam, alioquin numquam liceret ſequi ullam opinionem, quæ directè non eſſet certa & evidens, quod evidenter falſum eſt, ut infra fuſiùs demonſtrabitur. ergo ultimum conſcientiæ dictamen ex principiis tantum directis deductum, quod in ſuo genere ſufficit ad fundandam actionem honeſtam, ſæpè nec certum eſt, nec evidens.

Prima ratio à particulari deſūpta.

4. Probatur 2. In totâ latitudine opinionum probabilium nulla eſt, cujus veritas ex principiis directis certò aut evidenter probari poſſit: at ex totâ latitudine opinionum probabilium multæ concluſiones directæ ultimò inferibiles, formari poſſunt, quæ in ſuo genere ſufficiunt ad fundandam actionem honeſtam. ergo multa dictamina conſcientiæ ultima ex principiis directis deducta in ſuo genere ſufficiunt ad fundandam actionem honeſtam, quæ tamen nec certa ſunt, nec evidentia. Secūda ratio univerſalis.

5. Rem claram exemplis clariorem facio. Certum eſt, Jacob accedentem ad Liam, quam putabat eſſe Rachelem, non peccaſſe. Hinc ita arguo. Judicium, quo Jacob credebat ſe ad Rachelem licitè accedere, nec certum erat, nec evidens: quia nil falſum, aut certum eſſe poteſt aut evidens: eſto illud judicium fuerit probabiliſſimum, & ex eorum numero, quæ rarò ſunt falſa, quæque propterea apud homines aliquem quaſi moralis certitudinis gradum cenſentur habere. At illud judicium, aut certè concluſio directè ex illo deducta erat ultimum dictamen conſcientiæ, quod ex directis principiis hîc & Confirmatur exēplo Jacob.

 nunc

nunc à Jacob deduci poterat. ergo dictamen ultimum inevidens & incertum ex principiis directis deductum sufficit in suo genere ad fundandam actionem honestam.

Confirmatur secundò exemplo rudiũ.

6. Idipsum adhuc clariùs & universaliùs videre est in rudibus, qui à viro docto instructi, tutâ conscientiâ & honestè faciunt, quod ille ipsis licere dicit. In his casibus rudes non possunt habere dictamen conscientiæ directum certum aut evidens, quòd objectum illud sit ipsis licitum, quia nullo alio motivo ducuntur ad hoc credendum, quàm ex fallibili authoritate Parochi, qui propter ignorantiam decipi, & propter malitiam decipere potest. Certum autem est, quòd hoc judicium fallibile in genere dictaminis directi sufficiat ad fundandam actionem honestam, quia in illo genere aliud melius aut certius hîc & nunc haberi non potest. Similiter certum est, quòd quoties rudes tale judicium formant, in genere dictaminis directi sufficienter disponantur ad licitè operandum, quod solùm hîc & nunc contendo.

Vasquez & Sanchez à communi sententiâ non discrepant.

7. Atque hinc interpretor Vasquez & Sanchez supra citatos; dum enim aiunt, ad operationem honestam non requiri dictamen conscientiæ certum, loquuntur de dictamine, quod ex directis principiis synderesis deduci potest, non autem de dictamine, quod ex principiis etiam reflexis potest & solet inferri; de hoc enim manifestum est, quod semper esse possit & soleat esse certissimum, ut infra evincam. nunc solum adverto, eos à communi sententiâ reipsâ non discedere, sed illis in locis ad dictamina conscientiæ ex principiis directis inferibilia tantùm respexisse, & de illis quod verum est pronuntiasse.

ASSERTIO TERTIA.

Omnis operatio honesta fundatur in dictamine conscientiæ saltem moraliter certo.

Vt operatio libera sit honesta, procedere debet à persuasione intellectus, quâ operans saltem moraliter certus est, actionem illam non esse peccaminosam.

Probatio.

8. Probatur. omnis operans, ut excusetur à peccato, debet operari ex bonâ fide; *quia quod non est ex fide, peccatum est ad Rom. 14. 23.* At nulla fides potest esse bona, seu sufficiens ad excludendum peccatum, quæ non reddat operantem saltem moraliter certum se non peccare; nam si fides seu persuasio quod non peccet, sit solùm probabilis, illa & reipsâ falsificari, & homo non solùm reipsâ, sed etiam quantum ipsemet judicat, peccare poterit; quia quævis opinio probabilis de objecto contingenti non solùm reipsâ, sed etiam quantum ad existimationem operantis falsificari potest. At impossibile est hominem bonâ fide, seu fide ad honestatem actionis sufficiente operantem, aut reipsâ aut secundùm propriam persuasionem peccare posse. ergo fieri nequit, ut bona fides, seu persuasio sufficiens ad honestatem actionis sit judicium tantum probabile. ergo necesse est, ut saltem moraliter certò judicet actionem, quam regulat, non esse peccaminosam.

Confirmatio.

9. Confirmatur: persuasio tantùm formidolosa de honestate operationis non est bona fides, nec persuasio sufficiens ad excludendum peccatum, quia cohæret cum formidine peccati; & consequenter peccati timorem non expellit. Vacillare autem, & hoc modo formidare non est habere bonam fidem, sed fidem vacillantem, & formidinem offensæ. At omne judicium non certum est formidolosum. ergo nullum judicium non certum sufficit ad bonam fidem, seu ad constituendum conscientiæ dictamen, sufficiens ad honestatem in actionem refundendam. Et sanè qui operatur cum formidine dicit hoc modo: *ego quidem hîc & nunc operor honestè, sed fortassis tamen fallor, &*

violo

violo legem Dei. At, qui ita dispositus operatur, dici nequit ex bonâ fide operari, quia formidat, ne actio sua sit peccaminosa. Præterea in conscientiâ suâ advertit se hîc & nunc peccandi periculo semetipsum exponere, quòd sine dubio non licet, loquendo de periculo actionis, quam hîc & nunc exercet, quia nemo cum hac dispositione potest accingere se ad operandum, quin aliquo modo contemnat legem divinam, suamque beatitudinem negligat, quod sine peccato fieri non potest.

Solvuntur objectiones.

Objectio prima.

10. Objicies 1. Judicium de absolutâ honestate operationis, etsi formidolosum, excludit conscientiam peccati de illo objecto. nam conscientia peccati est judicium absolutè dictans opus illud esse peccatum, quod cohærere non potest cum dictamine affirmante, illud non esse peccatum, sed licitum: ergo judicium illud quoad objectum materiale non potest esse falsum, quia eo ipso quòd existat, excludit conscientiam peccati, id est destruit actum primum ad peccandum necessariò requisitum. ergo non potest cohærere cum peccato. Nec obstat, quod judicium illud sit solum opinativum, nam non omnis opinio falsificari potest quoad objectum materiale. Sic qui opinativè affirmat Deum existere, aut quamcumque aliam veritatem æternam, circa illam, id est circa objectum materiale, errare non potest, quia objectum essentialiter est, quale affirmatur esse per illum actum. ergo falsificabilitas necessaria opinionis solùm respicit motivum formale, circa quod error aliquis potest intervenire. Idem dicendum in casu præsenti; nam etsi non sit veritas æterna me non peccare si pingam die festo, est tamen veritas necessaria me non peccare pingendo, quando absolutè probabiliter credo, me pingendo non peccare; quia hoc judicium in genere causæ formalis tollit conscientiam peccati; seu judicium ex parte actûs primi necessarium ad peccandum. ergo judicium illud, etsi sit solum probabile, non potest falsificari quantum ad objectum materiale, sed solum quantum ad formale. ergo 1. ratio, utpotè unicè fundata in falsificabilitate opinionis quoad objectum materiale, nil penitus valet.

Plures actus opinativi sunt essentialiter veri, quoad objectũ materiale quod affirmant.

Resp. Judicium illud formidolosum, de honestate pingendi in his circumstantiis, excludit quidem mortuo modo, & in genere causæ formalis conscientiam directam, de inhonestate pingendi in eisdem circumstantiis, ut benè convincit objectio; non tamen excludit conscientiam reflexam de inhonestate ejusdem quoad alias circumstantias; nominatim quoad hanc circumstantiam, quòd operer cum formidine oppositi; quia judicium illud admittit hanc formidinem, adeóque dat locum judicio reflexo, quo advertam me operari cum hac formidine; judicium autem hoc reflexum considerat opus in ordine ad aliquam circumstantiam, in ordine ad quam opus illud non consideratur à judicio directo, nempè in ordine ad formidinem. At eo ipso quòd sit hoc judicium, datur locus conscientiæ peccati, sed reflexæ, quia operans secundùm propriam conscientiam advertit se seipsum periculo exponere propter illam formidinem peccati, quam videt reflexè. ergo nisi aliud judicium adjungatur illi dictamini directo, non excluditur omnis conscientia peccati, adeóque non habetur bona fides; sed adest judicium opinativum falsificabile etiam quoad objectum materiale, cujusmodi est omne judicium opinativum, quod non versatur circa veritates æternas. Solutio.

11. Deinde respondeo argumentum allatum intelligi debere non solùm realiter & materialiter, ut ita dicam, sed formaliter & vitaliter,

vitaliter, ita ut bona fides, ad honestatem necessaria, vitaliter & intellectualiter excludat omnem formidinem peccati; quomodo enim bona fides esse potest de honestate operationis, quæ juxta persuasionem operantis fortassè connectitur cum magnâ Dei displicentiâ? Itaque non solùm realiter, sed vitaliter etiam verum esse debet, quod dispositio rationalis, & bona fides ad honestatem requisita, nullatenus conjungi possit cum peccato, aut peccati periculo tam reali quàm apparente. ex quo iterum sequitur, nullum judicium probabile se solo sufficere ad honestatem in actionem refundendam.

Secunda objectio. 12. Objicies 2. si per impossibile omne judicium reflexum repugnaret, tunc dictamen illud excluderet conscientiam peccati: ergo tunc sufficeret ad honestatem. ergo etiam nunc sufficit, casu quo mens non eliciat ullos actus reflexos.

Solutio. Resp. Dictamen illud in eo casu excluderet quidem materialiter, & in genere causæ formalis absolutam peccati conscientiam, non tamen vitaliter excluderet omnem peccandi formidinem, adeóque neque tunc sufficeret ad bonam fidem neque ad honestatem in operationem inducendam. Sed quidquid sit de illo, & hujusmodi casibus impossibilibus, ex quibus plerumque utraque pars contradictionis legitimè infertur; dico tale judicium directum fundare actum reflexum, quo tandem certificemur, quod opus illud hîc & nunc sit, aut non sit peccatum; illudque necessarium esse, ut habeatur bona aut mala fides; neque enim fieri potest, ut quis honestè operetur ex vi primi illius judicii directi nisi ex principio aliquo synderesis reflexo, pro priori ad opus, de honestate suæ electionis certificetur. nam ideò natura principia hæc reflexa menti indidit, ut ubi certitudo directa deest, per illa statim ad reflexam recurramus, antequam ad opus prodire possimus. Deus enim ita res disposuit, ut nulla creatura rationalis sit proximè potens ad rationabiliter operandum, nisi certa sit de qualitate suæ operationis. Hoc enim maximè congruum est tum divinæ providentiæ, tum naturali creaturæ rationalis exigentiæ, quæ ex propriæ conscientiæ testimonio salvari debet, aut damnari, quod naturaliter fieri non posset, si dum operatur certus non esset de suæ operationis qualitate, nam post modum per memoriam de eâ reflexè certificari ampliùs non posset; quia memoria, reflectens super actus priores, aliter, aut aliud de illorum objecto non indicat, nisi quod per ipsos directè indicabatur; ergo si in actibus directis nulla erat certitudo de actionis honestate, nulla de eadem esse poterit ex vi cognitionis memorativæ reflexæ; quod est planè inconveniens. — Si ultimū conscientiæ dictamen non esset certū, operans ex testimonio propriæ conscientiæ nec salvari, nec condēnari posset.

Objectio tertia. 13. Objicies 3. Dictamen illud formidolosum necessariò fundat aliud reflexum, quo operans certificatur de qualitate suæ operationis. ergo ex se est incompossibile cum omni conscientiâ peccati de illâ actione, quam repræsentat, alioquin non necessariò fundaret dictamen reflexum certum, ut patet. ergo se solo sufficit ad fidem bonam, & conscientiæ tranquillitatem; seu quod idem est, ad fundandam operationem honestam.

Solutio. Resp. dictamen illud directum sufficere quidem ad fundandum dictamen reflexum certum, illudque actu inducere, antequam bona fides, & judicium sufficiens ad honestatem habeatur in mente; cæterùm utrum ita fundet necessariò tale judicium, ut illud nec per incogitantiam, nec per negligentiam, aut imprudentiam, aut ullâ aliâ ratione de potentiâ absolutâ omitti possit, parum refert. Do alterutrum pro libito, verùm intentum adversariorum ex neutro capite sequitur. Quamvis enim judicium illud certum necessariò sequatur, non

tamen

tamen ideò primum illud judicium formidolosum est formaliter bona fides ad honestatem sufficiens, sed solùm remota radix illius, quatenus prout reflexè cognoscitur, & conjungitur cum determinato aliquo principio syndereſis reflexo, necessariò infert dictamen illud certum: Rursus dictamen illud formidolosum etsi per se ac ratione sui esset essentialiter incompossibile cum conscientiâ peccati in genere causæ formalis, aut etiam effectivæ; nihilominus cum vitaliter non certò excludat peccatum, non sufficeret ad bonam fidem conscientiæ constituendam, ad hoc enim non solùm materialiter & realiter, sed objectivè vitaliter, & intelligibiliter peccatum & peccandi periculum excludi debet. Verùm adversarii irrationabiliter supponunt tale judicium essentialiter excludere conscientiam peccati, nam si principia syndereſis reflexa, à quibus judicium certum oritur, à Deo impedirentur, intellectus posset reflexè comparare actionem præcisè cum formidine peccati, & sic reflexè dubitare, an esset peccatum illud ponere propter peccati periculum. Itaque cum talia principia à Deo impediri possint, dictum judicium formidolosum nec formaliter, nec essentialiter excludit omnem peccati conscientiam, sed solùm unà cum principio aliquo syndereſis reflexo connaturaliter illius exclusionem exigit per dictamen reflexum certum, per quod omnis peccati conscientia & realiter & vitaliter certò excluditur.

Explicatur quomodo conscientia formidolosa de honestate operationis excludat conscientiam peccati.

14. Objicies 4. ponatur casus in quo duo præcepta incompossibilia simul urgere credantur: ut si mater, habens ruri filium ægerrimum, judicaret se obligari ad eum non deserendum, quia neminem habet, quem ad ægro succurrendum substituere possit, ex altera parte propter diem festum etiam crederet se debere filium solum relinquere, ut sacro intersit. In hoc casu si mater ægroti nesciat, quodnam horum præceptorum urgeat præ alio, rectè operatur quodcumque eorum eligat; alioquin necessariò peccaret: at dubitat de honestate ejus, quod eligit. ergo absque certitudine honestatis operatio esse potest honesta.

Objectio quarta.

Resp. hanc conscientiæ perplexitatem pro uno eodemque instanti esse impossibilem. nam si judicat se debere domi manere, non potest simul judicare se debere domo exire; quia ista sunt judicia virtualiter sibi contradictoria, cùm alterum judicet illud necessariò omittendum esse, quod alterum necessariò ponendum esse affirmat. Rursus si haberet utrumque hoc judicium, eo ipso judicaret se hîc & nunc obligari ad impossibile; quod omni intellectui ex terminis apparet evidenter impossibile. Itaque si quodvis instans assignetur, in illo erit unum tantum judicium, & juxta illud per principia syndereſis reflexa elicietur conscientia certa & infallibilis. v. g. si mater illa judicet, se hîc & nunc, non obstante præcepto Ecclesiæ, debere succurrere filio, statim consurgit conscientia reflexa certa, quod ad illud teneatur. Sed si in sequenti tempore directè judicet oppositum, opposita conscientia reflexa consurget, adeóque perplexitas non erit pro eodem, sed solùm pro diversis instantibus. Quòd si fæmina illa nullum judicium directum eliciat, eò quòd rationes hinc inde retrahant, neque potior pro una, quàm pro alterâ parte ratio appareat, in eo instanti etiam nulla erit perplexitas, quia ex principio reflexo certum erit se in neutro eligendo peccare, quia ex incompossibilibus disjunctivè necessariis, pro quorum neutro potior ratio apparet, quodvis eorum eligi potest pro libito, quia alioquin teneremur ad impossibile.

Solvitur.

Conscientia pro uno eodémque instanti nunquam est perplexa.

Rursus in eodem casu certitudo reflexa haberetur ex hoc principio certo: *ex duobus malis æqualibus disjunctivè necessariis nil refert*

refert quodcumque eorum eligatur : hæc autem & alia ejusmodi principia reflexa omnibus semper obvia sunt. Idemque dicendum est casu quo quis poneretur simul habere illa duo judicia, per quæ directa perplexitas constituitur, nam adhuc certitudo reflexa haberetur, per quam conscientia constitueretur, & sine quâ, quodcumque ageret, esset peccatum, quia vel esset contra conscientiam, vel ex bona fide non procederet.

Objectio quinta. 15. Objicies 5. Medicus licitè medicinam præscribit, licet non sit certus illam fore proficuam. Ergo certitudo non requiritur ad operandum honestè. Idem valet quando aliquis, ut alios Deo convertat, se aliquali peccandi periculo exponit, ille enim sæpè licitè operatur, etsi non sit certus se peccaturum non esse.

Solutio. Resp. medicum non esse certum de effectu suæ medicinæ, sed certissimum esse de honestate præscribendi talem medicinam, quia certò operatur juxta regulas suæ artis, cujus usus est reipublicæ utilis & necessarius. Similiter ille operarius evangelicus certus est se hîc & nunc non peccare per voluntatem, quâ prudenter se alicui periculo exponit, ut in re gravissimâ aliis prosit, esto certus non sit se per alios actus non peccaturum. Primum requiritur, non secundum. Immò debet firmissimè sperare, se per Dei auxilium non peccaturum ex hac occasione pro Dei causâ prudenter susceptâ, quamvis timeat se, si Dei protectio absit, ex propriâ fragilitate peccaturum. Universaliter enim loquendo sæpè licitum est se alicui peccandi periculo exponere, dummodo periculum non sit proximum, & ratio ad se illi exponendum sit urgens, & rationabilis.

Objectio sexta. 16. Objicies 6. illud Jobi 9. 28. *verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti* : Ecce Job rectè operatus est, & tamen timebat, ne rectè operaretur.

Solutio. Resp. Jobum non dubitasse de suis operibus bonis, quando illa ponebat, sed postea timuisse ne ea cum admixtione multarum imperfectionum, & culparum venialium perfecisset; nam ut ait Gregorius *sæpè sordet in conspectu superni judicis, quod in conspectu fulget operantis.*

ASSERTIO QUARTA.

Formido, quod objectum, ad quod electio hîc & nunc terminatur, sit à Deo universaliter prohibitum, sæpè non impedit honestatem electionis ad illud terminatæ, neque absolutam conscientiæ certitudinem tollit.

Formido de absolutâ rei inhonestate secundum se, non tollit certitudinem conscientiæ de honestate electionis hîc & nunc ad illam terminatæ.

17. Explicatur, simulque evincitur assertio. Religiosus aliquis doctus formidet, an habeat causam sufficientem edendi carnes in quadragesimâ. Huic ex probabili persuasione talis necessitatis superior ordinet, ut sanitatis causâ jejunium solvat. In hoc casu certum est quod subditus ille licitè possit solvere jejunium, quia obediendum est, etsi superior fortassè erret in suo judicio, & jubeat, quæ revera non expediunt, dummodo id subdito non constet. Jam subditus certus est suam operationem esse honestam, licet formidet an objectum ad quod terminatur sit universaliter omnibus à Deo prohibitum. Neque enim superioris imperium, utpotè fallibile, & errori obnoxium, sufficit ad hanc formidinem à mente subditi docti excludendum. Imò primum illud principium synderesis reflexum, à quo ultimum conscientiæ dictamen certificans illum de honestate suæ operationis deducitur, supponit illam formidinem directam manere; nam minor experimentalis reflexa sic subsumit, *sed superior meus hîc & nunc ordinat, ut solvam jejunium; mihique non constat quod erret* : unde infert, *ergo hîc & nunc licitè solvo jejunium*.

jejunium, etsi superior meus fortassè erraverit in suo judicio. Exemplum hoc apertè convincit veritatem assertionis positæ, quare non est opus alia in ejus confirmationem hoc loco afferre.

18. Ratio à priori est, quia etsi dubitet de honestate objecti illius secundùm se, non tamen dubitat amplius de ejus honestate in his circumstantiis, quatenus hîc & nunc superioris sui ordinationi substat; quia evidens est, quod sic illi liceat, etsi reipsâ quoad absolutam objecti honestatem adsit formido, ne fortè res aliter se habeat, quàm superior judicat.

Multi po-siti, mirantur, cùm audiunt conscientiam debere esse certam, ut sit secura. Hujus ratio.

Atque hinc ratio redditur illius communis admirationis, quâ homines rudes afficiuntur, quando audiunt conscientiam, ut recta sit, debere excludere omnem formidinem, mirantur enim quomodo id fieri possit, cum de pluribus rebus, quas facimus, formidemus, & nescimus an sint verè honestæ, nec tamen ideò nos peccare existimamus in electione talium objectorum. Sed si dicta intelligantur, cessat admiratio, nam aliud est formidare de absolutâ honestate objecti secundum se, aliud formidare de honestate electionis ad illud hîc & nunc in istis circumstantiis terminatæ. Jam conscientia in hoc casu ultimatè constituitur per judicium certum de honestate hujus electionis essentialiter alligatæ huic objecto hisce circumstantiis affecto, hæc autem certitudo non tollit priorem formidinem, ut per se patet.

Corollarium 1.

Dubium speculativum de aliquo objecto, cohæret cum certitudine practicâ de eodem.

19. Atque hinc infertur primò, quòd Authores optimè doceant, dubium speculativum rectè cohærere cum certitudine practicâ de eodem objecto materialiter sumpto; nam in casu allato religiosus ille habet dubium, an solutio jejunii, non obstantibus motivis, quibus superior movetur ad judicandum, quòd licitè solvatur, sit adhuc omnibus à Deo universaliter prohibita. Sed hoc dubium speculativum est, quia per illud non dirigitur ad solvendum jejunium, eò quòd illud dubium nil dictet de solvendo jejunio in sensu composito ordinationis à superiore injunctæ, id est, nil dictat de aliquibus circumstantiis, à quibus electio subditi hîc & nunc essentialiter pendet. At cum hoc dubio simul cohæret certitudo practica de honestate electionis hîc & nunc ponendæ, quia illa cognitio certa respicit idem objectum materialiter sumptum in ordine ad circumstantias diversas ab iis, sub quibus intellectus dubitat de absolutâ rei honestate. Atque hinc patet quòd certitudo practica, & dubium speculativum revera nunquam sint de eodem omninò objecto; manifestè enim implicat intellectum simul hærere dubium de veritate aliqua, & esse certum de eadem. Solùm ergo formidat de objecto relatè ad aliquas circumstantias, & de eodem relatè ad alias non formidat.

Corollarium 2.

Certitudo practica repugnat cū dubio, an objectum possit ulla ratione honestari.

20. Immò quod plus est, hinc infertur, dubium speculativum de inhonestate objecti conjungibile cum certitudine practicâ de ejusdem honestate, non ita tendere in objectum, ut relatè ad omnes omninò circumstantias de ejus honestate dubitet: quia in sensu composito cum tali dubio dari nequit certitudo, quod in his determinatis circumstantiis illud sit licitum, alioquin intellectus simul esset certus de contradictorio particulari, & dubius de universali opposito; quod est impossibile, quia idem est ac esse certum quod Petrus non currat, & dubitare an ullus hominum, inter quos est Petrus, currat, quod fieri nequit, quia certitudo & dubium de eodem objecto adæquatè sumpto procederent. Itaque dubium speculativum, conjungibile cum certitudine practicâ de honestate ejusdem objecti, nunquam comparat illud objectum cum omnibus omninò, sed solùm cum aliquibus circumstantiis: imò nunquam comparat illud cum omnibus illis, relatè ad

quas certitudo practica illud considerat. Cæterùm dubium illud speculativum procedit de inhonestate absolutâ objecti, non quidem omnimodè secundùm se, sed solùm de illius absolutâ inhonestate in his determinatis circumstantiis: non omnimodè secundùm se, quia tale dubium est idem, ac dubium de intrinsecâ objecti inhonestate; & in hoc resolvitur, ut homo dubitet, an objectum illud secundùm se, præscindendo ab omni circumstantiâ, sit essentialiter adeò malum, ut à nullâ circumstantiâ honestari possit, sed necessariò & essentialiter petat à Deo prohiberi pro omni circumstantiâ. At cum dubio ejusmodi nulla certitudo de honestate talis objecti componi potest, ergo dubium illud solùm est de inhonestate objecti relatè ad has determinatas circumstantias. Taliter autem dubitare idem est, ac dubitare, quòd si veritas rei certò sciretur, haberetur certitudo de illius inhonestate, seu quod in idem recidit, idem est ac dubitare, utrum Deus universaliter omnibus prohibuerit objectum illud in illis determinatis circumstantiis, cui dubio superaddi potest certitudo, quod objectum illud in aliis circumstantiis non sit prohibitum.

Natura dubii speculativi explicatur.

Corollarium 3.

Dubium speculativum & certitudo practica numquam sunt de eodem objecto adæquatè sumpto.

21. Infertur 3. Caietanum, Navarrum, Suarez, Sanchez, aliosque communiter rectè docuisse, in eodem intellectu simul componi posse dubium speculativum & certitudinem practicam de eodem objecto. Verùm omnes isti non aliter intelligendi sunt, quàm quòd doceant aliud esse judicium de uno eodemque objecto relatè ad has, aliud ralatè ad illas circumstantias. Seu quod in idem recidit, aliud esse judicium de objecto materiali, aliud de electione illius essentialiter alligatâ hisce circumstantiis; primum enim potest conjungi cum formidine de objecti inhonestate, quo non obstante, secundum judicium de honestate hujus electionis ad idem objectum terminatæ potest esse certum. Hoc tamen ita accipiendum est, ut aliud sit judicium de objecto relatè ad aliquas circumstantias, aliud judicium de electione ejusdem terminatâ ad idem objectum in aliis circumstantiis. Nam si objectum semper consideretur in ordine ad easdem circumstantias, impossibile est, aliud esse judicium de qualitate objecti prout illis substat, & aliud de objecti sic circumstantiati electione; quia qualitas electionis essentialiter dependet à qualitate objecti, & prout objectum variatur, variatur etiam ejusdem electio, ut patet: hæc dicta sunto, ut quæ communiter docentur, & vera sunt, rectè intelligantur in sensu legitimo & unico, in quo verificari possunt.

Certitudo de honestate electionis, est certitudo, quod objectum in hisce circumstantiis non sit vetitum.

Corollarium.

22. *Quoties non possumus per principia, & discursus directos pervenire ad certitudinem de honestate operationis; toties ut honestè operemur, necesse est ad principia synderesis reflexa respicere; illaq; uti ad dictamen conscientiæ certum eliciendum.*

Quãdo desunt principia directa, ex quibus pervenire possumus ad certitudinem de honestate, recurrendũ est ad reflexa, ut conscientia ad honestatẽ sufficiens constituatur.

Sequitur ex dictis: quia sine dictamine certo nemo honestè operatur: atqui hic & nunc nullum dictamen certum haberi potest per principia, & discursus directos, ut supponitur, ergo opus est ad reflexa synderesis principia recurrere, ut dictamen certum habeatur, cum aliunde haberi non possit.

Porrò quænam sint principia synderesis reflexa, ex quibus judicium certum de honestate operationis elicitur, & quomodo ex judicio directo formidoloso reflexè cognito formari possit syllogismus, cujus conclusio sit dictamen conscientiæ certum, infra suis locis explicabitur. Sed ad alia pergendum est: sit ergo

ASSER-

ASSERTIO QUINTA.

Vltimum cõſcientiæ dictamen ad honeſtatem ſufficiẽs ſemper eſt evidens.

Vltimum conſcientiæ dictamen, regulans operationem honeſtam, non ſolùm debet eſſe moraliter certum, ſed etiam eſt, & eſſe debet evidens: ſeu quod idem eſt, ut operatio ſit honeſta, ejus honeſtas debet eſſe evidenter cognita per ultimum conſcientiæ dictamen, à quo voluntas dirigitur.

Probatio prima.

23. PRobatur 1. quia omne judicium certum, distinctum à fide Theologicâ, eſt judicium evidens. Atqui ultimum conſcientiæ dictamen debet eſſe certum, ſeu debet certificare operantem de honeſtate operationis ponendæ, uti dictum eſt. ergo omne ultimum conſcientiæ dictamen, ſi diſtinguatur à fide, evidenter oſtendit honeſtatem operationis ponendæ. At ultimum conſcientiæ dictamen etiam in materiâ fidei, & in electionibus per fidem regulatis eſt evidens; quia loquendo de ipsâ fide, obligatio & honeſtas credendi eſt evidens, non minùs quàm ipſa myſterii credibilitas; imò ipſa evidens credibilitas myſterii, quæ juxta omnes ad fidem requiritur, eſt indiviſim evidens honeſtas fidei eliciendæ; non enim credibilitas illa eſt credibilitas quæcumque; ſed prudens, & ad fidem adhibendam obligans, eò quòd credendi obligatio evidenter urgeat. Atque hinc etiam ſequitur omne illud eſſe evidenter honeſtum, quod fides Theologica proponit ut licitum; quamvis enim ipſa fides, docens Trinitatem Perſonarum in unitate Deitatis licitè adorari, ſit actus inevidens, tamen poſitâ fide, ſtatim oritur judicium reflexum, quo evidenter conſtat, Trinitatem honeſtè adorari. Voluntas autem nunquam ultimò regulatur niſi per evidentiam, ubi ea obvia eſt, & haberi poteſt. At evidentia honeſtatis actionum per fidem directarum obvia eſt, & facillimè haberi poteſt, ſaltem per principia ſynderefis reflexa. ergo voluntas, ut certò reguletur circa honeſtatem ſuæ operationis, ſemper poſtulat ultimum conſcientiæ dictamen evidens. Confirmatur: obligatio operandi in rebus fidei eſt evidens. ergo & honeſtas operationis evidens eſt. Omnis enim evidens obligatio operandi evidenter infert, aut potiùs ſupponit honeſtatem operationis.

24. Probatur 2. Conſcientia regulans actionem honeſtam, eſt dictamen infallibiliter repræſentans veram honeſtatem in electione ponendâ, quia niſi infallibiliter repræſentaret veram honeſtatem, fieri poſſet, ut operans ſecundùm conſcientiam ſufficienter conſtitutam ad regulandam operationem honeſtam, reipsâ non operaretur honeſtè. At ſequela eſt evidenter abſurda. ergo &c. Jam verò hic actus certus eſt & infallibilis non tantùm ex objecto, quod affirmat, ſed etiam ex modo tendendi; quia mentem certificat de honeſtate electionis, alioquin componi poſſet cum formidine oppoſiti, adeóque non ſufficeret ad dirigendam operationem rectam, quia operari cum formidine divinæ offenſæ eſt ſe exponere periculo peccandi, & eſſentialiter turpe ac contemptivum Dei & propriæ fælicitatis. At omnis actus certus & infallibilis tam ex parte ſubjecti, quàm ex parte objecti, ſi fidem demas, eſt evidens. ergo & ultimum conſcientiæ dictamen evidens eſt, & quidem metaphyſicè evidens; cùm enim objectum illius non ſit quid à ſenſibus dependens, dictamen illud eſt perſuaſio de objecto immediatè ſolùm intelligibili. At de tali objecto aliam evidentiam, quam metaphyſicam habere non poſſumus. Ergo eſt metaphyſicè evidens.

Probatio ſecunda.

Cõſcientia regulans actionem honeſtam, infallibiliter repræſentat veram honeſtatem.

25. Probatur 3. explicando prædicatum, quod hoc ultimum conſcientiæ dictamen evidenter affirmat, ſimúlque exponendo præmiſſas metaphyſicè evidentes, ex quibus conſurgit.

Probatio tertia.

consurgit. Et inprimis prædicatum illud in rebus directè evidenter honestis facilè invenitur, nam ipsa honestas secundùm se evidenter cognita, prout exprimitur per directum conscientiæ dictamen, est prædicatum, quod quæritur; quod quia multiplex est pro multiplicitate objectorum, ideò sub aliâ ratione universaliter explicari non potest, quàm *quòd sit evidens, electionem illius objecti Deo placere, aut ad finem ultimum disponere. &c.* quia sub his tantùm conceptibus, aut aliis convertibilibus cum eisdem, omnia objecta Theologicè honesta, quà talia, conveniunt. At major difficultas est in assignando hoc prædicato, quando honestas objecti per cognitiones directas solùm obscurè cognoscitur: verùm in his casibus idem prædicatum evidenter innotescit per cognitiones reflexas; nam intellectus considerat objectum prout substans omnibus cognitionibus directis præhabitis, dumque illud ita considerat, mox consurgit conscientia discernens bonitatem vel malitiam illius objecti. cùm enim conscientia sit judicium infallibile, ut dictum est, & cognoscat bonitatem v. g. in aliquo objecto, cumque bonitas quam conscientia cognoscit, per ipsam conscientiam non constituatur, sed antecedat & causet conscientiam, sequitur quòd objectum illud prout substans omnibus cognitionibus, quas operans hîc & nunc habet ante ultimum judicium reflexum, sit objectum infallibiliter fundans honestam ejusdem electionem. Hoc autem objectum continet hoc prædicatum, *electio hujus objecti stantibus omnibus cognitionibus, quas hîc & nunc habeo de ejus honestate, est honesta, & placet Deo, & fini ultimo acquirendo conducit.* Hoc prædicatum infallibiliter convenit tali electioni; alioquin ultimum conscientiæ dictamen posset esse falsum, & consequenter operans secundùm conscientiam sufficienter benè constitutam posset non benè operari; quòd est impossibile. Rursus hoc prædicatum infallibiliter cognoscitur. ergo etiam evidenter; quia infallibilis certitudo cognitionis naturalis non distinguitur ab evidentiâ.

Detegitur prædicatū, quod ultimum conscientiæ dictamē evidenter affirmat, quoties quis honestè operatur.

26. Rem hanc exemplo declaro. Sit rusticus dubius, an liceat hîc & nunc propter periculum pluviæ fœnum in die festo colligere; qui cùm per se casum resolvere non possit, adeat Parochum, & ab eo quærat resolutionem: ponamus jam Parochum affirmare quod liceat, etsi verè periculum tantum non sit, ut reipsâ excuset homines à cultu diei festi. In hoc casu rusticus credit Parocho; sed solùm obscurè, quia motivum credendi Parocho multis de causis est fallibile. Nihilominùs certum est, quòd stante hac rustici dispositione, illi liceat in festo laborare, quia stantibus omnibus illis actibus, qui præcedunt ultimum conscientiæ dictamen, Deus sibi complacet in electione laboris; & rusticus hoc ipsum evidenter cognoscit; format enim nunc syllogismum. *Licet mihi quodcumque objectum, quod post diligens examen prudenter judico non esse prohibitum, sed à Deo permissum: Sed ego post diligens examen, an velle hic & nunc colligere fœnum sit prohibitum, vel à Deo permissum, propter testimonium Parochi prudenter credo illud non esse prohibitum, sed à Deo permissum: ergo hic & nunc mihi licitum est velle fœnum colligere.* Conclusio hæc est ultimum dictamen conscientiæ metaphysicè certum & evidens; quia oritur à præmissis metaphysicè certis & evidentibus: Minor enim evidens est, quia est cognitio experimentalis supra omnes cognitiones directas pro priori habitas, seu cognitio experimentalis objecti in conscientiâ per discursum directum constitutâ; talis autem cognitio immediata est, & metaphysicè evidens, quia est de objecto tantùm intelligibili, & mediante operatione sensuum non elicitur. Major etiam est primum principium syn-

Veritas hæc declaratur exemplo.

Omnibus licitum est, quod post diligens examen prudenter creditur esse à Deo permissum

derefis reflexum unicuique ex terminis notissimum.

Confirmatur veritas dicti axiomatis à posteriori. 27. Jam verò etsi evidentia hujus principii ex ipsis terminis sit nota, cùm ejusdem veritas à nemine terminos penetrantes negari possit, nihilominùs ejusdem evidentiam reflexè demonstrare juvat, ut sic omne dubium, etiam reflexum, de ejus veritate tollatur. Imprimis ergo ejus veritas à posteriori demonstratur, quia omnibus à naturâ insitum est existimare, se nullâ vituperatione dignos esse propter illam operationem, quam post diligentem veritatis inquisitionem prudenti fundamento ducti judicabant esse à Deo permissam.

Atque hinc est; quòd omnes naturæ ductu hanc afferant tamquam legitimam excusationem, quoties operationis malæ arguuntur. Quæ excusatio imprudens esset, si ad turpitudinem arcendam non sufficeret. Et sanè quis est, qui ullatenus posset talem rusticum accusare peccati? Nonne statim omnibus notum est, eum nullius peccati reum esse posse propter talem volitionem? unde hoc? non aliunde certè, quàm ex evidentiâ dicti principii.

Ejusdem principii veritas à priori demonstratur. 28. Ejusdem principii evidentia à priori etiam demonstratur. Inprimis enim non habemus aliam regulam proximam actionum nostrarum, quàm prudens lumen intellectûs nostri. Quocirca cùm post diligentiam seriò impensam prudenter judicamus aliquid licere, eo ipso quòd hoc ipsum reflexè cognoscamus, evidenter videmus illud suæ regulæ à Deo institutæ conformari; adeóque & honestum esse. Sic enim & ipsi experimur nos ipsos, & videmus alios absque illâ hæsitatione existimare se in oculis Dei tutos esse, si conscii sint, se positâ diligentiâ debitâ ad rei veritatem investigandam aliud tandem non fecisse, quàm quod prudenti judicio licitum credebant. Hoc autem est principium illud reflexum esse manifestum; quia hoc ipsum est objectum in se certum & evidens. At hoc solùm à dicto principio asseritur. ergo illud principium est evidens.

Prima ratio.

Operatio à tali principio directa est conformis regulæ à Deo institutæ.

Secunda ratio. Secundò nil evidentius, quàm operationem judicio prudenti conformem prudentem esse. ergo nil clarius illius principii veritate.

Tertia ratio. Tertiò sic arguo: hoc principium reflexum præsupponit diligentiam præcessisse, hominesque per illam ad judicium directum prudens de honestate objecti pervenisse; id est, supponit conscientiam directè constitutam, quâ homo ille prudenter, non temerè credit objectum illud esse licitum. Jam qui hoc reflexè videt, non potest non videre, rem juxta conscientiam prudentem positam, & ex vi illius cognitæ imperatam evidenter arguere, volitionem illam à tali lumine objectivo regulatam esse honestam.

Quarta ratio. Quartò. Qui negat veritatem hujus principii, debet asserere, universaliter nobis illicitum esse operari, quamdiu non habemus directam certitudinem de honestate objecti; quia qui concedit directum judicium, etsi incertum, sufficere, id non asserit de quovis judicio etiam imprudenti, & temerario. ergo solum illud asserit de judicio prudenti. At nemo audet asserere nunquam licitum esse operari, quando honestas operationis per principia directa non evadit certa, quia oppositum certum est, & ut tale ab omnibus admittitur. Ergo nemo negare potest veritatem hujus principii; hoc autem arguit illud esse evidens.

Quinta ratio. Quintò: Arguo ab opposito. Si hoc principium posset esse falsum, posset esse peccatum velle facere, quod ideò facio, quia prudenter judico non esse peccatum. At hoc est evidenter impossibile; alioquin possem simul judicare aliquid mihi omninò cavendum esse, & illud idem nullo modo cavendum esse. Imprimis supponitur quod directè judicem prudenter rem nullo modo cavendam esse, quia est licita; simulque supponitur quòd reflexè sciam hoc ipsum. Deinde

Deinde si stante toto hoc possibile esset peccare, deberem posse habere conscientiam peccati, & affirmare illud idem, utpotè peccatum, omninò cavendum esse; judicarem enim me obligari ad abstinendum ab eo, à quo absolutè, & prudenter judico me non debere abstinere; quod est simul habere judicia contradictoria. Neque obstat secundum judicium reflexum respicere ipsam cognitionem directam, tamquam circumstantiam novam, quam ipsa cognitio directa non attingebat, adeóque judicia illa non videri contradictoria; quia quod judicatur licitum secundùm has circumstantias, reputari potest illicitum secundùm alias; non, inquam, obstat, quia quod in uno instanti absolutè creditur licitum secundùm omnes circumstantias directè cognitas, non potest in eo instanti judicari illicitum ulla ratione secundùm ullas alias, alioquin propter motiva diversa, simul judicare possem Petrum esse & non esse album, quod est evidenter impossibile: præterea in casu nostro est peculiaris ratio; quia nulla circumstantia de novo accedit, nisi quòd mens directè conceperit judicium prudens de absolutâ rei honestate. Hæc autem circumstantia multum facit ad honestandam objecti illius electionem, ab illâ ut reflexè cognitâ dependentem. ergo cùm res propter priores circumstantias absolutè judicata fuerit honesta, impossibile est, quòd propter accessum istius novæ circumstantiæ, per quam tituli arguentes honestatem augentur, simul judicetur inhonesta.

Quòd omnibus inspectis prudenter creditur honestum, non potest ne reflexè quidem reputari inhonestum.

29. Confirmatur: hæc circumstantia nova non est nisi approbatio motivorum ostendentium rei honestatem, & reprobatio motivorum inhonestatem indicantium; At talis motivorum approbatio adjuncta aliis motivis jam approbatis non potest evadere motivum idem reprobandi, sed est novum approbationis motivum. ergo impossibile est, quòd quis sic constitutus possit judicare rem illam esse illicitam. At omnia contraria sequerentur, si principium allatum posset esse falsum. ergo evidens est, illud non posse esse falsum. Ergo principium illud est evidenter verum, idque metaphysicâ evidentiâ. Ergo dictamen, quod erat conclusio in syllogismo allato, est metaphysicè evidens.

Confirmatur eadem veritas.

30. Probatur iterum assertio hoc modo. Natura ita constituit creaturam rationalem, ut illa ex propriæ conscientiæ testimonio salvari aut condemnari debeat. At hoc fieri non posset, nisi ultimum conscientiæ dictamen certum esset & evidens. Fingamus enim quod, si fieri possit, sit formidolosum; in hoc casu nemo per conscientiæ testimonium posset seipsum judicare, nam testimonium conscientiæ non est nisi memoria volitionis à talibus judiciis regulatæ. At illud judicium non erat certum sed formidolosum. ergo ex memoriâ talis judicii intellectus non potest esse certus, an peccaverit nec ne; quia sola memoria actûs præteriti non magis certificat de veritate objecti directè cogniti, quàm ipsa cognitio directa de eâ certificat. At illa est formidolosa, ut supponimus. ergo testimonium conscientiæ non sufficeret ad liberandas, vel absolvendas creaturas rationales. Quod si dicas eas ex memoriâ actûs formidolosi posse rectè seipsas judicare ex adjunctione principii reflexi; jam nolens incidis in assertionem positam, & ipsam rationem, quam jam attulimus, pro te affers. Nam illud principium reflexum debet esse evidens & certum, alioquin conscientia ex eo non posset seipsam certò & clarè justificare, aut condemnare. Jam hoc principium aut affirmat aut negat actum, à judicio formidoloso directum, esse honestum; aut distinguit, & dicit eum esse licitum, qui regulatur à judicio prudenti, omnem alium esse illicitum. &c. At quodcumque dixeris, semper stat istiusmodi principia

Si ultimum conscientiæ dictamen non esset certum & evidens, nemo ex propriæ conscientiæ testimonio salvari posset, vel condemnari.

principia esse per se nota; adeóque nos ad ea reflectendo posse de præsenti habere ultimum conscientiæ dictamen evidens, imò conveniens & necessarium fuit, ne in re adeò obviâ & facili natura nobis deesset, quin per principia reflexa, ubi directa non sufficiunt, certa & evidens conscientia formaretur.

Ultimum conscientiæ dictamen est evidens.

31. Demum probatur assertio. Si dictamen conscientiæ non esset evidens, esset obscurum. ergo liberum. ergo possemus illud suspendere, atque ita à conscientiâ non damnari. At hoc non est in nostrâ potestate. ergo &c. Præterea prima volitio libera regulari debet ab aliquo judicio practico; non ab obscuro, quia omne tale judicium præsupponit volitionem liberam. ergo ab evidenti: ergo aliquod dictamen conscientiæ ultimatè constitutæ est evidens. Eadem ratio valet pro omni aliâ opportunitate; nam quoties de novo incipimus liberè operari, eadem est ratio, ut patet. Eadem etiam in processu operationis locum habet, quia si judicium illud ultimum subderetur voluntatis imperio, haberet rationem objecti honestè eligibilis, aut certè esset inhonestum. At quodcumque dicatur, voluntas ab alio judicio anteriori regulari debet. Illud autem debet esse evidens, quia antecedit omnem electionem liberam, illamque dirigit. ergo ultimum conscientiæ dictamen, quod ad honestè operandum requiritur & sufficit, est evidens.

Tam certũ est ultimũ cõscientiæ dictamen esse certũ, quàm certum est operantem in dubio peccare, si sectetur partem minùs tutam.

32. Cæterùm opus est hoc ultimum conscientiæ dictamen adhuc paulò enucleatiùs explicare, siquidem ex ejus cum aliis actibus confusione multi paralogismi in discursibus reflexis de moralitate committuntur. Et quidem inprimis quando intellectus Pictoris v. g. hæret dubius, utrùm sit licitum nec ne pingere in die festo; si stante hoc dubio pingat, indubitanter peccat, quia non potest non contemnere legem Dei; verùm non ideò peccat, quia facit contra actum illum dubium, non enim magis se exponit periculo incurrendi offensam Dei, quàm spei agendi quod Deo placet; sicut enim dubitat, an sit licitum, sic etiam dubitat, an sit illicitum; & æquè propendet ad credendum, quòd placeat, quàm quod displiceat Deo; ergo si quis taliter dispositus pingeret, non esset cur actio potiùs evaderet mala, quàm bona; non enim magis difformaretur, quàm conformaretur ultimo dictamini; At certum est quod peccet; ergo judicium illud dubium non est ultimum dictamen conscientiæ. Ideò ergo peccat, quia operatur contra aliud dictamen, quo homo, in dubio transgrediendi legem se constitutum videns, evidenter cognoscit actionem à tali dubio regulatam esse hîc & nunc illicitam; adeóque clarè cognoscit voluntatem Dei exigere, ut actionem suspendat, donec certior factus dubium deponat; & hoc est ultimum dictamen conscientiæ, quod antecedit opus. Hoc argumentum vim habet ad apparentiam majorem, si dubium sit, utrum actio sit peccatum veniale, an heroïcus actus virtutis. v. g. si pauper dubitaret utrum dare aureum pro eleëmosyna sit peccatum veniale prodigalitatis, propter urgentem necessitatem familiæ, quæ hoc subsidio indiget; an verò sit actus virtutis, & liberalitatis heroicæ; in hoc casu non esset, cur peccaret, si alio judicio, quàm dubio illo, voluntas ejus non regularetur. Et si fortè peccaret, id aliunde non proveniret, quàm quia forsan violaret legem, de quâ dubitat. Ergo esset dubium, an peccaret, sicut est dubium, an illa lex existat. At certum est, quod peccet ergo ultimum judicium, quo regulatur, est certum & evidens.

33. Atque hinc natura hujus ultimi judicii clariùs exprimitur; est enim judicium reflectens supra statum animæ, per omnium quæ occurrunt ponderationem constituitur, — Natura ultimi dictaminis conscientiæ declaratur.

tutum, & præsupponit omnem discursum, quem intellectus ante reflexionem supra suos actus habet in illo instanti circa hoc eligibile. Ipsum autem judicium ultimum discursivum est, dependet tamen à judicio immediato & experimentali, per quod status, quem objectum habet in mente, repræsentatur intellectui. neque enim nudè repræsentatur status ille; sed etiam status ille applicatur ad principia moralitatis per synderesim ubique obvia; adeò ut intellectus formet hunc syllogismum: *in dubio non licet operari: ego sum hîc & nunc in dubio circa rem hanc: ergo non licet mihi hîc & nunc operari:* quæ conclusio intellectui dubitanti est evidens. Major enim hujus syllogismi est primum principium synderesis, illudque evidens. Minor semper est immediata, & experimentalis reflexio supra statum objecti in intellectu, discurrendo habitum. Conclusio autem est evidens, nullique formidini obnoxia. Hæc quidem nimis clara sunt pro casu dubii; at eadem est ratio pro omni dispositione, in quâ operans honestè operatur; nam principia synderesis reflexa æquè certa pro omni opportunitate æquè sunt obvia.

Quomodo formetur cõscientia certa dubio rationabiliter deposito?

34 Rursus quando aliquis, ut deponat dubium, discurrrit, & invenit rationem, propter quam determinat aliquam partem contradictionis præ aliâ; vel determinatio est certa aut evidens, vel solùm probabilis; si sit certa & evidens, nulla est difficultas formandi ultimum judicium evidens; si verò sit solùm probabilis, tunc major syllogismi est aliud principium synderesis, scilicet hoc: *qui facit quod prudenter credit esse Deo gratum, rem Deo gratam facit.* Minor autem est experimentalis reflexio super statum animæ, quo intellectus dicit, *ego prudenter judico hanc operationem, hîc & nunc eliciendam, esse Deo gratam. ergo rem Deo gratam faciam, eam ponendo*; seu: *ergo voluntas Dei est, ut ego eam actionem ponam si velim.* Quod si determinatio intellectûs sit evidens, non est opus nova illatione, sed illa dubii determinatio certa & evidens sufficienter constituit conscientiam, ut patet.

Evidentia ultimi dictaminis consciẽtiæ ad honestatem sufficienter dispositæ, desumitur à participatione sapientiæ divinæ.

35. Et sanè judicium, seu dictamen ultimum conscientiæ hanc evidentiam habet à participatione dictaminis sapientiæ divinæ, quâ Deus suam bonitatem & voluntatem tam liberam quàm necessariam comprehendit. Ad quod confirmandum Authores cum S. Thomâ communiter exponunt illud Psalmi 4. ubi præmissâ interrogatione illâ, *quis ostendit nobis bona?* ea nempè, de quibus Psalmista immediatè ante locutus fuerat, protinus respondetur: *signatum est super nos lumen vultûs tui Domine*: quasi diceret, participatio divini luminis ostendit bona quæ agere, & mala quæ vitare debemus. Hoc autem dictamen rationis, seu conscientiæ incongruè diceretur *lumen vultûs Dei signatum super nos*, si esset errori obnoxium; Tunc enim non esset singulariter participativum divinæ Sapientiæ, sed à tali participatione singulari manifestè deficeret, cùm haberet omnia contraria & dissimillima. ergo judicium illud est evidens.

Solvuntur objectiones.

Objectio prima.

36. OBjicies. 1. conclusio non potest esse certior præmissis. At principia & præmissæ reflexæ dependent à directis. ergo non possunt esse certiores illis. illæ autem sæpissimè sunt incertæ. ergo ex illis formari non potest conscientia evidens. Ita nonnulli, qui valdè imperitè confundunt præmissas objectivas cum formalibus.

Solutio.

Resp. actum directum formidolosum esse objectum actûs reflexi, qui non affirmat actum directum esse verum, sed solùm affirmat eum existere; quod verum est, & evidens. minor enim syllogismi reflexi est notitia experimentalis reflexa de existentiâ.

stentiâ propriæ cognitionis directæ, dicit enim: *Sed ego prudenter judico hoc hîc & nunc à Deo non esse prohibitum. &c.* Jam verum est conclusionem non posse esse certiorem præmissis formalibus, ex quibus elicitur; sed neque certiorem præmissis objectivis prout illæ affirmantur in ratione objecti à præmissis formalibus; sed nil vetat conclusionem esse certiorem præmissâ objectivâ, quando præmissa objectiva est actus intellectûs formidolosus; ut contingit in casu nostro; quia minor reflexa præter ipsius actûs formidolosi existentiam nil affirmat. Actus ergo ille directus certus est & evidens in ratione objecti existentis, prout affirmatur à præmissâ reflexâ, quamvis prout actus est vitaliter exercitè judicans existentiam alterius objecti, ejusdem veritas obscura sit, & incerta. Jam cùm in hoc secundo sensu non sit præmissa, ne quidem objectiva, conclusionis reflexæ, sed solùm in primo, manifestum est, formidinem talis actûs de existentiâ sui objecti nulla ratione obstare posse evidentiæ conclusionis allatæ.

Quando præmissa objectiva est actus intellectûs, fieri potest ut conclusio sit certior, quàm præmissa illa objectiva in ratione actûs.

Objectio secunda.

37. Objicies 2. si assertio esset vera, viri spirituales non vexarentur scrupulis & dubiis, an peccaverint, aut an peccaturi sint in suis operationibus, quia ultimum conscientiæ dictamen supponitur esse evidens. Deberet ergo relinquere testimonium conscientiæ evidens de peccato patrato, aut non patrato. At hoc non præstat. ergo non est evidens.

Solutio.

Scrupulus non est de qualitate actionis dum fit, sed aut faciendæ, aut factæ.

Resp. scrupulos istos numquam esse de qualitate operationis jam actu existentis, sed solùm circa qualitatem operationis aut faciendæ, aut factæ. Circa faciendam timent, ne sufficientem diligentiam non adhibuerint ad prudenter concludendum de honestate objecti per syllogismum directum. Deinde formido, prævisa ut inexistens actui directo de futuro quando elicietur, eos inquietat; ita ut sæpissimè non eliciant syllogismum directum, in quo postea fundetur reflexus; dumq; ita hærent vexantur, & in utramque partem titubant. Circa operationem autem factam vexantur; quia non semper habent memoriam certam de qualitate judicii ultimi, à quo in operando dirigebantur. Nam etsi dictamen quodvis relinquat speciem sui in intellectu, quâ intellectus semel liber ab impedimentis organi corporei clarè judicabit de qualitate suæ operationis, nihilominus quia, quamdiu unitur organo corporeo, non operatur nisi dependenter à phantasiâ, ideò ex defectu speciei, vel impressæ, vel excitatæ in phantasiâ, sæpè evenit, ut dubitemus utrum hoc vel illud judicium fuerit ultimum conscientiæ dictamen, nec ne; atque ita scrupulosi sæpissimè dubitant de omnibus suis actionibus. Rursus post actum aliquem semel exercitum, sæpè confundunt dispositionem temporis proximi cum dispositione temporis, in quo operati sunt, & sic nesciunt, quâ conscientiâ opera sua fecerint, an dubio nondum deposito, an verò post diligentem dubii depositionem, &c.

Objectio tertia.

38. Objicies 3. Illud principium, *licitum est mihi velle id omne, quod prudenter judico esse licitum*, aut verum non est, aut certè non est evidens. ergo ultimum conscientiæ dictamen ex illo deductum non est certum & evidens. Tenet consequentia. Probatur antecedens. Inprimis non videtur esse verum; quia universaliter affirmat id verum esse, quod aliquando falsum est; nam quod prudenter creditur esse honestum, aliquando falsum est; quia multæ cognitiones probabiles & prudentes sunt falsæ. ergo aliquando contingit nos judicare aliquid esse licitum, quod Deus revera prohibuit. Quomodo ergo universalis propositio affirmans, *omne illud esse mihi licitum, quod ego prudenter judico omnibus licere*, potest esse vera, cùm oppositum aliquando contingat?

Deinde etsi in aliquo sensu principium hoc admittatur ut verum, adhuc non est evidenter verum, quia est propositio lusoria, quæ dicit, *illud esse licitum, quod prudenter puto licere.* Ecce *licitum* per *licere* declaratur, quod vitiosum est, & omnem veritatis evidentiam excludit.

Solutio. Resp. principium illud affirmare veritatem in nullo casu defectibilem, neque enim affirmat solùm illud, quod judicia directa affirmant; sed affirmat objectum ab illo realiter diversum; nam objectum, quod hoc axioma affirmat, est volitio essentialiter reflectens supra statum objecti habitum in intellectu per conscientiam directam, seu quod in idem recidit, est honestas objecti prout substantis hisce determinatis actibus intellectûs; hæc autem est honestas necessaria & nunquam defectibilis; At è contrà cognitio directa tantùm affirmat, volitionem alligatam aliis circumstantiis esse honestam, seu objectum, prout substans volitioni solùm alligatæ circumstantiis directè cognitis, esse honestum, & Deo absolutè placens. At hoc est defectibile. Ergo potest esse falsum; nam sensus illius judicii sæpè est, *Deum à nemine per suam legem tale quid exigere*, quod utique sæpè falsum est. At objectum, cujus honestas relatè ad aliquas circumstantias est dubia, relatè ad alias habet honestatem certissimam. Considera ergo objectum dictaminis directi, & invenies illud esse honestatem electionis alligatæ objecto illi, ut affecto circumstantiis directè tantùm cognitis, inter quas non est status objecti in conscientiâ; ut patet. At si consideres objectum, quod à principio illo reflexo affirmatur, invenies illud esse honestatem electionis respicientis idem objectum non solùm relatè ad circumstantias priores, sed ut relatè ad conscientiam jam directè constitutam per judicium prudens, quare non affirmat objectum illud esse absolutè honestum, sicut prius judicium affirmabat, sed solùm dicit, *illud hic & nunc licitum esse sic judicanti, nec à Deo probiberi illi, qui post humanâ diligentiâ prudenter judicat illud objectum ab omnibus universaliter absque peccato amari posse*: ecce illud judicium non affirmat quidquam semper esse licitum, quod aliquando est illicitum, sed solùm affirmat, *illud sibi esse licitum in his circumstantiis, quod prudenter creditur omnibus simpliciter esse licitum*; quæ duo inter se non repugnant.

Dictamen conscientiæ directum, si sit solum probabile, aliud affirmat quàm dictamen ultimum.

Itaque axioma illud verum est, cujus evidentiæ non obstat, quod particula *licitum* repetatur, neque ut hoc defendam, eò confugio cum aliquibus, ut dicam particulam illam diversimodè significare in uno, ac in altero loco; quia utrobique eodem modo significat. Aliud enim hæc locutio, *objectum aliquod esse honestum*, non indicat, quàm quòd electio objecti illius Deo placeat; hoc enim est esse licitum. Quare sensus axiomatis est iste, *placet Deo quod ego eligam hic & nunc objectum illud, quod prudenter à me creditur omnibus à Deo esse concessum atque universaliter per se loquendo Deo placere.* Ecce reflexio talis nec obscura est, nec vitiosa. non obscura, quia nil clarius dici potest; non vitiosa, quia reflexio fit supra idem objectum relatè ad diversas circumstantias, quæ reflexio vitiosa non est, sed connaturalis valdè, & intellectui scrutanti honestatem electionum peropportuna, & necessaria; quia honestas rei juxta diversitatem circumstantiarum modò tollitur, modò augetur: modò evadit dubia, modò fit certa.

39. Objicies 4. si conscientia formaretur ex hoc principio, *licet mihi hic & nunc, quod absolutè ex prudenti fundamento judico omnibus esse licitum*, sequeretur, quòd judicium humanum esset prima regula, & mensura honestatis; quia in illud tantùm respicimus ad sciendum, quid hîc & nunc liceat. Objectio quarta.

Resp. solam voluntatem divinam esse primam regulam, & veram mensuram omnis honestatis, Solutio.

honeſtatis, rationem autem & judicium humanum prudens eſſe regulam ſecundam, primæ ſubordinatam, quatenus ex hoc judicio reflexè cognito innoteſcit Dei voluntas, qua ipſe complacet ſibi in omni electione liberâ, quæ per hoc judicium reflexè cognitum regulatur. Cùm enim divina voluntas per ſe non innoteſcat, dedit nobis regulam, ſcilicet judicium rationis prudentis, per quam innoteſceret. Hoc ergo judicium prudens eſt regula ſecunda honeſti, quia eſt unicum medium, quo pervenire poſſumus ad ſciendum quid Deo placeat, quid illi diſpliceat. Cumque Deus non dederit nobis poſſibilitatem certò ſciendi in omnibus, quid illi abſolutè placeat, non potuit ex naturâ rei non ordinare, deliberationem prudenter concluſivam honeſtatis eſſe regulam ſufficientem ad indicandum ipſius beneplacitum; alioquin in plurimis nunquam poſſemus pervenire ad notitiam divini beneplaciti, quia in pauciſſimis datur evidentia de abſolutâ rei honeſtate, & inhoneſtate. ergo dictum judicium prudens eſt regula unica, quam habemus, ad rectè operandum, quando nobis directè non certò conſtat de honeſtate & inhoneſtate objecti. ergo qui reflexè certus eſt ſe operari ex directione talis judicii, certus eſt ſe operari honeſtè, & conformari regulæ, quam Deus inſtituit. Regulæ, inquam, ſecundæ, in quam, utpotè magis notam, reſpicimus quidem, ſed in illâ non ſiſtimus. Ideò enim in illam reſpicimus, ut ſic certò reflexè ſciamus nos taliter operando Deo placere, & ad finem noſtrum proficere. Ecce judicium prudens, etſi formidoloſum, eſt regula objectiva, per quam venimus in notitiam alterius regulæ objectivæ, nempè in notitiam beneplaciti divini, quod eſt prima regula objectiva omnis honeſtatis. E contrà judicium evidens reflexum eſt regula formalis, ſeu intentionalis unio, quâ divinum beneplacitum vitaliter, certò, & infallibiliter, immò evidenter applicatur voluntati, quæ in illo ſecurè quieſcit, & tutò, ac confidenter ſe ad operandum extendit.

Dictamen cõſcientiæ prudenter cõſtitutum eſt regula objectiva, non prima ſed ſolùm ſecunda honeſtatis; quatenus per illam divina voluntas, ſeu prima regula innoteſcit.

40. Objicies 5. ex Vaſquez *1. 2. diſp. 58. in fine cap. 1. & initio cap. 2.* Etſi fatendum ſit, nos per hæc principia reflexâ ritè colligere poſſe, quænam operatio libera ſit honeſta vel prava, hoc enim negari non poteſt, nihilominus honeſtè operans non ſemper utitur tali ſyllogiſmo, quia ſæpè non advertit ad hæc principia reflexa; & ſanè, qui ex judicio directo inculpabili ad non ſuam, ut Jacob ad Liam, accederet, non peccaret, etſi nullum eliceret diſcurſum reflexum, per quem evidenter certificaretur de honeſtate ſuæ operationis. ergo ultimum conſcientiæ dictamen non ſemper eſt certum & evidens, cùm hoc ad electionem honeſtam non requiratur.

Objectio quinta.

Reſp. hos diſcurſus reflexos non eſſe neceſſarios ad operationem honeſtam, quando per directa principia pervenimus ad evidentiam, aut rationabilem certitudinem de honeſtate operationis noſtræ. Verùm ſi conſcientia directè formata ſit formidoloſa, omninò requiritur reflexus aliquis diſcurſus, quo bona fides ſufficiens ad honeſtè operandum conſtituatur, ut pluribus oſtenſum eſt.

Solutio 1.

Deinde reſpondeo, quòd intellectus, quando per directa principia ad evidentiam non pervenit nunquam quieſcat, donec omnia circumſpiciat, ut ad evidentiam perveniat, ſi poſſit; & ſanè hic eſt naturalis inſtinctus intellectus noſtri, illique jure merito à naturâ inditus, ut ita ſemper per propriam conſcientiam juſtificari aut reprobari poſſit, dum ſemper certò & evidenter ſcit utrum benè vel malè operetur. Jam verò fieri nequit; ut intellectus circumſpiciat ad qualitatem ſuorum actuum directorum, quin eo ipſo eliciat minorem illam experimentalem, per quam evidenter

Solutio 2.

Intellectus numquam quieſcit donec perveniat ad evidẽtiam, ubi illa haberi poteſt.

 enunciat

enuntiat de ſtatu objecti prout eſt in mente per actus directos. Illa autem cognitio reflexa, cùm ſit eſſentialiter minor principii reflexi, non poteſt ex naturâ rei non excitare memoriam principii univerſalis reflexi, cum quo conſtituit præmiſſas evidentes ritè diſpoſitas, ex quibus ſequitur concluſio, per quem conſcientia certa & evidens conſtituitur. Nec mirum; quia principia ſynderesis reflexa non ſunt minùs obvia, quàm directa, adeóque non poſſunt non excitari per actus illos experimentales, qui eſſentialiter ſubordinantur illis, tamquam minores nulli alteri propoſitioni appropriabiles ad inferendam concluſionem. Hæc ratio manifeſtè oſtendit, quomodo natura facillimè obtinere potuerit certitudinem in conſcientiâ uniuſcujuſque pro omni opportunitate. Quod cùm Vaſquez admittat, miror cur negaverit conſcientiam ſemper hoc modo conſtitui; certè cùm facilè poſſit ita conſtitui, non eſt cur non ſemper hac ratione conſtituatur.

Corollarium hujus Doctrinæ.

Diviſio cõſciẽtiæ non cadit ſupra ultimum cõſcientiæ dictamen, ſed ſolùm ſuper dictamina non ultima.

41. Ex his iterum clariſſimè explicatur diviſio conſcientiæ ſuperius indicata; nam ſi preſsè loquamur de ultimo omninò conſcientiæ dictamine, id eſt de conſcientiâ in primariâ ipſius acceptione, conſtat illam ſemper eſſe evidenter veram, adeóque nunquam erroneam, nunquam dubiam, aut ſcrupuloſam eſſe, vel alterius diviſionis capacem; & ſanè qui conſcientiæ hoc modo ſumptæ ſua operatione contrariatur, certiſſimè peccat operando contra conſcientiam; qui verò juxta eam agit, non peccat quia legi conſcientiæ obtemperat.

42. Tota ergo diviſio conſcientiæ in veram & erroneam, in certam & dubiam, in probabilem, ſcrupuloſam, & laxam, refundi debet in dictamina conſcientiæ per diſcurſum ex principiis directis deductum conſtitutæ, illis enim omnes iſtæ diviſiones mirificè quadrant; nam ſi ex principiis directis veniamus ad dictamen verum, illud erit conſcientia vera; è contrà verò conſcientia erit erronea, ſi ultimum illud dictamen ſit falſum. rurſus ſi judicium directum ſit vincibile, conſtituit conſcientiam moraliter erroneam, etiamſi logicè loquendo à vero non aberret; ſi autem ſit invincibile, rectè dicitur conſtituere conſcientiam moraliter rectam, quamvis logicè loquendo non conformetur cum ſuo objecto. Similiter ſi concluſio illa ultima ſit certa, conſcientia quoque certa eſt, quod ſi intellectus neutri parti aſſentiatur, ſed hæreat dubius, tunc quoque conſcientia erit, & vocabitur dubia. Demum pro qualitate hujus ultimi dictaminis directi, conſcientia modò eſt probabilis, modò ſcrupuloſa, modò laxa, juxta dicta in ſuperioribus, quæ ideò non ſunt repetenda.

Exponitur qua ratione diviſio cõſcientiæ competere poſſit ultimo dictamini ſemper evidenti.

44. Porrò ex iſtis judiciis, ſeu directis conſcientiæ dictaminibus, ſtatim per principia ſynderesis reflexa oritur conſcientia certa de qualitate operationis exercendæ, nam ſi intellectus hæreat dubius; ita diſcurrit, *in dubio non licet ponere id cujus honeſtas eſt dubia. At honeſtas hujus rei hic & nunc mihi eſt dubia. ergo hic & nunc non licet mihi illam ponere.* Quod ſi velis conſcientiam hanc reflexam, etſi in ſe certam & abſolutam, vocare dubiam, quia fundatur in judicio reflexo de dubio, per me licet; eodemque jure omnem aliam conſcientiam reflexam, etſi certam, & in ſe evidentem vocare poteris probabilem, ſcrupuloſam, vel laxam &c. prout fundatur in judicio reflexo ſupra dictamen directum probabile, ſcrupuloſum, vel laxum. Loquere ergo pro libito, dummodo clarè intelligamus, quid per vocabula ſignificetur.

QUÆSTIO DECIMA-QUARTA.

Vtrùm dictamen Conscientiæ sit proxima actionum Theologicarum Regula?

Terminorum explicatio.

Regula moralitatis quid sit? 1. REGULA actionum illa est & dicitur, cui actiones conformari debent, ut sint honestæ & rectæ; & à quâ si discordent, eo ipso evadunt pravæ & turpes. Regula moralitatis alia est objectiva, alia formalis. Objectiva est objectum repræsentatum, cui actio debet conformari, ut sit honesta. Formalis verò est ipse actus intellectûs, per quem regula objectiva repræsentatur. Porrò regula objectiva alia est ultima seu prima, scilicet voluntas divina, alia non ultima, seu, si mavis, non prima, scilicet convenientia aut disconvenientia cum naturâ rationali, aut aliud quodvis prædicatum, ex quo cognito prima honestatis regula, nempè divina voluntas, innotescit. Imò omnis præmissa objectiva, ex quâ prima regula, seu voluntas Dei infertur, dici potest regula objectiva honestatis non prima, quia per illam dirigimur ad primam, seu ultimam regulam objectivam inveniendam.

Alia objectiva, alia formalis.

Objectiva, alia prima, alia non prima.

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Dictamen conscientiæ directum est regula objectiva moralitatis. *Dictamen conscientiæ, ex principiis directis illatum, admittere solet rationem aliquam regulæ objectivæ pro actionum humanarum moralitate.*

Probatio. 2. PRobatur. Intellectus per principia synderesis reflexa, & minorem essentialiter reflectentem super conclusionem directam, seu statum objecti in mente, iterum enunciat de ejusdem objecti honestate relatè ad aliquam circumstantiam priùs non ponderatam, & elicit ultimum conscientiæ dictamen, per quod voluntas Dei, seu prima honestatis regula proponitur, uti sæpè dictum est; evidens enim est, omne dictamen directum posse admittere hanc considerationem reflexam; & ex *quæst. proximè præcedente* habemus, quòd eam semper admittat, quoties honestas objecti ex vi principii synderesis directi non est evidens; quod certè est frequentissimum. At hoc est, dictamen conscientiæ directum semper posse, & frequenter solere admittere aliquam rationem regulæ objectivæ pro fundandâ moralitate Theologicâ, quod erat probandum.

ASSERTIO SECUNDA.

Vltimum conscientiæ dictamen, de convenientiâ aut disconvenientiâ actionis particularis hic & nunc ponendæ cum voluntate divinâ, est proxima regula formalis totius moralitatis Theologicæ. Ultimum conscientiæ dictamen est proxima regula moralitatis.

Prima ratio. 3. PRobatur 1. Voluntas non fertur immediatè in objectum ut est in se, sed ut per intellectum proponitur. ergo si ultimum judicium practicum, à quo voluntas dirigitur, repræsentet operationem ut conformem divinæ voluntati, voluntas fertur in honestatem objectivam Theologicam, ergo actus ejus erit theologicè bonus,

bonus, quia actus specificatur ab objecto, in quod fertur, sub eâ ratione, sub quâ fertur in illud. è contrà verò, si dictamen ultimum conscientiæ proponat electionem objecti tamquam repugnantem cum divinâ voluntate, electio illa erit difformis primæ & universali regulæ objectivæ honestatis Theologicæ. ergo erit mala theologicè, ergo ultimum dictamen conscientiæ est proxima, & immediata regula totius moralitatis Theologicæ. Est quidem regula, quia si operatio voluntatis illi conformetur, evadit recta & honesta; turpis verò, &, ut ita dicam, curva, si eidem difformetur. Hoc autem est proprium regulæ. Est autem regula proxima & immediata, quia inter operationem voluntatis & ultimum conscientiæ dictamen nil mediat. Porrò ultimum dictamen conscientiæ est regula formalis, quia est vitalis, intellectualis, ac formalis applicatio, seu unio, per quam regula objectiva repræsentatur & applicatur voluntati.

Secunda ratio. 4. Probatur 2. Illud, quo prima regula objectiva omnis moralitatis Theologicæ proximè proponitur & vitaliter unitur voluntati, est regula formalis totius moralitatis Theologicæ, ut patet ex terminorum acceptione. Sed ultimum conscientiæ dictamen est illud, quo regula objectiva omnis moralitatis Theologicæ proponitur, & vitaliter unitur voluntati, quia voluntas, cùm sit ex se potentia cæca, nullam habet notitiam regulæ objectivæ, nisi prout illa per intellectum proponitur, neque in ordine ad actus deliberatos & voluntarios sufficienter instructa est, nisi prout honestas proponitur per actum judicii, quia illi tantùm actus sunt voluntarii & deliberati, qui procedunt ab intrinseco cognoscente singula; cognoscente (inquam) singula, non per apprehensionem & imperfectè, sed per actum perfectum & judicium, seu per actum propriè humanum, cui soli voluntas deliberatè voluntaria, & imputabilis proportionatur. ergo ultimum conscientiæ dictamen est regula formalis totius moralitatis Theologicæ, & quidem proxima; quia inter ultimum conscientiæ dictamen & operationem nullum aliud judicium mediat, quo regula objectiva per modum dictaminis practici vitaliter uniatur voluntati.

5. Petes quid dici debeat de ultimo dictamine vincibiliter erroneo, quando dictat aliquid honestum esse, quod non est honestum, sed peccatum?

Resp. ultimum dictamen conscientiæ semper esse evidens; sed nunc supposito contrario, dico dictamen tale adhuc esse aliquo modo regulam moralitatis, quatenus repræsentat regulam objectivam, illamque unit voluntati; verùm insufficienter illam regulat, quatenus non reddit conscientiam tranquillam, adeóque non tollit imputabilitatem & peccatum ab operatione, quam falsò dictat esse honestam cum expressâ formidine pravitatis. Neque hoc modo rationem, seu conscientiam errare, arguit rationem non esse regulam; quia perfecta indefectibilitas convenit primæ tantùm regulæ, nam regulæ secundæ, & creatæ, utpotè defectibiles, aliquando regulant insufficienter, quatenus aberrant à vero, quod ostendunt.

6. Cæterùm ego existimo ultimum conscientiæ dictamen semper esse evidens, etiam in casu conscientiæ directæ vincibiliter erroneæ. v. g. hæreticus vincibiliter & contra evidens conscientiæ dictamen non vult audire rationes pro fide Catholicâ, quando illas tenetur audire, sed obstinatus manet in suâ perfidiâ, & vincibiliter judicat debere se aures occludere, & in suâ hæresi permanere. In hoc casu, post judicium erroneum inevidens, consurgit aliud reflexum & evidens, quo conscientia certò affirmat se peccare si aures illis rationibus aperiat, Ultimum cōscientiæ dictamen in vincibiliter erraneæ est certum & evidens.

aperiat, & se non peccare novâ imputabilitate distinctâ ab eâ, quæ fuit in admittendo, seu formando tali judicio de suâ obligatione, quorum utrumque verum est; nam qui credit, se debere aliquid facere, certissimè peccat illud omittendo; quique judicat se benè facere faciendo aliquid, licèt aliquando peccet, non tamen peccat novo peccato, nec contrahit malitiam imputabilem distinctam ab eâ, quâ vincibiliter erravit in admittendo illo judicio, alioquin ideò peccaret novo peccato, quia omittit actionem evidenter hîc & nunc sibi peccaminosam; quod est absurdum. Actus ergo conformis judicio vincibiliter erroneo, in tantum est peccatum, in quantum denominatur tale à malitiâ voluntatis imperantis tale judicium contra obligationem evidenter urgentem; ut fusiùs ostendam *quæst. 17. n. 44.*

In dictaminibus consciētiæ ordinatis, si primum sit inevidens, secundum debet esse evidens.

7. Quod dictum est in hoc casu, proportionaliter dicendum est in omni alio ejusmodi; quia pro nullo desunt principia synderesis reflexa, ex quibus ultimum dictamen conscientiæ, & quidem evidens, formari potest. Cæterùm nullo modo admitti debet secundum judicium reflexum erroneum, & inevidens, quia natura frustra talem ordinem instituisset, cùm superadditio talis judicii ad nihil penitus deserviret, cui primum abundè non sufficiat.

Respondetur objectionibus.

Objectio prima.

8. OBjicies 1. Si moralitas volitionum regularetur à judicio intellectûs, moralitas illa deberet prius inesse judicio intellectûs, quàm operationi voluntatis; quòd enim dependet ab aliquo, ut à regulâ, priùs est in regulâ, quàm in regulato. At è contrà se res habet; nam moralitas primò & per se convenit actibus voluntatis, & ab illis per denominationem extrinsecam redundat in actus aliarum potentiarum. ergo moralitas actuum voluntatis non dependet à dictamine conscientiæ ut à regulâ proximâ.

Resp. quod dependet ex regulâ, aliter continetur in regulâ, aliter in regulato; alioquin regula non differret à regulato. Moralitas ergo volitionis, quæ regulatur à dictamine conscientiæ, aliter existit in judicio, aliter in volitione; moralitas enim priùs existit in judicio intellectûs per modum veri, & deinde existit in volitione per modum laudabilis aut vituperabilis. Quocirca cùm laudabilitas ac vituperabilitas inexistat actibus voluntatis dependenter à prævio judicio intellectûs, manifestum est judicium esse regulam formalem proximam totius moralitatis, quæ est in actibus voluntatis.

Solutio. Moralitas aliter inest intellectui, aliter voluntati.

9. Objicies 2. voluntas movet intellectum, & omnes alias potentias. Ergo voluntas regulat intellectum, & ab eo non regulatur; quia movens regulat mobile, & non è contrà.

Objectio secunda.

Resp. intellectum regulari quidem à voluntate quoad aliquos actus, non tamen quoad omnes; nam actus prævii ad omnem volitionem, per quam voluntas incipit operari, non subduntur imperio voluntatis. E contrà, voluntas regulatur ab intellectu quoad omnes suos actus, & propterea dictamen conscientiæ simpliciter loquendo regulat volitionem, cùm volitio aliquod tantum dictamen conscientiæ possit regulare. Nunquam autem evenit, ut ullus actus voluntatis possit regulare illum actum intellectûs, à quo ipse regulatur; nec è contrà ullus actus intellectûs, regulans volitionem, potest regulari ab eodem actu voluntatis. Quare licet movens regulet mobile non è contrà, non inde sequitur, quòd voluntas non reguletur à dictamine intellectûs; immò inde sequitur oppositum, quia nisi intellectus præcedat, & moveat voluntatem, illa non potest operari. Jam ab-

Solutio. Intellectus quoad aliqua regulatur à voluntate, eamque regulat quoad omnia.

surdum non est, quòd voluntas, quæ quoad omnia regulatur ab intellectu, regulare possit intellectum quoad aliqua; ita tamen ut nunquam sint mutuò eadem, sed semper diversa, quæ regulantur, & regulant.

Objectio tertia.

10. Objicies 3. Quod discordare potest à primâ regulâ morum, inidoneum est pro munere regulandi; At judicium, seu dictamen conscientiæ discordare potest, & sæpè discordat à voluntate Dei, seu à primâ regulâ morum; sæpè enim ex falsis rationibus inferimus Deum aliquid velle, quando revera non vult illud. ergo dictamen conscientiæ non est apta regula morum.

Solutio.

Resp. Dictamen ultimum conscientiæ nunquam discordat à voluntate Dei, ut quæst. 13. ostensum est; cum hoc tamen stat, actus intellectûs ultimo dictamini prævios, & in principiis directis fundatos, sæpè esse erroneos & falsos; verùm illi non sunt formalis regula morum, sed solùm regula quædam objectiva remota, ex quâ scilicet reflexè cognitâ, & ex universali principio synderesis reflectente supra statum objecti in mente, infertur dictamen evidens, à quo operatio formaliter dirigitur, & homo certificatur, quòd illa conformetur voluntati divinæ.

ASSERTIO TERTIA.

Prudens dictamen cõscientiæ, etsi fallibile, est infallibilis regula objectiva honestatis Theologicæ.

Omne dictamen conscientiæ ex principiis directis deductum, quo aliquid prudenter creditur à Deo universaliter omnibus permissum, est infallibilis regula objectiva remota, ex quâ certò infertur, electionem talis objecti hîc & nunc esse reipsâ conformem divinæ voluntati realiter existenti, & certò cognitæ per dictamen ultimum ex principiis synderesis reflexis deductum.

Probatio prima.

11. PRobatur 1. Divina voluntas nobis immediatè non innotescit, ergo Deus providere nobis debuit de regulâ, per quam possemus ad illius notionem per ultimum conscientiæ dictamen certò pervenire; alioquin subjecisset nos necessitati peccandi. Cùm enim rationes liberæ non conformes voluntati Dei realiter existenti & certò cognitæ sint peccata, & ejusdem voluntati absolutè repugnantes, quia non sunt ex bonâ fide, manifestè in multis exponeremur necessitati peccandi, nisi haberemus medium, per quod pervenire possemus ad infallibiliter cognoscendam divinam voluntatem. At per actus directos sæpissimè non possumus ad illam certò cognoscendam pervenire; ergo debuit nobis providere de principiis reflexis, per quæ illam certò invenire possemus. At principia reflexa fundantur in judiciis directis ergo medium objectivum, ex quo certò possumus cognoscere divinam voluntatem, sunt judicia directa, quoties per illa lex æterna, per se existens solùm fallibiliter innotescit. At si illum judicium directum tale sit, utique est judicium, quo prudenter credimus objectum aliquod universaliter omnibus esse permissum, vel prohibitum; cùm enim ex suppositione per principia directa non possimus esse certi de divinâ voluntate, nunquam de illâ possemus esse certi, si quando directè prudenter credimus Deum aliquid velle, idipsum non certò sciremus ex vi principii reflexi; quia nullum est aliud medium pro conscientiâ reflexâ formandâ; ut patet. ergo tale judicium prudens est regula remota certissima, ex quâ consurgit certa cognitio, quod electio talis objecti sit conformis aut difformis divinæ voluntati actu existenti, quæ per illam ipsam cognitionem certò innotescit. Verùm hoc interest inter objecta horum actuum, quòd prior actus directus repræsentet legem æternam omnibus pro hisce determinatis circumstantiis universalem, & à Deo per se directè intentam, in quo sæpè est error. At actus

Deus debuit providere nobis de regulâ, per quam certò sciremus ejus voluntatem.

secundus,

ecundus, fundatus in judicio priore ut in objecto, solùm repræsentat voluntatem Dei, seu legem æternam reflexam, & per accidens existentem, quâ hoc objectum in hisce determinatis circumstantiis, iisque à prioribus diversis, mihi permittitur, vel prohibetur; quod quomodo contingat suprà fusiùs explicatum est.

Probatio secunda. 12. Probatur 2 imò demonstratur. Hoc principium synderesis reflexum, *licet mihi facere quidquid post diligens veritatis examen prudenter creditur esse omnibus à Deo permissum*, est evidens. ergo si minor etiam evidens possit subsumi, quo intellectus dicat, *sed hoc post omnia ritè perpensa prudenter creditur omnibus à Deo permissum esse*, evidenter infertur in consequentiâ per dictamen reflexum, *ergo hoc hic & nunc mihi à Deo permissum est.* Sed quoties aliquis certò prudenter existimat, aliquid esse universaliter permissum omnibus, toties dicta minor subsumi potest. ergo judicium directum certò prudens de universali honestate objecti est regula objectiva infallibilis, ex quâ certò & evidenter infertur, hanc actionem, hîc & nunc à me ponendam, esse conformem voluntati divinæ, seu legi æternæ, saltem per accidens existenti.

QUÆSTIO DECIMA-QUINTA.

Vtrùm sit indispensabiliter malum operari contra ultimum dictamen Conscientiæ?

Status Quæstionis.

1. DICTAMEN absolutè ultimum conscientiæ semper est evidens & certum, adeóque nemo sine peccato contra illud operatur. Si enim illud dictet aliquid displicere Deo, eo ipso certum est illud Deo displicere, & esse peccatum. Solùm ergo quæstio locum habet de ultimo conscientiæ dictamine ex directis synderesis principiis illato, quod aliquando falsum est, aliquando verum. Jam ergo quæritur, utrùm hoc dictamen conscientiæ semper indispensabiliter fundet obligationem ipsi non contraveniendi, etiam quando est falsum. Quod idem est ac quærere, utrum ultimum directum conscientiæ dictamen, etiam erroneum; ita obliget omnes, ut in omni casu semper sit intrinsecè malum operari contra ejusmodi dictamen conscientiæ ex principiis directis illatum.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO UNICA.

Voluntas discordans ab ultimo directo conscientiæ dictamine, semper est mala, sive intellectus erret, sive non erret in illo dictamine; seu quod idem est; *ultimum conscientiæ dictamen indispensabiliter obligat ad illi non contraveniendum.*

2. DEmonstratur 1. Omnis electio est mala, quæ discordat à suâ regulâ proximâ tam formali, quàm objectivâ sibi propositâ. At electio, discordans ab ultimo dictamine conscientiæ, discordat à suâ regulâ proximâ formali & objectivâ. ergo Demôstratio prima. Qui discordat à dictamine consciētiæ directo

cordat ab ultimo dictamine reflexo, & necessariò peccat.

ergo omnis electio discordans ab ultimo conscientiæ dictamine est mala. Probatur minor; ultimum directum conscientiæ dictamen necessariò fundat dictamen ultimum reflexum, evidenter dictans, illud hîc & nunc esse illicitum, quod dictamen directum absolutè, & simpliciter affirmat esse universaliter omnibus illicitum. ergo qui contravenit dictamini non ultimo, eo ipso contravenit ultimo: sed qui contravenit ultimo conscientiæ dictamini, discordat à suâ regulâ proximâ tam formali, quàm objectivâ: à formali quidem, quippè quæ est ipsum ultimum conscientiæ dictamen; ab objectivâ verò, quia illa verè & evidenter proponitur per ultimum conscientiæ dictamen, cui actio supponitur contrariari. ergo qui contravenit ultimo directo conscientiæ dictamini, discordat à suâ regulâ proximâ, tam formali, quàm objectivâ. ergo peccat indispensabiliter.

Demõstratio secũda.

3. Demonstratur 2. Voluntas discordans ab ultimo conscientiæ dictamine, sive errante, sive non errante, quantum in se est, vult malùm, quia vult illud, quod ratio, seu conscientia, quamvis falsò, judicat esse malum. ergo voluntas discordans ab ultimo conscientiæ dictamine semper est mala; ideò autem necessariò mala est, quia per principia reflexa evidens est, quòd facere malum quantum in se est sit malum, & contrarium legi æternæ.

Probatio tertia.

Locus S. Pauli ad Rom. expenditur.

4. Probatur 3. ex illo *ad Rom. 14. ver. 23. Omne quod non est ex fide peccatum est*: idest, quod non est juxta persuasionem, & judicium conscientiæ, sed contra illud, peccatum est; hic enim est sensus legitimus, & litteralis illius loci, ut non solùm ex communi S. Patrum, & Interpretum expositione, sed etiam ex contextu ipso manifestè colligitur. Apostolus enim ibi agit de iis, qui discernebant inter cibos, & aliquos ut mundos admittebant, alios rejiciebant ut immundos; & expresè asserit, quòd qui ita judicabant, peccarent, si ederent; nam immediatè præmiserat illa verba. *Qui autem discernit* (inter cibos) *si manducaverit, damnatus est; quia non ex fide*: & statim subjungit sententiam supra relatam, *omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* At voluntas discordans ab ultimo dictamine conscientiæ non operatur juxta, sed contra persuasionem & judicium conscientiæ. ergo peccat. Et sanè Vasquez 1. 2. *disp. 59 cap. 2.* & apud eum Adrianus, & Conduba veritatem hujus propositionis *de fide certam*, & oppositam doctrinam *hæreticam* meritò ab omnibus habendam esse tradunt. Tanta enim est evidentia hujus veritatis, vel ex hoc unico loco Pauli, qui expresè loquitur de dictamine falso, ut inter expresè revelata non possit non censeri.

5. Rursus Paulus ibidem, *vers. 14.* sic dicit: *Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est*: hoc est, nullus cibus prohibitus est in lege gratiæ, nisi illi, qui eum existimat esse prohibitum; huic enim ita prohibetur propter ipsius conscientiam, ac si verè à Deo esset directè prohibitus. Hoc modo, inquit Vasquez loco citato, interpretantur hunc locum Apostoli, Origenes, Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus, & Anselmus. Catholica hæc sententia expresè traditur ab Innocentio. 3, *in cap. litteras, de restitut. spoliatorum*: ubi Pontifex ait, *quidquid fit contra conscientiam ædificat ad gehennam.* Eademque doctrina insinuatur etiam *cap. ultimo de præscriptionibus. & cap. Inquisitioni, de sententiâ excomunicat.*

Error est asserere nõ esse peccatum operari cõtra cõscientiam errantẽ si præcipiat quæ sunt

6. Ferendi itaque nequaquam sunt nonnulli, qui ad *art. 5. quæst 19. S. Thomæ in 1. 2.* ita admittunt conscientiam errantem circa indifferentia obligare, ne voluntas ab illius dictamine dissentiat, ut negent, peccatum esse discordare à conscientiâ errante, quando.

intrinsecè mala, aut vetet essentialiter bona. do præcipit, quæ intrinsecè & per se mala sunt, aut quando vetat, quæ intrinsecè bona sunt, & ad salutem necessaria. Verùm hæc limitatió nullatenus admittenda est, cùm rationes evidentissimæ sint, & æqualiter extendantur ad istum casum, ac ad quosvis alios. Præterea ratio S. Pauli est universalis, & ad omnes casus extenditur.

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima. 7. OBjicies 1. In tantum tenemur sequi dictamen conscientiæ, in quantùm illud est conforme legi æternæ; sed judicium erroneum non est conforme legi æternæ. ergo non tenemur illud sequi.

Solutio. Resp. concedo majorem, si sermo sit de ultimo omninò conscientiæ dictamine. Sed illam nego, si sermo sit de ultimo tantùm secundùm quid, seu de ultimo directo dictamine: ideò enim tenemur illud sequi, non quia illud est realiter, sed solùm quia est apparenter & persuasivè contrarium legi æternæ, ideóque fundat aliud judicium evidens, quod conforme est legi æternæ, saltem per accidens obliganti.

Objectio secunda. 8. Objicies 2. Si conscientia erronea obligaret, Deus sæpè præciperet actus intrinsecè malos. Probatur hoc: existimet aliquis invincibiliter, se debere mentiri coram judice, ut salvet vitam proximi, alioquin infallibiliter perdendam. In hoc casu Deus obligabit illum ad mentiondum. At mendacium est intrinsecè malum. Præterea homo operando, quod intrinsecè malum est, mereretur apud Deum: sic pater, qui eo fine occideret suum infantem recens baptizatum, eò quòd invincibiliter crederet se debere illum interimere propter imminens periculum, ne evadat Mahumetanus, aut hæreticus, in quorum manus incidit, & à quibus educandus est, mereretur apud Deum, quia operaretur honestè, quamvis faceret opus intrinsecè malum. Tertiò sequeretur, hominem sæpè indigere speciali Dei auxilio ad opus ex suo genere malum. Putet aliquis invincibiliter, non esse licitum reddere debitum in die festo. Tum sic. Vir ille graviter sollicitetur ad copulam cum uxore debitum petente; in hoc casu indigebit speciali auxilio Dei ad non reddendum debitum, id est ad opus malum ex suo genere. ergo Deus præberet speciale auxilium ad fovendum opus ex suo genere malum. At hæc omnia sunt absurda.

Solutio. Resp. Deum nunquam directè, & ex primariâ intentione præcipere quod est intrinsecè malum; aliquando tamen per accidens & indirectè præcipit quod est in se malum, modò ab operante invincibiliter creditur bonum. Verùm id, quod tunc Deus directè præcipit est ipsa electio mali existimati tanquam si bonum esset, illa autem electio est essentialiter bona, & honesta, quia reflectit supra statum objecti ut repræsentati, & dirigitur à cognitione verâ, & verè conformatur voluntati Dei obliganti. Porrò in hoc casu objectum intrinsecè malum est solùm terminus extrinsecus jussionis divinæ, quatenus, prout apparet sub specie boni, est objectum materiale volitionis præceptæ. Objectum, inquam, materiale; nam objectum formale dictæ volitionis aut semper, aut plerumque est voluntas Dei reflexa, quæ in his circumstantiis exigit positionem dicti effectûs. Voluntas ergo in eo casu hoc modo dicit. *volo falsum dicere, quia Deus vult me hîc & nunc mentiri, quia prudenter judico mendacium esse à Deo preceptum*: hæc autem voluntas est intrinsecè bona, quia mendacium, etsi per se loquendo postulet prohiberi, tamen prout substat isti judicio prudenti, hoc non postulat, neque est intrinsecè malum.

Deus aliquando per accidens præcipit objectum, quod secùndùm se est intrinsecè malum.

9. Ad secundum de merito eadem responsio locum habet, actus enim internus, quo pater ille hîc & nunc eligit mortem sui filii, Responsio ad secundũ exemplũ.

filii, bonus est, & in hoc actu tota ratio meriti consistit. non ergo putandum est, mortem filio illatam esse intrinsecè meritoriam; hoc enim evidenter impossibile est. illa tamen prout creditur bona & Deo grata, & prout terminat internam illam electionem extrinsecè; & per accidens denominatur meritoria, denominatione sumptâ ab actu intrinsecè bono, terminato ad illam, tamquam ad rem apparenter honestam.

Responsio ad exemplum tertium.

10. Ad 3. exemplum eodem modo respondeo, quòd maritus per accidens egeret speciali Dei auxilio ad opus reipsâ malum, sed apparens ut bonum, non quod auxilium illud sit necessarium ad negandum debitum secundùm se, sed quia necessarium est ad debitè illud negandum. Debitè, inquam, quia actus hic & nunc negans debitum est intrinsecè bonus, ut dictum est. necessitas autem auxilii specialis est ad ponendum hunc actum honestum, qui terminatur ad aliquid ex suo genere malum, quod tamen invincibiliter creditur esse bonum. At non est incongruum aliquem indigere speciali auxiliò gratiæ ad ponendam rem ex se malam, quando, quia creditur bona, ponitur per actum essentialiter bonum, & conformem divinæ voluntati.

Responsio promovetur.

11. Ita quidem respondeo objectioni, ut jacet in terminis; nam verum est, conscientiam invincibiliter erroneam hòc modo obligare ad operandum. Verùm hoc non quæritur in præsenti assertione, solùm enim inquiro, an ita liget conscientia, ut sit peccatum illi contravenire, & hoc asserimus verum esse de conscientiâ tam vincibiliter, quàm invincibiliter errante. At si quæramus utrum conscientia vincibiliter errans obliget ad sui observationem, v. g. utrùm vincibiliter existimans, peccatum esse non mentiri ad salvandam vitam proximi, positivè teneatur ad mentienduum, quæstio habet multum de nomine, Vasquez enim

Conscientia vincibiliter errans obligat ad sui observationem, non minùs quàm ad sui nō violationem.

1. 2. disp. 40. cap. 2. contendit quod solùm obliget negativè, ad sui non violationem; non autem positivè ad sui observationem; alioquin qui vincibiliter putaret se debere mentiri, obligaretur positivè ad mentiendum, idest ad peccandum; quia mentiri ex conscientiâ vincibiliter erroneâ est peccatum. At absurdum est, quòd quis obligetur ad peccandum.

Itaque, inquit Vasquez, *in mente habentis talem conscientiam erroneam sunt duo judicia, alterum* necessarium est mentiri. *alterum,* peccatum est non mentiri: *prius judicium non obligat, ut illud sequamur, posterius autem obligat, ne contra illud faciamus.*

Veritas jam dicta uberiùs declaratur.

12. Verùm quia idem est non omittere mendacium, ac mentiri, ideò idem reipsâ videtur esse obligari negativè ad non omittendum mendacium, ac positivè obligari ad mentiendum. Ideò Vasquez respondet, conscientiam illam obligare, ne omittatur mendacium, non absoluté, sed solùm permanente conscientiâ; ac proinde non mentiri, perseverante conscientiâ, esse peccatum. Cæterùm quia conscientia illa deponi potest & debet, atque ita mendacium vitari, ideò ex vi conscientiæ vincibiliter erroneæ nemo positivè obligatur ad mentiendum. Ita Vasquez, qui in re benè sentit, sed non video quomodo in modo loquendi satisfaciat; nam si non obligemur positivè ad non mentiendum, quia conscientia debet deponi, neque obligamur negativè, quia conscientia deponi debet. At per ipsum obligamur negativè ad non omittendum mendacium, neque huic obligationi quidquam obstat, quòd conscientia deponi debeat. ergo neque obstat, quominus obligemur positivè ad mentiendum, quia idem est formaliter non omittere mendacium, & positivè mentiri. Deinde sermo est de obligatione in sensu composito conscientiæ erroneæ pro eo instanti, pro quo conscientia vincibiliter erronea jam existens

existens urget. Jam conscientia sic sumpta nec potest, nec debet pro eo instanti deponi, quia id est impossibile. ergo non minùs obligat positivè ad mentiendum, quàm negativè ad non omittendum mendacium. Futilis est ergo illa distinctio illorum duorum judiciorum, quia illa sibi invicem perfectè æquivalent, & dici possunt ad convertentiam; imò, quod plus est, grammaticaliter tantùm differunt, quia idem objectum, quod in uno exprimitur affirmativè, in altero exprimitur negativè; nam *esse peccatum non mentiri* & *necessarium esse mentiri*, seu, *non omittere mendacium*: unum & idem sunt; adeóque utrumque judicium infert suam obligationem; alterum quidem positivam, alterum verò negativam, sed negativam solùm quoad modum loquendi, quia duæ negationes arguunt, quid positivum. ergo obligari ad non omittendum mendacium, quod involvit duas negationes, est positivè obligari ad mentiendum, & solùm quoad voces est negativè obligari:

S. Thomas expressè sentit nobiscum.

13. Quocirca ego cum S. Thomâ *in cap. 5. epist. ad Galatas, lectione 1. in illa verba; debitor sum universæ legis*, dico conscientiam vincibiliter erroneam obligare ad sui observationem; neque in hoc ullum est absurdum, quod non sit in obligatione ad illam non violandam; nam si absurdum non est, factâ aliquâ suppositione, aliquem obligari ad non omittendum mendacium, quod est peccatum, pariter absurdum non est positivè obligari ad mentiendum, seu ad actum ex se peccaminosum; quia tam malum est non omittere peccatum, quàm positivè peccare, imò utrumque est formaliter idem. At primum absurdum non est. ergo neque secundum.

Objectio tertia.

Nemo obligari potest ad peccandum.

14. Objicies 3. quid absurdiùs, quàm dicere aliquem obligari ad peccandum? At hoc sequitur, si conscientia vincibiliter erronea, obliget sive negativè ad sui non violationem, sive positivè ad sui observationem; quia in casu jam allato homo ille obligaretur ad mentiendum; mentiri autem ex conscientiâ vincibiliter erroneâ peccatum est. ergo si obligaretur ad mentiendum, aut ad non omittendum mendacium, obligaretur ad peccandum, aut certè ad non omittendum peccatum; quod perinde est.

Solutio.

Resp. nil absurdius esse, quàm hominem directè & per se loquendo obligari ad peccandum, aut faciendum id, quod putat esse peccatum. At quòd homo per accidens, ex suppositione conscientiæ vincibiliter erroneæ, obligetur ad opus, quod juxta existimationem operantis creditur esse opus bonum, non peccatum, etsi illud per denominationem extrinsecam à voluntate aliquâ priori verè sit & dicatur peccatum, non est absurdum; immò illud est planè necessarium, ut evidenter colligitur ex rationibus allatis pro assertionis demonstratione. Verùm quomodo voluntas mentiendi in hoc casu non sit peccatum continens novam malitiam, distinctam à malitiâ ignorantiæ contractæ, voluntas verò non mentiendi contineat novam malitiam formalem, distinctam à malitiâ, per quam ignorantia illa fuit contracta, dicetur *quæst. 17.* Interim hoc hic supponendum est, quia ex eo statim apparet responsio ad objectionem præsentem; omnemque aliam à conscientiâ vincibiliter erroneâ desumptam.

Objectio quarta.

15. Objicies 4. credat quis vincibiliter Deum sine peccato non posse diligi super omnia; huic licet operari contra conscientiam, alioquin peccaret Deum super omnia diligendo, quod nimis patenter est absurdum, quia impossibile est Deum super omnia diligere, & ipsâ dilectione peccare.

Solutio.

Resp. hominem sic credentem non esse sufficienter dispositum in actu primo, ut possit per amorem amicitiæ Deum super omnia diligere; nam eo ipso, quòd quis putet amorem Dei super omnia repugnare cum Dei voluntate, ita dispositus est ut

nequeat

Qui putat peccatum eſſe Deum ſuper omnia diligere, non eſt proxımè potens eſ amare ſuper omnia.

nequeat talem amorem ponere, quin in ſuâ voluntate contrarietur divinæ voluntati; adeóque quin Deum in ſuo affectu contemnat. Ergo non poteſt Deum ſuper omnia diligere; quia Deum ſic diligere eſt eum omnibus præferre, illiusque contemptum totis viribus averſari. Hæc eſt ratio clariſſima, cur amor Dei ex nullâ circumſtantiâ, aut fine malo, vel conſcientiâ erroneâ vitiari poſſit. Argumentum ergo quatenus ſupponit hominem ſic diſpoſitum, dum operatur contra conſcientiam, elicere amorem amicitiæ ſuper omnia, ad Deum terminatum, procedit de ſubjecto, ut aiunt, non ſupponente; poſſet quidem ille homo operari contra ſuam conſcientiam conando elicere fictum aliquem, ac apparentem, aut fortaſsè etiam verum aliquem amorem, ſed non poſſet elicere amorem amicabilem ſuper omnia. Peccaret ergo ponendo illum amorem, aut merè apparentem, aut certè imperfectum contra dictamen ſuæ conſcientiæ, ſicut peccaret exercendo alios actus virtutis, puta miſericordiæ &c. ſi crederet illos eſſe peccata.

QUÆSTIO DECIMA-SEXTA.

Vtrùm operans ex conſcientiâ invincibiliter erroneâ excuſetur à peccato?

Terminorum explicatio.

Ignorantia, & error, alius invincibilis, alius vincibilis.



1. IGNORANTIA, & error, alius eſt invincibilis, alius vincibilis. Ignorantia invincibilis eſt illa, quæ imputari non poteſt, ſeu quæ ineſt nobis abſque ullâ culpâ, aut cujuſvis præcepti violatione; ideò enim vocatur invincibilis. Hæc ignorantia duplex eſt, alia eſt penitus involuntaria, neceſſaria, & antecedens: alia aliquo modo voluntaria, libera, & conſequens. neceſſaria, involuntaria & antecedens eſt, quæ nullâ ratione nec directè nec indirectè, nec explicitè nec implicitè eſt volita, ſed antecedit omnem voluntatem, quæ ullâ ratione, etiam indirectè & implicitè vult ipſam ignorantiam.

Invincibilis alia neceſſaria, alia aliquo modo voluntaria.

Hæc ignorantia nullâ diligentiâ humanâ vitari poteſt, & propterea rigoroſiſſimè, & aptiſſimè dicitur invincibilis, ſeu inſuperabilis ignorantia, quia non eſt in poteſtate hominis illam amovere, cùm nullo modo dependeat à voluntate habentis talem ignorantiam.

Neceſſaria quæ?

2. Voluntaria & aliquo modo libera eſt, quæ licet aliqualiter vitari & vinci poſſit, non tamen debet ſuperari; eò quòd nulla lex ad eam vincendam obliget. Sic incurius ſciendi nova, quæ ſcire potuiſſet, ſi voluiſſet alios interrogare, & non curavit ſcire, quia noluit veritatem inveſtigare, habet invincibilem eorum ignorantiam, etſi illa ignorantia ſit libera, & aliquo modo volita. Hæc autem ignorantia, non ideò dicitur invincibilis, quia vitari & ſuperari non potuit, ſed quia non debuit; ex eo enim quod vinci non debuerit, ejus admiſſio imputari non poteſt ad culpam & reprehenſionem; in quo opponitur ignorantiæ vincibili, quæ non tam dicitur vincibilis, quia potuit, quàm quia vinci debuit. Unde patet, diviſionem ignorantiæ in invincibilem & vincibilem coincidere

Voluntaria quæ?

Diviſio ignorantiæ in vincibilē & in invincibilem coincidit cū illa in inculpabilē, & culpabilem.

cum

cum illâ, quæ dicit ignorantiam aliam esse inculpabilem, aliam culpabilem. Porrò hæc divisio æquè quadrat in errorem, ac in ignorantiam, à quâ error differt, quòd præter exclusionem veritatis cognitæ, involvat adhæsionem intellectualem falsitati contrariæ, propter quam adhæsionem error ab Authoribus vocatur ignorantia positiva, seu ignorantia pravæ dispositionis, quia per illum homo longiùs abest à veritate, & deteriùs disponitur ad illam acquirendam, quàm per ignorantiam negativam, per quam scilicet solùm ignorat veritatem, & non adhæret falsitati oppositæ.

Ignorantia invincibilis voluntaria est duplex.

3. Jam ignorantia aliqualiter voluntaria dupliciter est, & dicitur invincibilis, seu inculpabilis. Primò quando ignoramus aliquid, quia nulla ad veritatis indagationem diligentia fuit adhibita, quamvis illa facilè adhiberi potuisset; invincibiliter tamen id ignoramus, si nulla lex præcipiat talem diligentiam. Sic excusatur ab inurbanitatis & ingratitudinis notâ, qui Patri reduci non occurrit, eò quòd liberè ignoret inexpectatum ejus adventum, quem facillimè discere potuisset, si alios interrogasset de hospite, quem ex aliquo indicio certò novit advenisse; sed quia non obligatur hîc & nunc ad talem inquisitionem, propterea irreprehensibilis est, quòd Patri non occurrat. Secundò quando propter obligationem investigandi veritatem, eam inquirimus, sed post diligentem inquisitionem veritas adhuc ignoratur. In hoc etiam casu, tam ignorantia, quàm error est invincibilis, quia post diligentem veritatis inquisitionem adhuc perseverat, modò nulla detur obligatio veritatem ulteriùs inquirendi, aut judicium suspendendi; idcò enim error vel ignorantia illa imputari non potest, quia per voluntariam ejus admissionem nullum præceptum violatur.

4. Porrò hujusmodi ignorantia & error, etsi sint aliquo modo voluntarii, quatenus per majorem diligentiam superari potuissent, nihilominus sunt & dicuntur invincibiles, quia ad diligentiam illam majorem adhibendam nulla datur obligatio. Cæterùm si ejusmodi ignorantia ex ratione probabili incurratur, illa ab Authoribus vocatur ignorantia probabilis, ideóque etiam invincibilis, quia qui post seriam diligentiam tandem pervenit ad rationem probabilem, cui inhæret, non tenetur ad ulteriorem inquisitionem. Ita observat Vasquez *1.2. disp. 117. cap. 1.* & apud eum Corduba, qui conatur etiam ostendere, quomodo istiusmodi ignorantia verè dicatur invincibilis seu insuperabilis; quia aliquâ ratione superari non potuit, scilicet per diligentiam, quam homo tenebatur impendere.

Ignorãtia, & error probabili s sunt invincibiles.

5. Ignorantia vincibilis est, quæ imputari ad opprobrium potest, quæque consequitur ad violationem officii obligantis ad veritatis inquisitionem, & ignorantiæ hujus, si humano modo fieri possit, extirpationem. Porrò ignorantia vincibilis duplex est, alia crassa vel supina, alia affectata. Affectata ignorantia est, quam homo ex malitiâ amoliri non vult, sed directè vult illam, ne fortè, si veritatem sciat, deterreatur à suâ voluntate implendâ. Ignorantia crassa vel supina est, quæ solùm indirectè & per accidens est volita, quatenus aliquis contra suam obligationem, vel propter pigritiam, aut verecundiam, aliàmve causam similem omittit inquirere veritatem, vel quatenus ut alteri rei incumbat, negligit præceptum amoliendi ignorantiam, non tamen ex directâ intentione manendi in ipsâ. Hæc divisio ignorantiæ vincibilis ab aliis Authoribus aliter effertur. Hugo Cardinalis *in psal. 14.* dividit ignorantiam vincibilem in simplicem & affectatam, ait enim: *simplex dicitur ignorantia, quando homo non laborat scire, quod possit scire: affectata dicitur, quando aliquis ex industriâ omittit* scire,

Ignorantia vincibilis quæ? Alia crassa, alia affectata. Affectata quæ? Crassa quæ?

Hugo Cardinalis dividit ignorantiã vincibilem in simplicem & affectatam.

scire, ne scientia in eo aggravet peccatum, ne magis teneatur ad non peccandum. Deinde ex communi sensu Theologorum sic concludit: *ignorantia invincibilis excusat à tanto & toto: simplex excusat à tanto, & non à toto; affectata nec à tanto, nec à toto.* Ægidius *in 2. distinct. 22. art. 2. dub. 1.* hanc simplicem ignorantiam vocat *ignorantiam omissionis*, ait enim: *libenter sic ignorans vellet scire, sed non vult laborare, ut sciat, propter quod talis ignorantia habet aliquid de voluntario; talis enim ignorantia licèt non possit dici affectata, potest dici neglecta, vel per negligentiam continuata* &c. ubi etiam dicit, quòd, etsi dici non possit *commissa*, dici tamen possit *omissa*. Hæc notanda sunt, pro terminorum notione, quia infra hâc eorum notione indigebimus. Eâdem distinctione utitur magister *in 2. distinct. 22.*

Ignorantia vincibilis dicitur cõsequens.

6. Hæc ignorantia vincibilis dicitur consequens, quia consequitur ad voluntatem violativam præcepti de ipsâ amoliendâ. De hâc ignorantiâ S. Thomas *1. 2. quæst. 76. art. 4.* dicit, quòd crassa quidem diminuat, sed affectata augeat peccatum, propter intensum affectum peccandi, à quo ne quis impediatur, affectat ignorare divinam voluntatem, ut liberiùs peccet.

Ignorantia vincibilis aliquando est necessaria.

7. Interim etsi ignorantia vincibilis sit aliquo modo consequens ad voluntatem ignorantis, non tamen semper ita ab illâ dependet, ut ablatâ illâ voluntate auferenda sit etiam ignorantia; nam aliquando sumus in talibus circumstantiis, ut etsi conemur veritatem discere, adhuc illam addiscere non possimus. In hoc casu, qui omittit diligentiam debitam, manet in ignorantiâ crassâ, licèt per diligentiam suam illam amovere non possit. ergo ignorantia crassa aliquando est nobis necessaria; adeóque non ita ad voluntatem nostram consequitur, quasi unicè ab eâ dependeret. Nihilominus ad illam aliquo modo consequitur, quatenus voluntas illa est incompossibilis cum notitiâ veritatis, & ex se sufficeret ad ignorantiam inducendam, etsi illa ab aliis causis non dependeret. Quocirca sicut illa ignorantia non solùm ab aliis causis, sed etiam à voluntate ignorantis necessariò inducitur, ita etiam ab illius voluntate aliquo modo dependet, quatenus per illam est practicè volita per actum ex se efficaciter inductivum ipsius.

Error alius crassus, alius affectatus.

8. Quod dictum est de ignorantiâ vincibili, dici debet proportionaliter de errore, qui & crassus esse potest, & affectatus. Nec obstat, quòd error ut error intendi non possit, quia intellectus errori ut tali nequit assentiri; nam neque in hoc sensu dari potest error crassus, quia error ut error non est objectum intellectûs. eatenus ergo error potest esse crassus vel affectatus, quatenus actus ille, qui verè est erroneus, sed apparet verus, aut per negligentiam non deponitur, aut propter libidinem liberiùs faciendi quidquid sibi placuerit, ex directâ intentione manendi in illâ persuasione à voluntate imperatur. Sic multi ex hæreticis nostri temporis nolunt vel verbum in contrarium audire, sed ex directâ intentione manendi in sectâ suâ, quæ libertatem quandam peccandi concedit, nolunt veritatem discutere, ne si veritatem contrariam sciant, cogantur sensualia sua desideria non implere. Cæterùm ignorantia esse potest magis voluntaria quàm error, & consequenter magis affectata, quia ignorantia ut talis intendi potest; error autem ut error non potest intendi.

Status Quæstionis.

9. His positis pro terminorum notione, quæritur utrum conscientia invincibiliter erronea non solùm excuset operantem à peccato, sed etiam conducat ad honestatem operationis; à quâ quæstione breviter me expedire cogitabam, quia Theologi

Theologi omnes ritè sentientes, unà cum S. Thomâ, in affirmativam conspirant. Verùm coactus fui mutare consilium, quia Jansenius *in suo Augustino* contra communem & certam doctrinam insurrexit, docuitque ignorantiam invincibilem non excusare à peccato, non tantùm denominativè sed verètali, seu à peccato habente veram ac propriam imputabilitatem ad culpam & pœnam peculiarem, diversam à malitiâ cujusvis alterius peccati, & à pœnâ alteri cuicumque peccato debitâ. Hoc ut probet Jansenius: *Tomo 2. de statu naturæ lapsæ libro 2.* pro *capite 2.* hunc titulum ponit. *Ignorantia etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est invincibilis, non caret peccato: ut dogma fidei ab antiquis traditum*: quam doctrinam ex variis locis Augustini confirmare nititur. Verùm paulò post cap. 5. utitur distinctione de ignorantiâ juris & facti; suamque doctrinam non vult intelligi de ignorantiâ facti, illam enim ex mente Augustini putat excusare à crimine; idcircò limitat assertionem suam ad ignorantiam juris, quod quia aliud est naturale, aliud positivum, iterum limitat assertionem ad jus naturale, & asserit ignorantiam invincibilem juris divini positivi excusare transgressores à peccato, sed ignorantiam legis naturalis, etsi invincibilem, transgressores à peccato non excusare. Fundamentum discriminis in eo ponit, quòd lex positiva, sicut & veritas hujus vel illius facti, nullam habeat necessariam connexionem cum naturâ innocente, cum quâ tamen naturalis legis notitia necessariò connectitur, nam cùm natura sine naturalis legis scienciâ ad finem suum pervenire non possit, sequitur creaturam rationalem tali notione aliter quàm in pœnam peccati privari non posse. Hac autem, utpotè debitâ, dum in pœnam peccati privatur, per talem ignorantiam, quæ essentialiter est pœna peccati, non excusatur quò minùs peccet, quando per illam facit, quod lege naturæ facere non debebat. Itaque per eum ignorantia legis naturalis, etsi invincibilis, est vitiosa & ad peccatum imputatur, cùm ignorantia invincibilis tam legis positivæ, quàm facti non sit vitiosa, quia utrumque absque peccato ignorari potest ab innocente, & ideò quæ ex tali ignorantiâ fiunt, nec sunt, nec computari debent ut peccata. Ita Jansenius, cujus doctrinam ejus asseclæ ambabus ulnis amplectuntur, & magnificè, sub specie doctrinæ augustinianæ deprædicant. Horum novatorum falso dogmati, in quo adversarii potissimùm se fundant, ut ipse etiam pro modulo meo, datâ occasione, occurram: & fundamenta novæ Jansenianæ hæresis sub hâc doctrinâ latentia convellam, paulò fusiùs præsentem quæstionem explicandam suscipio; in quâ tamen ad nihil divertam, nisi quod necessarium est ad invincibilis ignorantiæ notionem penetrandam; cùm sine ejus exactissimâ notione & examine principalis quæstio resolvi non possit.

Jansenius contra torrentè omniû Theologorum docet ignorantiam juris naturalis, etsi invincibilem, non excusare à peccato.

Necessitas & ratio, propter quam præsens quæstio fusiùs tractari debuerit.

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Ignorantia, quæ ab initio fuit vincibilis, quia depelli poterat & debebat, postmodum fieri potest invincibilis, ita, ut ampliùs ad peccatum imputari non possit, licèt ab initio imputaretur ad peccatum.

Ignorantia vincibilis evadere potest invincibilis.

10. Probatur, imò evincitur assertio. Sit aliquis, qui ex pudore interrogandi alios, contra obligationem suam vincibiliter ignoret quid credendum sit de Eucharistiâ, an scilicet ejusdem sumptio sub utrâque specie sit necessaria necessitate medii. Immò ponamus illum vincibiliter errare circa hocipsum, & putare sumptionem

Probatur exemplo clarissimo.

ptionem sub utrâque specie esse necessariam in re vel voto. Dico hanc ignorantiam evadere posse invincibilem, & excusare illum à peccato, quando cupit sumere utramque speciem. Fingamus enim illum à Turcis captivum abduci, ubi nulla datur illi commoditas hanc ignorantiam deponendi; in hoc casu potest illum pœnitere tam peccati, per quod ignorantiam illam contraxit, quam aliorum omnium, atque ita ille per contritionem justificari poterit. His peractis, ignorantia illa non est ampliùs vincibilis, quia hîc & nunc vinci non potest ab eo, qui habet animum omninò præparatum ad eam, si posset, superandam. Ratio est, quia amplius imputari non potest ad peccatum, alioquin ille per pœnitentiam justificari non posset, nec ullum illi volenti & conanti remedium superesset ad salutem, quamdiu ignorantiam tollere non posset. At illam simpliciter non potest, etsi velit, tollere. ergo non potest justificari. Sequela autem est contra fidem in innumeris sacræ Scripturæ locis sufficienter expressam. Ezech. *18. 23. Numquid voluntatis meæ est mors impii dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Josiæ *55. 7. Derelinquat impius viam suam, &c. & revertatur ad Dominum & miserebitur ejus &c.* nec desunt alia similia innumera.

Ignorantia olim vincibilis post pœnitentiam seriam evadit invincibilis.

11. Rursus neque desiderium à tali errore profectum est amplius imputabile ad peccatum; ponatur enim ille jam morti proximus desiderare communionem sub utrâque specie, atque ita Deum affari. *Domine tu scis me desiderare tuam voluntatem implere, sed illam ego nescio, facio tamen quod conscientiâ meâ teste puto me debere; & ideò desidero sub utrâque specie si possem communicare, quia sic existimo te velle, paratus oppositum cupere, si scirem aut putarem, te id à tuis fidelibus exigere.* Dico hunc actum imputari non posse ad peccatum, quamvis ex vi ignorantiæ, & erroris præteriti adhuc perseverantis, cupiat rem prohibitam. Ratio est, quia alioquin ille jam justificatus operando hîc & nunc meliori modo quo scit & potest, necessariò peccaret; quæ est hæresis Janseniana ab Innocentio X. condemnata. Ecce ignorantia olim vincibilis, si de præsenti retractetur, & hîc & nunc non possit vinci, non est ampliùs vincibilis, nec ampliùs imputari potest ad peccatum, sed evadit invincibilis.

Igitur omnis ignorantia est invincibilis, quæ hîc & nunc superari non potest à faciente quod in se est, & cupiente illam superare; itaque homo, qui hèri & potuit & debuit ignorantiam superare, qui hodie, quando desunt illi media ad veritatem sciendam necessaria, absolutè vellet eam deponere, si posset, talis, inquam, homo hîc & nunc habet invincibilem veritatis ignorantiam, quæ proinde illi ad novam culpam imputari ampliùs non potest. Tamdiu ergo solùm imputatur ignorantia ad culpam, & est vincibilis, quamdiu est voluntaria. Quod si prior voluntas retractetur per pœnitentiam, & ille homo velit quantum in se est implere præceptum de veritate cognoscendâ, eo ipso ejus ignorantia evadit hîc & nunc invincibilis, & excusat à peccato per se imputabili, quidquid in contrarium contendunt Lutherus, Calvinus, & Zanchius, à quibus Jansenius accepit quidquid de ignorantiâ invincibili tradidit, uti evincit des Champs *de hæresi Jansenianâ lib. 1. disp. de ignor. invinc.*

ASSERTIO SECUNDA.

Potentia implendi præceptum liberè perdita, non ampliùs imputatur ad novum peccatum post sufficientem retractationem voluntatis, per quam fuit perdita.

Potentia implendi præcepti liberè perdita post seriam pœnitentiam nō amplius imputari potest ad culpam; sed evadit invincibilis & inimputabilis.

12. Probatur assertio contra Lutheranos, Calvinianos, & Jansenistas, qui docent

Probatio. docent potentiam liberè perditam virtualiter non esse perditam, sed semper imputari ad culpam. Sint duo sacerdotes in medio mari in itinere Indico constituti, quorum alter, altero inscio, ne vexetur quotidie in recitandis horis canonicis projiciat utriusque breviarium in mare. Ecce sic sacerdos liberè reddidit seipsum impotentem ad recitandas horas canonicas, ad quarum tamen recitationem tenetur. Dico hanc impotentiam, si semel voluntas prava, qua dictam impotentiam contraxit, retractetur, non esse ampliùs imputabilem ad novum peccatum; sed perinde se habere, ac si nunquam fuisset voluntaria, quod sic probo. Ponamus enim Sacerdotem illum iniquum alterius reprehensione resipiscere, pœnitentiam agere, atque etiam à peccato contracto sacramentaliter absolvi, atque justificari. In hoc casu, si potentia prior adhuc virtualiter maneret, & impotentia satisfaciendi obligationi adhuc imputaretur ad culpam, homo ille justificatus, faciendo quidquid potest, necessariò peccaret, justitiamque suam perderet; quod est hæreticum, & expressè condemnatum ab Innocentio X. in Jansenio. itaque potentia perdita post seriam pœnitentiam non ampliùs manet, ne virtualiter quidem voluntaria & imputabilis, sed moraliter loquendo post retractationem non aliter reputatur, quàm si necessaria fuisset, non libera; quia prava voluntas jam retractatur, & homo ille ex se promptus est ad suam obligationem implendam, si posset, ideóque effectus omnes à priori malitiâ necessariò profluentes, eo ipso evadunt involuntarii, & consequenter non possunt esse peccaminosi, sicut erant, quamdiu manebant voluntarii, quales erant, donec prior voluntas retractaretur.

Objectio solutio. 13. Dices: omissio horarum canonicarum, etsi hîc & nunc sit necessaria, est tamen libera in causâ, sicut erat in primo instanti, ergo non minùs est peccatum illas nunc omittere, quàm tunc.

Solutio. Resp. quòd illa impotentia non sit eodem modo libera illi pro hoc, sicut erat pro primo instanti; nam pro primo poterat poni & non poni; in hoc autem impediri non potest; pro primo erat voluntaria; pro hoc instanti est involuntaria. ergo pro primo instanti erat peccatum, non autem pro præsenti, in quo nec libera est, nec voluntaria. Itaque non omne quod olim fuit liberum in causâ, & ideò imputabatur, potest postea imputari, quamvis semper physicè perseveret dependenter à priore voluntate. Dicere ergo, quod imputabile merè propter libertatem in causâ sit illud, quod necessariò oritur à causâ, quam nunc non possum tollere, sed olim poni, est propositio hæretica, si sensus sit, illud nunc dici & esse peccatum, cujus malitia de novo imputatur. Ratio est evidens ex dictis, quia ille sacerdos post pœnitentiam & justificationem necessariò peccaret, eò quòd horas, ad quas per se loquendo obligatur, recitare non posset propter causam, quam olim impedire poterat, quamvis nunc illam impedire non possit; hoc enim per se sufficit ad peccandum de novo, & ad contrahendam malitiam verè de novo imputabilem. At hæreticum est hoc dicere.

Exponitur quid sit imputabile propter causam antea liberè sed irrevocabiliter positam. 14. Aliter ergo definiendum est objectum imputabile propter libertatem in causâ, illud enim solùm est imputabile propter libertatem in causâ, quod necessariò procedit ab aliquâ causâ, quam ego hic & nunc vel possum tollere & non tollo, vel si meâ culpâ factum est, quod non possim eam tollere, adhuc aut absolutè aut interpretativè nollem eam tollere, si possem. Uno verbo illud solùm est imputabile propter libertatem in causâ, quod procedit à causâ necessariâ, cujus existentia vel liberè hîc & nunc ponitur, vel certè hîc & nunc

 liberè

liberè amatur, quatenus prior voluntas, indebitè ponens causam mali subsequentis, liberè non retractatur, sed moraliter perseverat. Si enim liberè, pono causam necessariam effectûs mali ille effectus mihi imputatur, quia non impedivi causam, quam poteram impedire. Quod si sciens & volens causam posuerim; eamque postea non possim tollere, tunc effectus malus tamdiu mihi tribuitur, quamdiu mihi placet. Placet autem tamdiu, quamdiu placet mihi me causam necessariam illius posuisse. Hoc tamdiu placet, & moraliter imputatur, quamdiu non retracto illam voluntatem, per quam dictam impotentiam contraxi. Cæterùm objecta mala, quæ jam omninò independenter à meâ præsenti libertate necessariò consequuntur, non imputantur ut peccata habentia malitiam distinctam à malitiâ primi actûs, per quem causa eorum fuit posita, sed solùm ut mala, quæ à primâ illâ voluntate liberâ denominantur peccata; & ideò ratione illius imputantur tanquam mala, quæ debebam & poteram vitare, sed nolui; sic in occisione hominis, explosio bombardæ, glandis accessus, ictus, vulnus inflictum, & homicidium imputantur, & denominantur peccata ab eâdem malitiâ morali, quæ inest voluntati, quâ liberè posita fuit causa, à quâ omnia reliqua necessariò consequuntur.

ASSERTIO TERTIA.

Consilium Calvinistarum, Lutheranorũ, & Jansenistarum detegitur.

Propositum sit causam radicalem exponere, propter quam Calvinistæ, Lutherani, & Ianseniste doctrinam duabus istis assertionibus contrariam magni faciant, eámque mirificè deprædicent.

15. Calvinistæ & Lutherani acerrimè negant homines habere libertatem ad peccandum & non peccandum. Hanc hæresim palmarem, & insignem blasphemiam, ut plausibiliùs tradant, & altiùs infigant, eam per hoc confirmant, quòd ignorantia, semel volita, semper moraliter maneat voluntaria, & sit verè vincibilis, atque ad peccatum & reatum imputabilis, donec reipsâ tollatur. Unde sequitur homines, qui olim aliquid vincibiliter ignorarunt, quique hic & nunc eam deponere non possunt, necessariò peccare; quia quidquid agunt necessariò imputatur ad peccatum. Nam operari contra conscientiam est peccatum; rursus sequi conscientiam operantem ex errore aut ignorantiâ vincibili peccatum est. Homo autem constitutus in errore vincibili non potest non operari vel juxta vel contra dictamen erroneum. ergo necessariò peccat. ergo ad peccandum non requiritur libertas ad non peccandum. Sic illi suam hæresim conantur stabilire.

16. Aliud etiam afferunt exemplum de eo, qui voluntariè perdidit potentiam implendi præceptum Dei. De hâc impotentiâ, utpotè liberâ & voluntariâ in causâ, enunciant, quòd nullatenus excuset, sed semper imputetur ad peccatum. Unde iterum sequitur hominem, qui se in talem impotentiam conjecit, non posse hîc & nunc, etsi velit, non peccare. Atque ita suam blasphemiam apparentibus & plausibilibus Sophismatibus cohonestare nituntur. Nil ergo mirum quòd doctrinam positis assertionibus contrariam omni conatu defendant, eamque instar scuti ad hæresim suam defendendam ubique obtrudant.

17. Jansenistæ similiter, inter suas hæreses, aliquas habent quasi fundamentales, à quibus cæteræ dependent. Præcipuæ autem sunt duæ, Calvinistarum hæresi jam citatæ prorsus affines. Prima est ista. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quâ possibilia*

possibilia fiant. Altera verò sic se habet. *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Has duas propositiones Innocentius X. in quadam constitutione, quæ incipit *cum occasione impressionis*, anno 1653. editâ, tamquam hæreticas expressè damnavit. Prima harum propositionum manifestè sequitur ex doctrinâ, quam in duabus jam positis assertionibus ex hoc ipso rejecimus, quamque illi proinde, utpotè suæ hæresi faventem, illique inducendæ opportunam, magni faciunt. Secunda etiam eorum propositio necessariò connectitur cum doctrinâ in eisdem impugnatâ, maximè verò cum eo, quòd impotentia implendi præceptum, liberè admissa, semper imputetur ad culpam, donec reipsâ amoveatur; inde enim sequitur quòd aliqui absque indifferentiâ ad oppositum peccent, ii scilicet, qui potentiâ ad legem Dei custodiendam se sponte privarunt. Unde inferunt; quòd libertas indifferentiæ ad propriè peccandum non sit necessaria, sed sola libertas à coactione sufficiat. Neque huc tantùm respiciunt Jansenistæ, dum tradunt doctrinam assertis jam positis contrariam, sed multò maximè in eundem scopum respiciunt, quando contendunt ignorantiam legis naturalis, etsi invincibilem, non excusare à peccato. Inde enim iterum utramque hanc hæresim confirmant, quia tam pueri baptizati semper apud infideles educati, aliique variis de causis sæpè patiuntur ignorantiam legis naturalis penitus invincibilem, deestque illis hic & nunc possibilitas eam ignorantiam deponendi. ergo etsi justi sint, necessariò peccant. ergo ad demerendum non requiritur libertas indifferentiæ. Sic argumentantur Jansenistæ, & non aliter quàm Calvinistæ strenuè insistunt tam doctrinis hic impugnatis, quàm illi de imputabilitate operis ex ignorantiâ invincibili contra legem naturalem commissi, ut ita suas hæreses sub pallio verisimilitudinis imprudentibus obtrudant. Verùm apud cordatos Catholicos, eorum consilia detexisse sufficit, ac ostendisse inter doctrinas hactenus impugnatas, & dictas hæreses necessariam connexionem mediare; hoc enim est quæstionem determinasse, ac litem vicisse.

ASSERTIO QUARTA.

Voluntas conformans se conscientiæ invincibiliter erranti, etiam circa legem naturalem, non peccat, sed aut semper, aut plerumque laudabiliter operatur. Ignorantia & error invincibilis etiam legis naturalis excusat à peccato.

18. Probatur primò authoritate irrefragabili, inprimis sacræ Scripturæ Joan. 15. 22. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent*: & vers. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, quia scilicet ignorantia invincibilis eos excusasset. Deinde accedit authoritas Ecclesiæ per tres summos ejus Pastores Pium 5. Greg. 13. & Urbanum 8. damnantis in Baio & Jansenio hanc propositionem; *ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium.* Hi Pontifices declarant, voluntarium esse de ratione peccati; quia condemnant oppositum. Voluntarium autem non est, quod non est cognitum. ergo quod procedit ab ignorantiâ invincibili, nullo modo est peccatum, cum nullo modo sit cognitum. Quod verum est, sive loquamur de ignorantiâ juris positivi, sive juris naturalis. Hæc etiam propositio, *infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est*, ab eisdem Pontificibus damnata est, cujus damnationis aliud fundamentum non est, nisi quia ignorantia invincibilis excusat à peccato. Sed & Aug. *tract. 89. in Io.* quærit, *utrum hi, ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, habeant excusationem de peccato suo?* & respondet

Probatur ab authoritate.

Voluntariū est de essētiâ peccati.

Infidelitas purè negativa, si sit invincibilis, non est peccatum.

respondet hoc modo. *Respondeo, habere excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non evenit, & quibus non est locutus.* Quid clarius? Jam nulla est ratio, cur ignorantia invincibilis excuset potiùs in unâ, quàm in aliâ materiâ. ergo æquè excusat in omni. Chrysostomus *homil. 13. in epist. ad Rom.* hæc habet: *Nemo unquam ignoranter peccavit &c. si enim ignoranter peccaverunt indigni utique erant, qui pœnas darent*: Huic adde Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras; sed quòd negligis quærere, quod ignoras.* Hanc sententiam Aug. repetit in operibus post Pelagianismum, & contra illum scriptis; eam habet *lib. de nat. & grat. cap. 65.* & rursus *lib. 1. retract. cap. 9.* & loquitur de hominibus in statu naturæ lapsæ, quia refert querelas eorum contra infirmitatem, cæcitatem & ignorantiam propter peccatum Adæ contractam, illisque non obstantibus, persistit in doctrinâ eâdem. Adde *propositionem 67.* Baii à dictis Pontificibus fuisse damnatam, nempè: *Hominem damnabiliter peccare in eo quod necessariò facit*: Hæc propositio ex Jansenii doctrinâ evidenter infertur, nam invincibiliter ignorans legem naturalem multa necessariò omittit & facit, quæ si essent peccata, ut vult Jansenius, utique damnabiliter peccaret in eo, quod necessariò faceret.

Nemo damnabiliter peccat in eo, quòd necessariò facit.

19. Rursus Concilium Trid. *sess. 6. can. 6.* hæc habet: *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere &c. Anathema sit.* Sermo autem est de hominibus in statu naturæ lapsæ constitutis. Huic definitioni repugnat sententia Jansenii, quia ignorantia invincibilis, teste Jansenio *lib. 6. de grat. Christi cap. 36.* impedit quominùs opus ad illam consequens sit in hominis potestate; & licèt ipse id non concederet, lumen naturæ id docet, quia illud tãtùm est in potestate nostrâ, quod voluntarium est, & liberum. At ignorantia invincibilis evidenter tollit utrumque. ergo efficit, ne actio sit in potestate nostrâ. ergo efficit, ne sit peccatum. itaque excusat. Huc etiam facit Constitutio Innocentii X. in quâ hæc propositio: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate*, declarata est hæretica. Similiter hæc propositio, *homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit*, damnata est à tribus dictis Pontificibus in Baio; sed & facultas Sarbonica an. 1560. die 27. Junii damnavit hanc propositionem: *Homo faciendo quod in se est peccat, & non potest non peccare, faciendo quod in se est.* Hæc omnia clarè inferunt, opus ex ignorantiâ invincibili patratum non esse peccatum ratione sui imputabile, quia alioquin propositiones damnatæ essent veræ.

Concilium Tridentinum.

Ratio hæc in Authoritate fundata apertè convincit intentum de præceptis positivis, quæ violantur sine ullâ operatione etiam materialiter liberâ; si enim aliquis invincibiliter numquam de Deo cogitaret, numquam haberet in suâ potestate posse Deum amare; ergo necessariò faceret contra legem naturalem, & per Adversarios peccaret, etsi non esset in suâ potestate aut actionem illam malam omittere, aut bonam actionem illi oppositam ponere. Immò ratio hæc æquè valet de præceptis negativis, puta, *non furtum facies &c.* nam si quis invincibiliter ignoraret malitiam furti, non esset in illius potestate contrahere malitiam furti, quia talis malitia non esset illi voluntaria, nedum libera. Nec dicas actionem furti esse illi liberam, quatenus actio est, liberrimè enim utitur re alienâ; quamvis non sit libera aut voluntaria, quatenus mala est; nam contrà: quia si hoc sufficit ut actio quatenus mala tribuatur culpæ, eò quòd fuerit libera quatenus actio physica est; ignorantia facti non excusaret; nam actio, quâ Jacob accessit ad Liam, erat libera, quatenus

quatenus actio erat. ergo erat imputabilis quoad malitiam, quia reipsâ & mala erat, & quoad substantiam libera, etsi prout mala, nec libera esset, nec voluntaria. At per ipsos Adversarios ignorantia facti excusat, quia malitia, quâ talis, non est imputabilis, nec continetur in hominis potestate. ergo ignorantia juris pariter excusat, cùm sit par ratio excusationis pro utrâque.

Demonstratur 2. ratione.

20. Demonstratur 2. ratione. Et quidem inprimis voluntas sic operans non peccat, quia ubi tollitur voluntarium, tollitur peccatum. At ignorantia invincibilis tollit voluntarium. ergo & peccatum. Exemplo rem declaro, existimet aliquis per ignorantiam invincibilem mendacium esse licitum; in hoc casu malitia mendacii invincibiliter ignoratur; ergo nulla malitia mendacii hîc & nunc est voluntaria, quia ignorantia antecedens seu invincibilis tollit voluntarium, causat enim involuntarium simpliciter, ut omnes unanimiter docent in tractatu de voluntario, & ipsa ratio demonstrat, quia nil volitum, quòd nullo modo præcognitum est; at quod invincibiliter ignoratur, nullo modo prægnoscitur, ne quidem implicitè in lege obligante ad veritatis investigationem, quia nulla urget obligatio ad veritatem rei investigandam, ut supponitur, alioquin ignorantia illa esset vincibilis. ergo mentiens ex ignorantiâ invincibili non contrahit malitiam mendacii. ergo non peccat. Evidens enim est quod ex vi talis actûs nullam contrahat malitiam, præter malitiam mendacii propriam. At illam non contrahit. ergo nullam.

Ignorantia invincibilis tollit voluntarium.

Mentiēs, si invincibiliter judicet mēdacium Deo placere, laudabiliter operatur.

21. Quod verò mentiens v. g. ex errore, quo invincibiliter putat mendacium esse rem Deo gratam, laudabiliter operetur, probatur, quia actus voluntatis non aliter dependet à prævio dictamine conscientiæ ad contrahendam malitiam, quàm ad bonitatem contrahendam. At actus voluntatis discordans à dictamine conscientiæ, etsi erroneo, malus est, eamque rationem malitiæ contrahit, quam dictamen errans proponit, ut constat. ergo actus conformis dictamini conscientiæ, sed invincibiliter erranti, bonus est; eamque rationem bonitatis acquirit, quam dictamen falsum proponit. Neque enim major vis est in dictamine falso ad refundendam malitiam in actum difformem, quàm ad refundendam bonitatem in actum sibi conformem; maximè verò quando cætera sunt paria; sunt autem evidenter paria, quando dictamen falsum, cui actus conformatur, est invincibiliter erroneum. Error enim, cùm sit invincibilis, impediri non potest, quominùs eam in actum sibi conformem bonitatem refundat, quam repræsentat. Porrò quia quoties aliquid creditur non esse peccatum, toties aut semper aut plerumque idipsum creditur esse honestum, ideò aut semper aut plerumque laudabiliter operatur, qui operatur ex conscientiâ invincibiliter erroneâ.

Probatur 3. à posteriori.

22. Demonstratur 3 à posteriori. Unusquisque si objurgetur de aliquo crimine, sufficienter se justificatum existimat, si crimen invincibiliter ignoraverit, quia eo ipso erat penitus involuntarium. Similiter si coram aliis clarè possit evincere, se illud crimen invincibiliter ignorasse, indubitanter putat se à merito omnis objurgationis & pœnæ seipsum apud alios liberâsse. ergo omnibus naturæ lumine insitum est, operationem ab ignorantiâ invincibili causatam non esse peccaminosam, aut reprehensione dignam.

Confirmatur authoritate Augā.

23. Confirmatur. Lumine naturali adeò verum est, neminem esse dignum supplicio propter opus absque libertate commissum, ut Aug. *lib. de duabus anim. cap. 11.* id omnibus lumine naturæ esse notissimum asserat; & *lib. de verâ relig. cap. 14.* addat, quod *nulla doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* At quod fit cum invincibili

ignorantiâ, non solùm non fit liberè, sed ne quidem voluntariè. ergo non potest esse dignum supplicio. Quod si sit liberum in causâ, in causâ pariter erit culpabile & supplicio dignum; sed non in seipso, quod solùm contendimus.

Probatur 4. directè de ignorantiâ juris naturalis.

24. Probatur 4 idipsum directè de ignorantiâ juris naturalis, de quâ singulare habetur testimonium Pauli *ad Rom. 1.* ubi cùm dixisset Ethnicos, qui naturâ duce ex creaturis Deum sufficienter noverant, fuisse inexcusabiles, subdit causam, cum quâ concludit dicens vers. 21. *quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt; aut gratias egerunt.* Hinc arguo sic: de jure naturæ est Deum colere & glorificare; ignorantia tamen invincibilis Dei non colentes Deum à peccato excusat; alioquin Paulus non assignâsset veram rationem, cur Ethnici fuerint inexcusabiles Nam per Adversarios, etsi Deum penitus ignorâssent, fuissent inexcusabiles, quòd illum non glorificâssent, neque illi gratias egissent; imò phrenetici, & aliter quomodocumque impediti, qui habent invincibilem Dei ignorantiam, peccarent Deum non glorificando, quia ex ignorantiâ omittunt, quod jure naturæ tenentur Deo exhibere. Nec obstat, quòd non liberè omittant, quia hoc per adversarios non requiritur, nam ignorantia invincibilis tollit ab actione rationem voluntarii, & liberi. Neque enim liber sum ad faciendum illud, de quo invincibiliter non cogito. Idem valet de quovis etiam usum rationis habente, qui Deum invincibiliter ignorat. At hoc quantum distet à mente Apostoli, & à doctrinâ, per quam docet, de quibus & quomodo infideles fuerint culpabiles, judicet quilibet.

Paulus ad Rom.

Objectiuncula.

25. Dices: Nemo laborat ignorâtiâ invincibili Dei, quia omnes lumine naturæ eum nôrunt, ideóque Apostolus attulit unicam & veram causam inexcusabilitatis, quia supponit eos habuisse notitiam Dei, ac proinde ideò fuisse culpandos, quòd Deum agnitum non glorificaverint. Sed contrà, quia si non datur ignorantia invincibilis Dei, nullius legis naturalis ignorantia esse potest invincibilis, quia non est potior ratio de unâ quàm alterâ. At hoc est contra suppositum. Sed esto: sit aliquod punctum legis naturalis invincibiliter ignotum scienti Deum. Ponamus hunc facere quod potest, Deumque glorificare, omniaque præstare, quæ potest & novit, ut Deo obtemperet. Peto an talis sit peccaturus necne? Si neges. ergo ignorantia invincibilis legis naturalis excusat. Si affirmes, ergo falsum est infideles ideò esse inexcusabiles, quia Deum agnitum non glorificaverunt; nam etsi eum glorificassent, adhuc fuissent inexcusabiles, quod sine dubio repugnat menti & intento Apostoli. Si verò dicas eos eo ipso habituros fuisse lumen, quo totum jus naturæ cognoscerent, si Deum uti poterant glorificassent, jam sequitur omnem ignorantiam juris naturalis esse culpabilem, nisi ignorantia Dei esse possit invincibilis, adeóque tu ipse tuam destruis hypothesim. Itaque fatendum est ignorantiam invincibilem Dei (si detur) excusare non colentes Deum à peccato; & sive detur sive non detur, fatendum est, quod si daretur excusaret. Hoc enim efficaciter probat locutio Apostoli. At hocipsum sufficit, nam illa si daretur excusaret, ergo alia quævis, quæ datur, excusat.

Solutio.

Confirmatur. 2.

26. Confirmatur ex illo Christi, *si non venissem, & locutus eis fuissem &c.* nam Christus, eo ipso quòd veniat, est caput omnium, eique non ex lege positivâ, sed naturali multò magis debetur veneratio & obedientia, quàm debeatur parentibus carnalibus. Ergo si ignorantia invincibilis incarnationis defectum venerationis & obedientiæ Christo debitæ à peccato excusat, uti Christus ipse testatur, multò magis ignorantia invincibilis venerationis debitæ parentibus,

quæ

quæ tamen debetur illis jure naturæ, à peccato excusabit. Confirmatur 2. Deo per os Christi, idest per os proprium, personaliter loquenti non minus obediendum est, quàm sit illi per lumen rationis naturalis, quasi per os alienum, loquenti obtemperandum. At ignorantia invincibilis Dei per os Christi loquentis, eò quòd vel Christus loquens non audiatur, vel quòd, etsi audiatur, invincibiliter ignoretur esse Deus, excusat non obtemperantes à peccato. ergo non minùs ignorantia invincibilis legis naturalis, seu non auditio legis naturalis per lumen rationis promulgatæ, excusat à peccato. Et sanè Christus totam excusabilitatem Judæorum refundit in ignorantiam invincibilem. ergo ubicumque est par ignorantia, par est excusabilitas. ergo ignorantia invincibilis legis naturalis excusat.

Probatio 5. ad hominē contrà Jansenium. 27. Probatur 5. singulariter contra Jansenium ejusque asseclas, qui in hâc re omninò inconsequenter philosophantur; non enim ulla ratio est, cur ignorantia invincibilis legis divinæ positivæ magis excuset à peccato, quàm ignorantia legis naturalis; Deus enim à suis subditis non magis exigit hujus, quàm illius observationem; nec minùs punit transgressionem illius, quàm hujus. Rursus involuntaria & merè materialis violatio unius non magis opponitur voluntati divinæ, quàm alterius; nam vitaliter, & juxta conscientiam operantis, nulla omninò supponitur esse transgressio; ergo vel utraque, vel neutra ita opponitur voluntati divinæ, ut imputari possit ad peccatum. Homini innocenti æquè debetur notitia legis positivæ ac naturalis. Præterea disparitas illa, seu radix, ut aiunt, arcana à Jansenio allata, scilicet quòd legis naturalis notitia sit homini innocenti debita, illique absque peccato denegari non possit, nulla est; nam etiam notitia legis positivæ, si semel à Deo stabilita sit & promulgata, debetur homini innocenti; illique negari non potest, nisi dependenter à peccato: Si enim Adam non peccâsset, æquè habuissemus notitiam legum positivarum ac naturalium, & per ejus peccatum æquè ab utriusque notitiâ excidimus; imò magis à notitiâ legum positivarum, quia magna legis naturalis notitia etiam post lapsum remansit. ergo vel utraque vel neutra ignorantia verti debet vitio. Præterea connexio major vel minor cùm naturâ non fundat immediatam malitiam Theologicam, sed sola oppositio cum voluntate Dei, seu primâ regulâ honestatis. Ergo si duæ actiones ponantur esse æqualiter contrariæ voluntati divinæ, æqualem contrahent malitiam, sive earum notitia sit sive non sit æquè debita naturæ. Sed actio quævis contra legem positivam æquè opponitur legi à Deo latæ, atque actio contra legem naturalem. ergo &c. Demum Deus non est dignior obedientiâ circa legem naturalem; quàm circa positivam; nec voluntas, quâ legem naturalem condidit, est sanctior voluntate æternâ, quâ positivam stabilivit. Ergo cæteris paribus non potest esse turpius uni quàm alteri contravenire. ergo vel omnis vel nulla ignorantia invincibilis excusat à peccato. At certum est ignorantiam invincibilem, tum facti, tum legis positivæ tam divinæ quàm humanæ, excusare; ut Jansenius ipse fatetur, & cumulatis etiam ab Augustino authoritatibus confirmat. Ergo æquè certum est ignorantiam invincibilem legis naturalis à peccato excusare, & Jansenistæ inconsequenter discurrunt, dum alteram asserunt, alteram negant excusare.

28. Dices homo, præcisè quia homo est, tenetur non ignorare legem naturalem, non autem tenetur scire factum quodvis, aut quamvis legem positivam. ergo eo ipso quòd non cognoscat legem naturalem, id ei imputatur ad peccatum; nec excusatur per ignorantiam; sicut oppositâ de causâ excusatur, si ignoret factum aliquod, aut legem positivam. Replica.

 Resp.

Solvitur replica.

Æquè tenemur scire leges positivas ac naturales, modò Deus ad nos dirigêdos condat leges ejusmodi.

Resp. hominem per se æquè teneri ad sciendam omnem legem Dei etiam positivam, modò illa lex positiva ideò lata sit, ut dirigat illum hominem pro statu, in quo constitus est. ergo per se loquendo par ignorantia utriusque debet imputari. Verùm hæc est diversitas, quòd ignorantia legis positivæ sæpissimè sit invincibilis, cùm ignorantia legis naturalis valdè rarò careat culpâ, & imputabilitate, quia ipsum lumen naturæ plerumque vel clarè ostendit ipsam legem, vel certè dat causam dubitandi de honestate eorum, quæ lege naturæ prohibentur: adeóque ad veritatis inquisitionem obligat; quæ dum negligitur, ignorantia evadit vincibilis; quod in ignorantiâ legis positivæ sæpè non contingit.

Alia solutio.

29. Deinde respondeo, obligationem illam non ignorandi legem naturalem solùm arguere, quòd ignorantia legis naturalis sit illi imputabilis, quia vinci potuit, & debuit. Quod si supponamus hominem invincibiliter ignorare legem naturalem, antecedens argumenti falsum est; nisi sermo sit de obligatione remotâ; quatenus vel ipse, vel ejus primus parens, in quo peccavit, tenebatur nomine ipsius non peccare, & consequenter non refundere ignorantiam talium legum in suos filios. At hoc æquè valet de ignorantiâ legis positivæ, & solùm probat hominem peccâsse in causâ, non autem peccare nunc de præsenti per novam imputabilitatem. ergo ignorantia invincibilis unius legis non est magis imputabilis, quàm ignorantia invincibilis alterius. Quare pressè ad argumentum dico, hominem, præcisè quia homo est, per se quidem teneri ad sciendam legem naturalem, quia lex illa per se loquendo non potest non existere, & aut directè, aut certè indirectè innotescere, eo ipso quòd homo existat. Hoc autem non valet de lege positivâ, quia homo existere potest etiam per se loquendo, absque eò quòd ulla ejusmodi lex positiva constituta sit. Hinc autem solùm sequitur, quòd ignorantia legis naturalis, loquendo per se, imputetur homini, quia per se loquendo illa ignorantia semper est vincibilis; non autem sequitur quòd nunquam, nequidem per accidens, possit carere imputabilitate, modò per accidens evadat invincibilis. Hac distinctione *per se* & *per accidens* tota vis tam antecedentis quàm consequentiæ eliditur. Cæterùm si lex positiva existat, & dirigatur ad instruendum hominem, ut sciat quæ Deus ab illo exigat, homo præcisè quia homo est, exigit notitiam talis legis, quia creatura rationalis, quà talis, postulat notitiam eorum omnium, quæ Deus ab illâ exigit tamquam media, per quæ ad finis adeptionem debet pervenire. Unde sequitur, quòd factâ suppositione de existentiâ legis positivæ, per se loquendo non magis teneamur scire legem naturalem, quàm positivam, quamvis per accidens magis teneamur scire legem naturalem, quia necessariò nobis inest initium de illâ dubitandi, quod per se non inest ad dubitandum de lege positivâ. ergo nec antecedens nec consequens argumenti ullam disparitatem continet.

30. Demonstratur 6. contra eosdem Jansenistas. Nam peto, utrùm existiment fieri posse, ut infantes baptizati, & apud infideles educati, laborare possint ignorantiâ invincibili legis naturalis? Idemque quæro de aliis fidelibus, utrùm illi jam adulti, vel propter morbum, aut naturalem incapacitatem eâdem laborare possint? Si negent (quod certè non negant plerique Jansenistæ) tota quæstio, quantum spectat ad fideles procedit de subjecto non supponente. Si concedant, uti strenuè contendunt, sequitur aliquem justificatum, si laboret ignoranriâ invincibili legis naturalis, & multò magis si errore aliquo circa ejus obligationem laboret, necessariò peccare mortaliter; nec ullum illi dari auxilium de facto,

Probatur 6. contra Jansenistas.

per

per quod sit illi hîc & nunc possibile vitare peccatum mortale. Fingamus illum invincibiliter credere unumquemque debere privatâ authoritate alium interficere, qui sibi tentationi est & offendiculo, ac stimulo frequenti ad inhonestè operandum. In hoc casu homo ille, etsi justus, necessariò peccabit, quia ille, ut suppono, laborat ignorantiâ & errore invincibili legis naturalis oppositæ, adeóque errorem illum & ignorantiam non potest hîc & nunc depellere. ergo necessariò peccabit: peccabit quidem, si hominem interficiat, operando contra legem naturalem; si autem non interficiat, peccabit contra conscientiam, ut constat ex hypothesi. ergo aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent vires impossibilia sunt. Deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant. Sequela autem est hæresis damnata ab Innocentio X. in Jansenio. ergo de consequenti saltem hæreticum est dicere, quod ignorantia & error invincibilis circa legem naturalem non excuset à peccato; modo talis ignorantia & error admittatur in hominibus jam justificatis.

Totus Jansenismus esset verus, si ignorantia invincibilis non excusaret.

31. Rursus si in Ethnico daretur ignorantia invincibilis Dei, homo sic ignorans non posset Deum colere: cùm enim de illo non posset cogitare, utique non esset liber ad eum colendum. ergo peccaret absque libertate indifferentiæ; imò & absque voluntario; quorum alterum est alia hæresis Jansenii, alterum verò est quid lumini rationis planè contrarium. Idem argumentum valet de ignorantiâ invincibili omnis præcepti affirmativi in lege naturali contenti; quia lex illa per Adversarios obligat ignorantes. ergo qui eam invincibiliter ignorant, necessariò peccant. Idque absque libertate non peccandi; cùm enim ne quidem cogitent, nec possint cogitare de tali lege, non sunt indifferentes & liberi ad eam implendam & non implendam. ergo necessariò peccant absque libertate indifferentiæ. quod est hæreticum.

32. Rationes hactenus allatæ potissimè valent de ignorantiâ invincibili penitus antecedente, quæque nullatenus est in potestate liberâ ignorantis. Verùm eædem rationes æquè valent de ignorantiâ invincibili aliquo modo liberâ; quia opus à tali ignorantiâ causatum non aliter imputari potest, quàm propter imputabilitatem ipsius ignorantiæ. ergo si ipsa ignorantia non sit imputabilis, manifestum est, quòd opus ab illâ causatum imputari non possit. Atqui ignorantia ipsa, etsi aliqualiter volita, imputari non potest ex hypothesi. ergo opus ab illâ causatum nullâtenus imputari potest, uti videre est in exemplo filii non occurrentis ad Patrem inexpectatò reducem, quia ejus adventum ignoravit, eò quòd noluerit interrogare, quis ille esset, cujus adventûs signum audiverat. Ratio autem quare non accurrere ad patrem sic reducem imputari non possit, est quia ignorantia de illius adventu non est imputabilis, etsi aliquo modo fuerit libera; filius enim in dictis circumstantiis nullam habet obligationem ad talem ignorantiam evitandam. Porrò quod dictum est in hoc casu, æquè valet in omni alio ejusmodi. Stet ergo certissimum esse, quòd omnis ignorantia, omnisque error invincibilis excuset à peccato, & aut semper, aut plerumque fundet operationem honestam.

Eædem rationes procedunt de ignorantiâ invincibili, aliquo modo liberè volitâ.

Solvuntur objectiones.

33. Objicies 1. Aug. *lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 5.* & refertur *6 quæst. 1. cap. quæro ergo*, expressè dicit, æqualiter peccare hæreticum ignorantem, & avarum scientem.

Objectio secunda.

Resp. Aug. loqui de ignorantiâ vincibili, ob quam nemo excusatur. Cæterùm hanc esse mentem Aug. ex eo evidens est, quod

Solutio.

quòd in cap. *dixit Apostolus*. 24. quæst. 3. expresse admittat ignorantiam invincibilem in hæretico. Sed de mente Aug. mox plura. Legatur etiam ibidem caput *Hæreticus*, in quo August. idem supponit. Immò Jansenius ipse idipsum, ex Aug. ut verum admittit.

Objectio secunda. 34. Objicies 2. Lucæ 12. habetur: *Qui cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Ecce, Christo teste, ignorantia non excusat à toto, etsi fortè excuset à tanto.

Solutio. Resp. Christum loqui de ignorantiâ culpabili, seu vincibili: hoc constat ex illis verbis, *& fecerit digna plagis*, nam si ignorantia esset penitus invincibilis, operatio non esset digna plagis; sed omninò excusabilis. Legatur Maldonatus, qui exponit hunc locum de servo non penitus ignorante, sed aliqualiter, non tamen plenè sciente voluntatem Domini. Præterea sermo est de voluntate Domini, quæ est instar legis positivæ. At certum est ignorantiam invincibilem talis legis excusare. ergo sermo est de ignorantiâ vincibili.

Objectio tertia. 35. Objicies 3. pœna æterna incurritur propter peccatum mortale, etsi peccans invincibiliter ignoret talem pœnam à Deo constitutam esse pro illo peccato. ergo invincibilis ignorantia non excusat à pœnâ. ergo nec à culpâ.

Solutio. Resp. ignorantiam invincibilem culpæ excusare à contrahendâ culpâ, quia culpa debet esse voluntaria, & consequenter scita; pœnæ autem ignorationem non excusare à contrahendâ pœnâ, tum quia non est de ratione pœnæ, quod sit voluntaria; tum quia eo ipso quòd culpa contrahatur, reatus pœnæ æternæ per se, non autem per accidens incurritur. Pœna ergo æterna per se debetur culpæ mortali; adeóque ignorans talem pœnam, si peccet, non excusatur, sed sibi tribuere debet, si eam incurrat; sponte enim peccare voluit, id est, voluit facere quod non debuit; quid ergo mirum si incurrat pœnam, quam non timuit? Verùm difficile omninò est, & fortasse impossibile graviter offendentem Deum, sub terminis saltem convertibilibus, non advertere se exponere seipsum reatui pœnæ æternæ à supremo Numine infligendæ, cujus voluntatem hîc & nunc sciens & volens turpiter contemnit. Scit ergo omnis peccans, se reatum pœnæ à Deo stabilitæ incurrere, etsi nesciat mensuram talis pœnæ. Quare ignorantia invincibilis talis mensuræ non excusat à reatu tantæ pœnæ, quia sufficienter novit pœnam aliquam, eamque à Deo stabilitam, tali actioni esse debitam. Peccans ergo nunquam habet ignorantiam invincibilem pœnæ & quidem gravissimæ sub conceptu confuso & convertibili cum clariore. Tribuat ergo sibi, quòd hanc determinatam incurrat; quia voluit peccatum ponere per quod sciebat se fortasse esse incursurum hanc ipsam pœnam. Omnis graviter peccans novit, saltem implicite, se esse reũ pœnæ æternæ.

36. Objicies 4. Gratianus *1. quæst. 4. ad caput, Turbatur. 12.* expresse dicit, *ignorantiam juris naturalis omnibus adultis esse damnabilem.* Objectio quarta.

Resp. hoc dictum Gratiani verum esse quoad potiora capita juris naturalis, & quævis alia ex illis facilè deducibilia, quia de iis nulla datur ignorantia nisi vincibilis. Cæterùm Gratianus *totâ illâ quæst.* ita loquitur de ignorantiâ, ut manifestum sit, eum ubique supponere quamvis ignorantiam invincibilem, quæ aut non potuit aut non debuit superari, indubitanter excusare à peccato. Hinc solùm ergo probari videtur Gratianum sensisse omnem omninò ignorantiam juris naturalis esse vincibilem. Verùm neque hoc sequitur, si sermo sit de conclusionibus difficilioribus, tum quia solùm loquitur indefinitè; tum quia non latuit ipsum plura esse de jure naturali, de quibus Responsio. Gratianus tenet ignorantiam juris naturalis esse plerumque vincibilẽ.

quibus tamen apud peritos & probos lis est, an liceant, necne. At ignorantia talium non est damnabilis.

Objectio quinta. 37. Objicies 5. Si actus conformis dictamini invincibiliter erroneo esset bonus, dictamen illud ampliùs erroneum non esset; quia enunciaret de suo objecto, quod illi reverâ convenit. ergo nullus actus conformis judicio etiam invincibiliter erroneo est bonus; imò è contrà omnis actus ejusmodi necessariò malus est, modò judicium, cui conformatur, dicat actum non esse malum, & supponatur esse erroneum. ergo repugnat actum conformem dictamini erroneo conscientiæ esse bonum. ergo conscientia invincibiliter errans non est regula morum, nec habet vim obligandi, nec deobligandi contra veritatem ignoratam. Præterea judicium errans non proponit veram honestatem, sed existimatam. ergo actus illi conformis non potest specificari aut accipere ullam speciem veræ honestatis, quia actus voluntatis non specificantur à cognitione dirigente, sed ab objecto per illam cognitionem proposito; At illud non est vera, sed imaginaria honestas. ergo &c.

Solutio nostra. Resp. Ultimum judicium practicum conscientiæ nunquam errat, sed semper est evidens, ut ostensum est; ideóque actus illi conformis semper est laudabilis. Quod autem causat æquivocationem, est confusio judicii verè ultimi cum penultimo. Penultimum judicium sæpè est actus, quo homo falsò deducit, quòd mentiri v. g. sit licitum, & consequenter etiam sibi, quoties mendacium necessarium est ad vitandum damnum grave proprium aut alienum. Hoc judicium falsum est, & non est regula proxima moralitatis. Verùm istud judicium directum fundat aliud reflexum verissimum, quæ est cognitio experimentalis evidens de statu objecti in mente operantis, per quam elicitur ultimum conscientiæ dictamen evidens, quo vera honestas proponitur. Nil ergo mirum, quòd operatio illi conformis bona sit, & laudabilis. Itaque quando quæritur, utrùm actus conformis dictamini erroneo sit honestus necne, sermo non est utrùm operatio conformis ultimo conscientiæ dictamini sit laudabilis, hoc enim ex dictis jam determinatum est, & est certum, si ultimum judicium conscientiæ verum sit & evidens. Solùm ergo quæritur, utrùm actus, qui elicitur dependenter ab ultimo conscientiæ dictamine directo & erroneo, quíque ponit objectum materiale, cui judicium illud falsò tribuebat honestatem, utrùm, inquam, actus ille sit honestus; & respondeo esse honestum, non quia conformatur illi actui falso (cui etiam conformatur, quia ponit objectum quod ille ponendum judicabat) sed quia conformatur alteri judicio reflexo verè ultimo, & evidenter vero, à quo regulatur, tanquam à regulâ formali proximâ. Itaque judicium falsum non est regula immediata & formalis volitionis bonæ, sed solùm mediata & occasionalis, quæ tenet se ex parte regulæ objectivæ, quatenus est objectum judicii reflexi, quod postulat esse minor, & addi principio universali synderesis ad inferendum, *hanc peculiarem actionem in his determinatis circumstantiis ab operante hic & nunc licitè poni posse.*

38. Et sanè cùm ultimum dictamen conscientiæ non solùm proponat mendacium secundùm se, sed semper simul proponat electionem illius, ut hic & nunc ponendam ab ipso operante, esse honestam, aut inhonestam, utique proponit illud ut volitum aut rejectum hic & nunc in istis circumstantiis esse honestum &c. At hoc semper verum est. ergo judicium ultimò regulans operationem honestam non potest esse falsum. At certum est judicium directum, à quo bona operatio depēdet, sæpè esse falsum. ergo necesse est dari judicium reflexum certū, à quo omnis operatio honesta regulatur. Nulla operatio honesta sufficiēter regulari potest à judicio falso.

Nec

Nec dicas, judicium dirigens operationem honeſtam eſſe poſſe falſum, quia licèt mendacium hìc & nunc ſit honeſtum, honeſtas tamen illa derivatur à conformitate cum voluntate Dei reflexâ, quam illud judicium non attingit, non autem à Dei placito quod attingit, & indebitè connectit cum mendacio; nam contrà eſt, quia nulla voluntas Dei poteſt refundere honeſtatem in actus noſtros, niſi præcognoſcatur, & uniatur voluntati per actuale judicium. ergo ſi illa voluntas eſt incognita, non eſt regula hìc & nunc honeſtans mendacium. è contrà illa alia Dei voluntas, quæ non fertur in mendacium non eſt regula hìc & nunc honeſtans mendacium, alioquin judicium non eſſet erroneum. Itaque nulla eſt regula potens honeſtare mendacium, niſi regula purè apparens: illa autem ſolùm refundit apparentem, non veram honeſtatem.

Actio an ſit honeſta, ſi ſolùm conformetur regulæ formali, non objectivæ?

39. Dices, actum illum mendacii ideò eſſe laudabilem, quia conformatur regulæ ſuæ formali, quamvis non conformetur regulæ ſuæ objectivæ; nec hoc debere abſurdum reputari, quia cùm Deus velit nos conformari ultimo judicio conſcientiæ, eo ipſo unuſquiſque benè operatur, quòd conformetur regulæ proximæ, quamvis cum regulâ primâ objectivâ non niſi apparenter concordet. Nec mirum eſt, judicium falſum poſſe eſſe regulam veræ honeſtatis, nam non eſt de ratione regulæ, ut nunquam errare poſſit; ſed pro creaturis imperfectis ſufficit regula, quæ plerumque ducit ad verum, quæque tunc etiam, quando errat, ad illud apparenter ſaltem conducit; neque enim nos ob imperfectionem noſtram capaces ſumus regulæ in omnibus certæ. Sed contra: quia ex hoc ipſo principio ſic arguo in contrarium: evidens eſt nos ſemper eſſe capaces regulæ certæ, ſaltem per principia reflexa ſynderesis, uti oſtenſum eſt. Deus ergo voluit nos ſemper habere regulam certam, nec unquam contentos eſſe regulâ fallibili. Stet ergo reſponſionem allatam eſſe veriſſimam, quia fundatur in unicâ ac verâ conſcientiæ reſolutione.

Homo moraliter operãs, ſemper eſt capax regulæ certæ.

Objectio ſexta.

40. Objicies 6. Philoſophus *6. Ethic.* ſæpè inculcat, nullum actum eſſe poſſe bonum, qui non regulatur à prudentiâ. *Et cap. 1. ejuſdem lib.* expreſsè dicit *& rationem veram, & appetitum rectum eſſe oportere, ut operatio ſit ſtudioſa.* Rurſus in eodem libro tradit, nullam enuntiationem à prudentiâ profectam poſſe falſitati ſubjacere. Unde ſic arguo; dictamen erroneum conſcientiæ non eſt actus prudentiæ, quia eſt falſum. ergo actus voluntatis à tali dictamine profectus non dirigitur à prudentiâ, & à ratione verâ. ergo nullus actus voluntatis à dictamine erroneo regulatus eſt honeſtus.

Reſponſio.

Reſp. concedendo totum loquendo de ultimo dictamine, à quo voluntas regulatur; illud enim ſemper eſt infallibile ut dictum eſt; & ſic locus Philoſophi valdè efficaciter confirmat eandem aſſertionem. Nihilominus datur locus præſenti quæſtioni; quia difficultas eſt, utrùm & quomodo actus conformis judicio directo erranti ſit bonus. Omnes quidem concedunt eſſe bonum, ſed multi cùm non videant, quâ ratione voluntas hìc & nunc reguletur ab alio judicio certo & evidenti, multùm laborant ſalvare honeſtatem operationis, quam lumine naturæ conſtat eſſe honeſtam. Similiter iidem multùm laborant ſolvere hanc doctrinam Philoſophi, quam ſibi vident eſſe contrariam. Eſparza *de act. hum. quæſt. 24. ad 2.* reſpondet judicium inculpabiliter erroneum non errare aut in repræſentando veram honeſtatem, tanquam objectum formale voluntatis, aut in proponendo verum finem ultimum, quamvis erret applicando iſtas rationes objecto materiali indebito. Deinde fatetur prudentiam nunquam errare circa propoſitionem veræ honeſtatis, & veri finis ultimi, quamvis errare

Explicatio Eſparzæ proponitur & rejicitur.

errare possit illa objecto materiali indebitè tribuendo; & per hoc ait, prudentiam differre à ratione inferiori, quæ errare potest non solùm quoad objectum materiale, sed etiam quoad motivum formale propositum voluntati, alliciendo illam ad aliquid tamquam ad finem ultimum, quòd reverà non est finis ultimus. tandem, his positis, respondet, Philosophum illo loco nil præter hoc discrimen inter prudentiam & rationem inferiorem tradidisse, cùm illud solùm loco citato stabilire contendat. Ita quidem ille, sed reverâ interpretatio est dura; alterutra enim ex istis enuntiationibus, *albedo est lux*, *albedo non est lux*, non est vera, quamvis nullus sit error in terminorum apprehensione. Dum ergo Aristoteles ait, enuntiationem prudentiæ nunquam errare, aliud intendit, quàm errorem non esse in repræsentandis terminis fictis. Nec dicas, quòd universales propositiones de illis terminis, quales sunt istæ, *bonum est conformare se voluntati Dei. Deus est finis ultimus*, sint veræ, & à prudentiâ oriantur: nam hoc non sufficit; quia illæ propositiones, etsi sint actus prudentiæ, se solis non sufficiunt ad honestatem actûs; nam ultimum dictamen prudentiæ respicit actum peculiarem relatè ad voluntaten Dei in his circumstantiis. ergo si illud sit falsum, non erit actus prudentiæ, & consequenter opus, quod dirigitur ab illo, non erit honestum. ecce ut salvetur doctrina Philosophi, recurrendum est ad evidentiam ultimi dictaminis, quo voluntas immediatè dirigitur ad operandum.

Aristotelis doctrina de ultimo conscientiæ dictamine eadem est cū nostrâ.

Objectio septima.

41. Objicies 7. dictamen conscientiæ errantis difformatur voluntati Dei, seu legi æternæ. ergo voluntas tali judicio conformis, est difformis legi æternæ; ergo non est bona sed mala; quia inferioris potestatis præceptum non obligat, si contrarietur præcepto potestatis superioris. Ut si Proconsul aliquid jubeat, quod Imperator prohibet. hanc doctrinam tradit Aug. *in ser. 6. de verb. Domini, post medium.* At præceptum conscientiæ errantis est præceptum potestatis inferioris; & lex æterna, seu voluntas Dei, cui dictamen erroneum difformatur, est lex superior. ergo qui sequitur judicium erroneum, quo peccatum creditur excusari, peccat.

Solutio prima.

Resp. inprimis concedo totum; quia ultimum dictamen nunquam errat; judicium autem erroneum, de quo est sermo, non est ultimum, sed ad summum penultimum judicium practicum, quod non regulat actionem, nisi in ratione objecti cogniti, & occasionaliter; uti sæpè dictum est.

Solutio secūda Martini Esparza.

42. Resp. 2. Esparza, Deum voluisse nos immediatè dirigi à nostrâ cognitione; & consequenter, ex suppositione judicii invincibiliter erronei, voluisse nos illud sequi; unde infert, quod volitio consequens ad judicium erroneum conformis sit voluntati Dei per accidens consulenti, vel obliganti ex suppositione erroris, quamvis non sit cōformis ejusdem voluntati obliganti per se, nullâ factâ suppositione erroris. Exemplum porrò Imperatoris & Proconsulis, atque ratio ab Aug. deprompta non est ad rem, quia Aug. loquitur & arguit pro casu, in quo constat utriusque voluntas, tunc autem evidens est, potestatem superiorem prævalere. At nos sumus in opposito casu, ita nempè, ut voluntas supremæ potestatis, quæ non existit, proponatur & credatur existere. Itaque ut esset paritas, Proconsul deberet falsò proponere voluntatem Imperatoris, contra veram ejusdem voluntatem; in quo casu si vera voluntas Imperatoris invincibiliter ignoraretur, deberent subditi obedire voci Proconsulis, & voluntati Imperatoris existimatæ. ergo idem valet in casu nostro; quia judicium invincibiliter errans proponit voluntatem supremi legislatoris ut consulentem, vel obligantem. &c. Potest ergo homo, &

Obediēdū est superiori subordinato contra voluntatem supremi superioris, quādo voluntas superioris supremi non innotescit.

aliquando debet se illi judicio conformare.

Esparza impugnatur.

43. Ultimum quod dicit Esparza ad disparitatem rationis & exempli ab Aug. desumpti clarum est. At primum de conformitate voluntatis, ab erroneo judicio directæ, cum voluntate Dei per accidens obligante ex suppositione erroris, primo aspectu plausibile est, sed revera non subsistit, siquidem voluntas illa Dei, cùm consequatur ad judicium erroneum, & non existat nisi ex ejus suppositione, non proponitur voluntati: primò quia alioquin judicium non esset falsum. 2. quia judicia humana nequeunt repræsentare ut existentia, quæ nequeunt existere, nisi de consequenti ad eorundem existentiam. ergo licet voluntas nostra aliquo modo conformetur huic Dei voluntati, illa tamen est conformitas tantum materialis, qualis esset illius, qui inscius voluntatis, quâ Princeps vult mortem Petri proditoris, illum pro ferâ in venatione acceptum occideret; hæc materialis conformitas cum voluntate Dei non sufficit ad moralitatem, cùm certum sit, formalem & vitalem conformitatem cum illâ præcognitâ requiri ad honestatem. Quòd si hanc formalem conformitatem admittas, confugiendum est ad ultimum judicium regulatum à principio reflexo synderesis, quòd cùm sit evidens, utique conforme est voluntati divinæ. Et sanè nisi illud sit certum, numquam salvari poterit, quomodo judicium erroneum excuset à peccato, & fundet operationem honestam.

Operatio à judicio tantùm erroneo directa non potest esse conformis voluntati divinæ.

44. Objicies demum. Innocentius III. *in cap. per tuas, de Simonia*, pronunciat eum Simoniacum, qui nesciebat, quod agebat esse Simoniacum, nullâ habitâ ratione ignorantiæ ipsius. ergo ignorantia non excusat.

Resp. in titulo de Simonia 3. capita contineri quorum unumquodque incipit *per tuas.* Priora duo non sunt ad rem. Tertium verò est in ordine 37. & in hoc capite Glossa dicit, eum non fuisse excusatum, quia poterat peritiores consulere. Itaque ignorantia illius, cùm esset ignorantia juris, etsi affectata non fuerit, videtur tamen fuisse vincibilis. Præterea Pontifex resolvit quæstionem pro foro externo, in quo ignorantia juris numquam præsumitur. Demum Glossa in hoc caput hanc notam addit. *Nota quod qui ordinem scienter recipit per Simoniam, non habet excusationem, nisi cum eo dispensetur.* Hæc etiam nota efficaciter arguit, forum externum præsumpsisse, eum scivisse se Simoniæ labem contraxisse, alioquin hæc nota fuisset planè inepta, cùm ad rem non fuisset. Præterea Pontifex non declarat eum peccasse, & sanè cùm in hoc capite non sit sermo nisi de ignorantiâ juris positivi, certum est illam, si sit invincibilis, à peccato excusare. Unde miror quomodo Wendrockius potuerit hunc locum objicere, ut ex eo ostenderet ignorantiam invincibilem, (nam potissimè agit de ignorantiâ juris naturalis, ut etiam Jansenius) non excusare, cum ex tot capitibus locus iste non sit ad rem.

Respondetur objectionibus à Iansenio ex Augustino depromptis.

45. Objicies 1. cum Jansenio *tom. 2. de statu naturæ lapsæ lib. 2. cap. 2.* unum ex dogmatibus Pelagianorum in synodo Palæstinâ condemnatis, atque *ex capitulo 7.* libri Cælestii exceptum, erat hoc: *oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem*: ita habetur apud Aug. *in libro de gestis Pelagii cap. 13.* vel juxta editionem aliam *cap. 18.* hic sermo est de ignorantiâ invincibili, quia Pelagiani expressè docebant, ignorantiam, quæ ex negligentiâ voluntatis oritur, esse culpabilem; nam Augustinus ipse *lib. 6. contra Iulianum cap. 8.* sic illum affatur: *ecce meritò reprehendisti eos, qui supersederunt sciendo cognoscere.* Dicere

Objectio prima.

Error & oblivio subjacent peccato, etsi eveniant secùndum necessitatem, nō secundùm voluntatē.

ergo ignorantiam invincibilem, seu quæ necessitatis est non voluntatis, non subjacere peccato est hæresis pelagiana damnata in Concilio Palæstino. Porrò in toto illo capite aliud non contendit Jansenius, quàm hanc propositionem tam à Concilio, quàm à Pelagio, coram Episcopis quasi reo adstante, damnatam fuisse, eandemque ab Augustino uti dogma verè Pelagianum, tam in illo libro, quàm postea constanter fuisse rejectam. In eundem scopum citat Hyeronimum *lib. 1. contra Pelagianos*, qui referens clamores Pelagianorum contra Catholicos, quasi illi dicerent, Deum ea hominibus imputare, quæ ipsi cavere non poterant, hæc habet. *Rogo quæ est ista justitia, ut in peccato teneat erroris, cujus reatum non habet conscientia? nescio me peccasse, & ejus rei, quam nescio, pœnas luo. & qui plus faciam, si sponte peccavero.* Rursus *lib. 2. adversus eosdem* idem Hieron. eorundem clamores referens hæc habet: *videris accusare naturam, ac per hoc invidiam referre in Deum, qui tales homines condidit, ut oblivione & ignorantiæ peccato carere non possint. &c. ubi autem aufertur possibilitas, aufertur & vitium.* Hi Pelagianorum clamores manifestè ostendunt illos omni nisu docuisse, ignorantiam & errorem, quæ necessitatis est, non voluntatis, id est ignorantiam invincibilem non posse imputari ad peccatum; cùm Catholici contrarium adstruerent, & ut dogma fidei traderent.

Responsio. Resp. mirandum sanè esse, quomodo Jansenius, ut potè diu versatus in Theologiâ, potuerit existimare, quidquam ex hâc authoritate Cōcilii posse objici contra communem sententiam. admitto nunc propositionem illam, *oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundùm voluntatem eveniunt, sed secundùm necessitatem*, prout jacet & primo aspectu intelligitur, esse errorem Pelagianorum, & in Concilio Palæstino, ut talem, fuisse damnatam. Quis quæso Catholicorum hoc negat? nonne ignorantia & necessitatas oblivionis sunt effectus peccati originalis, quas unà cum ipso peccato ex necessitate, non ex voluntate quotquot nascuntur contrahunt? Hic erat lapis offensionis, in quem Pelagiani impingebant. Negabant miseram conditionem, in quâ nascimur, esse effectum peccati originalis, quod ut impossibile rejiciebant. Dicebant enim, Adam primò conditum non fuisse melioris conditionis quàm nos, qui ab illo descendimus. Hinc autem emanârunt illi clamores, quos Heronymus recenset, quosque Catholici, è scripturis contrarium edocti, flocci pendebant. ecce omnes Catholici fatemur aliquam ignorantiam & oblivionem invincibilem, etsi necessariam, subjacere peccato, nempè peccato originali, Imò Augustinus (ut etiam Jansenius *tom. 2 de statu naturæ lapsæ lib. 1.* fatetur) aliique multi Theologi docent, materiale peccati originalis & esse, & dici posse ipsam concupiscentiam regnantem in membris nostris, quatenus non tantùm stimulat ad peccatum, sed etiam est effectus & pœna prævaricationis Adami, in quo omnes peccavimus, & in quo voluntariè incurrimus has miserias. Porrò formale peccati originalis in aliquo alio constitui debet, & ab ipso Aug. teste Jansenio, constituitur. Jam sicut de facto per peccatum originale incurrimus in effrænes motus concupiscentiæ rebellis, ita etiam per idem incurrimus in cæcitatem & ignorantiam plenissimam eorum omnium, quæ absque supernaturali lumine per revelationem Dei ritè cognosci non possunt, & in absolutam impotentiam eliciendi quemvis actum supernaturalem, seu salutarem, vel quod idem est, positivè conducentem ad vitam æternam. Hæc ignorantia & hæc impotentia, non minùs quàm ipsa concupiscentia, sunt effectus peccati originalis, & non minus rectè quàm illa dici possunt materiale peccati, & vocari peccatum;

Oblivio & error etiã necessarius & invincibilis subjacet peccato, quia est effectus peccati originalis.

Pelagiani negabant peccatum originale, & ideò negabant ignorantiam necessitate contractã subjacere peccato.

Concupiscentia regnans in mēbris est materiale peccati originalis.

Non solùm fomes, sed etiam ignorátia est materiale peccati originalis.

S. Thomas.

peccatum; uti expressè tradit S. Thomas *quæst. 13. de malo art. 7.* ubi hæc habet. *Ignorantia & fomes sunt materialia in peccato originali, sicut & conversio ad bonum commutabile in peccato actuali.* Ecce aliqua ignorantia, quæ necessitatis est non voluntatis, subjacet peccato, atque est & dici potest peccatum, quatenus est materiale peccati, & denominatur tale à formali illo, per quod peccatum originale formaliter constituitur.

46. Jam verò certum est, etiam Jansenio fatente, non omnem oblivionem aut ignorantiam, quæ necessitatis est non voluntatis, idest, non omnem ignorantiam invincibilem subjacere peccato; quia tam ignorantia facti, quàm juris positivi, etiam divini, si sit invincibilis, ad peccatum imputari non potest. Nec opus est ad hoc confirmandum Augustini loca recensere, cùm hocipsum etiam apud Adversarios in confesso sit. ergo quando Concilium Palæstinum damnavit illam propositionem: *oblivio & ignorantia non subjacent peccatò, quoniam non secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem eveniunt*, eam damnavit in sensu Pelagianorum, qui illam ut universalem negativam admittebant. nolebant enim ullam ignorantiam necessariam tribui posse peccato. ergo ex vi hujus damnationis solùm verificatur propositio contradictoriè opposita, scilicet, *aliqua ignorantia necessaria subjacet peccato.* Hoc de fide certum est, & omnes admittimus; neque enim Concilium definivit propositionem propriè contrariam, seu universalem oppositam esse veram; quasi dicere intendisset, *omnem ignorantiam invincibilem subjacere peccato, & ad peccatum imputari.* Alioqui nec ignorantia facti aut legis positivæ excusaret, quod tamen ex mente totius Ecclesiæ, & ipsius Augustini manifestè excusat. hoc posito,

Mens Cócilii Palæstini damnantis Pelagium exponitur.

47. Quæro ex Jansenio, unde jam inferat; ignorantiam invincibilem legis naturalis non excusare hominem, maximè justum conantem, quantum potest, ut legem sciat & impleat? Hoc certè nec ex verbis, nec ex mente Concilii inferri potest potiùs, quàm quod quælibet ignorantia ad peccatum imputetur. Rursus nos loquimur de peccato actuali personali, habente malitiam propriam distinctam à malitiâ formali peccati originalis, eamque verè imputabilem ratione sui. De hoc est sermo in præsenti, nam omnem ignorantiam, omnemque impotentiam, quæ est effectus & pœna peccati originalis, non solùm subjacere peccato originali, sed etiam tanquam materiale aliquod ab ipso, ut à malitiâ formali, denominari peccatum, & communi illâ ac generali malitiâ imputari ad culpam quamdiu peccatum originale non deletur, libenter admitto. verùm hæc omnia, quæ ad peccatum originale necessariò consequuntur, unam eandemque imputabilitatem habent omnibus communem, quemadmodum ea habent, quæ necessariò consequuntur ad voluntatem peccaminosam; nam sicut quando aliquis interficit alium, primò illum vulnerat, deinde ex vulnere vires illi paulatim deficiunt, & tandem moritur, in quo casu tam vulnus inflictum, quàm virium languor, & mors ipsa imputantur ad culpam, & denominantur peccata, sed per unam eandemque imputabilitatem consistentem in malitiâ actûs liberi, per quem hæc omnia causata fuerunt (neque enim homicida toties novâ malitiâ maculatur, quoties aut vires ex vulnere decrescunt, aut quando ipsa mors intervenit) sed illa omnia denominantur & imputantur homicidæ tamquam peccata propter malitiam pravæ voluntatis, à quâ suam traxerunt originem. Ita pariter dicendum de imputabilitate eorum, quæ necessariò consequuntur ad peccatum originale, tanquam effectus & pœnæ illi debitæ; nam singula non continent novam malitiam,

Nos loquimur de peccato habente propriam imputabilitatem. At Concilium loquitur de re quæ aliunde denominatur peccatum.

sed

ſed omnia ab unâ eâdemque denominationem accipiunt. Rurſus ſicut ſi homicidam illum ante mortem inimici pœniteat peccati ſui, atque ille per ſacramentalem abſolutionem verè juſtificetur, mors inſequens inimici non amplius imputatur ad peccatum, quia ratio formalis malitiæ propter quam imputanda erat, ablata eſt; ita pariter ſi peccatum originale deleatur, mala, quæ neceſſariò conſequuntur ex ignorantiâ aut oblivione inevitabili, non amplius imputantur ad culpam, nec denominantur peccata, quia ratio formalis, propter quam imputabantur, & à quâ denominabantur peccata, deſtructa eſt & abolita. Hæc ſi Janſenius cogitaſſet, clarè vidiſſet damnationem Concilii Palæſtini, & doctrinam Auguſtini nullatenus à verâ, communi Scholaſticorum, eâque Catholicâ doctrinâ deviare. Verùm homo ille ſub plauſibili prætextu doctrinæ ab Aug. deprompiæ abſorptus, & inani ſpe divulgandi doctrinam Auguſtinianam deceptus, errores olim damnatos, partim à Tridentino contra Lutherum & Calvinum, partim à Pio V. & Greg. 13 contra Baium, evulgavit, atque evanuit in cogitationibus ſuis, & licet cæteroquin acri ingenio, & doctrinâ non mediocri præditus fuerit, ad iſta tamen, etſi mediocriter peritis obvia, ne oculos quidem aut animum advertit; aut ſi advertit, certè ſe advertiſſe diſſimulavit, quia ne verbum de illis habet. ecce quàm inane telum eſt, quod Janſenius tanquam dogma fidei contra nos torſit. Certè ex illo nequidem per umbram inferri poteſt, quòd opera ex ignorantiâ invincibili facta imputari poſſint, tanquam vera peccata, quæ propriam habent malitiam & imputabilitatem; aut etiam quod poſt originale deletum, aut primam voluntatem retractatam, ullam etiam denominativam imputabilitatem admittant. Nec mirum, quia utrumque ex iſtis manifeſtû continet errorê.

48. Rurſus peto à Janſenio, unde ſciat, Pelagianos illâ ſuâ propoſitione non incluſiſſe omnem ignorantiam tam facti quàm juris etiam poſitivi, ſed illam reſtrinxiſſe ad ſolam ignorantiam legis naturalis? hoc certè nec infertur ex verbis Concilii damnantis illam propoſitionem, neque ex terminis propoſitionis damnatæ. Jam ut Janſenius probaret intentum ſuum, ſcilicet, quod ſola ignorantia juris naturalis, non autem juris poſitivi, imputetur ad peccatum, idque ex authoritate Concilii Palæſtini evinceret, debuiſſet non ſolùm oſtendere, propoſitionem à Cæleſtio deſumptam non eſſe de omni ignorantiâ accipiendam, ſed etiam illam de ſolâ ignorantiâ invincibili juris naturalis intellectam fuiſſe. Similiter debuiſſet probare, Concilium cum hâc limitatione propoſitionem illam intellexiſſe, atque in illo ſenſu illam damnaſſe; alioquin nil pro ejus intento ex hâc Concilii definitione poteſt concludi. Verùm de his omnibus, quamvis ad intentum probandum ſummè neceſſariis, altum apud Janſenium ſilentium invenies. Unde videas quàm defectuoſum ſit opus, ad quod concinnandum totam fermè vitam impendit, ſed non miror hoc Janſenii ſilentium, quia ille rem diſſimulat, cùm ita ſe gerat, ac ſi non intellexiſſet, quid Pelagiani dicerent, & quid Concilium condemnaret. Verùm ſi Janſenius hæc omiſerit, ego illa non omittam, ne tantæ imperitiæ veſtigia inſequens à veritatis ſcopo aberrem.

Janſenius non intellexit quid Concilium damnaverit in citatâ propoſitione Pelagianorum.

49. Inprimis ergo certum eſt, ſententiam illam *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato &c.* poſt ejus recitationem illicò damnatam fuiſſe à ſynodo, non expectatâ reſponſione Pelagii, uti refert Aug. *cap. 12. de geſtis Pelagii.* ergo damnata fuit, ut jacet; ut jacet autem, convenit omni ignorantiæ invincibili tam facti quàm juris poſitivi. ergo in hoc ſenſu damnata fuit. Immò quòd plus eſt, ipſa ſynodus intellexit propo-

Concilium Palæſtinũ intellexit dogma illud Pelagianorum de ignorãtiâ juris poſitivi.

ſitionem de ignorantiâ juris poſitivi; ut patet ex ratione & exemplis ſacræ Scripturæ, quæ in contrarium attulit, quibus eam propoſitionem contrariari cenſuit; hanc enim ſuæ damnationis cauſam reddit: *cum*, inquit, *in lege ſacrificia pro ignorantiâ, ſicut pro peccato offerantur.* ecce ſynodus intellexit propoſitionem illam de ignorantiâ juris poſitivi, illamque in hoc ſenſu condemnavit; alioquin ineptè protuliſſet locum illum ſcripturæ ad illam condemnandam.

Pelagiani ipſi dogma illud de ignorantiâ etiam facti intelligebant.

50. Rurſus Pelagiani dogma à ſynodo damnatum intelligebant de ignorantiâ etiam facti; nam Aug. *lib. 3. con. Iul. cap. 19.* refert Julianum dixiſſe, ignorantiam inculpabilem non eſſe malam, ſed bonam; & ad illud confirmandum attuliſſe ignorantiam Abimeleck cum Sarâ concubituri, ſed ignorantis quòd ea eſſet uxor Abrahæ; Deus enim dixit Abimelech. *ego ſcio quia in corde mundo feciſti hoc.* ergo Aug. non diſputabat cum Juliano de ignorantiâ juris tantùm naturalis, alioquin S. Doctor dixiſſet Julianum à quæſtione toto cælo aberraſſe.

Abimelech cur à Deo punitus?

Sed nil horum Aug. qui oſtendit factum Abimelech eſſe aliquo modo peccatum, nempè materialiter, quod ideò Deus in mulieribus ad ſe pertinentibus vindicavit; idque fortaſsè, non ut puniret Abimelech immittendo mala in pœnam ſceleris ab ipſo commiſſi, ſed ut per illa impediret opprobrium Saræ & Abraham, qui ad Deum ſingulariter ſpectabant; de quo loco poſtea plura dicam inferiùs. Quid ergo dicemus? nonne ignorantia invincibilis facti & juris poſitivi excuſat à peccato? reſp. quod non excuſet in ſenſu, quo Pelagiani loquebantur, & quem Concilium damnavit. ſed quis eſt ſenſus ille? paucis illum accipe.

Dechamps contendit tã Pelagianos, quàm Concilium Palæſtinũ loqui ſo-

51. De Champs *lib. 3. diſp. 5.* exiſtimat, Concilium Palæſtinum tantum loqui de ignorantiâ vincibili, nempè de ignorantiâ non affectatâ ſed de ſimplici, quam Pelagiani ab initio aſſerebant eſſe inculpabilem; nam affectatam eſſe peccatum nemo negare poteſt. hoc probat, quia exempla tum à Concilio, tum ab Aug. & Hieronymo allata ſunt de ignorantiâ vincibili; qualia ſunt de ignorantiis, pro quibus in lege ſacrificia, ſicut pro peccato, offeruntur.

lùm de ignorantiã vincibili, nõ affectatã ſed neglectã.

Similiter Aug. affert exemplum Saülis perſequentis Eccleſiam, qui tamen de ſeipſo teſtatur, quod miſericordiam conſecutus ſit, quia ignorans fecit in incredulitate. Affert etiam exemplum Abimelech, qui, ut multi interpretantur, peccaſſet, ſi Saram cognoviſſet, quia non adhibuit diligentiam ſufficientem, ut ſciret an eſſet conjugata necne. Ita factum hoc interpretantur Henricus de Gandavo *quodl. 12. quæſt. 25.* & Hugo Cardinalis *in cap. 20. Geneſis*, aliique complures. Ideò autem Aug. affert hæc exempla, ut contra Pelagianos oſtendat, dari peccata ignorantiæ; loquitur autem ubique de ignorantiâ culpabili; præterea Concilium non tam loquitur de peccatis per ignorantiam commiſſis, quàm de ipsâ ignorantiâ, quæ eſt peccatum. At ignorantia invincibilis, etiam fatente Janſenio, non eſt peccatum. ergo Concilium ſolùm loquitur de ignorantiâ vincibili, quæ ſola inter ignorantias eſt peccatum verè imputabile. Nec obſtat, inquit, quod Pelagiani, teſte Auguſtino, aſſererent omnem ignorantiam culpabilem eſſe peccatum; nam eſto hoc tandem convicti Auguſtini & Hieronymi argumentis conceſſerint, ab initio tamen aliter ſentiebant; ſicut videre eſt in multis aliis, quæ tandem conceſſerunt, quamvis illa ab initio conſtanter negaſſent, uti allatis exemplis Dechamps demonſtrat. Similiter non obſtat dictum illud, *oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam ſecundùm neceſſitatem eveniũt, non ſecundùm voluntatem*; poſteriora enim verba, inquit, non excludunt niſi ignorantiam directè volitam, de quâ non erat dubium; nam ignorantia indirectè tantum

volita,

volita, & quasi neglecta, non est secundùm voluntatem. Confirmat hæc omnia, quia Pelagiani ab initio negabant ignorantiam Pauli & Abimelech esse peccatum, ut constat ex Aug. & Hieronymo hæc exempla urgentibus contra illos. Ideò autem dicitur, inquit, ignorantia illa esse secundùm necessitatem, non secundùm voluntatem, quia in violatione præcepti positivi peccatum fit omittendo non committendo, & consequenter positâ ignorantiâ necessariò consequitur violatio talis præcepti.

Concilium Palæstinû non loquitur tantùm de ignorâtiâ crassâ seu simplici.

52. Hæc ille, & probabiliter quidem; verùm aliqua istorum nimis dura videntur, quia ignorantia simplex, per quam præceptum affirmativum de veritate investigandâ violatur, non est secundùm necessitatem; sed aliquo modo secundùm voluntatem, quia inquisitio veritatis liberè omittitur. ergo non est sola ignorantia illa, de quâ Concilium Palæstinum loquitur contra Pelagianos. Nec dicas, moraliter necesse esse hominem in aliquam ejusmodi ignorantiam labi, adeóque illam esse secundùm necessitatem, nam contra; quia illa impotentia moralis cohæret cum voluntario & libero, adeóque opus ex tali necessitate profectum non potest dici factum esse ex necessitate, non ex voluntate. At Concilium loquitur de ignorantiâ, cui utraque particula convenit. Itaque Concilium loquitur de ignorantiâ aliquo modo invincibili tam juris quàm facti: neque enim aut Concilium, aut Hieronymus, aut Augustinus ullibi, vel per umbram, distinguunt inter tales ignorantias: sed ubique eodem modo loquuntur universaliter de omni genere ignorantiæ tam facti, quàm juris positivi. Quod ad Hieronymum attinet, res nimus clara est; nam urget omnes ignorantias & errores, pro quibus in lege Sacrificia offeruntur sicut pro peccato; sed neque minùs certum id est de Augustino, nam ille *lib. 3. contra Iulianum cap. 19.* hæc habet: *Non attendisti homo, qui non vis divino judicio quemvis non suis sed alienis plecti posse peccatis, quomodo fieri potuit, ut Abimelech peccaret, quamvis nec ipse adulterino corde peccaverit, & Deus quantulumcumque peccatum ejus in mulieribus ad se pertinentibus vindicaret.* ecce sermo est de ignoratione facti non legis, & tamen opus ex illâ profectum Augustinus ex sacris litteris vocat peccatum. Rursus *lib. 3. de lib. arb. cap. 18.* hæc habet Aug. *etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur*: ait enim Apostolus, *misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* ecce iterum sermo est de ignorantiâ facti, aut juris positivi, non naturalis, sed aliquo modo vincibili. Nimis ergo patenter errat Jansenius; dum putat Concilium Palæstinum, Hier. & Aug. solùm urgere contra Pelagianos, ignorantiam invincibilem juris naturalis, non positivi, esse peccatum.

Conciliû, Aug. & Hieronymus loquuti sunt de ignorâtiâ vincibili, quàm aliquo modo invincibili.

Jam ergo ut exponam mentem Concilii, Aug. & Hier. dico illos locutos esse tam de ignorantiâ vincibili, quàm aliquo modo invincibili. quod locuti sint de ignorâtiâ aliquo modo vincibili evidés est ex iis, quæ proximè observavit Dechamps. rursus quòd locuti sint etiam de ignorantiâ aliquo modo invincibili, (sed absq; ullâ distinctione inter ignorantiam juris naturalis & positivi) colligitur ex propositione damnatâ in Concilio Palæstino, quæ intelligi non potest nisi de ignorantiâ aliquo modo invincibili, ut constat ex dictis. Inprimis ergo juxta Concilium, Aug. & Hieronymum omnis ignorantia necessaria, quæ est pœna peccati originalis vel actualis, prout est pœna & effectus peccati, est quoddam materiale, quod ratione peccati, à quo provenit, est voluntarium aliquo modo, & consequenter ab illo denominatur peccatum, seu quod idem est, subjacet peccato & pœnæ, non tamen diversæ ab ea, quæ debetur.

debetur peccato, à quo accipit rationem voluntarii; prout fusiùs explicatum est in initio responsionis. Et sanè hoc erat quòd Pelagiani omni conatu sub terminis explicitis negabant, maximè de peccato originali, & pœnâ illi debitâ. Rursus fortassè Pelagiani ab initio negabant ignorantiam simplicem non affectatam esse peccatum, in quo tamen turpiter errabant, quia illa vincibilis est. si ita dixerunt, damnatio quidem Concilii hanc propositionem non tangebat, quia loquitur de ignorantiâ necessitatis, non voluntatis; sed Augustini & Hieronymi disputationes eam acriter impetebant. Cæterùm esto, Pelagiani nunquam dixerint, ullam ignorantiam vincibilem carere peccato, imò esto, pleno ore contenderint omnem ignorantiam vincibilem subjacere peccato, nihilominus in hoc ipso aliqua utebantur distinctione, nam ita admittebant ignorantiam per voluntatis negligentiam contractam esse peccatum, ut negarent ea, quæ postea fierent ex vi dictæ ignorantiæ, propter præsentem inadvertentiam & ignorantiam tunc temporis invincibilem, aut dici aut ullatenus esse ac denominari debere peccata. In hoc sensu dicebant *oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato, quia non eveniunt secundùm voluntatem; sed secundùm necessitatem.* Probatur hoc primò, quia Concilium Palæstinum damnans hanc propositionem ut sacræ Scripturæ repugnantem, hoc tantùm opponit in contrarium: *cùm David dicat delicta juventutis meæ ne memineris, & ignorantiæ meæ. & cùm in lege sacrificia pro ignorantiâ sicut pro peccato offerantur.* in quibus locis sermo est de ignorantiâ primitùs vincibili; & quidem de sacrificiis pro ignorantiâ in lege oblatis, id expressè docet Aug. *lib. de naturâ & gratiâ cap. 17.* locum postea afferam verbatim. Rursus idem Aug. *lib. 3. de lib. Arbit. cap. 18. & lib. 1. Retract. cap. 9.* idem tradit de ignorantiis David; quia illum Prophetæ

Pelagiani negabant ea imputari ad peccatum, quæ fierent ex ignorantiâ & oblivione nunc necessariâ, etsi olim liberâ.

Prima ratio.

locum de eâdem ignorantiâ interpretatur, de quâ exponit illum locum Pauli. *misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*, id est de ignorantiâ culpabili. Itaque vel ratio Concilii nil facit ad redarguendam hæresim Pelagianorum, vel illi loquebantur de peccatis inadvertenter commissis propter ignorantiam olim vincibilem.

Probatur idipsum 2. quia Hieronymus & Augustinus, qui defendunt damnationem Concilii, & impugnant Pelagianos, utique benè norânt, quid Pelagiani dicerent. At illi ad eos confutandos afferunt plurima testimonia sacræ Scripturæ de ignorantiâ facti & juris positivi; illa autem ut imputari possit, juxta adversarios debet esse vincibilis; nam ignorantia invincibilis facti & juris positivi omninò excusat, ut certum est, & ipsi acriter contendunt. Hoc ergo illorum assertum meritò damnat Concilium, & Augustinus impugnat: quia facta istiusmodi æquo jure dicuntur peccata relatè ad voluntatem primitùs culpabiliter errantem, & eâdem imputabilitate damnantur, quo concupiscentia in infidelibus per respectum ad peccatum Adæ dicitur peccatum originale, & communi imputabilitate culpatur. Et sanè nisi hic sit sensus Pelagianorum à Concilio damnatus, Jansenius ipse æquè, imò magis urgetur authoritate synodi, quàm nos; cùm certum sit synodum intellexisse illam propositionem etiam de ignorantiâ juris positivi, illamque in hoc sensu damnasse, cùm tamen Jansenius contendat illam à peccato excusare. Sed quomodo hoc? Nos omnia facilè conciliamus, quia Concilium loquitur de ignorantiâ hîc & nunc quidem invincibili (quales erant plures ignorantiæ de lege Mosaicâ, & quotidie in nobis plures ejusmodi occurrunt, & credibile est talem etiam fuisse ignorantiam Saulis persequentis Ecclesiam), sed primitùs vincibili, cujus effectus contra legem

Secunda ratio hujus asserti.

Hoc certè effatû damnatum est à Concilio Palæstino.

legem positi sunt mali, & subjacent peccato, imò sunt peccatum imputabile, non tamen propriâ sed solùm communi imputabilitate peccati illius, in quo ignorantia illa erat voluntaria. quid clarius dici potest?

Secunda Iansenii objectio.

Objectio secunda. 53. OBjicies 2. ex eodem *lib. 2. cap. 3.* in quo Jansenius plurima coacervat loca Augustini, ut ostendat ignorantiam invincibilem non excusare à peccato. Ego potissima afferam, nam eadem responsio multò faciliùs in reliqua quadrabit. Inprimis Aug. *lib. de naturâ & gratiâ cap. 17.* disputat amicè contra Pelagium, qui asserebat hominem posse vivere absque peccato, si velit; quod Augustinus insectatur acerrimè, & præter peccata ignorantiæ vincibilis, opponit peccata ignorantiæ invincibilis tanquam inevitabilia: ait enim: *tractat etiam iste* (Pelagius) *de peccatis ignorantiæ, & dicit, hominem prævigilare debere, ne ignoret, ideóque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentiâ suâ, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset: Dum tamen omnia potius disputet, quàm ut oret, & dicat; da mihi intellectum ut discam mandata tua. Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per Sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse, & facere contra legem, non intelligendo quid fieri velit.*

Pelagius agnoscit peccatum ignorantiæ vincibilis; sed indigentiam gratiæ non agnoscit.

ecce Augustinus ponit ignorantiam invincibilem, per quam homo necessariò facit contra legem & peccat, etsi velit legem scire, quam scire non potest. Rursus *epistola 105. ad Sixtum*, quam scripsit post Pelagianismum damnatum, hæc habet: *Humana superbia tanquam præsumens de viribus liberi arbitrii excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat.* hic nomine superbiæ humanæ sugillat Pelagianos, qui omnia libero arbitrio deferebant, non gratiæ; & dicebant, ignorantiam invincibilem excusare, quod negat Aug. Deinde sic concludit de omni ignorantiâ: *ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis; sive qui novit, sive qui ignorat: sive qui judicat, sive qui non judicat; quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.*

Solutio. Resp. inprimis ad primum locum *ex lib. de naturâ & gratiâ* desumptum, & dico, Augustinum ibi ostendere contra Pelagium, quòd aliqua nobis imputentur propter peccatum originale, quæ etsi velimus, non possumus scire, aut evitare per vires naturæ gratiâ Dei non roboratæ; quod Pelagiani negabant: Dicebant enim nil nobis ullatenus imputari posse, aut denominari peccatum, quòd per ignorantiam invincibilem fit, aut omittitur. Hoc ipsum omnes contra Pelagianos fatemur, sed simul docemus, ignorantiam invincibilem excusare à peccato per se imputabili; quæ duo sibi non contradicunt; nam impossibilitas diu resistendi absque auxiliis gratiæ, maximè dum tentatio urget, aliunde quàm ab ignorantiâ desumitur, nempè à vehementiâ tentationis, & à debilitate virium; uti Theologi fusè explicant in tractatu de necessitate gratiæ. His positis: hæc Augustini locutio ex se æquè applicabilis est ignorantiæ legis positivæ, ac naturalis; ergo, ipso etiam fatente Jansenio, sumi debet indefinitè, non universaliter, alioquin ignorantia facti & juris positivi non excusarent à peccato. Itaque locutio illa restringi debet. ego dico quòd restringatur ad imputabilitatem eorum, quæ denominativè ratione peccati originalis aliquo modo imputantur ut mala, & extrinsecè tantùm denominantur peccata; quia sunt pœna peccati. exemplo rem explico. Ethnici, etsi velint esse beati, & omnia

omnia investigent per quæ beati esse possint, non tamen possunt absque gratiâ Dei ad eorum notitiam pervenire. Hoc stante, nos Catholici dicimus, illis imputari, quòd non crediderint, nec Deum, uti decet, amaverint, quatenus ratione peccati originalis inciderunt in impotentiam ista præstandi; quæ si præstitissent, nunquam damnati, sed salvati fuissent. è contrà Pelagiani negabant hæc omnia, dicebantque neminem propterea cariturum beatitudine, & incursurum damnationem, eò quòd omiserit quod nec scire nec facere potuit. ecce ergo in quo differebant Augustinus & Pelagius. Hic nil volebat ullâ ratione nobis imputari posse, aut rationabiliter denominari peccatum, quod oritur ab absolutâ impotentiâ, vel ignorantiâ invincibili; quia negebat peccatum originale; adeóque negabat dictam ignorantiam, & impotentiam esse pœnas talis peccati. At Augustinus, & Catholici omnes contrarium docent. Cæterùm Aug. nullibi, nequidem per umbram, docet opera, aut omissiones ejusmodi esse peccata propriè loquendo, quæ ratione sui afferant maculam culpæ, aut inferant reatum pœnæ illis proprium, & distinctum à reatu & malitiâ peccati originalis; cùm tamen præsens quæstio de hâc peculiari malitiâ præcisè procedat: Hanc probare debuisset Jansenius, si quid ad rem afferre voluisset. Cæterùm hanc esse mentem, & hunc esse ipsissimum sensum Aug. disertè tradit ipse Augustinus, *lib. 3. de lib. arb. cap. 20.* ubi expresè docet quidquid hic dixi, simulque expresè improbat totum intentum Jansenii; ait enim: *illud quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideò dicuntur peccata, quia de peccato illo (primo) liberæ voluntatis originem ducunt; illud enim præcedens meruit ista sequentia.* Deinde id ipsum similitudine linguæ declarat, cujus nomine non solùm instrumentum oris, sed etiam ejus effectus dicitur lingua, nempè

Pelagiani negabant ignorantiâ & difficultatem ad bonum esse pœnas peccati originalis.

latina, vel græca, & tandem concludit, *sic non solùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, liberâ enim voluntate, & ab sciente committitur; sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est.* ecce Augustinus solùm agnoscit veram rationem peccati, veram malitiam, verumque peccati reatum in eo, quod liberum est, & aliquo modo scienter committitur, in effectu autem & pœnâ peccati, seu in iis, quæ necessariò ad illud consequuntur aliam peccati rationem non agnoscit, quàm denominativam, quia non ab intrinseco, sed solùm ab extrinseco denominationem peccati accipiunt. hæc est communis totius scholæ doctrina, à quâ Aug. vel latum unguem non discedit, quidquid Jansenius somniavit in oppositum. Augustinus ergo hoc loco per phrasim illam, *facere contra legem non intelligendo quid fieri velit*: solùm intelligit peccatum materiale, non formale, seu quod non ratione sui, sed solùm ratione alterius imputari potest.

Aug non agnoscit veram rationem peccati per se imputabilis in opere facto ex ignorantiâ penitùs invincibili.

54. Porrò responsio ad secundum locum ex *epist. 105.* desumptum clarissimè confirmat hæc omnia, eaque dici juxta mentem Aug. evidenter demonstrat; nam primo loco redarguit superbiam Pelagianorum, qui, viribus liberi arbitrii freti, jactabant nil omninò nequidem ratione peccati originalis (quod ut fictum & impossibile rejiciebant) illis imputari posse ad carentiam beatitudinis, quando bonum quod omittebant, aut malum quod faciebant, soli ignorantiæ, & non propriæ illorum voluntati tribuendum erat. hoc autem falsum est & hæreticum, ac nimis superbè dictum; ideóque ab Augustino meritò rejectum est, quia multa propter reatum peccati originalis tribuuntur ad carentiam beatitudinis. Et sanè hunc esse sensum unicè intentum in primâ parte, quam Jansenius ex dictâ epistolâ citat, clarissimè constat ex secundâ parte, in quâ Augustinus quidquid à me hactenus responsum

Idipsum ex verbis August. fusius declaratur.

responsum est evidentissimè declarat, quasi fundamentum ad intelligendam totam difficultatem, eamque clarissimè solvendam. Dicit ergo inexcusabilitatem omnis peccatoris fundari in alterutrâ istarum causarum; scilicet vel *in reatu originis*, vel *in additamento propriæ voluntatis*. & statim subdit, *quia & ipsa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt pœna peccati.* ecce aliter enuntiat de ignorantiâ propter voluntatem, seu vincibili, aliter de ignorantiâ propter impossibilitatem, seu invincibili; illam dicit esse peccatum, quia scilicet ratione propriæ voluntatis imputari potest propter peculiarem reatum, & malitiam diversam à reatu & malitiâ cujusvis alterius peccati; hanc dicit esse pœnam peccati, non propriè & in se peccatum, quia in se nullam imputabilitatem continet, sed imputatur propter reatum originis; adeóque quamdiu reatus ille perseverat justè damnatur uterque; ille propter ignorantiam vincibilem, & peccatum propriæ voluntatis; iste propter reatum originis, & effectus ab illo necessariò provenientes, qui quatenus ab illo proveniunt, & ab eodem denominationem accipiunt, tanquam quoddam materiale peccati appellantur peccata, & ut mala ac peccata, ad quæ vitanda in primo parente obligamur, imputantur ad damnationem, peccato originali, cujus sunt pœna, debitam.

Deleto reatu originis ignorantia invincibilis juxta Augustinū non amplius imputatur ad peccatum.

55. Unde sequitur ex mente Aug. quòd, deleto semel reatu originis, omnis ignorantia invincibilis sit excusabilis; quia accusari non potest *ex additamento propriæ voluntatis*, ut supponitur. Sed neque ex *reatu originis*, quia ille per regenerationem sublatus est. Et sanè adeò certum est Aug. hoc loco loqui de infidelibus, ut ipse Jansenius idipsum expressè fateatur. Ecce loca ipsa, quæ Jansenius congerit, eaque potissima, in quibus fidit; non solùm illi non favent, sed è contrariò tam manifestè declarant communem doctrinam scholarum, ut nil accommodatius ad eam explicandam afferri posse videatur.

Idipsum confirmatur.

56. Confirmatur ex mox dicendis, ubi Aug. expressè asserit, malum ignorantiæ manere in baptizatis, in quibus tamen nullum manet peccatum. Sicut ergo, deleto originali, malum concupiscentiæ & ignorantiæ, quod remanet, & antea vocabatur peccatum, & imputabatur ut tale, amplius non est peccatum, nec imputatur ut tale, ita neque quæ ex iis necessariò consequuntur sunt peccata, nec imputantur ut talia. Sic de fide est primos & penitus indeliberatos concupiscentiæ motus in justificatis non esse peccata, nec ut talia imputari posse, non enim ratione sui, utpote non liberi, imputari possunt; non ratione peccati originalis, quod jam deletum est; non ratione concupiscentiæ relictæ, quia illa non est peccatum. ergo ratione illius nec dici nec imputari possunt ut peccata. Idem prorsus dicendum de malo ignorantiæ invincibilis relicto in baptizatis, ejusque effectu, qui nec ratione sui nec ratione peccati originalis, nec ratione ignorantiæ, à quâ procedit, dici potest peccatum, aut ut tale imputari. Jam qui cupit videre quomodo Jansenius hunc locum infideliter citaverit legat DeChamps *lib. 3. disp. 5.* ubi illum propter hunc defectum mirè exagitat.

Malum ignorantiæ & concupiscentiæ manens in baptizatis & justificatis non est peccatum.

Jansenius contendit Aug. tenere justum ex ignorantiâ invincibili operantem non excusari.

57. Sed adhuc instat Jansenius *in eodem cap.* & contendit ignorantiam invincibilem ex mente Augustini etiam baptizatis & justificatis tribui ad peccatum. unde inferet nonnemo, responsiones allatas, etsi videantur sufficere pro solutione locorum hactenus allatorum, reipsâ tamen non sufficere, quia contrariantur menti Aug. ubique intendentis probare peccata ignorantiæ invincibilis habere propriam imputabilitatem, & esse propriè peccata, quia etiam justificatis imputantur ad pœnam. Inprimis enim *lib. de spir. & litt. cap. 36.* hæc habet. *Qui*

hoc attendit, etiam illud attendat, quàm in multis offendimus omnes, dum putamus Deo, quem diligimus, placere vel non displicere quod facimus; & postea per scripturam ejus, sive certâ & conspicuâ ratione commoniti, cùm didicerimus, quòd ei non placeat, pœnitendo deprecamur, ut ignoscat. ecce Aug. justorum vitam conqueritur plenam esse peccatis ignorantiæ, & quidem verissimis peccatis, à quibus per pœnitentiam remedium quærunt. Deinde *lib. 6. cont. Iul. cap. 16.* sic ait: *omni peccato caret* (baptizatus) *non omni malo; quod clariùs ita dicitur: omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis. Numquid caret ignorantiæ malo, per quod à nescientibus innumera perpetrantur mala?* & postea.: *An parvum malum est, per quod homo non percipit, quæ sunt spiritûs Dei. de baptizatis nempè dicebat Apostolus. Animalis homo nod percipit, quæ sunt spiritûs Dei. stultitia enim est illi; & non potest scire, quoniam spiritualiter dijudicatur.* & paulò inferiùs. *non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo in lavacro regenerationis, ubi tamen caruerant omnibus sine dubitatione peccatis. & per hoc ignorantiæ malum templo Dei, in quo habitabat spiritus Dei, stultitia erant, quæ sunt spiritûs Dei.*

Augustinus in locis à Jansenio hic citatis, nomine ignorantiæ solùm intelligit carentiam vivacioris & clarioris cognitionis, non ignorantiam simpliciter.

58. Resp. loca hæc esse apparenter quidem ad rem, ad quam certè priora loca nil faciebant, sed neque hæc aut hisce similia contra nos quidquam probant. Dico ergo, Augustinum in his aliisque similibus locis aliquando nomine ignorantiæ intelligere solùm carentiam notitiæ vivacioris, & clarioris; non autem carentiam scientiæ simpliciter. Quod si aliquando non ita accipiat terminos, loquitur de ignorantiâ aliquo modo vincibili, nunquam de invincibili simpliciter. singula declaro. Inprimis in loco ultimo, *ex lib. 6. cont. Iul. cap. 16.* non loquitur de omnimodâ ignorantiâ, sed solùm de carentiâ vivacis & perspicuæ cujusdam notitiæ, quâ mysteria fidei cum quadam claritate percipiuntur. Patet hoc primò, quia si baptizatus homo, quia adhuc animalis, non percipit quæ sunt spiritûs Dei, sed illi stultitia est quod spiritûs Dei docet: hoc non oritur, quia homo animalis nullam habet notionem de illis mysteriis, contrarium enim manifestè supponitur; alioquin mysteria illa non essent ipsi stultitia. Per hanc ergo locutionem solùm significavit, quod non habeant vivam, claram, & penetrantem notitiam eorundem: hujus notitiæ perfectioris carentiam Aug. hoc loco meritò vocat magnum ignorantiæ malum, quo justi etiam, in quo spiritus Dei habitat, vexantur. confirmatur idipsum ex eo, quod Aug. ipse paulò inferiùs addit ibidem de ignorantiæ ac concupiscentiæ diminutione. *ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente, concupiscentia minuitur charitate magis magisque crescente.* quod effatum locum habet tam in diminutione ignorantiæ, quàm concupiscentiæ, non solùm in ordine ad plura objecta, sed etiam in ordine ad idem; sicut enim crescente charitate concupiscentia circa objectum A minuitur; ita veritate magis lucente circa idem objectum A. ignorantia ejusdem diminuitur; ergo Aug. hoc loco nomine ignorantiæ non intelligit carentiam notitiæ, sed notitiam minùs perfectam. hoc posito,

Carentia hujus cognitionis vivacis, si sit omninò invincibilis, non imputatur justis ad peccatum.

59. Dico, carentiam hujus vivacis cognitionis baptizatis & justis non imputari ad peccatum, modò illa ipsis omnimodâ insit necessitate. Quòd si ex defectu hujus notionis aliquid ipsis imputabile subinde oriatur, illud oritur ex ignorantiâ vincibili; quia si baptizati & justi, jam instructi illâ notione minùs perfectâ, facerent quod possent, & deberent, Deumque pro clariori illuminatione rogarent, indubitanter eam obtinerent; modò illa supponatur esse necessaria ad servandam Dei legem; quia *Deus impossibilia non jubet*, uti definitum est. *in Tridentino sess. 6. cap. 11. sed jubendo monat*

facere

facere quod poßis, & petere quod non poßis, & adjuvat ut poßis. hæc mente revolve, & unà adverte Aug. hîc solùm dicere, ignorantiam hanc in baptizatis malam esse, & multa mala causare; sed non dicit, nec sufficienter insinuat ea esse peccata; quia eùm expressè dicat nulla in baptizatis esse peccata, in quibus tamen multa sunt mala; ex eo quòd effectum ignorantiæ vocet malum, non indicat eum esse peccatum, nisi fortè merè materiale, quod non est ad rem; imò expressè supponit, quòd in justificatis nullum sit peccatum mortale verè imputabile aut ratione sui, aut etiam ratione alterius, in quibus tamen sunt multa mala.

Ignorantia de quâ Aug hîc loquitur, ejusque effectus sunt quidē mala, sed secundùm Augustinū non sunt peccata.

60. Sed neque in primo loco, ubi Aug. de seipso aliisque justis loquitur, quidquam vel leviter innuit contra communem certamque sententiam; nam omnes ex Tridentino *sess. 6. cap. 23.* definiente commoniti, palam profitemur, homines, etiam justificatos, cum ordinariis auxiliis gratiæ non posse diu omnia peccata etiam venialia vitare; sed morali quadam necessitate labi in aliqua, hoc tamen non obstat, quominùs singula peccata venialia & libera sint, & voluntaria; adeóque ratione sui directè imputabilia. Hæc porrò peccata venialia justorum, alia sunt, quæ fiunt ex infirmitate, alia quæ fiunt ex ignorantiâ; illa scilicet, quæ justus non faceret, si de præsenti adverteret illa esse contra Dei legem. Verùm sicut homo morali necessitate labitur in plura peccata ex infirmitate, ita propter eandem infirmitatem moraliter nequit semper esse adeò circumspectus, quin sæpè propter negligentiam cadat in errorem aliquem, aut ignorantiam, quam absolutè poterat vitare, & in quam ex infirmitate & negligentiâ venialiter culpabili incidit. Jam etsi error, & ignorantia sic contracta, dici posset peccatum infirmitatis, opera tamen ex illâ ortum trahentia, si sint contra legem Dei, & sunt & dicuntur peccata ignorantiæ; quatenus ab illâ, utpotè peccaminosa, verè denominantur peccata, & imputantur ad pœnam; sed non aliam ab eâ, cujus reatus per culpabilem negligentiam, à quâ ignorantia dependet, contractus fuit; hoc enim generale est omnibus peccatis, quæ solùm culpabilia sunt in causâ, ut jam sæpè insinuatum est, & fusiùs dicetur quæst. sequenti. Jam Aug. loco citato *ex lib. de spir. & litt.* dicit, quod quando vel ex certâ ratione, vel ex sacrâ Scripturâ justi advertunt se multa fecisse contra legem Dei propter ignorantiam, inadvertentiam, aut errorem, eo ipso timent ne error & ignorantia fuerit culpabilis; imò certò sciunt moraliter fieri non posse, quin sæpè fuerit vincibilis; ideóque pœnitendo veniam poscunt, ut peccata ignoranter, sed culpabiliter commissa misericorditer deleantur. Atque hinc cessat admiratio illa Jansenii, quasi nemo prudenter suspicari possit, ignorantiam in ipso Aug. viro tam sancto, tam docto, tam sedulo, fuisse culpabilem; nam quasi gloriabundus de victoriâ sic argumentatur. *Si ulla ignorantia invincibilis invenitur, certè ipsa Augustini ignorantia erat talis, quam tamen ipsemet reputat ad peccatum propriè dictum, non aliter quàm per pœnitentiam delendum.* Cessat, inquam, hæc admiratio, & nullitas argumenti evincitur, quia sicut Aug. propter infirmitatem sæpè cadebat in multa venialia, etsi sufficienter sciret, & adverteret, illa esse contra legem Dei, ita absurdum non est, Aug. ex eâdem infirmitate non fuisse per omnia vigilem & attentum ad omnia percipienda, quæ tamen sufficienter advertebat se debuisse percipere; imò dicere contrarium, est contra mentem S. Doctoris hîc expressam, & unanimem totius Ecclesiæ sensum, quæ à Spiritu Sancto edocta omnibus suis filiis clamat *septies in die cadit justus; in multis offendimus omnes &c.* esset quidem blasphemia asserere, quòd

Justi necessario labuntur in peccata aliqua ignorantiæ, sed non nisi ex ignorantiâ vincibili.

Augustinus agnoscit in se peccatum ignorantiæ verè imputabile; sed ignorantiæ vincibilis;

Non est mirum, sed necessarium Aug. & alios justos sæpè labi in peccata venialia.

Aug. sanctus, doctus, & sedulus, in rebus momenti, & quæ implicant peccatum mortale, ignorantiâ vincibili laboraverit. At veritas est, non blasphemia, dicere quòd aliquâ laboraverit in rebus parvi momenti, quæque solùm involvunt peccatum veniale; hoc enim commune est tam Augustino, quàm omnibus aliis justis, qui speciali privilegio gratiæ non fulciuntur.

Augustinus hic loquitur de ignorantiâ vincibili.

61. Porrò Augustinum debere, hoc loco intelligi de ignorantiâ vincibili, rectè colligitur ex ipsis Jansenii principiis; nam ignorantia invincibilis tam facti quàm juris positivi etiam divini, juxta mentem Augustini, apud Jansenium quoad hoc non ineruditè expressam, excusat; adeóque sola ignorantia invincibilis juris naturalis non excusat. At quis dixerit Augustinum jam senem & Sanctum habuisse ignorantiam juris naturalis, de quâ vix quisquam vel mediocriter doctus ullam habet ignorantiam, nisi prout ignorantia illa fundatur in ignoratione facti alicujus; ut in Jacob accedente ad Liam, loco Rachelis fraudulenter suppositam; quæ tamen ignorantia propter solam facti ignorationem inculpabilem indubitanter excusat à peccato. Quâ ergo ignorantiâ laborabat Augustinus? non juris naturalis, sed alicujus facti, aut legis positivæ, quâ Deus hîc & nunc hoc vel illud à suis exigit, juxta varias circumstantias donorum, quæ illis confert; nam aliam attentionem & correspondentiam exigit Deus ab eo, cui dat quinque talenta, aliam ab eo, cui solùm duo dignatur conferre. Quod si Jansenius dicat Augustinum laborasse invincibili ignorantiâ juris naturalis, primò mirum quid dicet, & incredibile; Deinde si illam Augustino ad peccatum imputatum refert, non ægrè ferat, si Catholici in illis ipsis minutiis (nam certum est, quòd in rebus magni momenti talem ignorantiam passua non sit) dicant eum ignorantiam vincibilem propter summam difficultatem eam impediendi aliquando habuisse; quia nec per hoc Augustini conditio est pejor; nec quidquam absurdi sequitur, & ex alterâ parte communis, vera, & Catholica doctrina totius Ecclesiæ defenditur, scilicet quòd ignorantia penitùs invincibilis à peccato excuset.

Augustinus dum dicit, ignorantiam nô excusare, loquitur universaliter de omni ignorantiâ tam juris positivi quàm naturalis.

62. Præterea idipsum confirmatur, quia Augustinus universaliter loquitur de ignorantiâ, neque ullibi ex dictis ipsis, maximè autem ex locis hîc citatis, inferri potest, quòd potiùs loquatur de ignorantiâ legis naturalis, quàm positivæ; imò tam locutio ipsius hoc in loco, quàm ratio universalis est, nam post aliquod ignoranter commissum, sæpè per scripturam, sæpè per rationem innotescit, illud modò contra legem Dei positivam, modò contra legem naturalem fuisse commissum; sæpè etiam ex facti cujusdam ignorantiâ processisse, de quibus tamen omnibus concludit, quòd *cum didicerimus, quòd ei non placeat, pœnitendo deprecamur, ut ignoscat.* ergo Aug. his in locis vel nullam vel omnem ignorantiam invincibilem legis divinæ complectitur. Sed certum est, Jansenio etiam teste, quòd non comprehendat omnem, ergo nullam comprehendit. ergo solùm loquitur de ignorantiâ vincibili.

Tertia Jansenii objectio.

Objectio tertia ex locis sacræ Scripturæ petitur.

63. Objici possunt 3. (quæ & Jansenius insinuanter objicit) multa loca sacræ Scripturæ, ex quibus constat multa esse peccata ignorantiæ, quæ propriam malitiam & imputabilitatem habent. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris* psal. 24. quem locum cùm citasset Aug. in fragment. 3. serm. 1. Tom. 10. sic concludit; *si ignorantia peccata nulla essent, hoc non legeremus, quod commemoravi.* Rursus in lege Sacrificia offeruntur pro ignorantiâ sicut pro peccato, *Levit.* 4. Tertiò illud

illud psal. 78. *effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt*, valdè exaggeratur ab Aug *lib. de grat. & lib. arb. cap. 2.* inter reliqua enim hæc habet, *illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omninò quid crederet: sed fortaßis ut mitiùs ardeat. Non enim sine causâ dictum est: effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt.* his addi possunt alia; ut factum Abimelech accipientis Saram in uxorem, quam invincibiliter ignorabat esse conjugem Abrahæ, quod tamen factum vocatur peccatum *Gen. 20. 9.* huic addi potest factum Judæorum ex ignorantia Christum crucifigentium; nam Petrus Apostolus reprehendit Judæos, quòd authorem vitæ interfecissent, cùm tamen teste Paulo. *1. Corinth. 2. 8.* id ignoranter fecerint: *si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Et Paulus de seipso testatur, *misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*, uti habetur *1. Tim ver. 13.*

Responsio. 64. Resp. inprimis, Sacrificia illa in lege offerri solita fuisse vel pro ignorantiâ vincibili, vel certè si pro invincibili etiam debebant offerri, non offerebantur tanquam expiativa peccati Theologici, sed solùm pro quadam legali, vel munditia, vel ceremoniâ, ut sic tam ipsi, quàm alii haberent necessitatem quandam legem meliùs addiscendi. Primum habeo ex ipso Aug. *lib. de nat. & grat. cap. 17. Aliud est*, inquit, *non curasse scire, quæ negligentiæ peccata, etiam per Sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle nec posse.* ecce Sacrificia illa offerebantur pro expiandâ ignorantiâ culpabili. Quòd si contendat Jansenius ea pro ignorantiâ etiam invincibili, tanquam pro vero & proprio peccato expiando fuisse oblata, & sibi & Aug. contradicit, quia juxta mentem Augustini, à Jansenio approbatam, ignorantia invincibilis legis positivæ excusat à peccato At illa ignorantia, pro quâ Sacrificia offerebantur, erat ignorantia legis positivæ à Moyse promulgatæ, ut constat. ergo si offerebantur etiam pro ignorantiâ invincibili non ad expiationem peccati veri, sed ad alios fines offerebantur. Similiter locus ille *psalmi 24.* ab Aug. intelligitur de ignorantiâ culpabili, uti supra ex ipsâ Aug interpretatione ostensum est. Igitur ex istis locis nil inferri potest contra communem veramque sententiam. Quod ex eo etiam probatur, quòd locutio in illis expressa, æquè conveniat omni omninò ignorantiæ. ergo ex vi illorum vel omnis vel nulla ignorantia invincibilis excusat. At aliunde certum est, quòd aliqua excuset, ergo & omnis. ergo loci isti sumendi sunt de ignorantiâ tantùm vincibili, in quantum loquuntur de peccato verè imputabili.

Sacrificia legis offerebantur pro ignorantiâ culpabili.

65. Jam quod spectat ad locum *Psal. 78.* quamvis nulla sit gens, quæ invincibiliter Deum ignoret, non tamen nego Augustinum loco citato loqui de ignorantiâ invincibili; verùm ille ibi restringit sermonem ad infideles, & ad ignorantiam mysteriorum fidei, eorumque omnium, quæ de facto sunt necessaria necessitate medii ad salutem. Hanc ignorantiam, etsi invincibilem, fateor esse imputabilem ad damnationem, non tamen propriâ imputabilitate & malitiâ, sed solùm per denominationem extrinsecam à peccato originali, cujus est effectus, & pœna. Nec obstat Aug. loqui de peccato, cui debetur tormentum ignis æterni, quod non debetur peccato originali: nam constat Aug. sæpè insinuare, ac satis patenter dicere parvulos cum solo originali decedentes aliquo modo per ignem inferni æternùm puniendos esse. Præterea ex eo, quòd infideles non audiant mysteria fidei, utique carent auxiliis gratiæ, quæ liberalissimè fidelibus conceduntur, atque inde est, ignorantiam invincibilem, de quâ

Ignorantia invincibilis mysteriorum fidei quâ ratione dicatur non excusare à damnatione.

quâ Aug. hîc loquitur, connecti cum morali quâdam necessitate labendi in peccata actualia, quibus tormentum ignis debetur. Porrò illa peccata, eorumque effectus aliquo modo attribuuntur invincibili illi ignorantiæ, quatenus, illâ ablatâ, aut non fuissent commissa, aut certè absque ullâ morali necessitate commissa fuissent; atque ideò dici potest Augustinum unà cum dictâ ignorantiâ tacitè intellexisse hæc peccata actualia ratione sui imputabilia, quatenus sunt effectus morali quadam necessitate connexi cum illâ ignorantiâ, atque adeò subintulisse infideles æternùm urendos, etsi ignoraverint mysteria fidei; quia ignorantia illa partim propter suam causam, utpotè originale peccatum, partim propter suum effectum, utpotè peccatum actuale, infallibiliter & necessariò infert damnationem & ustionem æternam. Et sanè Jansenius ipse tenetur hanc expositionem admittere, nisi ipse sibi contradicat, & Augustinum sibi ipsi contradicere velit. Loquitur enim Aug. de ignorantiâ Christi & mysteriorum Evangelii, id est de ignorantiâ legis positivæ, non naturalis. Illa autem, cùm supponatur invincibilis, non est imputabilis ad peccatum. ergo intelligitur imputari ad pœnam vel ratione causæ, à quâ procedit, vel ratione effectûs, quem secum trahit, uti jam dictum est. Præterea ex antecedentibus & consequentibus evidenter constat, hunc esse sensum ab Aug. intentum, ille enim semper docet ignorantiam invincibilem fidei non excusare à damnatione, quia non excusat ab aliis peccatis, sed solùm à magno illo infidelitatis peccato, cujus Judæi, qui Christum noluerunt recipere, rei fuerunt. Vide de Champs *lib. 3. disp. 5.* ubi latè probat hoc ipsum adductis Aug. testimoniis. At hoc quid faveat Jansenio, ego certè non intelligo.

Augustinus in hoc etiam loco

Præterea locus Augustini, quem Jansenius objicit ex *lib. 3. de gratia & lib. arbitrio cap. 2.* solùm procedit de ignorantiâ vincibili. Hoc constat primò ex immediatè antecedentibus, in quibus Aug. ponit exemplum servi in Evangelio, qui sciens voluntatem Domini sui, & non implens meretur plagas multas, quique voluntatem Domini nesciens paucis vapulat, si faciat digna plagis. Deinde statim hæc addit: *ecce ubi ostendit graviùs peccare hominem scientem quàm nescientem; nec tamen ideò confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque acquirat excusationem. Aliud enim est nescire, aliud scire noluisse: voluntas quippè in eo arguitur, de quo dicitur: noluit intelligere, ut benè ageret. sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt.* &c. quæ affert Jansenius. ecce Aug. locum illum Evangelii interpretatur de ignorantiâ vincibili, totumque meritum reprehensionis refundit in voluntatem, quâ servus noluit voluntatem Domini investigare. imò expressè asserit, voluntatem non posse reprehendi propter ullam ignorantiam, de quâ dici non possit, *noluit intelligere ut benè ageret.* ergo per Aug. ignorantia perfectè invincibilis, & quæ ex illâ necessariò sequuntur, non habent, unde imputari possint. Sed neque secunda pars authoritatis, quam affert Jansenius suppressâ priore, quidquam illi favet; quia in illâ etiam Aug. loquitur de ignorantiâ vincibili. Probatur hoc primò, quia Magister *in 2. dist. 22.* ex hoc ipso loco probat ignorantiam invincibilem excusare, & solùm vincibilem imputari posse. Hæc sunt verba Magistri, *est autem ignorantia triplex, & eorum scilicet qui scire nolunt, cùm possint, quæ non excusat; quia & ipsa peccatum est: & eorum, qui volunt, sed non possunt; quæ excusat, & est pœna peccati, non peccatum; & eorum, qui quasi simpliciter nesciunt, non renuentes, vel proponentes scire, quæ neminem planè excusat; sed sic fortasse, ut minùs puniatur; unde Augustinus ad Valentinum* (lib. de grat. & lib. arbit. cap. 3.) *ignorantia quæ non est eorum,*

convincitur loqui de ignorantiâ vincibili.

Sic Magister intellexit hunc locum Aug. sic S. Thomas aliique omnes.

eorum, qui scire nolunt, sed qui tanquam simpliciter nesciunt, nullam sic excusat, ut æterno igne non ardeat, sed fortasse ut mitiùs ardeat. Magistro consentiunt S. Thomas, & universa schola. Erravit ergo Jansenius, dum novam interpretationem proponit contrariam antiquæ & communi omnium doctissimorum intelligentiæ. Sed parcendum Jansenio, qui licet apud suos asseclas audiat doctissimus, acutus, acer ingenio, judicii summi vir, nihilominùs ubique misere impingit. Peto enim ab illo, cùm Aug. non dixerit *ignorantiam eorum, qui simpliciter nesciunt, non excusare, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt neminem sic excusare, ut sempiterno igne non ardeat*, unde inferat, eum loqui de ignorantiâ penitùs invincibili? quid sibi vult illa particula restrictiva *tamquam?* scis quid indicet? indicat genus ignorantiæ culpabilis, quod non excusat à toto, sed fortassè à tanto; in primâ parte locutus est Aug. de illis, qui affectant ignorantiam, & nolunt scire, cùm possint, & hæc est ignorantia affectata & directè volita, quæ nullatenus excusat, sed potiùs aggravat. est alia indirectè tantùm volita, quâ quidam non ex intentione ignorandi, aut ex ullâ voluntate directè ad ignorantiam terminatâ, sed solùm omittendo diligentiam, quam tenebantur adhibere, ignorant quod scire debebant, seu, ut dicit Magister, ignorantia, quam etsi propulsari non renuant, simul tamen non proponunt scire, nec diligentiam adhibent, ut sciant, quod scire debebant. Hæc est, & dicitur ignorantia simplex, & per hoc opponitur affectatæ, atque ab eâ distinquitur; ideò autem vocatur simplex, quia non est directè volita, sicut quæ affectatur, hæc autem ideò ab Aug. vocatur *quasi simplex ignorantia*, quia multùm accedit ad *invincibilem*; quæ penitùs est simplex, cùm nullo modo dependeat à voluntate. Ecce sermo est de ignorantiâ vincibili, quam Authores aliqui neglectam, alii simplicem, alii ignorantiam omissionis appellant, ut supra in explicatione terminorum dictum est.

Locus hic clarè exponitur per ignorantiam vincibilem affectatam, & simplicem.

Hoc ipsum probatur 2. ex particulâ illâ, *fortassis ut minùs ardeat.* certum enim est, etiam per Jansenium, quòd mitiùs punientur, qui ex invincibili ignorantiâ operantur, quàm qui scientes, aut culpabiliter ignorantes, malum agunt. ergo Aug. loquutus est de ignorantiâ vincibili, nam si de invincibili loquutus fuisset non dixisset *fortassis ut mitiùs ardeat*, quia de hoc non est dubium. At dubium est, utrùm vincibilis ullatenus minuat pœnam. ergo Aug. loquutus est de ignorantiâ vincibili. Confirmatur, quia expressè loquitur de ignorantiâ mysteriorum fidei, illamque dicit non excusare. ergo loquitur de ignorantiâ vincibili; nam etiam per Jansenium verum est ex Aug. quòd ignorantia invincibilis Christi & mysteriorum fidei, utpotè quæ solùm spectant ad jus positivum, omninò excuset. ecce Jansenius pro stabiliendâ suâ sententiâ affert exempla, quæ probant oppositum, quia loquuntur de ignorantiâ vincibili.

Jam quod attinet ad ignorantiam Judæorum Christum crucifigentium, illa indubitanter vincibilis fuit; cum Christus ipse hoc ipsum clarissimè manifestaverit. Idem de ignorantiâ Pauli dici debet, ut fusiùs ostendetur in responsione ad objectionem sequentem. Quocirca ista exempla nobis favent, non adversariis, quia procedunt de ignorantiâ primitùs vincibili. Porrò quia præcipua disputatio contra Pelagianos de hujusmodi exemplis, & culpâ in illis contentâ procedebat, ideò ritè concluditur, disputationem illam præcipuè respexisse ad ignorantiam primitùs vincibilem, ac proinde verè culpabilem.

Ignorantia Judæorum Christum crucifigentium erat vincibilis.

66. Major est difficultas de facto Abimelech, quod eruditè valdè discutitur à Vasquez. *1. 2. disp. 124. n. 7. & 8.* Dico ergo, Abimelech

Abimelech ignoranter assumens Saram in uxorem non peccavit.

Abimelech ex ignorantiâ probabili, adeóque invincibili voluisse accipere Saram in uxorem, ac per hanc voluntatem non peccasse nec fuisse dignum pœnâ; nam quamvis Deus *Genesis 20.* dixerit ad Abimelech: *Ecce morieris propter mulierem, quam tulisti; habet enim virum.* nihilominùs cùm Abimelech seipsum excusaret, dicendo, *numquid gentem ignorantem & justam interficies? in simplicitate cordis mei, & munditiâ manuum mearum feci hoc.* Deus excusationem admisit, illíque respondit: *ego scio quod simplici corde feceris* &c. unde ritè infertur, Abimelech coram Deo non peccasse intendendo copulare sibi Saram in conjugio. Sed hîc exurgit difficultas, nam Deus, cùm dixisset illi, *ego scio quod simplici corde feceris*, statim subjunxit, *ideò custodivi te, ne peccares in me, & non dimisi, ut tangeres eam.* quomodo enim vocatur illud peccatum in Deum, cujus intentio & voluntas efficax non erat peccatum? resp. quòd opus illud fuisset peccatum materiale, quod Deus amoliri voluit propter Abraham amicum suum; non enim repugnat intentionem operis reipsâ prohibiti esse inculpabilem, dummodo intentio illa procedat ab ignorantiâ invincibili legis prohibentis. Deus itaque minatus est mortem Abimelech, non quia peccaverat, sed ut dimitteret Saram; si enim post admonitionem Dei eam non dimisisset, peccasset utique, & meritus fuisset pœnam. reliqua autem mala, quæ Deus antea intulerat Abimelech, non in pœnam intenti conjugii illata sunt, sed ut per ea liberaret Abraham à contumeliâ, & dedecore, quod alioquin passus fuisset, si Abimelech, etsi simplici corde, eam cognovisset. unde apparet quantam curam Deus habeat de honore suorum servorum, & quàm sincerè Abrahamum dilexerit.

Explicatur locus ex Gen. 20. de hoc facto Abimelech.

Et sanè Chrysostomus *homil. 45.* in Genesim ita intelligit hunc locum, ut per peccatum non intelligatur nisi contumelia & dedecus, quod in Abrahamum redundasset, quod Deus pro amore Abrahæ reputabat suum; sicut amicus amici infortunium ut proprium intuetur. Ita etiam locum hunc interpretatur Vasquez, quamvis alii, ut supra dictum est, existiment Abimelech peccaturum fuisse, si Saram duxisset, idque propter ignorantiam culpabilem, sed simplicem, non affectatam: alii etiam ad alia capita reducant ejus peccatum, quos omnes Vasquez loco citato benè refutat. Jam ergo certum est, hanc ignorantiam non pertinere ad jus, sed solùm ad factum. ergo certum est, quod excuset, si sit invincibilis. Itaque si ignorantia Abimelech dicatur fuisse invincibilis, conjugium ab illo intentum ideò vocatur peccatum, quia erat materialiter tale, non verò quasi ratione sui possit imputari; quod etiam adversarii sponte concedunt, quia solùm erat ignorantia facti. Si verò ignorantia illa dicatur fuisse vincibilis, uti gravissimi Interpretes arbitrantur, & à quorum sententiâ Augustinus non abhorret, tunc argumentum non urget nos, qui solùm loquimur de ignorantiâ penitùs invincibili. hinc autem habes unde aliis omnibus exemplis respondeas; invenies enim ea urgere adversarios, quia loquuntur de ignorantiâ facti aut juris positivi; ergo si loquantur de ignorantiâ invincibili, repugnant adversariis; si verò procedant aut de ignorantiâ primitùs vincibili, aut de peccato quod materialiter non formaliter est tale, nos non impetunt, ut patet.

S. Chrysostomus hoc eodem modo intellexit locum hunc.

Quarta Iansenii objectio.

67\. OBjicies 4. *ex cap. 4. ejusdem libri.* Etsi Augustinus ante ortum hæresis pelagianæ contra Manichæos agens, ita definiverit peccatum, ut rationem tam voluntarii, quàm liberi ad illius essentiam requireret; diceretque *lib. de duabus animabus cap. 11. Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi*

Objectio quarta.

Refert definitiones peccati ab Augustino. *consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere.* & *lib. 3. de lib. arb. cap. 18.* exclamaret: *quis enim peccat in eo quod nullo modo caveri potest?* rursusque *lib. de verâ relig. cap. 14.* sibi constans eodem modo definiret peccatum dicens; *usque adeò peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* nihilominùs etiam tunc Aug. agnovit peccata ignorantiæ, quæ absque voluntario & libertate fiebant. Nam *lib. illo 3. de lib. arb. cap. 18.* suæ definitioni opponit peccata ignorantiæ dicens: *& tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur, & corrigenda judicantur, sicut in divinis authoritatibus legimus; ait enim Apostolus: misericordiam consequutus sum, quia ignorans feci. Ait & Propheta: delicta juventutis & ignorantiæ ne memineris.* sed statim solvit difficultatem dicens: *sed hæc omnia hominum sunt ex illâ mortis damnatione venientium. Nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Tandemque concludit suam definitionem intelligi debere de peccato primi hominis; & statu, in quo factus est homo; nam sic concludit. *cùm autem de liberâ potestate rectè faciendi loquimur, de illâ scilicet, in quâ homo factus est, loquimur.* Verùm post exortam hæresim pelagianam, cum Julianus Augustino objiceret has proprias ipsius definitiones peccati, ut probaret nullum esse posse peccatum, quod liberum non sit; adeóque peccatum originale, quod utique liberum non est, peccatum esse non posse; Aug. *lib. 1. oper. imp. fol. 155.* sic respondet Juliano. *multùm erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi; vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nullâ necessitate commissum est.* In quam rem, cùm attulisset in exemplum peccata violentissimæ consuetudinis, subtexit peccata ignorantiæ dicens. *Qui autem nesciunt, ipsam boni appetendi, malique vitandi ignorantiam patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat; quod non debeat facere, facit.* Jam verò quòd loquatur de veris peccatis, constat ex dictis ibidem; nam *folio 156.* de eisdem loquens subdit hæc. *De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur, delicta juventutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. quod genus delictorum si non imputaret Deus justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis. unde dicit & famulus Dei Iob: Signasti peccata mea in sacculo, & annotasti si quid invitus commisi.* Rursus *folio 159.* in eundem scopum hæc habet. *Necesse est quod peccet, à quo ignoratur justitia: numquid ideò cùm justitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantiæ necessitate commisit? &c. Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi. &c.* ecce hîc loquitur Aug. de ignorantiâ invincibili; nam Pelagiani ultrò agnoscebant peccata ignorantiæ vincibilis; uti dictum est. Jam Augustinus ut clariùs ostenderet hæc non contradicere definitionibus peccati, quas contra Manichæos ediderat, sic respondet Juliano *lib. 1. oper. imp fol. 37. Hîc peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippè agendum fuit* (nempè contra Manichæos) *quando mali origo quærebatur, quale commissum est à primo homine ante omnes homines malum. sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.* his aliisque similibus Augustini authoritatibus mirificè gloriatur Jansenius, putans se victoriam omninò obtinuisse; adeóque non dubitat quasi triumphum sibi adscribere, quòd ille non solùm mentem Augustini assecutus sit; sed etiam ostenderit, quomodo Augustinus potissimæ objectioni, quæ affertur ad probandum quod invincibilis ignorantia excuset à peccato, satisfecerit.

68. Resp. Augustinum contra Manichæos solùm definiisse peccatum personale propriè dictum; seu quod ratione sui imputatur; quam definitionem nunquam retractavit, quando contra Pelagianos disputavit, Responsio.

tavit, sed eidem semper inhæsit. Imò semper ab initio contra Manichæos advertit illam propriè loquendo non comprehendere peccatum originale, sicut nec illa, quæ non ratione sui, sed solùm ratione alterius peccati imputantur, qualia multa sunt, quæ fiunt ex ignorantiâ vincibili, ut videre est ex locis sacræ Scripturæ, quos citat, nam Paulus *1.Timot.1: 13.* de scipso dicens: *misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*: non habuit ignorantiam invincibilem Christi, & Ecclesiæ, qui, utpotè peritus legis, & Hierosolymis præsens innumeris & maximis miraculis Christi, & Apostolorum disputationibus, ac prædicationi S. Stephani, sine dubio reprehensibilis erat in suâ ignorantiâ; sicut & Judæi, de quibus idem Paulus *1. Corinth. 2. 8.* expresè testatur, quod *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Jam Aug. fatetur peccata ex hâc ignorantiâ secuta, qualia erant blasphemiæ, contumeliæ, & persecutio Ecclesiæ in Paulo, non comprehendi in illâ definitione, quia non erant peccata propriè, & ratione sui, sed solùm ratione alterius. imputabilia, nempè ratione ignorantiæ culpabiliter admissæ, à quâ tantùm denominabantur peccata. Similiter ea, quæ necessariò consequuntur ad ignorantiam per peccatum originale illatam, non sunt propriè peccata, ratione sui imputabilia, sunt tamen & dicuntur peccata, atque uti talia imputantur à Deo, per unam eandemque imputabilitatem, à quâ omnia denominantur. Hæc omnes fatemur, qui tamen negamus ignorantiam penitùs invincibilem, aut ejus effectum necessarium habere propriam imputabilitatem, aut ullatenus imputari ad culpam & pœnam in homine justo, aut in eo, cujus originale deletum est Quod & ipse Aug. expresè tradidit *epist. 105. ad sixtum*, ubi contra Pelagianos disputans de omni peccatore dicit: *Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis.* ut supra ponderatum est. Rectè ergo Augustinus loco citato dixit, errare Julianum, si nullam putet esse necessitatem peccandi. Inprimis est absoluta necessitas contrahendi peccatum originale, à quo plura alia necessariò consequuntur, quæ sunt pœna illius peccati, & ab illo denominantur & sunt peccata; non tamen propriè ratione sui, tanquam habentia propriam malitiam, & reatum distinctum à malitiâ & reatu peccati, cujus sunt effectus & pœna. Rursus non solùm infideles, qui ratione sui statûs carent plurimis Dei auxiliis, habent moralem quandam necessitatem peccandi mortaliter, sed justi etiam cum ordinariis auxiliis gratiæ subjacent morali necessitati peccandi venialiter; quæ tamen necessitas conjuncta est cum libertate indifferentiæ ad oppositum, quod satis benè probat Aug. loco citato exemplo consuetudinis inveteratæ, quæ inducit aliquam peccandi quasi necessitatem; non tamen tollit libertatem, quam si tolleret, peccata sequentia nullam haberent malitiam distinctam ab ea, quæ præcessit in causâ.

Ignorantia Pauli erat vincibilis, sicut & Judæorum Christum crucifigentium.

69. Jam verò Aug. post primum exemplum consuetudinis inveteratæ statim aliud de ignorantiâ subjungit, quod, ut paritas & progressus sit conveniens, intelligi debet de ignorantiâ culpabili; de quâ tantummodo verum est, quòd illi patiantur peccandi necessitatem, qui boni appetendi & mali vitandi ignorantiam habent. Certè si de invincibili loqueretur, ineptum esset exemplum de consuetudine, quod proposuit tanquam præmissa nota, ad ostendendum quod minùs erat notum de necessitate peccandi ex ignorantiâ. Neque obstat Pelagianos admisisse ignorantiam culpabilem esse peccatum, adeóque Augustinum frustra locuturum fuisse de illâ ad arguendum contra Pelagianos; nam Pelagiani admittebant quidem ignorantiam culpabilem esse peccatum,

Exempla ab Aug. allata probant eum loqui de ignorantiâ primitus vincibili.

catum, quamdiu vitari poterat, & liberè admittebatur; verùm negabant effectus ex tali ignorantiâ provenientes esse & denominari peccata, ac amplius imputari, quando illa ignorantia, tempore procedente, non amplius erat in potestate operantis, sed evaserat omninò necessaria, ut supra ostensum est. Hoc eorum effatum insectatur Aug. docens ignorantiam illam, etsi hîc & nunc necessariam, non excusare, sed imputari ad peccatum, quamdiu scilicet peccatum negligentiæ, per quod hæc ipsa necessitas voluntariè fuit contracta, non retractatur; eo enim retractato & deleto, præsens necessitas non habet unde denominetur peccatum & imputetur; sicut dictum est de fomite, & ignorantiâ, quæ est effectus & pœna peccati originalis; nam illa & ejus effectus solùm tamdiu sunt, & denominantur peccata, quamdiu reatus originis manet; nam illo ablato, tollitur omne id, à quo malum dictæ ignorantiæ invincibilis imputetur, & denominetur peccatum. Et sanè nisi Aug. hoc loco loquatur de ignorantiâ vincibili, Jansenius ipse respondere debet hisce authoritatibus, quæ non minus procedunt de ignorantiâ juris positivi, quàm naturalis, ut constat perpendenti formam locutionis, quâ S. Doctor suam sententiam exprimit, & multò magis ex phrasi, quâ dicere solet vitam nostram innumeris ignorantiæ peccatis scatere; quod certè verum non est de ignorantiâ juris naturalis, cujus ignorantia invincibilis rarissima est apud fideles, vel mediocriter doctos; ut patet.

70. Confirmatur: Augustinus in confirmationem doctrinæ hîc traditæ non aliud affert exemplum, quàm authoritatem Prophetæ dicentis, *delicta juventutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris, quod genus delictorum &c.* ergo solùm loquitur de genere delictorum, quæ Propheta loco citato petit sibi dimitti. At illa sunt quæ fiunt ex ignorantiâ primitus vincibili, uti ostensum est; *Dicta confirmantur.*

quia Aug. hunc locum cum illo Pauli consequentis misericordiam, quia ex ignorantiâ persecutus est Ecclesiam, unà componit, & utrumque de eâdem ignorantiâ, exponit, uti dictum est; scilicet de ignorantiâ saltem primitùs vincibili.

71. Unum tamen non licet omittere, scilicet Jansenium hoc loco insinuare (quod alibi perfrictâ fronte non minùs audacter quàm temerè & impiè asserit) definitiones Aug. contra Manichæos allatas solùm convenire peccato primi hominis, qui liberè, & absque omni necessitate peccavit; nam Aug. *lib. 1. operis imperf. fol. 37* Juliano illas definitiones objicienti respondet. *Hîc peccatum definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippè agendum fuit* (nempè contra Manichæos) *quando mali origo quærebatur, quale commissum est à primo homine ante omnes homines malum. Sed tu aut non potes intelligere, aut non vis.* unde Jansenius docet, & ex mente Augustini confirmare conatur, liberum arbitrium indifferentiæ per peccatum Adæ amissum fuisse, & omnia peccata, quæ in naturâ lapsâ committuntur non liberè posse omitti, sed ex verâ necessitate antecedente inevitabiliter poni. Hoc impium dogma Innocentius X. tanquam hæreticum damnavit, uti suprà dictum est; interim perfrictæ frontis fuit Jansenius, qui talem errorem Aug. tribuit, cùm nihil magis ejus menti & verbis repugnet. nam hoc loco non dicit, aliud peccatum illis definitionibus non comprehendi quàm Adæ peccatum, sed solùm affert exemplum peccati liberrimè commissi, à quo scilicet Adam absque difficultate abstinere poterat, si voluisset. Cæterum *in eodem lib. primo operis imperf.* ex quo Jansenius hîc argumentatur, Augustinus *folio 40.* expressè dicit nunc in natura lapsa multa committi peccata, à quibus liberum est abstinere, quæque proinde sunt tantùm peccata, & illis definitio-

Jansenius imponit Aug doctrinam falsam & hæreticam.

Jansenius docet libertatem indifferentiæ in homine lapso periisse.

Aug. expressè docet libertatem indifferentiæ in naturâ lapsâ remansisse.

definitionibus comprehenduntur. Ait enim: *multa sunt quæ agunt homines mala, à quibus eis liberum est abstinere.* & rursus fol. 157. *fatemur*, inquit, *in hominibus esse peccata, quæ committuntur non necessitate, sed voluntate. quæ tantummodo peccata sunt, unde ab eis liberum est abstinere.* quamvis, uti alicubi addit, non tam liberum sicut erat primo parenti. ecce quàm perversè Jansenius citet Augustinum, & quàm longè à verâ ejus intelligentiâ aberret: hoc hic advertendum fuit, ne quis ex loco, quem Jansenius citat, ansam arripiat existimandi, Augustinum illis definitionibus non comprehendere peccata naturæ corruptæ, sed solùm integræ; ideoque libertatem indifferentiæ in naturâ solùm integrâ viguisse, in corruptâ verò penitus periisse.

Alia responsio, dato quòd Aug. loquatur de ignorantiâ penitus invincibili.

72. Cæterùm etsi concederemus (quod tamen verum non est) Augustinum loco citato loqui de ignorantiâ penitus invincibili, nihilominùs toto illo tractatu solùm loquitur de necessitate peccandi, quæ est pœna peccati sine necessitate commissi, sicut ipse expressè contra Julianum profitetur, dicens fol. 155. *multùm erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati pœnam esse, quod nullâ necessitate commissum est.* ergo vel solùm vel præcipuè loquitur de necessitate peccandi per originale contractâ, hoc autem posito, responsio manifesta est, nam & illa necessitas, & mala ab illâ necessariò sequentia verè sunt, & denominantur peccata, & à Deo ad damnationem imputantur, quamdiu originale non deletur. At illo deleto, non est cur ampliùs imputentur, aut censeantur peccata, ut sæpiùs dictum est. Hæc est sententia Augustini, hæc communis mens Ecclesiæ, & Theologorum negantium peculiarem, & solùm admittentium generalem imputabilitatem peccatorum, quæ fiunt ex ignorantiâ invincibili; eam nempè, quæ est in causâ, quâ semel ablatâ, omnis imputabilitas & ratio peccati ab illis tollitur. Frustrà ergo laborat Jansenius coacervando authoritates Aug. ad fucum faciendum errori suo, à quo Augustinus cum totâ scholâ abest longissimè.

Dices Aug. lib. 1. Retract. cap. 15. hæc habet. *Qui nesciens peccavit, quia voluit fecit, etiamsi non quia voluit peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit. Ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti non voluntate peccati, quod tamen factum fuit.* Ecce ignorantia invincibilis per Aug. non excusat à peccato.

Resp. hunc textum Augustini æquè applicari peccatis, quæ fiunt ex ignorantiâ facti, ac illis quæ procedunt ex ignorantiâ juris; nec magis applicari potest peccatis ex ignorantiâ juris naturalis, quàm positivi patratis. Esto ergo, loquatur Aug. tam de ignorantiâ invincibili quàm vincibili, aut etiam de solâ invincibili, nam perinde est, quia non agnoscit majorem rationem peccati in iis, quæ invincibiliter fiunt contra legem naturalem, quàm contra legem positivam. At in his certum est, quòd non agnoscat imputabilitatem propriam, sed solùm communem cum illo peccato, à quo ignorantia illa ortum traxit. Ergo idem sentit de iis, quæ ex invincibili ignorantiâ juris naturalis patrantur, quod verum est, sed nullâtenus Jansenio ejusque intento suffragatur.

73. Quæ Jansenius affert *in cap. 5.* eò spectant, ut ostendat Augustinum, docere ignorantiam invincibilem tam facti, quàm juris positivi, etiam divini, excusare à peccato, adeóque illum & in allegatis authoritatibus, & in aliis quas Jansenius allegat, non debere intelligi nisi de ignorantiâ invincibili juris naturalis. verùm loca quæ affert, in quantum spectant ad hoc probandum, nullius sunt roboris; quia etsi Aug. in illis loquatur de ignorantiâ juris naturalis, nullibi tamen facit exceptionem

Examinantur quæ Jansenius affert cap. 5.

ignorantiæ legis positivæ. Præterea in locis jam ante citatis vel loquitur sub terminis generalibus, vel certè singularia affert exempla de carentiâ fidei in Christum; aliorumque donorum supernaturalium, ac impotentiâ ad obtinendam salutem: ibique expresse docet ignorantiam illam, & quæ ab illâ procedunt esse peccata, cùm tamen illa non ad legem naturæ, sed ad legem positivam pertineant. Itaque ex hisce locis nil ad intentum Jansenii probandum inferri potest, quod habeat speciem probabilitatis. Cæterùm illa ipsa loca dicto cap. 5. citata in quantum spectant ad probandum, quòd effectus ignorantiæ invincibilis sint peccata, nil novi continent præter exempla pecularia spectantia ad jus naturæ cùm exempla aliis locis allata ad jus positivum pertinerent. Porrò in locis hoc capite allegatis Augustinus contendit homines ante notionem legis, *non concupisces* concupivisse, & peccâsse, etsi legem ignoraverint; imò crederent se, concupiscendo bona illa, ad felicitatem perventuros. Tum docet eosdem accedente notitiâ legis unà fuisse conscios se peccâsse; atque ita interpretatur illud ad Rom. 7. 7. *peccatum non cognovi; nisi per legem; nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces:* sicut & alium locum ejusdem capitis *ver. 8. & 9. & 10 fine lege peccatum mortuum erat*: id est non apparebat, *sed cùm venisset mandatum, peccatum revixit*, id est apparuit seu innotuit. *ego autem mortuus sum*: id est me mortuum esse cognovi. Sic Aug. interpretatur hæc loca & tandem concludit, homines ante notitiam legis peccâsse quidem, non tamen prævaricasse. At concupiscendò post promulgationem legis, non solùm peccatores, sed etiam prævaricatores evasisse. Hæc summa est omnium quæ citat Jansenius *in cap. 5.* ex quibus ad intentum præsens nil infertur; nam hæc distinctio inter peccatum & prævaricationem coincidit cum illâ aliâ ante expositâ, de peccato propriè & ratione sui imputabili, & de malo, quod non aliter dicitur peccatum, quàm quia est effectus & pœna peccati; hoc enim ultimum est & dicitur peccatum; sed non est imputabile ratione sui; sed solùm ratione alterius. At quod à sciente & volente fit contra legem est prævaricatio, seu peccatum ratione sui imputabile: unde qui post notionem legis concupiscit, propriè & ratione sui peccat; qui autem sine illâ notione concupiscebat, peccabat quidem, sed solùm per denominationem à reatu originis, modò supponamus, ignorantiam fuisse penitus invincibilem, & nullatenus inductam per additamentum propriæ voluntatis. Ecce Aug. semper sibi est similis, nec ullibi favet errori Jansenii, sed ubique communi opinioni insistit, quatenus diversis in locis eandem doctrinam sub diversis tantùm terminis exponit. Quæ cùm ita sint, opportunum duxi, prolixitatis vitandæ causâ, nil in particulari citare ex hoc capite, quia reverâ nil dignum est quod citetur, post illa quæ hactenus citata & declatata fuerunt.

Aliud est peccatum, aliud prævaricatio per Augustinum.

Prævaricatio per quid differat à peccato.

Confirmantur hæc omnia, quia Aug. *epist. 105.* quæ scripta est contra Pelagianos, dividit peccatum propriè dictum in tria membra; scilicet in originale contractum ab Adamo, in peccatum ab unoquoque scienter admissum, & in peccatum, quod fit ab ignorantibus, quia nolunt intelligere, id est in peccatum ignorantiæ culpabilis. Eorum porrò quæ fiunt ab ignorantiâ invincibili non meminit; quia ea non esse propriè peccata ratione sui imputabilia optimè novit. Verba quibus Aug. suum sensum exprimit, postea citabuntur. Præterea sive Aug. loquatur hîc de ignorantiâ legis penitus invincibili, sive aliquo modo vincibili, nil dicit quòd ex dictis clarissimè non solvatur, quia quæ invincibiliter fiunt, ratione sui imputari non possunt, nec procedunt.

Augustinus dividit peccatum trifariam: Aliud est originale, aliud scienter admissum, aliud quod fit ab ignorantibus, qui noluerunt intelligere.

procedunt à causâ imputabili, quòd factis ex ignorantiâ vincibili non convenit, quia à causâ imputabili ortum trahunt. Et sanè dubium nullum est, quin hæc ipsa fuerit expressa sententia Hieronymi, qui *in epist. ad Algasiam quæst. 8.* (ubi tractat illud ad Rom. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem*) asserit ex Apostolo, quòd *detur lex naturalis scripta in cordibus nostris*, de quâ sic loquitur: *Ista lex quæ in corde scribitur omnes continet nationes, & nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Vnde omnis mundus sub peccato, & universi homines prævaricatores legis sunt, & idcirco justum judicium Dei est scribentis in corde humani generis; quod tibi fieri nolueris alteri ne feceris* &c. & paulò post. *Hanc legem nescit pueritia, ignorat infantia, & peccans absque mandato non tenetur lege peccati. Maledicus patri & matri, & parentes verberat, & quia necdum accepit legem Sapientiæ, mortuum est in eo peccatum. cùm autem mandatum advenerit, hoc est tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala; tunc incipit peccatum reviviscere, & ille mori, reusque esse peccati. Atque ita fit, ut tempus intelligentiæ, quo Dei mandata cognoscimus, ut perveniamus ad vitam, operetur in nobis mortem, si agamus negligentiùs, & occasio Sapientiæ seducat nos, atque supplantet, & ducat ad mortem.* & paulò post. *Atque ita factum est, ut quod mihi pro bono datum est, meo vitio mutetur in malum; & ut hyperbolicè dicam, novoque verbo utar ad explicandum sensum meum, peccatum, quod priusquam haberem intelligentiam, absque peccato erat, per prævaricationem mandati incipiat mihi esse peccantius peccatum*: ex his certum est 1. Hieron. expressè tenere Ethnicos, mala contra legem naturæ agentes, non peccare ex ignorantia legis, sed esse legis ab omnibus agnitæ prævaricatores. constat 2. eum tenere judicium Dei adversus peccatores ideò justum esse, quia malè agentes sunt prævaricatores. constat 3. eum docere, mala contra legem naturæ, à pueris legem ignorantibus patrata denominari quidem ac dici peccata, sed esse peccata mortua, nec imputari posse ad peculiarem pœnam, & culpam; ad quam, per Hieronymum, aliter imputari non possunt, quàm si fiant contra intelligentiam legis scriptæ in corde; sic enim & non aliter peccatum reviviscit, & homo spiritualiter moritur. Constat denique, eum expressè distinguere inter mala facta in perfecta legis ignorantia, & mala contra legem patrata; & quod illa vocet *peccatum sine peccato*, seu *peccatum mortuum*; id est, peccatum materiale carens formali malitia, & imputabilitate peculiari; ista verò appellet *peccata viva* seu *reviviscentia*, vel *peccata cum peccato*, seu *peccata peccantiora* Hæ Hieronymi expressiones in nullo, nisi in voce, differunt à communi locutione scholæ, dividentis peccatum, seu malum, in *peccatum purè materiale*, & in *peccatum formale*, seu, in *peccatum carens propriâ imputabilitate*, & in *peccatum imputabile ratione sui*. Jam malum ex ignorantiâ invincibili malitiæ ortum, propriè loquendo, non est peccatum, sed malum seu *peccatum absque peccato*, ut vult Hieronymus, quia nullam continet prævaricationem, & caret omni malitiâ formali & propriâ imputabilitate, etsi nominetur peccatum: Quod si lex proponatur, & opus illud iterum fiat, quod antea erat peccatum *sine peccato* fit *peccantius* peccatum, quia materiali peccato malitia formalis superadditur. Ecce distinctio *peccati materialis & formalis*, seu *peccati ratione sui*, & *solùm ratione alterius imputabilis*, quæ est phrasis scholarum, perfectè coincidit cum distinctione Hieronymi dividentis peccatum in *peccatum sine peccato*, & *in peccantius peccatum*, seu *in peccatum vivum*, & *mortuum*; & cum distinctione Augustini, in peccatum, *quod est tantum peccatum*, & in peccatum quod est *peccatum & pœna peccati*; id est, doctrina scholarum in nullo differt à doctrinâ horum Patrum, quantum spectat ad ea

Hieronymus consentit communi sententiæ.

quæ

quæ oriuntur ex ignorantiâ invincibili. Sed de mente Aug. circa hoc plura dicentur *quæst. 25. n. 42. & duob. seqq.* ubi Augustinus eodem modo, quo Hieronymus, iisdemque de causis, ad rationem peccati prævaricationem requirit.

Quinta Ianfenii objectio.

Objectio quinta Jansenii ex cap. 6. desumpta.

74. OBjicies 5. *ex cap. 6.* & ultimò eorum in quibus Jansenius tractat hanc quæstionem; objicies, inquam, si mala provenientia ab ignorantiâ invincibili, cum quâ infidelis quisque nascitur, non essent vera peccata, pleraque eorum peccata, qui à Deo excæcati sunt, pariter excusari possent; quia eadem est de utrisque ratio. nam sicut ignorantia est pœna, & effectus peccati originalis, ita cæcitas & obduratio à Deo aliquibus inflicta, est pœna prævaricationis prioris. Quòd ignorantia sit pœna peccati originalis, jam antea sæpè dictum est ex Aug. quod verò excæcatio sit pœna peccati, clarissimè traditur ab Aug. *in quæst. sup. math. q. 14.* ubi tractans illum locum: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum. &c.* hæc habet. *Quod si ita est, quis non exurgat in defensionem Iudæorum; ut eos extra culpam fuisse proclamet, quòd non crediderint? propterea enim non poterant credere, quia excæcavit oculos eorum. sed quoniam potiùs Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri, aliis quibusdam peccatis ita eos excæcari meruisse; quâ tamen excæcatione non potuerunt credere.* At hoc non obstante, nefas est negare, mala post excæcationem facta esse verè peccata. ergo idem dicendum est de malis ignorantiam invincibilem consequentibus; quia illa non minùs sunt pœna peccati originalis, quàm mala excæcationem sequentia sunt pœna peccati actualis.

Responsio. 75. Resp. excæcationem contingere posse dupliciter, primò ita ut omnis omninò possibilitas videndi, & operandi, quæ deberent fieri, auferatur. Secundò ut aliqua saltem via ad videndum, & operandum relinquatur, quatenus gratia adest, quâ homo si, ut potest, vellet uti, Deumque rogaret, abundantius lumen acquireret, & plenam potestatem operandi obtineret. Verùm Deus prævidet, eum infallibiliter non usurum gratiâ datâ, & consequenter oblatam non obtenturum. Si loquamur de excæcatione hoc secundo modo sumptâ, illa solùm necessitate consequenti, non antecedenti, tollit potentiam videndi, & operandi; & consequenter non tollit peccatum, & prævaricationem propriè dictam. dari autem istiusmodi excæcationes Theologi communiter docent; nec quidquam obstat, quòd Jansenius sine ullo vel probabili fundamento dicat, id evertere omnia Augustini principia de gratiâ; nam ille hoc facilè dicit, sed nunquam probat, nec probabit; non enim minùs imperitè tractat illa Augustini principia, quàm hæc de peccatis ignorantiæ invincibilis. Quod si loquamur de excæcatione in primo sensu, ita ut non amplius sit in potestate hominis illuminari, & posse operari, quæ debet; fateor magnam esse paritatem inter ignorantiam invincibilem infidelium, & excæcationem prævaricatorum, quia utraque est effectus & pœna peccati. quare de utrâque simili modo discurrendum est; nam mala ab utrâque necessariò provenientia verè sunt peccata & imputantur ad damnationem, non ratione sui, sed propter imputabilitatē causæ, à quâ proveniunt; quæ quamdiu non retractatur, sed suo modo influit in actus sequentes, suâ malitiâ illos inficit, redditque verè abominabiles. Sicut ergo, si peccatum originale deleatur, nec concupiscentia, nec ignorantia, quæ perseverant in baptizatis, ampliùs dicuntur peccata, quia nullam habent imputabilitatem ad pœnam, & damnationem; quemadmodum

Excæcatio est duplex. Explicatur in quo utraque consistat.

Opera mala necessariò consequentia ad excæcationem sunt peccata, sed cum diversitate aliquâ.

nec illa, quæ ab eis necessariò proveniunt; quia nulla malitia moralis adest, à quâ denominentur, & sint peccata: ita mala, quæ omnimodâ necessitate ab excæcatione proveniunt, sunt verè peccata, quamdiu sunt effectus & pœna prævaricationis prioris, sed propriam imputabilitatem non habent, unde si post prius peccatum, propter quod infligebâtur, deletum, adhuc effectus aliquis secundùm se malus necessariò profluerer, sed non oriretur ex conscientiâ mali, ille non esset peccatum, nec ullam imputabilitatem haberet; quia cùm non sit imputabilis ratione sui; & causa, propter quam imputari poterat, destructa esse supponatur, non est unde imputari possit, aut dici peccatum.

Sexta Jansenii objectio.

Objectio sexta Jansenii.

76. Objicies 6. cum Jansenio *in fine capitis tertii*, ubi affert locum Augustini non adeò connexum cum prioribus, quos citaverat; quique ideò singulari objectione proponi debuit. Objicies, inquam, quòd assertio posita clarissimè repugnet Aug. *epist.154.* ubi propiùs ad finem, quàm ad medium hæc habet: *si quis autem bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat; & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat, quod malè fit.* Hic Aug. expressè loquitur de peccatis ignorantiæ, nullamque exceptionem ponit inter ignorantiam vincibilem & invincibilem. ergo nulla ignorantia excusat à peccato. Hunc locum Aug. exaggerat Jansenius, eoque valdè fidenter utitur, ut stabiliat suum dogma erroneum, quo contendit dari vera peccata, secundùm se imputabilia tam quoad culpam quàm quoad pœnam peculiarem, quamvis patrata sint cum totali ignorantiâ penitus invincibili omnis obligationis in contrarium, & omnis malitiæ in illis contentæ.

Responsio.

Resp. cum Esparzâ *de act. hum. quæst. de ignor. invincib.* Jansenium in hâc re evidentissimè locutum esse cum palpabili, & vincibili inconsequentiâ. Siquidem *lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 5.* tam ex suâ, quàm Augustini sententiâ rectè probat, ignorantiam invincibilem facti & juris divini positivi excusare à culpâ; & proinde solam ignorationem legis naturalis non excusare. Jam verò evidens est Aug. totâ eâ epistolâ agere tantùm de ignorantiâ facti, scilicet de ignorantiâ, quâ quis errando putat, carnem reverâ idolis immolatam immolatitiam non esse. ergo in hoc loco agit solùm de ignorantia facti, quæ si sit invincibilis indubitanter excusat à peccato, etiam juxta doctrinam Aug. apud Jansenium. Quomodo ergo ex hoc loco probari potest ignorantiam invincibilem non excusare peccatum? Vides inconsequentiam Jansenii.

Jansenius apertæ inconsequentiæ arguitur.

77. Atque hinc patet, Augustinum loco citato intelligendum esse de ignorantia vincibili, alioquin Aug. non minùs inconsequenter loqueretur, quàm ipse Jansenius. Verùm ex ipso etiam contextu evidens est nullum, nisi de ignorantia vincibili, sermonem loco citato ab Augustino institui. Patet hoc tum ex verbis antecedentibus, tum ex consequentibus. Ex antecedentibus quidem paulò post medium epistolæ, ubi ait: *non autem peccat, qui cibum postea nesciens manducaverit, quem priùs tanquam idolothytum respuit.* ecce ignorantia invincibilis secundùm Aug. excusat à peccato. Ex consequentibus verò propè finem, ubi proposito dubio, utrùm viator Christianus, in magna famis necessitate constitutus, edere possit cibos in idolo positos, quando alios cibos sedandæ fami non invenit; sic respondet. *Aut certum est esse idolothytum, aut certum est non esse, aut ignoratur. si certum est esse, meliùs Christiana virtute respuitur. si autem vel non esse scitur, vel ignoratur, sine ullo conscientiæ scrupulo in usum necessitatis admittitur.* ecce iterum ex mente Aug. conscientia invincibiliter

Augustinus hoc etiam loco loquitur de ignorantiâ vincibili.

invincibiliter errans, seu ignorans, excusat à peccato saltem in materiâ, de qua disputat in ea epistola. unde mirum est, quomodo Jansenius adeò in hac re cæcutierit, ut pro se afferret Aug. testimonium, quod clarissimè est contra ipsum. Manifestum enim est, verba antecedentia & consequentia non cohærere cum verbis objectionis in sensu, quem Jansenius illis affingit. Affingit, inquam, quia apertè detorquet verba ad sensum alienum ab intento, & tota resolutione, quam ibi tradit Aug. atque ita Jansenius more suo abutitur sincerâ doctrinâ Aug.

Confirmatur eadem veritas. Idipsum confirmatur ulteriùs. Casus de quo Aug. ibi disputat hisce verbis proponitur: *Si quis dubitat de aliquâ carne, utrùm immolatitia sit, & non est immolatitia, si eam cognitionem tenuerit* &c. quem casum hac ratione resolvit; sensum, non verba affero. Mens Augustini declaratur. Tenetur homo sic dubius diligentiam adhibere ad veritatem indagandam; nam si dubium non depulerit, peccat nisi ab esu illarum carnium abstinuerit. Quòd si adhibita diligentia, quanta sufficit ad dubium prudenter deponendum, illud homo deposuerit, per eam diligentiam per se loquendo efficitur, ut homo cognitionem objecto conformem acquirat; adeóque ut conformando se illi non peccet; quamvis id nunc operè compleat, de quo antea dubitabat, utrùm esset peccatum. Hæc est prior pars resolutionis, quam ibi Aug. tradit; & evidens est sermonem esse de ignorantia conjuncta cum obligatione investigandi veritatem, adeóque de ignorantia vincibili.

78. Secunda pars resolutionis ab Aug. allatæ exponitur. Deinde pergit ad secundam partem resolutionis, quam verbis in objectione allatis concludit, in qua sic disserit. Si quis in eodem dubio constitutus putet licere, quod reipsâ illicitum est, peccat si comedat; quia per se loquendo deprehenditur non adhibuisse sufficientem diligentiam; adeóque peccat ex ignorantia vincibili; & hæc sunt peccata ignorantiæ. ecce Aug. in prima parte resolutionis loquitur de carne non immolatitia, de qua tamen dubitabatur, an esset immolatitia, necne? At in secunda parte variat casum, loquitur enim de carne verè immolatitia, de qua tamen dubium est, utrùm sit immolatitia; & in primo casu respondet non peccari, quia per diligentiam dubitans pervenit ad veritatem, adeóque explevit obligationem non operandi nisi dubio prudenter deposito, & veritate sufficienter agnita. In secunda verò parte, retenta eadem suppositione de obligatione aut abstinendi ab esu, aut veritatem indagandi (quam necesse est retineri nisi in suo discursu penitus à proposito exorbitet) respondet illum peccare, si edat; quia non pervenit ad veritatem rei, adeóque per se loquendo suam obligationem in veritatis indagatione non implesse deprehenditur, qui enim omnem diligentiam, ad quam tenetur adhibet, per se loquendo pertingit ad veritatem: Itaque censendus est peccare, qui sic comedit. hic est verus & genuinus sensus Aug. loco citato, in quo evidenter loquitur de ignorantiâ vincibili, idque in materia facti, non autem in materia juris naturalis.

79. Jam verò quod spectat ad legem naturalem, omnes per se loquendo tenentur eam scire; unde S. Tho. *1. 2. quæst. 19. art. 6.* & cum eo Theologi communiter docent, neminem per se loquendo excusari à peccato, quando violat legem naturalem, quamvis per ignorantiam eam violet. Ratio autem est, quia ignorantia legis naturalis ut plurimum & per se est vincibilis, maximè quoad præcipua ejus capita. Cæterùm si per accidens contingeret, quòd aliquis verè invincibiliter ignoraret legem naturalem, indubitanter non peccaret, ut apertè concludunt rationes, quas cum S. Thomâ & omnibus fermè Theologis, suprà attulimus in resolutione quæstionis: Cæterùm

Nemo ignoranter violans legem naturalem per se loquendo excusatur à peccato.

 quod

quod attinet ad mentem Aug. de legis naturalis ignorantiâ, ille quidem non aliud docet, quàm quod S. Tho. & Theologi communiter tenent, ſcilicet aut nunquam, aut rarò dari invincibilem ignorantiam legis naturalis; idque aſſerit verum eſſe, quamvis hæc ignorantia ab omnibus quoad aliqua, & ab aliquibus quoad multa difficulter removeatur. Quòd ſi alicubi Aug. dicat, legis naturalis ignorantiam depelli non poſſe, nomine *impoſſibilis* intelligit magnam difficultatem; frequentiſſimè enim apud PP. & concilia magna difficultas pro moraliter impoſſibili promiſcuè ſumitur. Neque aliud intendit Aug. in tot illis locis, quos Janſenius fruſtrà objicit contra S. Thomam & reliquos ſcholaſticos, qui in hoc nec latum unguem ab Auguſtino diſſentiunt.

Inaccuratio Janſenii ulterius detegitur.

80. Et ſanè Janſenius in hoc tractatu multùm aberrat à ſincero interprete doctrinæ Aug. tum quia loca quàm plurima contra genuinum eorum ſenſum ad ſenſum improprium, imò & aliquando contrarium, manifeſtè detorquet; tum quia in iis, quæ ſpeciem aliquam ad intentum probandum habent, diſſimulat omnes Theologorum doctrinas (licèt illæ ſatis apertè in illis ipſis Aug. verbis contineantur) per quas omnia facillimè conciliantur, & manifeſtè convincitur Auguſtinum in omnibus cum communi Eccleſiæ ſenſu, & omnium Theologorum ſententiâ convenire. Neque tamen exiſtimet quis, me omnes doctrinas hîc enumeraſſe, per quas omnia Aug. loca conciliari poſſint & inter ſe, & cum certâ communique doctrinâ; nam præcipua tantùm capita recenſui, eaque ab ipſo Aug. ſufficienter inſinuata, & tradita. Verùm alia adhuc ſuperſunt, quæ aut nullo modo, aut leviter tantùm hactenus inſinuavi. Puta, quòd ſæpè loquatur de impotentiâ conſequente, vel ex ſuppoſitione obſtinationis in voluntate peccatoris, vel ex ſuppoſitione defectûs gratiæ proximè ſufficientis ad opus, quâ peccator culpabiliter caret, quia poterat, & debebat uti aliâ gratiâ ſufficienti, cui ſi correſpondiſſet, ulteriorem infallibiliter acquiſiviſſet. Loquitur ergo ſæpè in ſenſu compoſito voluntatis non cooperantis cum gratiâ remotè ſufficienti, aut certè in ſenſu compoſito cum præſcientia Dei, quòd voluntas cum illâ non ſit cooperatura, atque in hoc ſenſu dicit impoſſibile eſſe, quòd peccator operetur bonum, quod debet facere, aut fugiat malum, quod debet vitare; adeóque quòd ſit impoſſibile illum non peccare; quæ omnia vera ſunt: ſed impoſſibilitas illa conſequens eſt non antecedens, & conſequenter non tollit rationem peccati & liberi, cùm impotentia illa ſit culpabilis, & imputabilis.

Multiplex ſenſus, quo Auguſtinus loquitur, aperitur.

Aliquando loquitur de verâ impotentiâ antecedente, quam tamen aſſerit eſſe pœnam & effectum peccati, adeóque mala quæ ab illâ proveniunt non eſſe propriè peccata ratione ſui, ſed imputari ſolùm ratione alterius, nempè peccati quod reſpiciunt ut cauſam, à quâ neceſſariò procedunt. Aliquando loquitur de impotentiâ morali perfectâ, & antecedente, aliquando de imperfectâ, quarum prima conſiſtit in difficultate, quæ nunquam ſuperatur, ſecunda in difficultate gravi, quæ aliquando ſed rariſſimè vincitur. verùm hæ impotentiæ non tollunt peccatum ratione ſui imputabile, ut patet. Rurſus aliquando loquitur de hac impotentiâ morali non antecedente, ſed conſequente ex ſuppoſitione alicujus liberæ electionis; quæ omnes acceptiones neceſſitatis & impoſſibilitatis valdè inter ſe differunt, cùm tamen ſub eiſdem terminis proponantur. Evidens autem eſt Auguſtinum modò loqui in uno, modò in altero horum ſenſuum, quod partim colligitur ex antecedentibus & conſequentibus, partim ex materiâ de quâ differit, & modo de illâ diſſerendi; quæ ſi ritè diſtinguantur, nulla eſt

difficultas

difficultas in conciliandis Augustini locis tum inter se, tum cum communi omnium Theologorum consensu. Cur ergo Jansenius, vir cæteroquin Theologiæ non imperitus, hæc omnia dissimulavit? Cur saltem de illis aut mentionem non fecit, aut si fecit, cum contemptu quodam, quasi ad rem non essent, absque argumentis & debitâ ponderatione derisit? Anthonius Moraines, qui egregiè impugnavit Jansenium, existimat, illum animo præoccupato ad sententias olim in Baio damnatas affectum fuisse, easque à Jacobo Jansonio suo in Theologiæ studio professore primùm didicisse, qui, non obstante duorum summorum Pontificum condemnatione, cum gravi contemptu Sedis Apostolicæ, & omnium bonorum scandalo propositiones in Baio damnatas obstinatè defendit, cùm ipse Baius easdem, uti decebat Doctorem Catholicum, supremum Judicem reveritus, humiliter retractavit. Quæ si vera sint, nil mirum si hac persuasione à magistro infectus, & ab ejus exemplo audaciam etiam eandem contra Ecclesiæ prohibitionem disseminandi edoctus Jansenius, atque uti præfatum est, in illis doctrinis sibi complacens; nil mirum, inquam, si volveret animo, quomodo eas plausibiles redderet. Quocircà in hoc intentus, & speciosum titulum investigans ab Aug. authoritate fucum quærebat; idcò quidquid erroribus illis vel minimâ apparentiâ in Augustino videbatur favere, mirabiliter illi placuit; atque absque seriâ rei ponderatione quasi argumentum suis erroribus confirmandis opportunum avidè ab illo arreptum est, inconcinnè conglobatum, & in opus tandem, verè miserum, compactum. Miserum, inquam, quia rarissimè assequitur mentem Augustini, quam tamen unicè quærit; sæpissimè abutitur authoritatibus, quas citat, illasque ad sensum contrarium violenter dicam, an imprudenter detorquet; & super omnia confundit sensum vocum grammaticaliter earundem, quasi semper idem significarent; cùm juxta varietatem materiæ, & modi loquendi ac intenti, ad quod exprimendum adhibentur, apertè subeant significationem diversam; quod videre est in iis, quæ hîc de ignorantiâ invincibili congessit, & si ex ungue leonem indagare licet, idem de aliis tractatibus existimandum est. Unde non miror ampliùs, cùm varias ejus libri censuras apud Authores doctissimos lego. Qui illas in unum collectas videre cupit, legat Anthonium Moraines *disp. 1. sect. 1. in suo Anti-Iansenio*, ubi plures illustrium Authorum censuras, easque gravissimas inveniet, quibus Jansenius graviter quidem, sed meritò vapulat. Ego ne prolixior sim, eas omitto, contentus ea tetigisse, quæ ad præsentem tantùm quæstionem pertinent. Duo tamen supersunt indicanda: primum est, Jansenium in toto hoc tractatu sæpè inconsequenter locutum esse: secundum verò est, Augustinum nullâtenus in sententiam, imò in errorem à Jansenio illi affictum inclinâsse, sed communem sententiam clarissimè & constanter tradidisse.

Quo animo Jansenius putatur fuisse dum scriberet suum Augustinum.

Variè censuratur Jansenii Augustinus.

Iansenius inconsequentiæ arguitur.

81. ET quidem quantum spectat ad palmarem Jansenii inconsequentiam, ille sibi in pluribus contradicit. Primò docet solam ignorantiam juris naturalis non excusare; & ut hoc probet ex Aug. & Concilio Palæstino, affert authoritates, quæ loquuntur vel de ignorantiâ vincibili, vel de ignorantiâ solius facti, aut juris positivi. Secundò Jansenius *cap. 6. lib. 2. de statu naturæ lapsæ* asserit ipsam ignorantiam juris naturalis, etsi invincibilem, non esse propriè peccatum, sed ea solùm, quæ in illis tenebris perperam fiunt esse propriè peccata. hic tamen vir ad hoc confirmandum affert locum synodi Palæstinæ damnantis

Plures Jansenii inconsequentiæ in tractatu de ignorantiâ invincibili enumerantur.

nantis Pelagium & Cælestium, qui dicebant, *oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato.* ubi sermo est non tantùm de iis, quæ fiunt ex oblivione & ignorantiâ, sed de ipsâ oblivione & ignorantiâ, secundùm se; de quibus omnibus Pelagiani erroneè sentiebant. Rursus ipsemet Jansenius immemorem se ostendit propriæ sententiæ, nam *cap. 2.* hunc titulum præfigit tanquam thesim, cui probandæ principaliter incumbit: *ignorantia, etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est invincibilis, non caret peccato: ut dogma fidei ab antiquis traditum.* ergo ignorantia non caret peccato. quomodo ergo dicis, non ignorantiam, sed effectus ignorantiæ esse peccata? Præterea imputabilitas eorum, quæ fiunt ab ignorantiâ, ab ipsius ignorantiæ imputabilitate desumitur; si enim ignorantia imputari non posset, nec effectus ab illa consequentes ullâtenus imputari possent. Præterea radix, ut putat, arcana doctrinæ quam sequitur, in eo sita est, quòd ignorantia juris naturalis sit pœna peccati, ex quo *cap. 6.* infert *quidquid in illâ cæcitate perperam fit, sine peccato non fit.* unde sequitur, quòd mala quæ fiunt in amentiâ ac phrænesi sint peccata, quia fiunt ex malo, quod est pœna peccati. imò idem sequitur de cæco, qui ut canem latrantem abigat, inscius percutit infantem, & occidit; quia per ipsum etiam Jansenium phrænesis, amentia, cæcitas, &c. sunt pœna peccati. Similiter sequitur motus concupiscentiæ, utpotè mala quæ ex concupiscentiâ in pœnam peccati inflictâ consequuntur, esse peccata, quod est contra Concilium Trident. *sess. 5. can. 5.* scio Jansenium sequelas negare, sed ideò inconsequenter loquitur, quia ex identitate rationis irrefragabiliter sequuntur. Idem etiam valet de violatione juris positivi à Deo lati, quia ejus ignorantia certissimè est pœna peccati, cùm aliud ejus notioni obstare non possit præter peccatum.

Mens Augustini explicatur.

82. Quod verò spectat ad mentem Augustini, ille constantissimè tradit communem sententiam; nam *lib. 3. de lib. arb. cap. 19.* hæc habet: *non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere quod ignoras.* Idem habet *lib. de nat. & grat. cap. 67.* ubi loquitur de statu naturæ lapsæ, ut querelas Pelagianorum compescat, qui de ignorantiâ, quam Catholici ab Adamo hæreditaritiam agnoscunt, conqueruntur. Rursus Aug. *lib. de peccat. meritis cap. 2. si nolumus*, inquit, *non peccamus.* Similiter *epist. 105.* contra Pelagianos scriptâ, omnia adultorum peccata revocat ad duo genera, ad quorum neutrum, quòd ex ignorantiâ invincibili operantur, revocari potest. Nam sic ait, *in majoribus ætatibus meritò dici potest, hi noluerunt intelligere ut benè agerent; hi, quod gravius est, intellexerunt & non obedierunt.* & paulò post, *sed neque ab illo, quod originaliter contrahitur, neque ab his, quæ unusquisque in vitâ propriâ, vel intelligendo, vel nolendo intelligere, mala congregat, vel etiam instructus ex lege additamento prævaricationis exaggerat, quisquam liberatur & justificatur, nisi gratiâ per Iesum Dominum nostrum.* In hoc ultimo loco Aug. quatuor genera peccatorum enumerat: primum est originale; secundum est peccatum ignorantiæ vincibilis, quatenus homo facit mala, quæ noluit intelligere esse mala; tertium ex malitiâ, seu ex scientiâ imperfectâ legis ea vetantis exortum; quartum ex malitiâ, seu ex scientiâ perfectâ legis contrariæ ortum trahit: ea vocat peccata malitiæ perfectæ, quæ fiunt per prævaricationem legis divinæ clarè cognitæ; qualia sunt peccata Judæorum, & Christianorum contra Decalogum. Ea autem vocat peccata malitiæ imperfectæ, quæ etsi cognoscantur esse mala, & hoc non obstante fiant, non tamen explicitè sciuntur à Deo esse prohibita;

Mens Augustini de ignorantiâ invincibili clarè proponitur.

ta;

ta; qualia sunt quæ patrantur ab Ethnicis contra jus naturæ, dum faciunt ea quæ sibi nollent fieri. Jam de hoc ultimo peccati genere tam Hieronymus quàm Augustinus expresse docet, quod non sit peccatum ignorantiæ, sed peccatum factum contra legem naturæ scriptam in cordibus, quam Deus neminem latere voluit. Et Hieronymus quidem *in epist. ad Algasiam quæst. 8.* loquens de hac lege dicit: *Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat.* & Aug. in Psal. 56. *Scripsit Deus naturæ legem in cordibus hominum, quam non sinuntur ignorare, ut esset unde judicarentur.* unde sequitur ex mente Augustini, quòd si lex invincibiliter ignoraretur, nullum esset peccatum, quia non esset unde homines judicari possent. Rursus in Psal. 118. Conc. 25. *Nullus est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit. & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit non vult pati.* Atque hinc est quòd in hoc casu ideò homo peccat, quia facit malum, quod scit non esse faciendum, eò quòd lex naturæ, quam nemo sinitur ignorare, id vetet. Atque ideò talia peccata, licèt non sint explicitè prævaricationes legis à Deo latæ, ideóque contra distinguantur ab Augustino à prævaricatione propriè dictâ, sunt tamen aliquo modo prævaricationes, quia sunt violationes legis naturalis ab omnibus agnitæ, in quâ ejus Author Deus implicitè cognoscitur; imò & ipse Aug. *lib. 16. de Civit. Dei. Cap. 27.* expresse docet: *Omnes legis alicujus prævaricatæ esse reos, qui aliquo peccato tenentur obstricti.* simulque de parvulis ibidem sic concludit: *profectò eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur.* Ecce nulla mentio peccatorum per ignorantiam invincibilem commissorum. ergo Aug. nulla talia censuit esse peccata; alioquin omisisset ea, quæ maximè spectabant ad quæstionem cum Pelagianis; quod absit à tanto Doctore. Prætereà si Aug. in ea sententia est, quam illi affingit Jansenius, cur illa nunquam ab Aug. clarè & distinctè proposita fuit? cur si Pelagiani non malè sentiebant de invincibili ignorantiâ facti & juris positivi, sed solùm de ignorantia juris naturalis, cur inquam nec illi, nec Aug. qui illorum sensa ubique cum maximâ, quàm potest, distinctione impetit, ullam ullibi fecerunt mentionem de tali distinctione? scis cur? quia æqualiter loquebantur de omni ignorantia, nec inter unam & aliam discernebant; quod vel inde evidens est, quia Aug. & Hieronymus contra Pelagianos disputantes alia fermè non afferunt exempla de peccatis per ignorantiam commissis, quàm quæ spectant ad ignorantiam facti, aut juris positivi. Hæc fusè prosequitur, & evincit De Champs multis in locis, maximè verò *lib. 3. disp. 5.* quem consulat, qui plura in hanc rem cupit videre; ego enim cùm ad intentum meum necessaria non sint, omittenda censeo. quare ad alia progrediendum est.

An detur invincibilis ignorantia juris naturalis?

83. QUæres ergo utrum detur invincibilis ignorantia juris naturalis? Si enim non detur, tota præsens quæstio (quantum ad jus naturale pertinet) abs re instituta fuit in hoc tractatu. Præsens quæstio præsenti intento erat necessaria.

Resp. inprimis quæstionem hanc necessariò institutam fuisse, ut constaret omnem ignorantiam invincibilem, etiam juris naturalis, (si detur) excusare à peccato. Plurimi autem sentiunt illam dari. ergo cùm fortassè verum dicant, opus erat ostendere, homines legem naturalem invincibiliter ignorantes non peccare. Jam si nulla detur ignorantia invincibilis juris naturalis, id præsenti intento non obstat, quia in materia talis juris numquam erit practicè probabile, quòd quidquam repugnans legi naturæ sit licitum; semper enim urgebit obligatio depellendi errorem, quem nisi quis depulerit,

depulerit, peccat ex hypothesi, quia vincibiliter ignorat, quæ scire tenebatur. Et hoc quidem ad præsentem quæstionem sufficit; nihilominus ad plenitudinem doctrinæ aliam responsionem breviter annecto.

Sinnichius contendit nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturalis.

Resp. ergo 2. Sinnichium *in Saule lib. 1. c. 96.* magno conatu contendere nullam juris naturalis dari ignorantiam invincibilem, cumque pro se citare multos ex Authoribus antiquis. Sed parum ad rem, nam plerique Antiquorum, quos citat, ex uno eodemque motivo æquè negant ignorantiam invincibilem juris divini ad salutem necessarii; ac ignorantiam juris naturalis excusare à peccato, ut benè observat, & probat Ludovicus Scildere *tract. 2. de conscien. formandâ §. III. n. 8. & seq.* Cùm ergo Sinnichius cum illis in hoc secundo non consentiat, immeritò pro se allegat authoritatem eorum, qui in unico suo fundamento ab ipso dissentiunt.

Plena juris naturalis ignorantia non datur in adultis, si sint compotes rationis.

84. *Dico ergo primo. Non datur in adulto rationis compote plena legis naturalis ignorantia.*

Ratio est, quia prima principia moralia, qualia sunt. *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris. Parentes amandi sunt & colendi. &c.* non sunt minùs evidentia & per se nota, quàm prima principia metaphysica. ergo sicut hæc neminem rationis compotem latent; ita nec illa. At hæc principia sunt promulgatio legis naturalis. ergo &c. In hac ratione fundantur SS. Patres, quando dicunt legem naturæ à Deo scriptam esse in cordibus hominum, & neminem latere, Aug. *in Psal. 56. scripsit Deus naturæ legem in cordibus hominum, quam non finuntur ignorare, ut esset, unde judicarentur. Et in Psal. 118. conc. 25. Nullus est, qui faciat alteri injuriam, nisi qui sibi fieri nolit. Et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non finitur ignorare, dum id, quod facit, non vult pati.* Beda in eundem Psal *Planissimum & apertissimum est omni homini illud præceptum, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Hieron. in epist. ad Algasiam qu. 8. *Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Idcircò justum Dei judicium est scribentis in corde humani generis. Quod tibi fieri nolueris alteri ne feceris.*

Ignorantia capitum juris naturalis non est invincibilis in rationis compote.

85. *Dico 2. In adulto rationis compote non datur ignorantia invincibilis juris naturæ quoad potissima & primaria ejus capita; sed neque quoad conclusiones, quæ facilè & evidenter ex illis deducuntur.*

Ratio est, quia potissima juris naturalis capita aut omnibus ita insita sunt, ut neminem latere possint, quia sunt axiomata lumine naturæ nota; aut certè si non sint principia omnibus immediata (quod tamen rationabiliter negari non potest) sunt adeò connexa cum principiis immediatis, & adeò facilè ab illis deducuntur, ut minima diligentia ad ea inferenda sufficiat. Jam cùm lex naturæ quoad ista aut immediatè innotescat, aut certè obligatio veritatem indagandi omnes urgeat, eo ipso quòd absque debitâ diligentiâ operentur contra hujusmodi capita, manifestum est eos peccare, nec excusari posse per ignorantiam, cùm illa culpabilis sit, quia debebat & facilè poterat superari. Idem valet de conclusionibus facilè & evidenter inferibilibus ex primariis capitibus juris naturalis, quia omnes lumine naturæ evidenter obligantur aut ad se illis conformandum, aut ad non operandum contra illarum præscriptum, nisi veritate diligenter investigatâ. At si veritatem quærant, infallibiliter eam invenient. ergo si operentur contra jus naturæ in conclusionibus istiusmodi comprehensum, excusari non possunt propter ignorantiam, quia talis ignorantia vincibilis est & culpabilis. Jam concedo Sinnichio & Adversariis veritatem harum duarum assertionum sufficienter evinci, per authoritates, quas citant ad probandum, ignorantiam juris naturalis de facto non esse invincibilem. Et sanè Authoritas PP. quos citant, aliud non probat, quia nullibi dicunt, aut sufficienter

insinuant,

insinuant, neminem umquam in ullo casu particulari laborare ignorantiâ invincibili juris naturalis.

Quoad aliqua magis abscondita datur ignorantia invincibilis juris naturalis etiam in hominibus probis & doctis.

86. *Dico 3. Quoad plures conclusiones difficiliores, quæ ex principiis juris naturalis possunt deduci, sæpè datur ignorantia invincibilis, non solùm in Idiotis; sed etiam in ipsis Doctoribus primariis.*

Probatur; nam præterquàm quòd sententia hæc sit communissima apud Authores, eamque tradat S. Thomas 1. 2. *qu.* 94. *art.* 4. Adrianus *Quodlibeto* 1. *art.* 3. *in Alphab.* 1. *littera H.* & ante omnes istos Albertus magnus *in* 2. *distinct.* 22. *art.* 10. aliique permulti; est etiam conformis experientiæ, quâ constat pueros post usum rationis, antequam doceantur ab aliis, plura facere contra legem naturæ absque umbrâ vel suspicione peccati. Talis autem ignorantia malitiæ est invincibilis, cùm nulla illis appareat obligatio eam depellendi, aut ratio suspicandi malum latere in opere. quod patrant. Verùm ratio à priori efficax ex eo petitur, quòd aliqua jure naturæ prohibita adeò remota sint à nostrâ notitiâ, ut plurimi viri probi & docti putent ea esse licita; alii autem existiment illa solùm lege positivâ prohiberi. Sic S Thomas loco infrà citando docet Judicem posse condemnare innocentem ad mortem, etsi certè sciat eum esse immunem à crimine objecto, quòd in foro exteriori sufficienter probatur; cùm tamen plerique existiment illud esse contra jus naturæ. Sic durandus *in* 4. *distinct.* 33. *quæst.* 2. docet fornicationem non esse malam ex lege naturæ, sed solùm ex jure divino positivo; cui tamen reliqui fermè omnes contradicunt. Sic de pluribus contractibus litigatur apud Theologos, an sint usurarii vel simoniaci &c. his affirmantibus, illis contradicentibus. Unde sequitur malitiam horum objectorum non solùm non esse notam ex terminis, sed eam non nisi sedulâ rei consideratione penetrari posse. Jam si quis à pueritiâ audiret viros doctos & probos semper dicentes talem contractum, aut actum talem esse licitum, is nullam haberet suspicionem mali in tali opere; adeóque invincibiliter ignoraret ejus malitiam. Hoc autem non rarò contingit. ergo aliquando datur ignorantia invincibilis aliquorum, quæ jure naturæ sunt prohibita. Idque non solùm apud vulgus, sed etiam apud Doctores pietate & doctrinâ præstantes.

Idipsum probatur à posteriori.

87. Demum ratio à posteriori adhuc est clarior; quia viri sanctissimi doctissimique inter se discrepant de pluribus, an sint licita, an jure naturæ prohibita. ergo aliqui illorum ignorârunt legem naturæ. Dicere autem quòd vincibiliter & peccaminosè eam ignorantiam contraxerint, nimis durum est, & à nemine prudenter dici potest, nisi ille velit suâ se sententiâ damnare, si teneat aliquid esse licitum, quod lege naturæ prohibetur. ecce necesse est aliquam juris naturalis ignorantiam esse invincibilem. Nec mirum, quia sicut in mathematicis & physicis plures invincibiliter errant in deductionibus difficilioribus, etsi non errent in principiis; ita pariter invincibiliter errare possunt circa deductiones eorum, quæ jure naturali sunt prohibita, quia intellectus in statu naturæ lapsæ deterius constitutus est in ordine ad perfectam notionem rerum moralium, quàm mathematicarum, & naturalium.

Confirmatur idipsum ab absurdis oppositæ sententiæ.

88. Confirmatur. Si ignorantia & error circa jus naturæ non posset esse sine culpâ, sequeretur quòd in materiâ justitiæ controversæ, ac ad jus naturæ spectante, nec Theologi possent quæstionem propositam tutâ conscientiâ resolvere, nec Judices causâ auditâ sententiam proferre, nisi veritas rei ex infallibili certitudine illis constaret; quia exponerent se periculo faciendi injuriam Parti quam condemnant, id est peccandi ex ignorantiâ juris naturalis. Similiter nemo

 posset

possset tutâ conscientiâ probabiliter resolvere ullam quæstionem ad jus naturæ spectantem, quia si erret necessariò peccaret, dando aliis occasionem sequendi suam sententiam, ac peccandi ex errore & ignorantiâ juris naturalis. Præterea semper se exponeret huic periculo, etsi non erraret. ergo semper peccaret. Demum Theologi omnes tenerentur in his, quæ ad jus naturæ spectant, aut nullam resolutionem ponere, aut semper pro parte tutiore resolvere; aliter enim & se & alios exponerent peccandi periculo. At consequens est absurdum. ergo necesse est fateri aliquam ignorantiam juris naturalis esse tam doctis quàm indoctis penitus invincibilem.

Authores diversi apparenter sentientes conciliantur.

89. Atque hinc omnes fermè in hâc quæstione discrepantes facilè conciliantur; qui enim indefinitè tantùm dicunt ignorantiam juris naturalis esse damnabilem, & vincibilem, non loquuntur universaliter, sed ad summum intelligendi sunt de potissimis illius capitibus, & conclusionibus facilè evidenterque inferibilibus, non autem de omnibus omninò ad illud absolutè spectantibus, alioquin contra se sentirent, cùm in multis ipsi ignorent quænam spectent ad jus naturæ; & periculo se committerent peccandi, quia in suis resolutionibus se exponerent periculo docendi errores contra jus naturæ, ex quorum persuasione alii peccarent; quia excusari non possent per bonam fidem, aut ignorantiam, ut ipsi supponunt. At scienter & volenter exponere homines tali periculo est illicitum jure naturæ: ergo ipsi nil possent resolvere, nisi in partem tutiorem, absque manifesto peccato contra jus naturæ. Sed neque excusarentur ab hoc peccato resolvendo in favorem partis tutioris, quia nisi rationabiliter procedant in suis resolutionibus, peccant contra jus naturæ arctando aliorum conscientias, dum temerè illis imponunt jugum intolerabile. Jam pauci omninò sunt, qui expressè dicunt nullum omninò casum dari, in quo ignorantia juris naturalis sit invincibilis. Patet ergo Authores fermè omnes nobiscum sentire, & ab invicem non discrepare. Præterea qui absque distinctione dicunt ignorantiam non excusare, intelligendi sunt de ignorantiâ vincibili.

Solvitur primo Adversariorum objectio.

Neque obstat quod objiciunt. Scilicet hujusmodi objecta esse intrinsecè mala; & ideò prohibita. Hoc enim solùm probat opus tale esse peccatum materiale, quod si benè cognosceretur, appareret illicitum, & evaderet peccatum formale. Cæterùm cùm ex ignorantiâ invincibili malitia illius lateat operantem, perinde est illi, ac si objectum non esset malum. Præterea objectum illud non est formaliter Theologicè malum, nisi prout substat legi æternæ illud vitanti. ergo cùm lex æterna illud vetans nullâtenus innotescat operanti, sed illum invincibiliter lateat, clarum est, operantem ex tali ignorantiâ nullam contrahere malitiam Theologicam.

Secunda eorundem objectio solvitur.

91 Similiter non obstat quod dicunt quidam, Deum illi infallibiliter ostensurum veritatem omnem circa jus naturæ, qui sollicitè & cum ratione illam quærit, si aliis peccatis obstaculum non opponat. Nam inprimis hoc gratis dicitur; & quamvis locum fortassis habeat in iis, quæ necessaria sunt necessitate medii, non tamen admitti debet in aliis. ergo cùm invincibilis ignorantia aliquorum spectantium ad jus naturæ, non sit obstaculum salutis æternæ, quia solùm exponit periculo peccati materialis, immeritò fingitur, Deum paratum esse ad illam removendam, si homo diligenter eam quærat. Præterea etsi Deus veritatem aperire paratus sit quærenti illam, nisi tamen obligetur homo ad eam taliter quærendam, invincibiliter eam ignorat, quamdiu aut non peccat eam non investigando, aut nil cogitat de tali obligatione. At utrumque sæpè contingit. Demum falsitas hujus asserti

ex

ex eo apparet, quod S. Thomas, aliique viri sanctissimi, qui Deum enixè orabant ne se permitteret errare, non solùm docent contraria, circa spectantia ad jus naturæ, sed nemo est, ne quidem ipse S. Thomas, qui in aliquibus à pluribus non censeatur aliquid contra jus naturæ docuisse. Unde infertur homines post diligentiam magnam, post ferventes preces, & vitam innocentem, adhuc laborâsse aliquâ ignorantiâ juris naturalis; quæ proinde efficaciter convincitur fuisse invincibilis, & inculpabilis. Quod erat probandum.

QUÆSTIO DECIMA-SEPTIMA.

Vtrùm operans cum conscientiâ obligante, sed vincibiliter erroneâ, necessariò peccet.

Status Quæstionis.

Status quæstionis.

1. IAM errorem invincibilem excusare à peccato ostendimus: superest agere de ignorantiâ, & errore vincibili, & quærimus, utrùm, qui vincibiliter existimat Deum v. g. universaliter præcipere mendacium, quando mentiri est necessarium pro vitando gravi damno proprio vel alieno, necessariò peccet quidquid agat; modò simul judicet mendacium hîc & nunc necessarium esse ad arcendum damnum, quod imminet.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Qui operatur ex conscientiâ vincibiliter erroneâ necessariò peccat.

Voluntas operans ex dictamine vincibiliter erroneo, necessariò peccat, quidquid eligat.

Prima ratio.

2. PRobatur 1. judicet aliquis ex ignorantiâ vincibili, se debere hîc & nunc mentiri. Dico quòd, sive mentiatur, sive non mentiatur, peccet. Si non mentiatur, peccat, quia operatur contra conscientiam; & quantum in se est, vult malum, quod per conscientiæ dictamen proponitur: At si mentiatur, peccat, quia malitia mendacii evadit voluntaria, ipsique tribuitur; cùm enim culpabiliter judicet mendacium esse præceptum, peccat admittendo tale judicium; tenebatur enim aut illud judicium suspendere, aut diligenter investigare, utrùm daretur præceptum non mentiendi, antequam mentiretur. Itaque malitia mendacii est indirectè saltem voluntaria, illique tribuitur in peccatum, quia pro priori tenebatur non mentiri, nisi post investigationem debitam invenisset mendacium esse licitum. Peccat ergo dum absque dictâ diligentiâ & sine prudenti determinatione dubii præcipitanter credit mendacium esse præceptum, atque ita ruit in ipsum mendacium.

Malitia ignorata est aliquo modo voluntaria sequenti conscientiam vincibiliter erroneam.

Secunda ratio.

3. Probatur 2. à priori Qui operatur ex errore vincibili, ita constitutus est, ut pro priori ad judicium erroneum prudenter conjiciat se ignorare aliquam legem, ad cujus cognitionem pervenire potest, si faciat quod in se est, & ad quod hîc & nunc tenetur. Jam hâc dispositione intellectûs stante, qui se præcipitat in dictum judicium, sibi necessitatem imponit vel operandi contra

contra conſcientiam, vel faciendi illud opus, nullâ aut certè non tantâ diligentiâ ad veritatis indagationem adhibitâ, quantam adhibere poteſt, & debet. At qui ita diſpoſitus eſt, & abſque debitâ rei diſcuſſione procedit ad operandum, legem contemnit, & parvi pendet Deum legiſlatorem: ergo peccat: omnis enim voluntarius contemptus legis & Dei legiſlatoris eſt peccatum, veramque malitiam continet, eamque quidem ejuſdem ſpeciei cum illâ, quæ in tranſgreſſione ejuſdem legis certò cognitæ continetur.

Reſpondetur objectionibus.

Objectio prima. 4. OBjicies 1. Dictamen conſcientiæ vincibiliter erroneum non aliter proponit objectum, quàm judicium invincibiliter erroneum: utrumque enim judicium elicitur dependenter ab imperio voluntatis, quia utrumque eſt obſcurum. Rurſus nulla eis ineſt diverſitas vel in modo repræſentandi aut affirmandi ſuum objectum, vel in modo urgendi obligationem; poſito enim dictamine erroneo dictante hic & nunc negandam eſſe fidem Chriſti ſub reatu peccati mortalis, nullum ſupereſt remedium; nam ad vitandum novum mortale fides neganda eſt, ſive dictamen illud ſit vincibiliter ſive invincibiliter erroneum. ergo vel neuter, vel uterque error excuſat operantem juxta ultimum dictamen ſuæ conſcientiæ. Probatur conſequentia, quia ideò invincibilis error excuſat, quia judicat obligationem hic & nunc vigere, cui proinde contraire nemo poteſt ſine peccato. At hoc valet etiam de errore vincibili: ergo quoad obligandum & deobligandum nulla eſt diverſitas inter errorem vincibilem & invincibilem.

Reſponſio. Reſp. Omne judicium erroneum elicitur quidem dependenter ab imperio voluntatis, quia eſt obſcurum; ſed voluntas, à quâ judicium vincibiliter erroneum imperatur, eſt peccaminoſa, cum voluntas, à quâ judicium invincibiliter erroneum imperatur, non ſit peccaminoſa; atque inde eſt, quòd opus ſubſequens errorem invincibilem, nec ſit peccatum intrinſecè, nec extrinſecè denominetur peccatum ab actu voluntatis prævio; oppoſitum autem evenit in opere conſequente ad errorem vincibilem; nullus enim datur locus excuſans opus ab errrore vincibili profectum; quia ipſe error eſt peccaminoſus, & imputabilis ad culpam. Jam verò quoad reliqua conſequentia, eſto nulla ſit diverſitas unius judicii erronei ab alio, ſive in modo proponendi objectum, ſive in vi, & modo urgendi inſtantem obligationem, inde ſolùm ſequitur, utrumque illud judicium inducere obligationem ad conformandum opus judicio; quod veriſſimum eſt, omnis enim à dictamine ſuæ conſcientiæ exorbitans, peccat. Rectè tamen in ordine ad præſentem tractatum traditur diſtinctio inter errorem vincibilem, & invincibilem; quia non ideò præcisè error invincibilis excuſat ſe illi conformantem, quia ita proponit objectum, ut ſub reatu peccati obliget ad opus ſibi conforme, ſed quia invincibiliter rem ita proponit. At è contrà oppoſitâ de causâ error vincibilis non excuſat. Conſtitutus ergo in errore vincibili neceſſariò peccat, quidquid facit. (Voluntas imperans errorem vincibilem differtà voluntate imperante aſſenſum invincibilem.)

Objectio ſecunda. 5. Objicies 2. ſæpè nulla eſt diverſitas inter errorem vincibilem & invincibilem, omnis enim error, qui ita judicat obligationem aliquam de præſenti urgere, ut opus nullo modo ſuſpendi aut differri poſſit abſque peccato, eſt æquè invincibilis, quia nullus datur locus moræ aut ad differendum opus, aut ad quærendas rationes, quibus error pellatur. ergo diſtinctio erroris vincibilis ab invincibili nugatoria eſt in ordine ad præſens intentum. Sed error invincibilis excuſat, ergo & error vincibilis,

maximè

maximè quando ventum est ad judicium nullam moram admittens, ad quod sæpissimè operans ex errore devenit.

Responsio. Resp. magnam esse diversitatem inter errorem vincibilem & invincibilem etiam pro illis angustiis, quas objectio urget; nam error vincibilis debebat impediri, & ideò voluntas non solùm vincibiliter imperat illud judicium, sed etiam imputabiliter exequitur opus ab ipso præscriptum. At omnia contrario modo se habent in errore invincibili. Itaque licet, stante judicio erroneo hîc & nunc urgente, nulla sit diversitas in obligatione consequente ad illud (semper enim tenetur homo suæ conscientiæ se conformare) magnum tamen discrimen est inter errorem vincibilem & invincibilem, quantum spectat ad antecedentia ipsum errorem; etiam quando ad ultimas illas angustias conscientiæ urgentis ventum est. error enim, ab antecedentibus, non à consequentibus judicium erroneum, denominatur vincibilis, aut invincibilis; neque enim, qui sequitur errorem vincibilem, ideò peccat, quia non pellit judicium erroneum; vel quia non quærit rationes ad illud pellendum (impossibile enim est pellere judicium pro eo instanti, pro quo existit; nemo autem tenetur ad impossibile) sed ideò peccat, quia se præcipitavit in illud judicium contra obligationem conscientiæ; tenetur enim homo illud non imperare, nisi veritate priùs sufficienter indagatâ; quam indagationem nisi præmittat, peccat in admittendo judicio illo erroneo, nec illud sequendo excusatur, quia judicium illud est vincibiliter non invincibiliter erroneum.

Error vincibilis obligans de præsenti multùm differt ab errore invincibili similiter obligante.

6. Verùm advertendum est, magnum inter operationes ab ignorantiâ primitus vincibili exortas discrimen intercedere, prout illæ pro diverso tempore diversimodè comparantur ad ignorantiam vincibilem, à quâ primitus procedunt; si enim sermo sit de eo instanti, in quo operans culpabiliter admisit ignorantiam, quatenus noluit investigare veritatem, prout poterat & debebat, nulla est difficultas; nam sine dubio peccat quidquid agat; idem valet de sequentibus instantibus, in quibus potest, si velit, ignorantiam deponere, & sufficienter reflectit ad obligationem aut investigandi veritatem, aut abstinendi ab opere. In his casibus, qui sequitur conscientiam erroneam indubitanter peccat. verùm si contingat aliquem jam diu in errore suo perseverâsse, ita ut propter culpam priorem nunc nesciat veritatem, quam scire tenebatur, & omnia alia existimet, quàm quæ re verâ existimanda sunt, non tamen possit de præsenti informationem capere, eò quòd nemo sit, quem possit consulere; & ex alterâ parte conscientia errans urgeat: in hoc casu potest ipsum pœnitere de culpâ suæ ignorantiæ, illamque quantum in se est retractare, & de illâ veniam obtinere, in quo casu post talem pœnitentiam, si faciat quod in se est ad ignorantiam deponendam, & omnibus pensatis faciat quod judicat opportunum, tunc non ampliùs peccat ex ignorantiâ vincibili, sed ex invincibili, quia præsens ejus ignorantia hîc & nunc evadit invincibilis, ut dictum est quæst. 16. Quocircà actus ad illam consequens non ampliùs tribuetur culpæ, quia prior pœnitentia (maximè si conjuncta sit cum peccati delectione) tollit rationem voluntarii ab ignorantiâ post ipsam perseverante, adeóque & rationem peccati & culpæ. Quamvis ergo aliquod opus sit peccatum mortale in primo casu ignorantiæ culpabilis, tamen illud idem opus, ex eâdem ignorantiâ procedens, in secundo casu non erit peccatum. Doctrina hæc est certa; alioquin nullum esset remedium pro salute hominis fidelis, qui postquam admisit vincibilem ignorantiam in pleno consilii alieni defectu constitueretur: nec se solo posset ignorantiam deponere. At sequela est absurdissima; nam

Ignorantia olim vincibilis evadit invincibilis per seriam pœnitentiam peccati, à quo ignorantia illa ortum habuit.

 quoties

quoties peccator ingemuerit, Deus adest, ut peccata dimittat.

Virtualis retractatio peccati constituentis ignorantiam culpabilem reddit illam absolutè invincibilem.

7. Pœnitentia hæc & retractatio ignorantiæ culpabilis potest esse duplex; alia formalis & directa, alia virtualis & indirecta. Directa & formalis est, quæ fit per formalem retractationem; virtualis & indirecta, quæ fit per actum æquivalentem formali retractationi, qualis est voluntas efficaciter detestans omne peccatum, & propositum illud ampliùs non committendi, quamvis tunc in particulari nil cogitet de peccato illo ignorantiæ vincibilis; & utraque sufficit, ne error postea imputetur, nisi iterum per illum steterit, quò minus error, aut ignorantia deponatur; tunc enim iterum peccabit actualiter novo peccato, & iterum ignorantia evadet culpabilis & imputabilis. Similiter actus perfectæ charitatis est virtualis retractatio prioris ignorantiæ culpabilis, quia est sufficiens dispositio ad omnis peccati mortalis deletionem. Idem dico de quavis dispositione sufficiente ad justificationem in Sacramento, quando formalis & explicita retractatio peccati in ignorantiæ admissione commissi inculpabiliter omittitur. Quod si de novo quis nil cogitet, nc virtualiter quidem & implicitè de vincibilitate suæ ignorantiæ, illamque nullo modo retractet, peccabit quidem, non tamen peccato novam & intrinsecam imputabilitatem continente, sed solùm extrinsecè denominato à peccato tunc admisso, quando contra dictamen conscientiæ neglexit veritatis indagationem; malitia enim illius peccati omnes actus à tali ignorantiâ exortos denominat peccata, quamdiu peccatum ignorantiæ non retractatur.

Objectio tertia.

8. Objicies 3. Si ignorantia vincibilis non excusaret, omne opus conforme dictamini vincibiliter erroneo esset peccatum. Sed hoc est falsum, quia actus charitatis potest elici juxta dictamen conscientiæ vincibiliter errantis, & judicantis actum illum hîc & nunc non esse eliciendum; actus autem charitatis non potest aut intrinsecè esse, aut extrinsecè denominari peccatum. Non esse intrinsecè, quia est intrinsecè honestus. Non denominari extrinsecè; tum quia quod est intrinsecè honestum, est incapax denominationis oppositæ; sicut homo, qui est essentialiter rationalis non potest ullâ ratione ab extrinseco denominari irrationalis, nec lux appellari invisibilis; tum quia actus charitatis ponit hominem in statu gratiæ essentialiter opposito statui peccati. At charitas hæc non præstaret, si ipsa esset peccatum: ergo non est peccatum etiam quando elicitur conformiter ad dictamen conscientiæ vincibiliter erroneum. Jam quòd actus charitatis elici possit juxta dictamen conscientiæ vincibiliter errantis, sic probatur. Sit religiosus aliquis exiguæ valetudinis, cui superior sub peccato injungat, ne tali tempore se in actibus charitatis exerceat, ut ita valetudinem conservet. Tum sic; judicet hic homo erroneè culpabiliter, quòd nisi hîc & nunc eliciat actum charitatis, delendus sit de libro vitæ. in hoc casu propter judicium culpabiliter erroneum necessariò peccabit. si enim eliciat actum charitatis, peccat contra obedientiam; si non eliciat, peccat contra dictamen conscientiæ obligantis ad ea ponenda, quæ, pensatis omnibus, ad beatitudinis adeptionem necessaria judicantur.

Actus perfectæ charitatis non potest, ne quidem ab extrinseco denominari peccatum.

Responsio.

9. Resp. neminè posse prohibere substantiam perfectæ charitatis, sed solùm ad summum circumstantiam talis actûs; v. g. applicationem capitis &c. quare argumentum procedit de subjecto non supponente. Sed esto, invincibiliter existimet ille, superiorem vetare ipsam charitatis substantiam; in hoc casu fateor, tenebitur abstinere à charitatis perfectæ elicitione, non tamen concedo, quòd ille possit habere tale judicium pro eo instanti, pro quo est proximè potens

Charitatis actus prohiberi non potest quoad substantiam.

Deum

Judicium dictans actum perfectæ charitatis esse peccatum impossibilitat elicitionem perfectæ charitatis.

Deum diligere actu supernaturali perfectæ charitatis. Ratio est, quia inter reliquas dispositiones ad charitatem, necessarius est actus fidei, quo homo credat *Deum esse, & se quærentibus ac diligentibus remuneratorem esse.* Atqui cum tali fide non cohæret judicium, quo quis existimat substantiam divinæ dilectionis esse rem Deo detestabilem, & ab ipso hîc & nunc vetitam; ideóque casus argumenti procedit ex suppositione saltem ex naturâ rei impossibili. Sed esto, actus ille fidei cohæreat cum judicio invincibiliter erroneo de obligatione non eliciendi hîc & nunc actum charitatis; adhuc impossibile est, quòd in eodem instanti eliciat illud aliud judicium vincibiliter erroneum, quo judicat hîc & nunc peccatum esse charitatem omittere; hæc enim judicia sunt sibi contradictoria, ut patet. Ecce iterum implicantia in suppositione. Sed esto, illa judicia cohæreant, adhuc in sensu composito cum hoc secundo judicio non posset elicere actum charitatis perfectæ, quia eliciendo judicium illud erroneum, supponitur actu peccâsse mortaliter. At voluntas graviter peccaminosa est contemptiva Dei, & prælativa creaturæ Deo; talis autem voluntas in genere causæ formalis excludit charitatem Dei, quæ est actus prælativus Dei omnibus creaturis. Itaque si ille conaretur ad actum eliciendum juxta dictamen suæ conscientiæ, eliceret affectum aliquem erga Deum antea contemptum, qui non esset supernaturalis dilectio Dei super omnia, utpotè quæ habet vim delendi peccatum; sed esset actus capax recipiendi denominationem peccati, quæ indubitanter convenire potest omni actui imperabili à voluntate actualiter peccaminosâ, sive ille sit, sive non sit intrinsecè honestus, modò tamen talis actus præcipi possit à voluntate peccaminosâ.

10. Quòd si loquamur de homine jam constituto in instanti, in quo nullum habet remedium suæ ignorantiæ, adeóque in quo illa retractari & revocari non potest, in hoc casu eò quòd tunc non sit actualiter peccaminosa, nec imperetur ab ullo actu voluntatis intrinsecè turpi, cùm nullus sit actus, qui in genere causæ formalis excludat perfectam charitatem, charitas perfecta elici poterit; sed expellet priùs peccatum, quia est virtualis retractatio ignorantiæ culpabilis, & omnis alterius actûs peccaminosi; ideóque actus ille non erit peccatum, sed actus justificans. Hoc, inquam, verum est, si, ut locus detur argumento, supponamus judicium de necessitate charitatis sub pœnâ peccati, esse compossibile cum judicio de præcepto urgente, ne eliciatur. verùm hæc judicia sunt incompossibilia, & objectio est absona, cùm pluribus de causis supponat impossibilia.

11. Objicies 4. saltem non est peccatum discrepare à conscientiâ vincibiliter errante, quod sic probo. Religiosus ille vincibiliter existimet se graviter obligari ad abstinendum ab actu charitatis; hoc autem judicio stante, eliciat actum charitatis, & discordet à suâ conscientiâ. Peto quid fiet? peccabit? ergo actus charitatis perfectæ erit peccatum, & consequenter non habebit vim sanctificandi. Non peccabit? ergo falsum est, quòd actus conformis judicio vincibiliter erroneo, sit peccatum. Immò, quod plus est, perfecta charitas componi poterit cum peccato mortali actuali orto ex ignorantiâ graviter vincibili, ut nuper affirmâsse videtur recentior quidam Theologus, qui licèt non admittat exemplum hîc allatum, alia tamen admittit, in quibus amor Dei super omnia, tam naturalis, quàm supernaturalis, cohærere possit cum peccato mortali orto ex ignorantiâ vincibili. Puta, si quis vincibiliter crederet se debere falsum jurare ad propriam aut alienam vitam tuendam; hic enim dum falsum jurat, potest Deum super omnia diligere. nulla enim

Objectio quarta.

Quidam recentior tenet actum perfectæ charitatis componi posse cum peccato mortali, idque de lege ordinariâ.

in eo est implicantia; quia cùm putet hoc opus Deo placere, illud facere, non est contrarium affectui amoris appretiativè summi, seu amoris super omnia. At falsum jurans ex ignorantiâ vincibili peccat mortaliter. ergo simul componi potest peccatum mortale actuale, & amor Dei super omnia. Præterea, esto charitas perfecta componi non possit cum peccato malitiæ, componi tamen potest cum peccato ignorantiæ; primum enim verum est, quia voluntas malitiosa fertur in objectum, quod operans scit contrariari voluntati divinæ, ideóque talis voluntas expellit charitatem perfectam, & amorem Dei super omnia. At qui peccat ex ignorantiâ, peccãdo putat se non peccare, nec Deum offendere, sed illi placere. ergo licèt peccatum malitiæ non cohæreat cum charitate perfectâ, tamen peccatum ignorantiæ cum eo potest cohærere.

Responsio. Resp. Religiosum illum non posse componere actuale peccatum mortale ignorantiæ cum dilectione Dei super omnia, ut jam dictum est; quia actus illi, sibi contrariantur non solùm in genere causæ formalis, sed etiam ex parte dispositionis prævis in intellectu. Et sanè gravis contemptus Dei non cohæret cum absoluto ejusdem amore super omnia, ut per se patet. Itaque casus iste de difformitate operis tam impossibilis est, quàm prior de conformitate operis cum conscientiâ mortaliter erroneâ circa perfectæ charitatis elicitionem.

Recentior ille impugnatur. 12 Cæterùm quod spectat ad sententiam Theologi illius recentioris, quòd peccatum mortale actuale ortum ex aliquâ ignorantiâ vincibili cohærere possit in eodem instanti cum perfectâ Dei dilectione, est penitus improbabilis, & ad minimum temeraria in sensu, quo ab illo asseritur, uti hic breviter ostendam.

Est improbabilis, quia levissimis nititur fundamentis, scilicet non aliis, quàm quæ jam attulimus, & paulò pòst afferemus; illa autem levissima sunt, & si cum iis, quæ pro oppositâ sententiâ militant, conferantur, penitus evanescunt. Eadem siquidem ratio quæ probat charitatem actualem componi non posse cum actuali peccato gravi absque ullâ ignorantiâ commisso, æquè probat quòd ne quidem cum peccato actuali ex ignorantiâ commisso conjungi possit. Ratio enim prioris est, quia peccatum mortale est actualis, & quidem gravis contemptus, quo Deus alicui creaturæ postponitur; charitas verò actualis est dilectio Dei super omnia, quâ Deus aut actualiter, aut æquivalenter omnibus creaturis præponitur, ejusque contemptus gravis præ omnibus rejicitur. At hæc ratio æquè convenit peccato mortali per ignorantiam vincibilem, ac sine ullâ ignorantiâ commisso. Nam licèt ille, qui peccat ex ignorantiâ vincibili, non habeat judicium conscientiæ dictans se Deum offendere, jurando falsum v. g. ad defendendam vitam sui proximi, quia judicat id Deo gratum esse, nihilominùs habet aliud judicium antecedens, quod dictat se debere aut abstinere à tali juramento, aut ad illud se non accingere, donec post diligentem rei investigationem id licitum esse repererit; tam enim necessarium est hoc dictamen prævium, ut ignorantia fiat vincibilis, quàm quodvis aliud judicium de quovis alio objecto prohibito, ut ejus positio sit immediatè peccaminosa; ablato enim hoc judicio, non peccat imperando actum erroneum, aut non removendo ignorantiam. ergo ignorantia sine tali dictamine prævio non est graviter imputabilis. At stante tali dictamine, eo ipso quòd is, qui non amovet ignorantiam, imperet judicium erroneum, æquè contemnit legem Dei sibi notam actuque obligantem ad abstinendum, donec quæsierit veritatem, ac qui furatur sciens furtum esse prohibitum. ergo æquè repugnat

Eadem ratio quæ probat peccatum malitiæ; probat etiam peccatum ignorantiæ non posse cohærere cum perfectâ dilectione Dei super omnia.

repugnat actualem Dei dilectionem cum uno ac cum altero peccato copulari. At in sententiâ omnium, etiam illius neoterici, omnia peccata actualia præter peccatum ignorantiæ vincibilis, repugnant conjungi cum charitate perfectâ. ergo & omnia omninò.

In quo fundatur improbabilitas hujus opinionis.

13 Præterea improbabilitas hujus asserti adhuc clariùs & efficacius demonstratur ab unanimi ferme omnium consensu, omnes enim, uno aut altero excepto, unanimiter tradunt, charitatem perfectam expellere peccatum, & juxta ordinariam Dei providentiam non solùm cum peccato actuali, sed ne quidem cum habituali conjungi posse; nec mirum, quia charitas est perfectissima conversio cordis ad Deum, cui in sacrâ Scripturâ remissio peccatorum multis in locis satis clarè promittitur. Atque hæ rationes, etsi aliæ non afferrentur, tam claræ sunt, ut in re tanti momenti, quæ ex effatis sacræ Scripturæ, juxta communem eorum intelligentiam, satis clarè probatur, sufficiant ad reddendam hanc existimationem hujus Neoterici non solùm improbabilem, sed temerariam. Hanc, inquam, quia loquitur de actu charitatis perfectæ, habente tam gradum intensionis, quàm durationem sufficientem; quæ circumstantiæ si deessent actui charitatis, ille juxta aliquos non sufficeret ad obtinendam peccati remissionem, adeóque cum peccato saltem habituali conjungi posset. Itaque cùm recentior iste admittat intensionem & moram sufficientem in actu charitatis, improbabiliter & temerariè opinatus est, talem actum de facto juxta ordinariam Dei providentiam cohærere posse cum peccato mortali actuali. verùm aliæ sunt rationes efficacissimæ pro communi sententiâ stabiliendâ. Non libet omnes percurrere, sed una omittenda non est, quia est fundamentum certum in Theologiâ; nempè definitio Pii V. & Gregorii XIII. qui clarè videntur damnasse sententiam hujus Neoterici in Bullâ contra Baium editâ. Septuagesima enim ex propositionibus damnatis ita se habet. *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem, & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Quod hic asseritur à Baio, à potiori asseritur ab isto Neoterico; quia Baius intelligi potest de peccato tantum habituali; cùm iste loquatur de peccato etiam actuali: quod plus est in ordine ad præsentem difficultatem, quàm peccatum habituale.

Quod charitas perfecta jungi possit peccato mortali damnatum est in Baio à Pio V. & Greg. XIII.

Præterea rationes hujus Theologi æquè probant peccatum actuale ignorantiæ vincibilis posse cohærere cum perfectâ contritione, ac cum charitate perfectâ; quia unusquisque dolere potest de omnibus suis peccatis dum ex ignorantiâ ponit, quod putat non esse peccatum; neque enim est, cur non possit ex perfectâ charitate de illis pœnitere, si possit Deum perfectè diligere. At sequela est *propositio 31.* Baii in eâdem bullâ damnata, quæ sic se habet: *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientiâ bonâ, & fide non fictâ, tam in Catechumenis, quàm in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Ecce doctrina, quam impugnamus, satis apertè damnata est in Baio. Conjiciat ergo Theologus ille suos oculos in hanc bullam, & statim videbit improbabilitatem & temeritatem suæ assertionis, eamque damnabit, quia à fortiori continet, quidquid damnatum est in Baio, qui loquutus est de dilectione actuali charitatis & pœnitentiâ actuali, quas de facto juxta præsentem Dei providentiam docuit cohærere posse cum peccato mortali, & reatu æternæ damnationis. At totum hoc continetur in opinione quam impugnamus; quæ proinde ut olim damnata rejicienda est.

Hallucinatio hujus Theologi detegitur.

14. Itaque ut causam, nî fallor, hallucinationis ejus aperiam, distinguendum est

tempus, in quo error, aut ignorantia actu dependet à voluntate peccaminosâ, & tempus subsequens, in quo homo pro eo instanti non peccaminosè imperat judicium erroneum, sed pœnitere potest de culpâ, per quam contraxit errorem. Jam si loquatur in hoc secundo casu, sermo tantùm est de peccato habituali erroris contracti, non de actuali peccato, consistente in actu hîc & nunc libero, habente propriam imputabilitatem, distinctam ab aliorum actuum imputabilitate. Sed nec in hoc sensu, (qui tamen videtur causa fuisse hallucinationis, eò quòd ignorantia subsequens etiam in hoc casu sæpè dicatur & sit peccatum ignorantiæ per denominationem à culpâ priore, à quâ desumpsit originem) sententia hæc est probabilis, primò quia si hîc & nunc homo ille contereretur de suis peccatis, etiam de peccato ignorantiæ contracto, idque ex motivo perfectæ charitatis, sine dubio, recentiore illo non diffitente, veniam consequeretur delicti, per quod in eam ignorantiam devenit, & de quo pœnitentiam agit, jam quod dicitur de expressâ contritione, dici debet de perfectâ charitate, quæ est virtualis & æquivalens pœnitentia, seu retractatio peccatorum; & quidem si peccati memoria vigeat pro eo instanti, pro quo charitatis actus elicitur, fieri non potest, quin Deum diligens super omnia, super omnia etiam detestetur gravem Dei offensam, & ab illâ fugiat ex motivo perfectæ charitatis. ergo sine dubio justificabitur. Quòd si nulla sit memoria peccati præteriti, tunc ignorans non minùs justificabitur à peccato ignorantiæ, quàm justificaretur ab aliis peccatis, si ca[r]eret ignorantiâ vincibili. Ratio enim pro omnibus eadem est, quia in eo instanti facit quod in se est, & adhæret Deo super omnia ex præstantissimo motivo; adeóque Deus juxta suam promissionem vicissim illi conjungitur per amorem amicabilem, peccati mortalis delet[i]vam. At juxta adversarium sola charitas sine contritione sufficit ad delenda peccata habitualia distincta à peccato ignorantiæ vincibilis, alioquin frustra singularem vim fecisset in peccato ignorantiæ. ergo charitas sine contritione formali sufficit etiam ad delendum peccatum habituale ignorantiæ. & sanè nulla est ratio ullius momenti, propter quam dubitare quis possit, utrùm Deus non remittat peccatum habituale omni Deum diligenti super omnia ex motivo charitatis perfectæ; & multo minùs apud istum recentiorem datur locus exceptioni, quia nulla est difficultas in casu ignorantiæ vincibilis, quæ pro aliis casibus æquè non urgeat; quod velim illum diligenter perpendere, & statim suæ dubitationis improbabilitatem discernet.

Charitas perfecta eandem vim habet ad delendum peccatum habituale ignorantiæ, ac quodvis aliud.

15. Dices I. ignorantia illa est vincibilis etiam pro illo instanti. ergo ignorantia illa tunc est peccatum mortale. At conjungitur cum actuali charitate. ergo. *Replica 1.*

Resp. ignorantiam illam pro tunc non esse ampliùs vincibilem aut practicè imputabilem, quia per virtualem pœnitentiam retractatur; sic enim omnes debent dicere, quando formaliter retractatur per actualem contritionem. Si enim perfecta contritio non sufficeret ad delendum peccatum ignorantiæ vincibilis, nisi post ignorantiam superatam, plurimi jam remoti ab omni occasione discendi veritatem, etsi ad Deum ex corde redirent, suumque errorem detestarentur, essent in statu damnationis; nec juxta ordinariam Dei providentiam possent, quidquid conarentur, suorum peccatorum veniam obtinere; quod sine dubio est falsum, sicut ergo pœnitentia formalis prioris culpæ facit ignorantiam præsentem non esse practicè imputabilem, ita idem facit actus perfectæ charitatis, qui est pœnitentia virtualis, & non minor conjunctio cum Deo, quàm formalis contritio. *Diluitur.*

16. Præte-

Causa cur peccatũ ignorãtiæ habitualiter perseveret est negatio retractationis formalis, aut virtualis.

16. Præterea esto illa ignorantia, simpliciter loquendo, dici possit aliquo modo vincibilis, quatenus vinci potuit, & debuit in tempore antecedenti; quod verum est, etsi nunc de eâ formalem pœnitentiam agat; non tamen est vincibilis hîc & nunc, nec imputatur ad peccatum, quia licèt ille hîc & nunc fecerit quidquid potuerit, non poterit ignorantiam illam deponere. ergo ignorantia illa de præsenti non est peccatum, sed merus effectus peccati præteriti, quod peccatum præteritum non perseverat moraliter per ipsam ignorantiam olim inductam & nunc re ipsâ perseverantem, alioquin peccatum illud nullatenus tolli posset ignorantiâ illâ non sublatâ, sed per negationem retractationis formalis, aut virtualis. Unde retractatione illâ positâ, Deus statim convertitur ad peccatorem, & per gratiæ infusionem delet ejus peccatum. Nec in hoc ulla est diversitas inter peccatum habituale ignorantiæ vincibilis, & aliud quodvis peccatum.

Replica 2.

17. Dices 2. & petes, quid fieret, si errans in illo instanti memor esset peccati prioris, Deumque diligeret super omnia; sed non detestaretur suum peccatum. Certè sunt, qui docent hoc posse contingere.

Solvitur.

Resp. inprimis casum ex naturâ rei esse impossibilem; qui enim videt se graviter offendisse aliquem, non potest non capere displicentiam de suâ offensâ, si illum ex corde diligat; & sanè qui nollet dolere de suâ offensâ, eo ipso argueretur fictè tantùm & ore tenus, non autem ex corde sincero Deum diligere.

Alia solutio.

18. Resp. 2. idem de eo dicendum ac de illo, qui aliorum peccatorum conscius Deum absque formali contritione super omnia diligeret. Jam tu fateris quòd ille justificaretur. ergo etiam qui Deum perfectè diligeret, veniam peccati ignorantiæ obtineret. neque enim peccatum ignorantiæ majorem irremissibilitatem aut turpitudinem, sed potiùs minorem habet, quàm alia peccata.

19. Dices 3. Ponamus actualiter peccantem ex ignorantiâ vincibili purè omittere, & non elicere actum positivum formaliter Dei contemptivum, qui in genere causæ formalis excludat dilectionem Dei super omnia. in hoc casu actualis Dei dilectio cohærere potest cum peccato mortali ex ignorantiâ vincibili commisso. Alia instantia.

20. Resp. puram illam omissionem, si detur, esse virtualem & implicitum contemptum Dei, adeóque aut consistere in ipsâ formali omissione dilectionis perfectæ, aut certè eam secum trahere. adeóque majorem potiùs quàm minorem repugnantiam in genere causæ formalis intercedere inter puram omissionem graviter peccaminosam, & actualem Dei dilectionem super omnia, quàm sit inter positivum contemptum & eandem Dei dilectionem. Certè impossibile est, quòd qui actu Deum præfert omnibus, illumque diligit super omnia, simul ita afficiatur, ut prudenter censeri possit Deum contemnere, & illum creaturis postponere: ergo omne peccatum actuale tam omissionis puræ, quàm commissionis in genere causæ formalis repugnat cum actuali Dei dilectione super omnia. Prima solutio.

21. Resp. 2. nil dici posse de peccato ignorantiæ vincibilis consistente in purâ omissione, quòd de aliis peccatis puræ omissionis dici non possit, & debeat. ergo cùm Theologus ille non dubitet, quin plurima peccata omissionis sint incompossibilia cum perfectâ charitate, immeritò & improbabiliter, imò temerè dubitat, utrùm peccatum ignorantiæ, etiam per puram omissionem patratum, cum perfectâ Dei dilectione conjungi possit. Solutio secunda.

22. Dices 4. fundamentum superioris discursûs in eo consistit, quòd nemo peccet, nisi operetur contra judicium conscientiæ dictantis actionem aut omissionem Replica 4.

aliquam hic & nunc esse inseparabilem à violatione legis divinæ. At hoc non est verum; quia operans in dubio peccat, etsi nec tale dictamen, nec ullum judicium eliciat. ergo peccatum ignorantiæ committi potest absque tali dictamine; in eo autem casu, perfecta Dei dilectio & actuale peccatum conjungi possent.

Solutio prima. Resp. inprimis omne peccatum mortale esse actum deliberatum; deliberata autem voluntas non procedit à solâ terminorum apprehensione, sed postulat judicium perfectum ut proprium principium in intellectu prævium. Deinde, esto, procedat tantùm à primâ terminorum apprehensione

Solutio secunda. absque ullo judicio, adhuc illud peccatum æquè est contemptus Dei, & divinæ legis, ac si à formali judicio dependeret. Ergo semper æquè inconjungibilis est cum dilectione Dei super omnia. Ad id quod dicitur de dubio respondeo, quòd quamdiu dubium manet, reflexè evidens sit omni intellectui operationem factam in dubio esse contrariam legi divinæ; neque potest intellectus ab hujus veritatis notione abstinere. Sed esto. abstinere possit: abstineat ergo & operetur in dubio. Peto an peccet, nec ne? Si dicas secundum, exemplum non est ad rem. Si primum: ergo contemnit Deum ejusque legem. ergo simul non potest Deum super omnia diligere.

Solutio tertia. 23. Resp 3. si peccatum ignorantiæ committi potest absque tali judicio, & alia peccata sine eodem committi possunt. At alia peccata, vel te fatente, quamvis ita commissa, unà componi nequeunt cum perfectâ Dei dilectione: ergo nec peccatum ignorantiæ.

24. Jam quod spectat ad rationes, quas recentior iste affert pro suâ sententiâ stabiliendâ, (omnes enim vidi ac perpendi in scripto proprio ipsius ad amicum misso) illas breviter recensebo, ut unusquisque videat, quàm sint infirmæ, ac nullius roboris pro stabiliendâ opinione contra communem sententiam in re magni momenti, quæ ad sacræ Scripturæ intelligentiam spectat.

Prima ratio hujus Theologi. Prima est, quia nulla ostenditur repugnantia in eo, quod hi actus conjungantur. Verùm jam responsum est ad hoc: clarè enim

Diluitur. ostendimus, unde talis conjunctio repugnet. Præterea sermo non est de potentiâ Dei absolutâ, sed de ordinariâ & repugnantiâ naturali conjunctionis actuum istorum; illa autem clarissimè ostensa est.

Secunda ejusdem ratio. 25. Secunda ejus ratio hæc est. qui amat Deum super omnia non necessariò habet nisi generalem voluntatem servandi omnia Dei præcepta, & nihil contra illa committendi. hæc autem voluntas non est ex se absolutè efficax ad ponenda quævis objecta à Deo præcepta; sed compleri debet per dictamen particulare, quo intellectus proponat voluntati hoc objectum particulare esse à Deo prohibitum. ergo si intellectus non proponat hoc objectum particulare, amor Dei super omnia non habet efficaciam ad hoc particulare objectum ponendum. ergo in sensu composito cum amore illo Dei super omnia, voluntas est libera ad ponendum & non ponendum hoc singulare objectum, de quo intellectus judicat, quòd Deo placeat: Sed intellectus potest hoc proponere per errorem vincibilem. ergo voluntas ex errore vincibili potest illud ponere, non obstante amore Dei super omnia. At si ponat illud, peccat. ergo simul potest amare Deum super omnia, & peccare.

Solvitur. 26. Resp. electionem objecti illius secundùm se non esse incompossibilem cum amore Dei super omnia, si tamen electio illa supponatur esse intrinsecè eadem, sive ab errore vincibili, sive ab invincibili oriatur. Tunc enim, sicut connecti potest cum charitate, quando procedit ab errore invincibili, ita secundùm se non repugnat cum eâdem connecti, quando procedit ab errore vincibili; quod rectè probatur in argumento.

argumento. Verùm difficultas hîc non latet; dicimus enim, objectum hoc non posse poni stante amore Dei super omnia, non quia electio illius secundùm se repugnat charitati, sed quia hîc & nunc electio illa præsupponit aliam volitionem priorem incompossibilem cum perfecto Dei amore, scilicet volitionem illam, per quam actus erroneus culpabiliter imperatur. Rem explico. Aliquis culpabiliter credat se debere hîc & nunc falsum jurare ad salvandam vitam. Fateor volitionem jurandi falsum, consequentem ad hoc judicium vincibiliter erroneum, secundùm se non contrariari cum amore Dei super omnia, modò volitio illa intrinsecè non differat à volitione ejusdem objecti ortâ ab errore invincibili; nihilominus illa volitio hîc & nunc, quatenus oritur ab errore vincibili, non potest conjungi cum dicto amore, quia supponit peccatum non ab ignorantiâ, sed à malitiâ profectum; scilicet voluntatem, quâ quis stultè & imprudenter credit se debere falsum jurare; quâque conjicit se in necessitatem falsum jurandi. Quòd si voluntas jurandi falsum, regulata ab errore vincibili, dicatur differre intrinsecè à voluntate regulatâ ab errore invincibili, quatenus reflectit supra voluntareitatem & imputabilitatem judicii à quo regulatur, eo ipso illa esset intrinsecè mala, & ex suis prædicatis intrinsecis non minùs repugnaret cum amore Dei super omnia, quàm quodvis aliud peccatum. Verùm hæc suppositio est de subjecto non supponente, nam impossibile est actum ortum ex ignorantiâ & errore etiam vincibili habere talem reflexionem, tum quia si talem haberet, oriretur à judicio dictante objectum in quod fertur esse malum, quod est contra suppositum; tum quia volitio, de quâ loquimur, dirigitur à judicio erroneo. ergo non reflectit supra objectum, quod aut per illud judicium directum, aut saltem per judicium reflexum supra illum actum directum non proponitur. At neutrum horum judiciorum reflectit supra voluntatem peccaminosam, à quâ judicium directum imperatur; non ipsum judicium imperatum, quia voluntas illam imperans non est causa objectiva & motiva, sed pertinet tantùm ad causam effectivam ejusdem. Non reflexum, quia illud ex vi suæ reflexionis nihil repræsentat præter ipsum judicium directum, & id quod per judicium directum repræsentabatur. ergo neutrum illorum judiciorum repræsentat voluntatem turpiter imperantem judicium directum. ergo voluntas orta ab ignorantiâ vincibili intrinsecè non differt à voluntate, quæ regulatur ab ignorantiâ invincibili. Verùm de hoc plura dicentur ad sequentem assertionem.

Omne peccatum ignorantiæ vincibilis supponit peccatum malitiæ.

Volitio orta ab errore vincibili intrinsecè non differt, à volitione quæ oritur ab errore invincibili.

27. Tertia ratio. Si tale peccatum non posset conjungi cum amore Dei super omnia, vel esset quatenus amor ille præcisè tendit in Deum, & est simplex complacentia in bonitate Dei, vel quatenus tendit in præcepta, & efficaciter vult eorum observationem. Non primum, quia simplex illa complacentia est complacentia inefficax, quæ non repugnat cum amore efficaci ejus, quod scitur esse contrarium; multò autem minùs repugnat cum amore efficaci ejus, quod nescitur esse illi contrarium; uti contingit in casu erroris vincibilis. Non secundum, quia amor ille Dei solùm tendit confusè, & sub conceptu universali in Dei præcepta, & ea quæ illis contrariantur. ergo ex se non sufficit ad eorum efficacem impletionem, nisi accedat dictamen particulare, quod in casu erroris vincibilis non intervenit. ergo conjungi potest cum peccato. Ratio tertia ejusdem.

Resp. amorem Dei super omnia ex utroque capite excludere omne peccatum mortale. Inprimis, quatenus est simplex complacentia in genere causæ formalis excludit omnem gravem Dei contemptum, qui Diluitur.

 inseparabilis

inseparabilis est ab omni peccato mortali, quatenus est peccatum grave. Nec obstat, quòd illa complacentia dicatur inefficax, quia non ponit objectum suum; etsi enim relatè ad Deum aliquâ ratione sit inefficax, quia non causat Deum; nihilominus non est inefficax in genere causæ formalis ad excludendum omnem Dei contemptum; aliquis autem formalis Dei contemptus necessariò prærequiritur ad omne peccatum etiam ignorantiæ vincibilis; ut dictum est. Et sanè si illa ratio adversarii valeret, complacentia summa de bonitate divinâ cohærere posset cum gravi & expresso ejus contemptu, quod evidenter repugnat. Deinde, quatenus est efficax propositum servandi legem, repugnat cum voluntate imperante judicium erroneum, quæ voluntas est formaliter contemptiva Dei, & violativa præcepti divini, quamvis secundùm se non repugnet cum voluntate ortâ ab errore, quippè quæ intrinsecè & essentialiter non est peccatum, nec contrarium divinæ legi, sed solùm extrinsecè denominatur peccaminosa. In hoc autem consistit tota hallucinatio hujus Recentioris, quòd non respiciat ad causam formalem, à quâ actus ab ignorantiâ culpabili causatus, denominatur peccatum.

Simplex complacentia, & inefficax in genere causæ efficientis esse potest efficax in genere causæ formalis.

Instantia. 28. Dices pro dicto Recentiore (ita enim objici potest ex advertendis quæ præmisit ad rationem suæ sententiæ) quòd ille sufficienter respexerit ad causam, à quâ peccatum ignorantiæ denominatur peccatum: Nam supponit aliquem posse peccare mortaliter, etsi ignoret se peccare; imò etsi putet se obsequium Deo præstare; nempè si ita putet per ignorantiam vincibilem; quod certè secundùm omnes verum est. ergo nos, qui supponimus contrarium, erramus à vero, & fingimus causam formalem, à quâ peccatum illud suam accipiat denominationem.

Diluitur instantia Resp. omnem hominem peccantem mortaliter scire se peccare per aliquem actum, quem tunc elicit; etsi putet se non peccare in alio, in quo tamen re verâ peccat. Ad hoc advertat Recentior ille, & statim veritati subscribet. Declaro meam mentem. vel loquimur de tempore, in quo error est vincibilis, quia potest & debet deponi; vel loquimur de tempore sequenti, in quo non potest ampliùs superari: si loquamur de primo tempore, homo ille advertit se malè facere, & peccare omittendo diligentiam debitam ad veritatis indagationem; si enim de hâc obligatione nunquam cogitaret, ignorantia esset omninò invincibilis, ut patet. ergo etsi homo ille pro illo instanti putet se benè facere in actu errorem consequente, non tamen putat se benè facere in omni actu, quem tunc elicit; sed advertit se in aliquo peccare. Jam ratione hujus actus prævii ad peccatum ignorantiæ fieri non potest, ut amor Dei super omnia coexistat cum actu, quem error ille dirigit, quia ille actus non aliter est peccatum, quàm prout oritur à priori voluntate formaliter culpabili.

Quomodo se habeat qui primò peccat ex ignorantiâ vincibili.

29. Quòd si loquamur pro tempore sequenti, in quo operans, aut nihil cogitat de lege vetante ignorantiam illam, aut si de illâ cogitet, non potest illam deponere; in hoc casu homo ille nunquam peccat per actum habentem malitiam sibi intrinsecam, quia actus ille idem est, qui fuisset, si ignorantia semper fuisset invincibilis. Deinde non elicit actum, qui necessariò denominatur peccatum à priore volitione intrinsecè pravâ, à quâ ignorantia illa suam traxit originem. Ratio est quia illum pœnitere potest omnium peccatorum præteritorum, & etiam ignorantiæ antea culpabiliter contractæ, atque ita justificari. In quo casu actus ortus ab ignorantiâ, non ampliùs verti potest peccato, aut denominari peccatum, quia malitia, à quâ denominationem peccati desumebat, ablata est. cùm ergo omnis actus

Quomodo se habeat, qui procedente tempore peccat ex ignorantiâ vincibili?

actus contritionis perfectæ sit formalis pœnitentia omnium peccatorum præteritorum, & omnis actus perfectæ charitatis sit pœnitentia virtualis eorumdem, manifestum est quod quivis actus contritionis aut charitatis perfectæ cohærere non possit cum ullo actu mortaliter peccaminoso. Cæterùm si homo de præsenti operans nec retractaret, nec antea retractasset culpabilitatem ignorantiæ olim admissæ, tunc quidem operatio consequens errorem denominaretur peccatum à culpabilitate prioris ignorantiæ, quæ quamdiu moraliter existit, omnem suum effectum inficit, & denominat peccatum, etsi effectus ille intrinsecè non sit malus, sed idem ac fuisset, si ab ignorantiâ invincibili ortum habuisset.

Instantia & replica hujus recentioris.

30. Dices, charitas illa, & contritio non delent priora peccata, quia inveniunt obicem, nempè peccatum mortale actuale ignorantiæ vincibilis. ita respondeo recentior ille Theologus. Sed contrà, quia actus ille ex ignorantiâ olim vincibili ortus, non est obex secundùm se, quia non est intrinsecè peccatum, cùm sit idem actus, qui fuisset etsi ignorantia non fuisset vincibilis. Rursus non est extrinsecè peccatum, quia prior voluntas peccaminosa retractatur quantum hîc & nunc retractari potest. Deinde si actus ab ignorantiâ illâ ortus esset peccatum mortale, & obex ad remissionem culpæ, per quam ignorantia illa contracta est, homo ille non haberet remedium salutis & ut cumque conaretur. non posset justificari; sed necessariò peccaret. Non posset justificari, quia non posset obicem tollere. Necessariò peccaret, quia supponitur non posse hîc & nunc ignorãtiam deponere, etsi velit; illo autem manente necessariò peccat, quia si operetur juxta errorem, per te peccat. Si contrà faciat, peccat contra conscientiam: ergo non potest non peccare, & consequenter justificari non potest. At hoc repugnat sacræ Scripturæ, & est verissimus Jansenismus, à quo Recentior ille abhorret quàm maximè. Hæc cogitet vir ingeniosus, & suæ opinionis improbabilitatem atque temeritatem deteget, veritatique subscribet.

ASSERTIO SECUNDA.

Assertio secunda.

Actus conformis dictamini conscientiæ vincibiliter errantis, si non sit simul peccatum malitiæ, nullam habet rationem peccati sibi intrinsecam, sed solùm denominatur peccatum à malitiâ voluntatis, per quam error, aut ignorantia contracta fuit.

Peccatum ignorantiæ aliquando extrinsecè, tantùm denominatur peccatum.

31. Explicatur assertio, qui peccat ex errore vel ignorantiâ vincibili, dupliciter se habere potest. 1 ita ut ignorando vel errando non peccet. v. g. pictor nescit an sit peccatum pingere in die festo. ponamus illum levibus judiciis moveri ad falsò credendum, quòd liceat pingere in die festo: dico quòd non peccet contra cultum diei festivi sic judicando, modò animum habeat ad non pingendum donec de veritate rei certior fiat. hoc ex se evidens est. Pergo jam & dico, quòd pictor ille, si in sequenti instanti iterum temerè judicet sibi licitum esse non obstante die festo pingere, simulque velit pingere, peccet sic volendo. verùm hæc voluntas non est peccatum solius ignorantiæ, sed simul est peccatum malitiæ; quia voluntas illa reflectit non solùm supra objectum ut propositum est per actum erroris, sed etiam reflectit supra aliud judicium, quo pictor judicat sese non obstante hoc judicio satis leviter concepto, non posse licitè pingere, donec diligentiùs inquisiverit veritatem: cùm ergo velit pingere contra hoc conscientiæ suæ dictamen, malitiosè peccat per actum essentialiter respicientem objectum, quod eligit, ut contrarium legi Dei. Jam in hoc casu vir ille

Peccans ex errore vel ignorantiâ dupliciter se habet.

Primò ita ut error ipse non sit violatio præcepti, quod violatur per opus.

ille non eſt irreligioſus, quia temerè judicat licitum eſſe pingere, ſed quia pingit contra dictamen conſcientiæ vetantis, ne pingat, etſi abſolutè, ſed non præmiſsâ ſufficiente diligentiâ, exiſtimet, quod ſibi liceat pingere. Jam de hujuſmodi peccatis errorem conſequentibus theſis non procedit, illa enim non ſunt peccata ignorantiæ, ſed meritò vocantur peccata malitiæ, quia intrinſecè reflectunt ſupra prohibitionem Dei ſufficienter cognitam, eamque malitiosè contemnunt.

Secundò ita ut ipſe error ſit peccatum contra virtutem cui opus ipſum contrariatur.

32. Secundò poteſt quis peccare admittendo errorem, ita ut ipſe error ſit peccatum contra virtutem, cui opus contrariatur. ut ſi quis temerè crederet, ſe debere hîc & nunc falſum jurare ad mortem evitandam. Quicumque ſic judicat, peccat contra virtutem religionis, quia temerè & culpabiliter conjicit ſe in neceſſitatem aut peierandi, aut graviter peccandi conrra conſcientiam. Jam ſi quis ex tali errore pejeret, & voluntas pejerandi aliundè non moveatur, quàm ab honeſtate falsò propoſitâ, ideſt, ſi voluntas pejerandi non reflectat ſupra ullam Dei prohibitionem cognitam, adeóque ſi actus ille nullam Dei legem contemnat, ille committet peccatum puræ ignorantiæ, non malitiæ; quia etſi peccatum malitiæ reperiatur in actu imperante judicium erroneum, tamen actus conſequens tale judicium, & regulatus per illud, ſecundùm ſe dici non poteſt peccatum malitiæ, quia oritur præcisè à perſuaſuaſione, quâ operans exiſtimat ſe non peccare, ſed facere id, ad quod obligatur. De hujuſmodi peccatis (quæ ſola voco peccata ignorantiæ vincibilis) aſſero, quòd nullam habeant intrinſecam rationem malitiæ, ſed ſolùm denominentur peccata à malitiâ volitionis, per quam peccans ſe culpabiliter præcipitavit in errorem neceſſitantem ad taliter operandum.

Prima ratio.

33. Probatur aſſertio 1. quia actus voluntatis, qui eſt merum peccatum ignorantiæ, in nullo differt intrinſecè à volitione ejuſdem objecti, quæ directa fuiſſet ab errore invincibili; omnis enim actus erroris, ſive vincibilis, ſive invincibilis, eodem modo repræſentat, & affirmat ſuum objectum, eodemque modo urget obligationem illi non contraveniendi; qui enim ſive vincibiliter ſive invincibiliter exiſtimat, ſe hîc & nunc graviter teneri ad pejerandum, eodem modo peccat, ſi non pejeret. ergo actus voluntatis conſequens ad tale judicium, & regulatus ab illo, idem eſt intrinſecè, ſive à vincibili ſive ab invincibili errore oriatur, quia fertur in idem objectum materiale & formale eodem modo propoſitum. At actus voluntatis ab ignorantiâ invincibili directus, non eſt intrinſecè peccaminoſus: ergo nec actus ab ignorantiâ vincibili directus. ergo ſolùm extrinſecè denominatur peccatum. ſcilicet à malitiâ actûs errorem imperantis. Quod autem eadem ſit diſpoſitio in intellectu operantis ex ignorantiâ vincibili & invincibili probatur multipliciter, modò ſupponamus ſic operantem nullatenus ex malitiâ peccare. 1. eadem eſt diſpoſitio intellectûs quando opus ſit ex merâ inadvertentiâ, & incogitantiâ legis, ut patet; hoc autem ſæpè contingit. 2. idipſum patet, quando ignorantia & error olim vincibilis evadit hîc & nunc invincibilis; in hoc enim caſu tam ignorantia purè privativa, quàm error poſitivus pari nititur fundamento, ſive fuerit, ſive non fuerit olim vincibilis, quia hîc & nunc error ille prudenter concipitur, cùm poſt diligens examen ſupponatur prudenter deponi non poſſe. * Et in his caſibus clarum eſt eandem prodire volitionem, ſive ignorantia & error ſint vincibiles, ſive invincibiles. Sola difficultas ſupereſt de actu intellectûs vincibiliter errantis, quando error eſt actu vincibilis, tunc enim etſi error vincibilis & invincibilis non differant ex parte objecti materialis,

Peccatum puræ ignorantiæ intrinſecè non differt ab aliquo actu per ignorantiam invincibilem elicito.

materialis, sæpè tamen specificè differunt ex parte objecti formalis, quia error invincibilis fundari solet in motivo probabili, cùm è contrario error vincibilis plerumque non nitatur nisi fundamento levi & improbabili. Cæterùm in hoc etiam casu volitiones ab istis erroribus regulatæ intrinsecè non discrepant, quia illæ immediatè regulantur solùm à judicio consequentis, non autem à motivo formali in præmissis expresso. v. g. Putet quis, se debere leviter mentiri ad salvandam vitam proximi, idque credat invincibiliter, eò quòd à viro summæ authoritatis illud audierit. In hoc casu illud à quo voluntas immediatè regulatur, est solus assensus consequentis, quo homo absolutè putat legem ad hoc obligantem existere; non autem assensus antecedentis, quo novit hominem, dicentem id esse à Deo præceptum, haberi pro perito & pio; quia sola honestas apparens in consequente movet voluntatem, non autem veritas cognita in antecedente, quippè quæ non est nisi proprium motivum intellectûs. Idipsum adhuc clariùs patet, si conclusio, quod est probabilissimum, non reflectat supra objectum præmissarum. At honestas apparens in consequente eadem est, eodemque modo apparet, sive error vincibilis fuerit, sive invincibilis, tum quia in modo obscuro tendendi utriusque nulla est diversitas; tum vel maximè quia nullum judicium fertur in suum motivum ut in argumentum leve, sed fertur in illud ut absolutè magnum, unicè verum, ac assensu dignum. Ergo actus etiam voluntatis idem specie est, sive à vincibili, sive ab invincibili ignorantiâ reguletur. Demum si volitiones istæ intrinsecè discreparent, eò quòd judicium levi fundamento nixum suam temeritatem ostenderet, eo ipso actus voluntatis à tali judicio regulatus non esset peccatum puræ ignorantiæ, sed simul etiam malitiæ; ideóque hypothesis assertionis non subsisteret. ergo ut subsistat, necesse est errorem vincibilem non ostendere suam temeritatem. Unde iterum sequitur, assensum consequentis, continentem errorem vincibilem, in hypothesi assertionis non differre ab assensu simili continente errorem invincibilem; & consequenter volitionem ab errore vincibili regulatam, in nullo intrinsecè discrepare à volitione, quam error invincibilis dirigit.

34. Confirmatur. homo ille ita dispositus est, ut & credat se benè facere, & ideò ponat illud quod bonum putat, quia judicat illud esse à Deo præceptum. At in actu voluntatis, cui talis tendentia & approbatio boni est essentialis, impossibile est invenire rationem formalem peccati, quæ ex suâ essentiâ est contrarietas & repugnantia cum lege & voluntate Dei. Itaque repugnat talem actum esse intrinsecè peccaminosum. Ergo solùm ab extrinseco denominatur peccatum, nempè à voluntate, quâ quis per malitiam contraxit illum errorem. Neque enim alia est causa, à quâ denominationem peccati possit accipere.

Confirmatur assertio.

Peccatum ignorantiæ est actus vitaliter tendens in suum objectum, ut in rem Deo placentem.

35. Probatur 2. Qui operatur conformiter ad dictamen conscientiæ vincibiliter ignorantis, unicam contrahit malitiam; eam nempè, quæ à lege per defectum inquisitionis debitæ neglectâ, vel contemptâ suam speciem accipit. At hæc malitia non nisi in voluntate ignorandi legem formaliter residet; illa enim sola est voluntas formaliter contemptiva legis; nam voluntas consequens dictamen erroneum, illique conformis, non contemnit legem Dei, sed illi conformatur, quia tendit in illud quod intellectus judicat esse Deo gratum, & ab ipso præceptum. ergo voluntas illa nullam habet malitiam sibi intrinsecam; sed solùm denominatur peccatum extrinsecè à voluntate peccaminosâ ignorandi; illâ enim positâ, & falso dictamine per illam inducto,

Secunda ratio.

Peccans ex ignorantiâ vincibili solùm contrahit malitiam contra legem, quæ per defectum inquisitionis contemnitur.

inductio, voluntas non est aliter libera ad contemnendam Dei legem, quàm difformando se judicio erroneo, ut patet.

Tertia ratio.

36. Probatur 3. Posito judicio illo erroneo, in sensu composito illius non datur obligatio difformandi se illi; sed è contrario datur obligatio se illi conformandi, qui enim contra dictamen conscientiæ operatur, sciens & volens malitiosè vult malum; adeóque peccat formaliter peccato habente propriam imputabilitatem sibi essentialem. Ergo errans tenetur facere, quod existimat se facere debere. ergo tunc non tenetur ad illud omittendum, alioquin simul teneretur ad idem ponendum & omittendum, quod est impossibile. ergo nulla obligatio violatur præter illam, quæ præcipiebat, ne homo talem errorem admitteret. Hæc autem lex non violatur per actum, quem error dirigit, sed solùm per actum voluntatis, à quo error ille turpiter imperatur. ergo qui sequitur dictamen erroneum aliam malitiam formalem ratione sui imputabilem non contrahit, quàm quæ inest actui imperanti errorem.

In sensu composito erroris homo tenetur se illi conformare, quia peccat illi se non conformando.

Ratio quarta.

37. Probatur 4. Ad rationem peccati ratione sui imputabilis requiritur libertas, & ad novum peccatũ ratione sui imputabile de novo nova requiritur libertas indifferentiæ ad peccandum & non peccandum; quia quæ absque novâ libertate indifferentiæ sequuntur ad prius peccatum, sunt solùm effectus & pœna peccati, non autem novum peccatum ratione sui imputabile; ut & per se patet & ex Augustino declaratum est quæstione superiore. At homo in sensu composito conscientiæ vincibiliter erroneæ non esset liber ad peccandum & non peccandum de novo, si sequi dictamen erroneum esset peccatum ratione sui imputabile; nam quidquid faceret, peccaret novo peccato ratione sui imputabili. Si enim difformaretur dictamini erroneo, formaliter peccaret contra conscientiam volendo malum cognitum ut tale. At per te peccat actu per se imputabili, si conformet opus dictamini erroneo. ergo in sensu composito erroris vincibilis non esset liber ad peccandum & non peccandum. Sequela autem est absurda, quia eo ipso formaliter loquendo, non peccaret. Ergo alterutrum ex oppositis, quæ stante errore cadunt sub electionem, non est peccatum ratione sui imputabile. At operari contra cōnscientiam est peccatum ratione sui imputabile. ergo conformari dictamini erroneo, non est opus ratione sui imputabile, sed solùm denominari potest peccatum à malitiâ, per quam homo se in illum errorem præcipitavit.

Positâ conscientiâ vincibiliter erroneâ, homo non esset liber ad peccandum, si conformari conscientiæ erroneæ, esset peccatum ratione sui imputabile.

38. Probatur 5. Si sequi dictamen conscientiæ errantis esset novum peccatum ratione sui imputabile, teneretur homo illud vitare, etiam in sensu composito erroris jam existentis; unusquisque enim quibuscumque positis, tenetur vitare omne peccatum, quòd de novo ratione sui est imputabile, alioquin ponendo illud, nullam novam obligationem violaret, adeóque non peccaret de novo, quod est contra suppositum. At hominem teneri ad non sequendum dictamen conscientiæ errantis & dictantis illum obligari hîc & nunc ad pejerandum, est illum obligari ad faciendum contra conscientiæ dictamen; quia nemo aliter potest obligari ad non sequendum tale dictamen, quàm si obligetur ad omittendum quod illud dictat sub pœnâ peccati esse ponendum, siquidem inter hæc duo non est medium. Ergo hominem obligari ad non sequendum dictamen conscientiæ errantis, est illum obligari ad faciendum contra conscientiam, seu ad faciendum, quod judicat esse peccatum. Sequela autem est evidenter absurda, cùm talis obligatio sit manifestè impossibilis. Ergo stante errore, nemo novâ obligatione tenetur ad non sequendum dictamen erroneum, sed expressè tenetur ad illud sequendum. Ergo

Ratio quinta.

Vincibiliter errans non tenetur difformare se dictamini erroneo.

Ergo sequi dictamen conscientiæ errantis non est peccatum ratione sui imputabile, sed solùm extrinsecè denominatur peccatum à malitiâ actûs, à quo error inductus est.

Objectio ex Vasquez. 39. Dices cum Vasquez *1.2. disp. 60. cap. 2.* errans solùm tenetur non agere contra conscientiam erroneam, non autem tenetur quis eam positivè sequi; alioquin teneretur ad peccandum, quia sequi conscientiam erroneam, est peccatum. At sequela absurda est. Igitur tenetur conscientiam illam deponere. Ecce datur medium inter obligari ad non operandum contra conscientiam erroneam, & ad positivè eam sequendum; scilicet obligari ad eam deponendam.

Solvitur. Vasquez impugnatur. Resp. hæc speciosa quidem esse, sed falsa; nam ipse Vasquez expresse fatetur, quòd si quis ex conscientiâ erroneâ absolutè obligaretur ad non omittendum perjurium, eo ipso absolutè obligaretur ad pejerandum, quia non datur medium inter illa duo. Sed quia absolutè obligari ad pejerandum est patenter absurdum, ideò dicit illum solùm obligari ad non omittendum perjurium durante errore, illo enim errore perseverante, peccatum est non pejerare; verùm quia perjurium & potest & debet evitari alio modo absque peccato, scilicet deponendo errorem, ideò error solùm obligat, ne contra eum faciamus, non autem ut eum sequamur. Hæc ille. Verùm cùm quæstio præsens procedat in sensu composito erroris hîc & nunc imponentis obligationem, quæ dicta sunt, non satisfaciunt; nemo enim obligatur deponere conscientiam erroneam pro eo instanti, pro quo conscientia illa existit, quia hoc est impossibile. Ergo cùm conscientia pro eo instanti obliget ne contra eam faciamus, utique obligat ut eam positivè sequamur, quia inter hæc non datur medium. Immò idem formaliter est illi non contravenire, ac illam sequi positivè. Quod autem dicit inde sequi, hominem fore tunc obligatum ad peccandum, facilem habet solutionem. Homo enim, factâ illâ suppositione, jam per accidens obligatur ad ponendum actum, qui à priori malitiâ denominabitur peccatum, qui tamen nullam in se moralem malitiam intrinsecè includit; sed non obligatur ad ponendum actum intrinsecè malum. Hominem autem, factâ suppositione totius prioris malitiæ, obligari ad peccandum materialiter priori modo, non est absurdum; sed necessarium, quando aliter vitari non potest nova malitia, seu peccatum contra conscientiam, ut contingit in casu nostro. Atque ita expressè docet S. Th. *lect. p. in cap. 5. epistolæ ad Galatas* in ea verba, *debitor est universæ legis*, ubi docet conscientiam vincibilem obligare ad sui observationem, illamque doctrinam hausit ab illo loco Apostoli, qui ibi loquitur de ignorantiâ vincibili eorum, qui credebant legem servandam esse cum Evangelio; expressè autem dicit eos esse debitores legis implendæ; idest, eos stante errore obligari ad legem servandam, in quâ tamen servandâ peccabant ex ignorantiâ vincibili.

Conscientia erronea positivè obligat ad eam sectandam.

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima. 40. Objicies 1. Nonne prima assertio dicebat operantem ex conscientiâ erroneâ necessariò peccare? Quo modo ergo in hac secundâ dicimus, quod non peccet?

Solutio. Resp. quòd sequens dictamen conscientiæ errantis non peccet actu habente novam malitiam ratione sui imputabilem, quia actus, quem elicit, non est intrinsecè malus; nihilominùs peccat materialiter & denominativè, quia actus ille à suâ causâ denominatur malus. Hæc duo optimè cohærent.

 41. Obji-

Objectio secunda. 41. Objicies 2. esto vera sint omnia dicta in assertione, quando conscientia erronea obligat, falsa tamen est, quando conscientia erronea solùm permittit. v. g. potest quis credere, quod liceat pejerare ad salvandam vitam, licèt non judicet se debere pejerare. In hoc casu homo peccat, si pejeret, si autem non pejeret, non peccat. ergo operans ex errore vincibili non necessariò peccat, quidquid faciat. ergo falsa est assertio 1. quæ contrariũ affirmat. Deinde in hoc casu perjurium non denominatur peccatum à voluntate, per quam error contractus est, quia illa non est peccaminosa saltem contra virtutem religionis; sed nec aliunde denominari potest peccatum ab extrinseco; omne enim aliud extrinsecum impertinenter se habet ad hanc denominationem tribuendam. ergo perjurium illud est peccatum ratione sui propriè imputabile. ergo hæc etiam secunda assertio est falsa.

Responde-tur. Resp. non pejerantem in casu allato non peccare. Verùm hoc non contrariatur assertioni 1. absolutè dicenti, operantem ex conscientiâ erroneâ necessariò peccare, quidquid eligat; nam in hoc casu duo sunt judicia, quorum alterum est, alterum non est erroneum. erroneum est, quod dicit, *licitum est pejerare*; at quod dicit, *licitum est non pejerare*; non est erroneum sed verum. Pejerans ergo non necessariò peccat, quia potest sequi dictamen verum, absque eo quod agat contra ullum dictamen conscientiæ urgentis oppositum. Prima autem assertio loquitur de operante ex conscientiâ purè erroneâ, quando scilicet non habet aliud judicium directivum ad opus, quàm erroneum; quòd solùm evenit, dum intellectus proponit necessitatem & obligationem operandi; nam si proponat utramque partem contradictionis esse licitam, semper verum dicit quoad alterum ex objectis affirmatis; & tunc qui sequitur partem veram non operatur ex conscientiâ erroneâ.

42. Quod autem spectat ad præsentem assertionem, dico perjurium illud posse esse peccatum vel solius erroris vincibilis, vel simul & semel peccatum malitiæ, juxta dicta in terminorum explicatione; si sit peccatum etiam malitiæ, argumentum non impetit assertionem. Quòd si peccatum illud ponatur esse peccatum solius ignorantiæ, idest peccatum, quod directè regulatur solùm à judicio erroneo, id dupliciter contingere potest; primò ita ut temerè judicans se posse pejerare videat rationes, quibus judicium erroneum innititur, non sufficere, ut possit tutâ conscientiâ pejerare, donec veritatem diligentiùs investigaverit. Jam si stante tali judicio pejeret, peccat ex malitiâ, & non tantùm ex ignorantiâ, quia voluntas pejerandi regulatur non tantùm à judicio erroneo formidolosè proponente perjurium esse licitum, sed potissimè à judicio non erroneo dictante malum esse pejerare hîc & nunc, non obstante priore judicio leviter concepto. Secundò contingere potest, ut pejerans à nullo judicio regulетur nisi ab erroneo, aut alio super errorem reflexo. Jam hoc etiam dupliciter contingere potest, primò ita ut judicium dictans perjurium esse licitum, imperetur quasi practicè eo fine, ut per illud judicium voluntas proximè dirigatur ad operandum, quatenus cupit operari, & ideò elicit tale judicium ut excusationem habeat in opere, quod intendit facere, modò possit quomodocumque tandem absolutè credere illud esse licitum. 2. voluntas potest merè speculativè imperare tale judicium, non ex fine operandi, sed veritatem addiscendi. Si primo modo imperet judicium, eo ipso peccat, & opus consequens denominatur peccatum à malitiâ talis volitionis, quæ suam malitiam sumit à malo perjurii, quod prudenter potest timeri, quodque propter precipitem affectum operandi non sufficienter constat esse licitum. In hoc sensu argumentum

Casus objectionis distinguitur.

In primo casu perjurium esset peccatum malitiæ.

In secundo casu aliquando esset peccatum formale.

mentum procedit de subjecto non supponente, ut patet.

Sed aliquando non esset.

43. Quòd si tale judicium speculativè tantùm imperetur, tunc, sic judicans non peccat quidem contra virtutem religionis, precisè quia ita judicat, tamen homo sic dispositus per se loquendo non potest se ad opus accingere ex vi dicti judicii, nisi per aliquod aliud judicium reguletur; adeóque in hoc casu non admitto quòd possit peccare ex purâ ignorantiâ, nisi etiam peccatum malitiæ accedat. Sed petes quid fieret, si homo absque alterius dictaminis directione prodiret in opus. Resp. quod per accidens in hoc casu, naturaliter saltem impossibili, non peccaret contra virtutem religionis nisi merè materialiter, quia cùm nulla in eo esset malitia formalis cõtra illã virtutem, nil daretur, à quo opus formalem talis peccati denominationem acciperet. Ratio autem est, quia ille ponitur bonâ fide credere objectũ esse licitum. Deinde supponitur absque ullâ advertentiâ ad legem non pejerandi prosilire ad perjurium, quod inculpabiliter credidit esse licitum. Quid ergo mirum si formalem perjurii malitiam non contrahat: imò oppositum esset mirum; & impossibile, quia homo iste non aliter dispositus est, quàm si ignorantia illa fuisset invincibilis, quia illa hic & nunc verè est inculpabilis, & operans ex bonâ fide credens se benè facere, prorumpit in perjurium. ergo hic & nunc nihil est in voluntate, per quod illa magis turpetur, quàm si actio à solâ ignorantiâ invincibili processisset; nam ex vi suppositionis falsæ per accidens evenit, tam quod ignorantia illa sit hic & nunc inculpabilis, quàm quod opus ab illâ profectum inculpabiliter ab eâ procedat. Atque hæc dicta sufficiant ad argumentum quod ex hypothesi falsa procedit.

ASSERTIO TERTIA.

Vniversaliter loquendo ultimum conscientiæ dictamen est verum & evidens, etiam quando homo operatur ex merâ ignorantiâ vincibili.

Ultimum conscientiæ dictamen est evidenter verum, etiam in eo, qui peccat ex ignorantiâ vincibili.

44. Assertio hæc clarè sequitur ex dictis in assertione præcedente. Ponamus aliquem vincibiliter credere, se debere hîc & nunc pejerare ad vitam suam salvandam. In hoc casu, etsi judicium hoc directum sit falsum, uti supponimus, quia alioquin non esset erroneum, nihilominus judicum reflexum, seu ultimum conscientiæ dictamen ex universali principio synderesis reflexo, & cognitione supra judicium erroneum reflexâ deductum verum est & evidens. Nam posito illo judicio directo erroneo, intellectus statim format aut hunc, aut similem syllogismum. *Peccatum est ratione sui imputabile non sequi dictamen conscientiæ, quo quis absolutè credit se debere hîc & nunc aliquid facere; immò facere illud, non potest hîc & nunc esse peccatum imputabile ratione sui: sed ergo hîc & nunc credo me debere pejerare. ergo ni pejerem, formaliter pecco; & si pejerem, per hoc ratione sui nullam malitiam contraho.*

Syllogismus, quem peccans ex ignorantiâ vincibili format, exponitur.

Major hujus syllogismi est principium universale reflexum synderesis, & quoad primam partem est absolutè evidens, quoad secundam verò non solùm est verum, sed etiam saltem exercitè certum & evidens, si sermo sit de peccato quod est peccatum solius ignorantiæ vincibilis, non autem indivisim peccatum malitiæ, in quo tantùm sensu loquimur; clarum enim est, quod actus à judicio erroneo tantùm regulatus nullam possit ratione sui imputabilitatem habere, ut constat ex proximè dictis. Minor est cognitio experimentalis metaphysicè evidens. Conclusio cùm sit in forma, est actus evidens certificans conscientiam quod sic operando vitet peccatum ratione sui

 imputabile,

imputabile, quodque ponat actionem ratione sui sibi hic & nunc non imputabilem. Ecce quomodo ultimum conscientiæ dictamen semper est evidens. Hoc tamen ab initio non potuit universaliter tam clarè probari, quia cùm resolutio adæquata quæstionis dependeret à naturâ peccati ab ignorantiâ vincibili ortum trahentis, adæquata ejus probatio nonnisi hoc in loco commodè afferri poterat.

Volitio regulata ab errore vincibili conformis est voluntati divinæ per accidens obliganti, vel consulenti.

ASSERTIO QUARTA.

Voluntas conformis dictamini conscientiæ, etiam vincibiliter errantis, conformatur cum aliquâ Dei voluntate, saltem per accidens obligante, aut consulente, &c.

Probatio.

45. PRobatur ex dictis. Deus vult nos operari dependenter à dictamine conscientiæ. ergo conformitas operationis nostræ cum prævio dictamine necessariò placet Deo, ejusdemque difformitas cum eodem dictamine necessariò Deo displicet; eo ipso enim quòd Deus velit actus voluntatis regulari ab actibus intellectûs, non potest non velle, quin voluntas fugiat aut amplectatur id, quod intellectus omnibus pensatis per conscientiæ dictamen tamquam fugiendum aut amplectendum proponit. Itaque quoties dictamen conscientiæ, etiam errantis, dictat in particulari operationem aliquam esse à Deo præceptam, Deus, factâ suppositione hujus erroris, verè vult nos omittere actionem huic judicio repugnantem, & ponere actionem illi conformem. Porrò ultimum judicium conscientiæ, quod formatur ex principio synderesis reflexo cognoscit & affirmat hoc Dei placitum, ideóque numquam errat. Atque hinc confirmatur Assertio 2. scilicet quod opus à mero errore profectum non sit peccatum ratione sui imputabile. Ratio est, quia est conforme regulæ suæ proximæ; nempè dictamini conscientiæ seu rationis propriæ, cui Deus vult nostras operationes conformari. ergo non est peccatum ratione sui imputabile, ad hoc enim deberet difformari suæ regulæ proximæ. Ecce impossibile est, quòd voluntas conformetur conscientiæ etiam vincibiliter erranti, quin alicui voluntati divinæ, saltem per accidens obliganti vel consulenti, conformis evadat.

Conformitas operationis cum conscientiâ placet Deo, difformitas displicet.

QUÆSTIO DECIMA-OCTAVA.

Vtrùm in dubio tutior pars sit eligenda.

Quæstionis necessitas.

Quæstio hæc adversariorum asylum.

1. RE[C]IPIENTES usum probabilitatum in omnibus fermè confugiunt ad quæstionem hanc, tamquam ad principium certum, ex quo putant adversarios suos manifestè convinci, eò quòd si in dubiis tutior pars sit eligenda, illa etiam inter probabilia semper eligi debet, quia probabilitas non reddit rem certam, sed semper conjungitur cum dubio. Quocirca etiam quæstio hæc, utpotè adversariorum asylum, explicanda est.

Termi-

Terminorum Definitiones.

Quid sit ratio dubia. 2. Ratio tunc propriè dicitur dubia, quando quæstione aliquâ intellectui propositâ, intellectus neutri parti determinatè adhæret, sed omne judicium suspēsum tenet: hoc dubium tàm in speculativis, quàm in practicis rebus, cujuscumque tandem generis sint, locum habet. nos tamen sermonem restringimus ad quæstionem de conscientiâ dubiâ.

Conscientiam esse dubiam, quid sit? 3. Conscientia ergo propriè loquendo tunc dicitur dubia, quando quæstione propositâ de honestate alicujus actionis hîc & nunc ab aliquo exercendæ, aut de aliquâ re eò spectante, intellectus neutri parti adhæret ut veræ, nec de unâ potiùs, quam de alterâ parte contradictionis fert judicium, sed omne judicium circa quæstionis resolutionem suspensum tenet.

Dubium conscientiæ est triplex. 4. Porrò quantum attinet ad præsentem tractatum triplex dubium distingui solet; primum dubium est de honestate actionis aut omissionis hîc & nunc exercendæ à dubitante. Stante hoc dubio, conscientia dubitantis propriè dicitur dubia practicè. & hoc est dubium de honestate rei quoad substantiam.

Primum de substantiâ actionis.

Secundum est dubium juris. 5. Secundum dubium est, utrùm detur lex aliqua, aut jus præsuppositum ad malitiam, vel honestatem actionis hîc & nunc exercendæ, eò quòd ex talis juris notitiâ judicium de honestate actionis exercendæ aliquo modo dependet; hoc vocatur dubium juris. Tale est dubium utrùm irregularitas v. g. alicui actioni peculiari decreta sit in jure, nec ne.

Tertium est dubium facti. 6. Tertium dubium & est & dicitur dubium facti. Tunc autem propriè intervenit, quando intellectus dubitat de facto aliquo, aut certè de facti circumstantiâ, à cujus notitiâ judicium de honestate actionis hîc & nunc exercendæ aliquo modo dependet; sic qui dubitat, an aliquem occiderit, ideóque an irregularitatem contraxerit, dicitur habere dubium facti.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Quotiescumque dubium est de honestate actionis aut omissionis hîc & nunc ponendæ à dubitante, tutior pars ab illo est eligenda: si enim, stante dubio, faciat de quo dubitat, an sit malum, aut omittat de quo dubitat, an honestè omitti possit, indubitanter peccat. Numquã licet sectari partem minùs tutam in dubio de honestate actionis quoad se.

7. Hæc est communis omnium Theologorum assertio, qui eam ut certam tradunt. Rationes, quibus eam confirmāt, & multæ sunt, & validæ. Primò: qui in dubio sic constitutus operatur, peccandi periculo se evidenter exponit. Præterea vult & amat periculum peccandi. *Qui autem amat periculum, peribit in illo*, atque hinc ratio à priori sumitur, omnis operans in dubio parvi pendit legem Dei, quia absolutè vult rem, sive illa sit prohibita, sive non, cùm dubitet de utroque, at omnis neglectus, & contemptus Dei ac legis divinæ peccatum est, ut patet. 2. idem colligitur ex illo *ad Rom 14. 23. Quod non est ex fide peccatum est.* hoc est, quidquid non fit secundùm judicium, & dictamen conscientiæ peccatum est. At quod fit in dubio non procedit ex fide. ergo peccatum est. 3. de hoc dubio proprissimè intelligitur illa regula juris, *In dubiis tutior pars est eligenda*: quæ regula pluribus in locis traditur; *cap. ad audientiam, & cap. significasti de homicidio.* item *cap. Iuvenis de sponsalibus.* & alibi.

Probatio multiplex.

Operans in dubio contemnit Deum.

Paulus ad Rom. 14.

8. Itaque dubitanti de honestate actionis aut omissionis, nullum, quamdiu dubitat, superest remedium ad vitandum peccatum, nisi tutiorem eligat partem, & abstineat ab actione, de cujus honestate dubitat. Dixi, Post dubium prudenter depositum licet sectari partem minùs tutam.

quamdiu.

quamdiu dubitat quia si dubium prudenter deponatur, ita ut intellectus prudenter jam assentiatur uni parti, & credat illam esse licitam, voluntas operari potest pro libito, & non amplius tenetur tutiorem partem eligere. quomodo autem dubium deponi possit & debeat, dicam assert. 3.

9. Interim totam hanc doctrinam libet exemplo declarare. Dubitet quis utrùm teneatur proximum hîc & nunc fraternè corrigere; pars tutior est fraternâ admonitione proximum corrigere. omittere autem correptionem fraternam est pars minùs tuta. Qui taliter dubius omittit correptionem fraternam, nisi deponat dubium, indubitanter peccat. Quòd si dubium prudenter deponat, eò quòd eam correptionem hîc & nunc futuram esse prorsus inutilem prudenter existimet, non tenetur illum corripere; imò si prudenter judicet proximum eâ correptione deteriùs asperandum, tenetur de præsenti, correptionem omittere, ut est in confesso, & traditur in materiâ de charitate.

ASSERTIO SECUNDA.

Operans in dubio ideò solùm peccat quia contemnit legem certam certò cognitam. Assertio secunda.

Electio partis minùs tutæ, stante dubio, non ideò præcisè est peccaminosa, quia oritur à dubio, & opponitur legi dubiæ, tamquam contemptus illius, sed ideò, quia est contemptus legis certæ certò cognitæ.

Explicatur assertio.

10. EXplicatur assertio: ut operans in dubio peccet, debet contemnere legem certam, quæ proponitur per judicium certum & evidens, nempè per primum principium reflexum synderesis, quo unicuique evidenter innotescit regula illa juris naturalis, *In dubiis tutior pars est eligenda*, aut per aliud primum principium reflexum cum illo convertibile; quale est hoc; *non licet ponere id de quo dubitatur, quod sit malum.* Huic primo principio copulatur minor reflexa & experimentalis, quæ dicit, *ego hîc & nunc sum in dubio; ego hîc & nunc dubito an liceat hoc agere.* unde infertur ultimum conscientiæ dictamen evidens: *ergo hîc & nunc hæc pars, utpotè tutior, est eligenda. ergo hîc & nunc non licet ponere actionem hanc, de quâ dubito, quòd sit mala.* Ecce lex certa certò cognita proponitur, & ideò solùm peccat, qui sectatur partem minùs tutam in dubio, quia contemnit hanc legem.

Si voluntas merè dirigeretur per dubium, aliquando liceret operari in dubio.

11. Probatur assertio. Sæpè dubium est, utrùm aliquid sit peccatum leve, aut actus virtutis heroicæ; ut si pauper non habens hîc & nunc nisi aureum, illum alienet, ut quantum potest succurrat Ecclesiæ periclitanti à Turcis, aut ut puellæ periclitanti dotem compleat. Ponamus jam quòd pauper iste sit dubius, an se privare aureo sit leve peccatum prodigalitatis, an actus heroicus liberalitatis: nam si duo minuta à pauperculâ in Gazophilacium missa adeò laudata fuerint à Christo, ut illius liberalitatem omnium aliorum dona superasse certum sit, sanè meritò dubitare poterit ille pauper, utrùm talis eleëmosynæ largitio sit actus charitatis heroicus; verùm cùm actus heroicæ liberalitatis parùm distet ab infimo gradu prodigalitatis, dubitare etiam poterit, utrùm actus ille sit prodigalitas saltem leviter culpabilis. Jam in hoc casu tenetur tutiorem partem sequi, non aliunde, quàm quia operatur contra evidens dictamen conscientiæ proponentis legem certam, juxta proximè explicata. Fingamus enim hunc pauperem non attendere ad illud principium universale; *In dubiis tutior pars est eligenda*; aut ad aliud illi æquivalens, adeóque non deducere absolutum conscientiæ dictamen, sed manere dubium, certè non erit, cur censeatur peccare quia operatur in dubio. Neque enim imprudentiæ est actionem exercere, de quâ tanta est spes magni boni acquirendi, quantus est metus parvi

parvi & minimi mali incurrendi; imò videretur imprudentiæ esse eam omittere, quia imprudentis est non operari, quando actio in talibus circumstantiis versatur, ut ejus omissio fortasse conjungatur cum ingenti detrimento, positio autem ad summum, idque solùm fortasse connexum habeat parvum detrimentum. Sic in contractibus talem opportunitatem omittere stultitiæ est, non prudentiæ. ergo relatè ad ipsum operantem non est cur peccet, si in tali dubio operetur.

12. Sed neque est, cur peccet relatè ad Deum. Nam cùm sit in necessitate aut omittendi actionem, quæ fortè Deo placet quàm maximè, aut ponendi actionem, quæ fortè illi parum displicet, nec aliud proponatur, non est cur actio sumatur in partem deteriorem; aut cur tribuatur contemptui potiùs, quàm respectui & amori Dei. Certè in humanis res ita constituta videtur, ut si quis poneretur in necessitate ponendi aut omittendi actionem, de quâ operans dubitaret, utrùm lucrum ingens aut parvum detrimentum esset proximo allatura, nemo jurè irasci posset, quòd talis actio in dubio poneretur, quia illa meritò tribui non posset contemptui potiùs quàm respectui & amori sincero. Imò videretur potiùs contemnere amicum parvi pendendo magnam ejus complacentiam, quæ fortasse proveniet ab actione quàm omittit; quàm nimis magni faciendo ejus parvam displicentiam, quæ fortasse etiam connectetur cum actione, quam ponit. Certè tanti facienda est cujusque complacentia ad illam procurandam, quanti ejus displicentia ad eam evitandam; nec prudentis est à magnis obsequiis abstinere propter timorem parvæ displicentiæ. Idem dicendum est de Deo, cujus complacentia tanti facienda est ut obtineatur, quanti displicentia ne incurratur. ergo spes magnæ Dei complacentiæ timori parvæ ejusdem displicentiæ præferenda est. At operans in tali dubio, si aliis principiis non niteretur quàm ipso dubio, operaretur cum non minore spe magnæ complacentiæ, quàm sit metus parvæ displicentiæ Dei. ergo prudenter operaretur. Rursus si omitteret actionem illam, vitaret quidem opus, quod fortasse Deo leviter displiceret; sed simul omitteret actionem, quæ, si posita fuisset, fortasse Deo multùm placuisset. ergo nisi dirigatur aliâ cognitione quàm dubio, non est cur semper peccet, si non sectetur partem tutiorem.

13. Ex hoc particulari efficaciter probo, quod in omni dubio conscientia peccans regulari debeat ab aliâ cognitione certâ; Inprimis idem est modus operandi in omni dubio. Ergo si in uno dubio natura providit de regulâ evidenti & certâ, de eâdem providit in omni alio dubio, quia non est difficilior provisio pro uno quàm pro alio casu. Secundò à fortiori sic arguo: Dubium, etsi sit de parvâ Dei displicentiâ, & magnâ ejusdem complacentiâ, necessariò fundat evidens conscientiæ dictamen ex universali principio synderesis reflexo & ex minori exprimentali deductum, quamvis metus sit de parvâ Dei displicentiâ in comparatione magnæ complacentiæ. ergo à fortiori quando metus est aut de æquali, aut de majori displicentiâ quàm complacentiâ Dei, dubium illud necessariò fundat evidens conscientiæ dictamen ortum ex principiis jam dictis. Natura enim non minùs vigil est pro majori, quàm pro minori occasione & exigentiâ operandi; sed si pro minori occasione & opportunitate vigilat, à fortiori vigilat ad operandum pro majori opportunitate, atque ita apparet universalis necessitas dictaminis reflexi evidentis pro omni dubio.

Ratio allata extenditur, ad universalem probationem.

14. Probatur 2. Ut quis contemnat legem obligantem, lex debet existere; nàm lex non existens nec obligat, nec propriè contemnitur; & quamvis contemneretur,

Probatio secunda.

Nemo peccat quia contemnit legem non existentem, aut dubiam, sed quia contemnit legem existentem & certam.

per hoc nemo peccaret, nisi violaret legem existentem. At in casu posito lex non apparet ut certò existens, sed dubiè. ergo nulla lex existens certò violatur; ergo qui operatur in dubio non certò peccat. At peccat certissimè. ergo lex aliqua certò existens violatur. At sæpè lex dubia nec existit nec violatur. ergo nemo peccat, præcisè quia contemnit legem dubiam. Nec dicas quòd existat lex reflexa præcipiens, ne homo in dubio constitutus aliter operetur, quàm sectando partem tutiorem; hanc autem operans violat; nam contra: hæc lex ponitur nullatenus innotescere. ergo invincibiliter ignoratur. ergo non violatur formaliter. ergo nullum esset peccatum formale in operando cum solo dubio, si nulla lex certò innotesceret. Imò etsi lex, de quâ est dubium, verè existeret, adhuc non contemneretur formaliter ut existens & certò obligans; nam sicut lex non existens non obligat, ita lex certò non existens certò non obligat. At homini constituto in puro dubio nulla lex apparet ut certò existens. ergo nulla lex apparet ut certò obligans. ergo in hac hypothesi non est certum, quod operans in dubio peccet. At certum est, quòd peccet. ergo necesse est refugere ad dictamen conscientiæ reflexum & evidens jam assignatum, aut ad aliud illi æquivalens.

Probatio tertia.

15. Probatur 3. Si operans in dubio peccet, ideò peccat, quia exponit se periculo peccandi, *qui autem amat periculum, peribit in illo*, quia violat legem vetantem, ne se exponat periculo peccandi, at ut contraveniat huic legi, debet reflectere ad illud principium universale synderesis, *quod nemo debeat se exponere periculo peccandi*; atque ita cùm experimentaliter cognoscat se dubium esse, & peccandi periculo exponi, inferre debet se non debere hîc & nunc operari, nisi sectando partem tutiorem. Nam si hæc reflexio absit, impossibile est quòd lex vetans peccati periculum violetur; quia ignorantia totalis causat involuntarium, & excusat à peccato. ergo si dubitans de honestate actionis alicujus ponat illam, & ideò peccet, quia se exponit periculo peccandi, ideò est, quia habet de hoc ipso principio cognitionem reflexam certam & evidentem, & judicium, seu dictamen ultimum conscientiæ certum & evidens, contra quod operatur. Hoc autem est totum quod probare intendimus.

Peccans in dubio violat legem non operandi in dubio sibi certò notam.

16. Demum ratio à priori est, quia deliberata electio unius partis postulat determinatam judicium de honestate aut turpitudine illius, sicut enim simplex affectio voluntatis consequitur ad primam apprehensionem intellectûs independenter ab omni judicio, ita deliberata voluntas (utpotè quæ est intrinsecè voluntaria, & procedit à cognitione singulorum) postulat procedere à determinato judicio de honestate, & turpitudine sui objecti. At purum dubium non continet ejusmodi judicium. Ergo præter dubium opus est alio judicio ultimo regulante voluntatem. Illud autem aliud non est, quàm aliquod principium universale synderesis, quod aliter applicari non potest ad inferendam conclusionem particularem de operatione hîc & nunc licitè vel illicitè peragendâ, quàm per actum experimentalem de existentiâ objecti in intellectu, ut sæpè dictum. ergo in omni dubitante datur dictamen ultimum conscientiæ, per quod certa lex certò proponitur, quæ toties certò violatur, quoties homo in dubio dicto constitutus sectatur partem minùs tutam.

Ratio 4.

Ad liberè operandum requiritur absolutum judicium de honestate vel turpitudine.

Respondetur objectionibus.

17. Objicies. Quando dubium est, utrùm actio sit allatura parvam displicentiam aut magnam complacentiam alicui, illud dubium in humanis non obligat, nec

Objectio.

nec fundat illud principium universale synderesis, favens parti tutiori. Ergo nec in divinis. Probatur consequentia; ideò dubium in humanis non fundat principium universale reflexum evidens favens parti tutiori, quia principium reflexum proportionatur actibus directis, supra quos reflectunt; dubium autem illud directum tale est, ut actus voluntatis ab illo procedens interpretari mereatur in partem meliorem. ergo fundat principium reflexum, per quod de hoc ipso intellectus certificetur; & consequenter per quod voluntas regulari possit ad partem minùs tutam licitè eligendam. At dubium directum in divinis eodem modo se habet, quo in humanis. ergo & omne principium reflexum fundatum in dubio directo utrobique eodem modo se habet. ergo vel dubium directum se solo sufficienter obligat ad sectandam partem tutiorem; vel nullum principium reflexum in dubio directo fundatum, potest talem obligationem afferre.

Responsio. 18. Resp. Discursus iste de dubio directo & principio reflexo in humanis legitimus est; sed paritas inde ad Deum nulla est. Nam ideò dubium directum in humanis nullum fundat principium universale favens parti tutiori, quia homo indiget bonis ab alterius libertate pendentibus, sine quibus non potest esse fœlix. Atque hinc est, quòd si reflexè cogitemus de homine sic indigo, statim appareat voluntas ejus præsumpta, quâ non solùm contentus est, sed etiam cupit, ut actio ponatur in dubio, quando hinc spes est magni emolumenti, inde metus parvi tantum detrimenti: ex tali enim actione sæpiùs repetitâ, moraliter certum est quòd humana fœlicitas augēda sit; quodque bona quibus indiget homo, ut benè sit, magis augenda sint, quàm mala quibus fœlicitas humana solet impediri. At si reflexè cogitemus de Deo illumque comparemus cum actione ponendâ in dubio displicentiæ levis & magnæ complacentiæ, aliter si res habet; nam cùm Deus sit essentialiter beatus, ejusque beatitudo nec augeatur per nostros actus bonos, nec minuatur per malos, nemo potest prudenter præsumere Deum spe fœlicitatis adipiscendæ contentum esse, ut homo in dubio constitutus operetur pro libitu; immò lumine naturæ notum est oppositum, Deum scilicet nolle contemni, aut vel minimo periculo contemptus exponi, etiamsi ex alterâ parte aliqua spes affulgeat, quòd objectum ponendum ei multùm placeat. Deus enim, ideò præcisè quia Deus est, pluris facit contemptum minimum in ordine ad illum indispensabiliter prohibendum, quàm faciat maximum bonum possibile, ut obtineatur per contemptum levissimum, quia vult potiùs carere ingenti obsequio, quàm illud obtinere per minimam sui offensam; & ideò non licet vel minimum peccatum veniale committere, quamvis totus mundus, si patraretur, esset certissimè salvandus, & omnes certissimè damnandi si non patraretur. Nec mirum; Deus enim, ideò quia Deus est, nullâ de causâ contemni debet quamvis levissimè, omnisque ejus offensa ex infinitâ ipsius dignitate infinitatem quandam extrinsecam sumit, ratione cujus omnia bona possibilia, quæ in comparationem venire possunt cum peccato, sunt potiùs contemnenda, quàm vel minimum peccatum committi debeat. Nil simile in humanis, in quibus dubium non semper fundat principium universale reflexum favens parti tutiori, cùm tamen dubium relatè ad Deum evidentissimè fundet plura ejusmodi principia per se lumine naturæ notissima.

Sæpè in humanis licet operari in dubio.

Ratio hujus rei redditur.

Aliter evenit in dubio de offensâ Dei.

Disparitas inter dubium offensæ divinæ & humanæ.

ASSERTIO TERTIA.

Propositum sit ostendere modum, quo conscientia dubia deponi possit.

19. OMne dubium oritur vel ex rationabili, vel irrationabili causâ dubitandi.

tandi, ſi ex causâ irrationabiliter vexante conſcientiam, dubium eo ipſo contemnendum eſt & deponendum, perpensâ cauſæ inſufficientiâ. Dubium autem formaliter deponitur per judicium ipsum, quo quis judicat, ſe aut non debere ad cauſam imprudenter dubitandi attendere, aut poſſe hîc & nunc tutâ conſcientiâ operari pro libito, non obſtante irrationabili causâ dubitandi. Omnia enim iſtiuſmodi judicia excludunt illud ultimum dictamen conſcientiæ, quod neceſſariò ſequitur ex dubio non depoſito, quodque obligat omnes ad ſectandam partem tutiorem; adeóque tollunt eam obligationem. Porrò judicia hæc, quibus dubium prudenter deponitur, ſunt ultima conſcientiæ dictamina evidenter vera, quæ deducuntur ex aliquo principio univerſali ſynderesis reflexo & minori experimentali, quæ reflectit ſupra ſtatum objecti in animâ, v. g. concluſio hujus ſyllogiſmi. (*Quando cauſa dubitandi imprudenter & temerè concipitur, expedit operari pro libito, ne jugum divinæ legis evadat nimis grave, & ut ſalus noſtra ſperabilior evadat: ſed hîc & nunc cauſa dubitandi certò temerè concipitur. ergo expedit me operari hîc & nunc pro libitu meo*) eſt ultimum dictamen conſcientiæ, quo dubium formaliter deponitur in ordine ad praxim, & ad deonerandam conſcientiam; quæ per dictamen ſuperiùs explicatum practicè onerabatur ad ſectandam partem tutiorem.

Si dubium ſit irrationabile, eo ipſo contemni, & deponi debet, agnitâ ſemel dubii irrationabilitate.

Dubium rationabiliter deponitur per ultimum conſcientiæ dictamen certum & evidens.

20. Quod ſi dubium ex causâ rationabili conceptum fuerit, deponi non debet niſi alia cauſa rationabilis interveniat; quæ autem, & qualis debeat eſſe cauſa, ut judicetur & ſit ſufficiens ad rationabiliter contemnendum & deponendum dubium, an ſola probabilitas, an minor etiam probabilitas ſufficiat, colligi debet ex ſequentibus, quæ hîc nec poſſunt, nec debent determinari; cùm ſufficiat adnotâſſe eam cauſam ſufficere ad prudenter deponendum dubium, quæ eſt ſufficiens & tuta regula honeſtatis Theologicæ ad operandum, contempto dubio.

Plus requiritur ad deponen- dum dubium rationabiliter ad dubi ſum.

21. Supereſt quærere in particulari, quomodo & quando dubium prudenter deponi poſſet, tam in dubio juris quàm in dubio facti. Verùm quia res hæc longiſſimæ eſt diſputationis, ideò conſultius eſt eam omittere; tum quia paucis pro dignitate exponi non poteſt, tum quia hujus rei determinatio ad præſens inſtitutum non eſt neceſſaria. Hoc unum ſuppono, neminem unquam in dubio juris aut facti excuſari à peccato, ſi minùs tuta ſectetur, niſi prudenter dubium deponat; ſimulque noto, Theologos omnes & Canoniſtas unanimiter docere, quòd in dubio tam facti quàm juris pars minùs tuta ſæpè ſit licita, etſi nulla ſit certitudo directa de veritate rei dubiæ; nemo enim de hac re tractatum edidit, qui id expreſsè non tradat. Unde videas quàm immeritò Recentiores aliqui contendant, partem tutiorem in omni caſu eſſe ſectandam, ubi certum non eſt, nullam ne materialem quidem legis violationem in ſectandâ parte minùs tutâ contineri.



QUÆ-

QUÆSTIO DECIMA-NONA.

Vtrùm liceat sequi opinionem practicè probabilem minùs tutam, oppositâ tutiore, sed improbabili, relictâ.

Status Quæstionis.

Quæstio principalis quatuor quæstionibus comprehenditur.

1. 
QUATVOR fieri possunt cōparationes opinionis minùs tutæ cum oppositâ tutiore. Prima est, quando pars minùs tuta est probabilis, pars autem tutior non pertingit ad probabilitatem. Secunda, quando utraque pars est probabilis, sed pars minùs tuta est probabilior parte tutiore. Tertia, quando pars tutior & pars minùs tuta sunt æquè probabiles. Quarta, quando pars tutior est directè probabilior, sed pars minùs tuta etiam ipsa est directè probabilis. Hæ quatuor comparationes continent quidquid spectat ad intentum principale, quare de istis omnibus exactè agendum erit. In hac quæstione, quæ ad primam comparationem pertinent, sunt explicanda. Reliqua in sequentibus explicabuntur.

Terminorum Definitiones.

Quid sit esse tutius? quid minùs tutum?

2. PArs *contradictionis tutior* est, quæ, si ponatur, immunis est ab omni periculo peccati tam materialis quàm formalis, quia non contrariatur ulli legi vetanti ejus positionem. Sic non pingere in die festo est *pars tuta* vel *tutior*, quia omissio talis exercitii nullâtenus contrariatur ulli legi illud vetanti. E contrà, illa dicitur *pars minùs tuta*, de quâ potest esse aliqua ratio suspicandi, quòd, ab aliquâ lege divinâ prohibeatur. Sic pingere in die festo est *pars minùs tuta*, quia datur ratio formidandi, ne sit opus servile, & consequenter ne sit à Deo prohibitum.

Quænam sit opinio tutior, & minùs tuta?

3. Jam *opinio*, seu *sententia tutior* est, quæ proponit partem contradictionis tutiorem ut licitam; *sententia* verò, seu *opinio minùs tuta* est, quæ asserit partem contradictionis minùs tutam esse licitam. Et hactenus quidem explicavi quid sit esse tutius, ac minùs tutum quoad se; nam illud est *tutius quoad nos*, quod non apparet connexum cum ullo periculo peccati etiam materialis, etsi reverâ sit peccatum materiale. Sic qui ex errore invincibili putat se debere facere, quod est materialiter prohibitum, tutus est in suâ conscientiâ, & sequitur partem, quæ quoad illum tutior est, etsi pars opposita, quæ ipsi minùs tuta videtur, sit tutior quoad se, quia non est peccatum ne quidem materiale.

Opinio non ideò dicitur tutior, quòd opposita non sit tuta à peccato formali.

4. Jam quando Authores docent, unam opinionem esse aliâ tutiorem, id dupliciter potest intelligi. Primò, ut minùs tuta sumatur pro non tutâ, quæ ideò dicitur non tuta, quia non excludit peccatum formale; tuta verò eadem sit, ac quæ peccatum formale excludit. Secundò, ut minùs tuta sumatur pro eâ, quæ non excludit periculum remotum peccati, saltem materialis, tuta verò dicatur quæ omne ejusmodi periculum excludit; saltem in mente operantis. Hic opinio minùs tuta non sumitur in primo sensu, sed solùm in secundo: controvertitur enim, utrùm quod non est

tutum in secundo sensu, possit esse tutum in primo? Si possit, licitum erit sequi partem minùs tutam, secus id erit illicitum.

Quæstio præsens in quo versatur.

5. Porrò tam in hac, quàm in sequentibus comparationibus, tota difficultas est, utrùm directa probabilitas partis minùs tutæ fundet syllogismum certum & evidentem, cujus conclusio sit ultimum conscientiæ dictamen, quo operans certificatur, se hîc & nunc ab omni periculo peccati formalis esse immunem. Si hoc judicium consurgat, certum est, quod liceat sequi partem minùs tutam: Si hoc judicium non possit ex directâ probabilitate consurgere, non erit certum, quòd pars minùs tuta sit licita.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO UNICA.

Usus partis minùs tutæ probabiliter licitæ contra partem tutiorem improbabilem est licitus.

Licitum est sequi opinionem practicè probabilem minùsque tutam, relictâ opinione tutiore, quando opinio tutior non est probabilis.

Demonstratur 1.

6. Demonstratur assertio Tunc licet sequi opinionem aliquam, quando ex illâ prudenter admissâ, oritur dictamen practicum conscientiæ, certò aut evidenter dictans hoc hîc & nunc esse licitum. Sed istiusmodi opinio prudenter admitti potest, & ex eâ admissâ, necessariò consequitur ultimum dictamen practicum conscientiæ evidenter dictans objectum hoc hîc & nunc esse licitum. Ergo licet sequi talem opinionem etsi minùs tutam, relictâ tutiore. Major constat ex terminis, quia quotiescumque devenitur ad certitudinem aut evidentiam ultimi dictaminis practici evidenter admissi, & illud ostendit operationem hanc hîc & nunc esse licitam & conformem divinæ voluntati, manifestum est illud esse licitum. Probatur Minor: & quidem prima pars est evidens: omne enim judicium probabile prudenter admittitur, quando oppositum est planè improbabile, & citra imprudentiam admitti non potest, quod maximè verum est, quando admittendo tale judicium nullius jus læditur: Hoc autem totum evenit in casu nostro. Jam secunda pars ejusdem minoris hoc modo demonstratur. Admisso tali judicio, aliud judicium reflexum statim exoritur, quo status objecti in mente intuitivè cognoscitur; quod judicium reflexum est minor ex suâ naturâ applicans primum principium reflexum synderesis, & constituens syllogismum, ex quo sequitur conclusio certa & evidens, quòd hoc objectum hic & nunc sit licitum. Syllogismus autem qui formatur est istiusmodi. *Qui, omnibus consideratis, prudenter judicat aliquid esse omnibus licitum, imo non potest prudenter judicare quod sit illicitum, licitè potest illud ponere. Atqui ego hîc & nunc, omnibus consideratis, prudenter judico hoc omnibus licere, & non possum nisi imprudenter judicare oppositum. Ergo licet mihi hîc & nunc ponere hoc objectum.*

7. Syllogismus iste est in formâ, & præmissæ sunt evidentes. minor est cognitio evidens reflexa supra statum objecti in animâ, & ex suâ naturâ est applicativa majoris, quæ est primum principium reflexum synderesis, quod & ex terminis est evidens, & multis viis evidenter declaratum est *quæst. 13. num. 26. & seqq.* quæ hîc relegi oportet. Sed præter illa, idipsum confirmatur primò à paritate oppositi principii dicentis, illicitum esse hîc & nunc ponere, quod omnibus pensatis ita prudenter judicatur esse illicitum, ut oppositum prudenter judicari non possit: Non enim major est vis & evidentia unius quàm alterius ex primis principiis synderesis sibi contrariis: nam si ullibi, certè in materiâ conscientiæ & synderesis, locum habet celebre illud axioma, *oppositorum eadem est ratio.* Deinde sic arguo, stante judicio

Quidquid certo prudenter creditur omnibus licere licitum est sic judicantis.

judicio illo probabili, intellectus simul affirmare non potest, objectum illud esse hîc & nunc illicitum, alioquin simul haberet duo judicia contradictoria. ergo judicium illud excludit conscientiam peccati. At quod essentialiter repugnat cum conscientiâ peccati, & ex alterâ parte ostendit honestatem per judicium prudens absolutè propositam, evidentissimè sufficit ad honestatem & laudabilitatem operationis: ergo judicium illud probabile evidenter fundat honestatem operationis ab illâ propositæ. Ergo judicium, seu primum illud principium synderesis reflexum, hoc ipsum affirmans est evidens, & per se notum. Tertiò. Principium illud reflexum: *Non licet operari in dubio*: non est evidentius hoc alio: *Quod prudenter judicatur esse licitum, licitè poni potest*: imò si quis vellet propositiones has strictiùs examinare, longè majorem rationem inveniret dubitandi potius de primâ, quàm de secundâ, uti facilè colligi potest ex iis, quæ dicta sunt de conscientiâ dubiâ. At adversarii, & omnes alii ultrò fatentur, primam illam propositionem esse evidentem. Ergo à fortiori, secunda admitti debet tamquam evidens. Consequentia autem sequitur in formâ. Ergo evidens est talem operationem esse licitam: adeóque evidens est unumquemque posse licitè sequi opinionem probabilem, relictâ tutiore, sed improbabili.

Adversarii, etsi multùm affecti ad suam sententiam, non audent negare veritatem axiomatis allati.

8. Confirmatur, quia ipsi Adversarii non audent negare, quin licitum sit sequi quamvis opinionem, etsi minùs tutam, de cujus honestate prudens assensus formatur. Certè Julius Mercorus, qui longè doctiùs & conformiùs ad principia Theologiæ scripsit de hac re, quàm quivis alius Adversariorum, sæpè ultrò fatetur, unumquemque posse sequi quamvis opinionem probabilem, modò per absolutum judicium prudens, possit directè judicare illud licitum esse, & Deo placere. Hoc signum manifestum est, quòd major allati syllogismi sit adeò certa & evidens, ut ipsi adversarii, etsi affecti sint ad partem oppositam, illamque absolutè sectentur, ejus veritatem negare non possint.

Omnes Theologi, & ipse Philosophus judicàrunt hoc principium esse evidens.

9. Et sanè principium hoc & ab ipso Philosopho lumine naturæ fuisse evidenter notum, & ab antiquissimis Theologis pro tali agnitum dubitari non potest nisi ab eo, qui numquam legit antiquos, nec ad communem omnium Theologorum praxim animum advertit. Inprimis omnium mos est sæpè pro praxi probabiliter tantùm resolvere quæstionem in favorem partis minùs tutæ, contra alios probabiliter opinantes contrarium, quod certè non liceret, si is peccare posset, qui sequeretur dictamen conscientiæ probabiliter seu prudenter constitutum. Itaque omnes indubitanter censent taliter operantem esse à peccato immunem. Sed ut idipsum videas notum antiquis, lege Richardum *in 2. dist. 39. art. 2. qu. 1. ad 3.* ubi hæc habet. *Conscientia faciendi malum mala est, eo modo quo dicimus imprudentiam esse malam, quia inclinatio est ad malam electionem, & ex malitiâ voluntatis causata. Conscientia enim naturalis numquam mala est, sed illa, quæ acquisita est per malitiam voluntatis; malitia enim mutat dictamen intellectûs practici. Sicut enim dicit Philosophus 3. Eth. cap. 8. qualis unusquisque est, talis & finis videtur ei. Et 6. Eth. cap. 16.* (sed corrige & lege 5. *Eth. cap. 12.* in fine) *pervertit judicium malitia, & mentiri facit circa principia practica. Quare manifestum, quoniam impossibile est prudentem esse aliquem, quin sit bonus. Et secundùm hunc modum dicendum, quòd scientia practica mali faciendi est mala.* Hinc patet Philosophum pro comperto habuisse neminem posse peccare, qui sequitur dictamen conscientiæ prudenter constitutum. Similiter Richardus idipsum agnovit, & adjungit conscientiam numquam esse malam, seu malè constitutam, nisi per malitiam erret. Quód si conscientia sit prudenter constituta, illa

illa est ratio recta, & conscientia bona, ex quâ operatio procedens bona est. Hoc autem, & non aliud est, quod dicimus.

Demonstratur 2. 10. Demonstratur 2. tale dictamen directè elicitum est prudens, & reflexè cognoscitur esse certò prudens; immò oppositum judicium & est & cognoscitur esse imprudens. Ergo qui operatur juxta illud, prudenter agit. Ergo non peccat; quia omnis peccans imprudenter operatur. Immò qui merè metu peccati à tali operatione abstineret propter imprudentem tantùm apparentiam peccati materialis, eo ipso imprudenter ageret, quia regularetur ex metu imprudenti, ut patet ex suppositione.

Qui prudenter egit, in eo non peccat.

Demonstratur 3. 11. Demonstratur 3. ex naturali hominis conditione. Homo enim, cùm de paucis evidentiam habeat, vix umquam ad majorem certitudinem directam pertingere potest, quàm quæ oritur ex probabilitate unius partis cum alterius improbabilitate. Ergo ut quis humano modo prudenter operetur, sufficit si habeat probabilitatem de honestate operationis, cum improbabilitate oppositi. Et sanè cùm hæc inevidentia præcipuè locum habeat in rebus moralibus, quæ semper & ubique occurrunt, si directa certitudo requireretur, tota Respublica omnesque contractus languerent, neque quisquam absque peccato posset quidquam fermè agere. Hoc autem evidentissimè repugnat ordinationi, à Deo ad suavem & rectam creaturæ rationalis gubernationem statutæ. Ergo dicta probabilitas ad prudentem & minimè peccaminosam electionem sufficit.

Humana conditio postulat dictâ probabilitatē sufficere ad licitè operandū.

Demonstratur 4. ab absurdis. 12. Demonstratur 4. ab absurdis. Si hæc probabilitas non sufficeret, sed aut omnimoda certitudo habenda, aut pars tutior in omnibus sequenda esset; Deus esset author legis noxiæ, utpotè quæ secum ferret plura incommoda quàm commoda, quæque nobis imponeret onus verè intolerabile: Scrupulosus enim semper teneretur sequi partem tutiorem, quia qui maximè scrupulosus est, numquam potest se deteriùs habere, quàm si se habeat juxta sensum quæstionis propositæ, ut nempè vexetur à timore propter apparentiam improbabilem peccati latentis, contra rationem probabilem pro honestate actionis. Atqui si scrupulosus ad hoc obligaretur, nulla quieti via superesset; imò in manifestum peccati & damnationis periculum incideret: nam propter necessitatem semper in obscuris sequendi viam tutiorem, & propter rerum circumstantiarumque occurrentium multiplicitatem, & continuam earundem propositionem, moraliter loquendo, necessitaretur ad labendum aliquando; quia difficillimum est semper & in omnibus tutiorem partem eligere: Magna autem difficultas, frequentissimè obvia, affert secum moralem necessitatem sæpè succumbendi oneri, idest, peccandi mortaliter, propter occasiones innumeras easque semper obvias, ac apparentiam saltem improbabiliter dictantem hîc & nunc malitiam mortalem in hoc actu latitare. Ergo lex quâ Deus peccatorum diminutionem intenderet, eorum multiplicitatem, non modò foveret, sed moraliter loquendo necessariò inferret. Ergo esset lex noxia, quæ secum plura incommoda quàm commoda afferret, hominesque in moralem necessitatem sæpiùs peccandi mortaliter conjiceret. At Deus nec est, nec esse potest author talium legum. Ergo manifestum est, nullam esse legem nos obligantem ad sequendam in omnibus tutiorem opinionem: Nominatìm constat nullam ejusmodi legem astringere, quando pars minùs tuta est probabilis, & tutior est improbabilis.

13. Præterea, opinio contraria, si esset vera, conjiceret omnes in innumerabiles scrupulos & perplexitates, à quibus nullâ viâ liberari possent. Atqui sequelæ falsæ sunt & absurdissimæ; ergo &c. Probatur major.

Sententia rigida, si esset vera, omnes cōjiceret in scrupulos putidissimos.

Conjicerentur

Conjicerentur in scrupulos & perplexitates, quia formalis essentia scrupuli consistit in affingendâ ac timendâ obligatione propter motivum improbabile: tunc autem est scrupulus summus, quando eam obligationem fingit, non solùm propter motivum improbabile, sed eam adhuc ruminat & metuit in sensu composito cum motivo probabili suadente oppositum. Ergo ista sententia, ejusque praxis, est praxis scrupulorum, & obligatio practica conscientiæ ad sequendum in omnibus dictamen, seu potiùs stimulum conscientiæ scrupulosæ, quo nil dici aut cogitari potest absurdius. Rursus nulla via superesset liberandi eos à scrupulis: cum enim directa evidentia de objectorum honestate non habeatur, solùm possumus habere probabilitatem oppositam motivis improbabilibus. At hoc non sufficeret ad deponendum scrupulum; quia in tali casu unusquisque teneretur sequi partem tutiorem, etsi improbabilem, contra minùs tutam probabilem, ut constat ex hypothesi. Ergo totum absurdum ab initio propositum evidenter sequitur ex oppositâ sententiâ: quæ proinde evidenter convincitur falsitatis.

Namm scrupuli exponitur, & quisnam sit summus scrupulus ostenditur.

14. Quòd si recurras ad evidentiam reflexam pro liberandâ conscientiâ scrupulosâ, ad aliud certè principium evidens recurrere non potes, quàm quod primo loco proposui, aut aliud illi æquivalens; quia nullum aliud coalescere potest ad faciendum syllogismum cum minori evidenter reflectente supra statum objecti directè repræsentati in animo scrupulosi. Atque ita, dum vis defendere tuam opinionem, recurris ad principium, ex quo illa evidenter arguitur falsitatis.

15. Demum demonstratur assertio ex jure Canonico, in quo ejus veritas jam dudum definita est. Nam Innocentius III. *in cap. Inquisitioni tuæ 44. de sentent. excom.* expressè asserit, conjugem, qui non est certus de validitate sui matrimonii, posse non solùm reddere, sed etiam petere debitum conjugale, modò hæsitatio & dubium, quo vexatur, sit leve, temerarium & improbabile. Audi verba formalia. *In secundo distinguimus, utrùm habeat* (conjux) *conscientiam hujusmodi ex credulitate levi & temerariâ, an probabili & discretâ: Et quidem ad sui Pastoris consilium* (*conscientiâ levis & temerariæ credulitatis explosâ*) *licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum conjugale. &c.* Ecce, quamvis certum non sit, si tamen ita sit probabile matrimonium esse validum, ut contrarium sit solùm improbabile & temerarium, ex hoc ipso datur titulus sufficiens ad prudenter contemnendum dubium, & formandam conscientiam certam de honestate copulæ non solùm reddendæ, sed etiam postulandæ. Nos autem aliud hîc non asserimus, quàm quod jam dudum ab Innocentio III. hoc in casu definitum est. Et sanè eadem omninò ratio est de petendo debito, ac de quovis alio, de cujus inhonestate non est nisi suspicio temeraria & improbabilis; imò potior est ratio de multis aliis, quàm de honestate copulæ conjugalis, utpotè quæ de jure naturæ est illicita, nisi cum propriâ conjuge; Difficiliùs autem est honestare, quæ jure naturæ, quàm quæ solùm jure positivo sunt illicita. Et sanè cùm sæpè contingat matrimonium ex ignorantiâ invincibili impedimenti annullantis contractum, iniri, dubium esse non potest, quin postmodum oriri possit suspicio tantùm temeraria de nullitate contractûs, tam quando contractus est validus, quàm quando est nullus. Et tamen in utroque casu licitè petitur debitum conjugale. Hic solus Canon evidenter demonstrat contra Mercorum aliosque omnes, non requiri certitudinem directam de honestate operationis, sed solam probabilitatem sæpè sufficere, ut ea sit licita, quamvis reipsâ sit materialiter contra legem Dei.

Demonstratur 5. ex Canonibus.

Probabilitas dicta certò sufficit ad petendum debitum conjugale.

Regula allata valet in jure naturali. ergo à fortiori in jure positivo.

Petes, quid sit illa credulitas levis, & quid sit illam explodi?

Resp. levem credulitatem esse judicium, quo ob levia fundamenta intellectus aut absolutè credit aliquid esse, aut certè quo magis propendet, & quasi potiùs suspicatur quod sit, quàm quod non sit: Jam hæc credulitas eo ipso deponitur, quod intellectus attendens ad levitatem fundamenti contrarii, & ad probabilitatem sui motivi absoluto judicio existimat rem aliter se habere, quàm antea suspicabatur. Nec obstat, quod adhuc formidet aliquo modo (nam non potest non formidare tum ob debilitatem motivi fallibilis, tum ob contrarietatem argumentorum, etsi levium, in oppositum) quia hæc formido nec scrupulus est nec credulitas de contrario, quia intellectus per eam non plus inclinat ad partem de qua formidat, quàm ad oppositam; sed incomparabiliter minùs, imò intellectus contemnit ipsam formidinem, ut levi ac imprudenti nixam motivo. Sed de hisce plura dicenda sunt infra.

COROLLARIUM PRIMUM.

Non omne periculum peccati materialis inhonestat actionem, cui adhæret.

Non omne periculum peccati materialis, etiam cognitum, inducit obligationem vitandi actionem, quæ aliquo modo videtur esse, & fortasse est peccatum saltem materiale.

Demonstratur.

16. Demonstratur ex dictis: nam casus omnis, in quo assertio superiùs posita locum habet (qui tam respectu rudium, quàm scrupulosorum, aliorumque quamplurimorum est frequentissimus) talis est, ut actio illa, quantùm apparet operanti, fortasse prohibeatur; cùm enim non sit evidens, quòd non prohibeatur, & ex aliâ parte aliqua motiva appareant, quæ aliqualiter arguunt actionem illam esse prohibitam, non potest non apparere aliquod periculum, ne actio illa sit prohibita, seu ne sit peccatum materiale; evidens tamen est, actionem illam hîc & nunc esse licitam. Ergo evidens est, quòd non omne periculum, etiam cognitum, reperiendi in actione aliquâ peccatum materiale reddat illam illicitam.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Deus aliquando sibi complacet in electione peccati materialis aliquo modo cogniti.

Spectat ad providentiam divinam, aliquando saltem per accidens complacere sibi in electione objecti directè & per se prohibiti, seu in electione peccati materialis aliquo modo apparentis & cogniti.

Demonstratur.

17. Demonstratur ex proximè dictis. Deus complacet sibi in omni electione honestâ & prudenti; & sine dubio propriè spectat ad divinam Bonitatem & Providentiam in omni actione ejusmodi sibi complacere. Hæc propositio certa est & evidens. At non omne periculum peccati materialis inducit obligationem sectandi partem tutiorem; immò tale periculum non rarò licitè contemnitur, ut dictum est. In his autem casibus aliquando contingit objectum reverâ prohibitum poni, ut quando conjux petit debitum à non suâ, quæ tamen solùm improbabiliter apparet non sua. In his, similibusque casibus electio objecti reverâ prohibiti, seu peccati materialis aliquo modo apparentis & cogniti est honesta, ut demonstratum est. Ergo in illis spectat ad divinam Providentiam & Bonitatem sibi complacere in electione objecti verè prohibiti, seu in electione peccati materialis aliquo modo apparentis & cogniti. Quod erat demonstrandum.

Leges noxiæ Deo adscribendæ non sunt.

18. Ratio evidens à priori harum veritatum fundatur in eo principio, quòd leges noxiæ & stultæ Deo tribuendæ non sint. At lex universaliter prohibens omne peccatum materiale quomodocumque apparens, sicut & lex impediens complacentiam

Dei

Dei in quavis electione objecti quomodocumque apparentis prohibiti, esset noxia & stulta: Noxia quidem quia plura secum incōmoda ferret, quàm cōmoda, ut ostensum est; stulta verò, quia ipsa fini à se intento repugnaret: intēderet enim impedimentum peccati formalis, ideóque prohiberet vel umbram peccati materialis; per hoc autem conjiceret homines in necessitatem moralem labendi in plurima peccata formalia. Ergo lex illa ex naturâ rei afferret impedimentum finis à se intenti, & ipsa quæ essentialiter est medium conducens ad finem intentum, esset ejusdem manifestum impedimentum. Ergo esset lex stulta. Ergo leges istæ Deo adscribendæ non sunt. Ergo Deus aliquando complacet sibi in electione talis objecti. Aliquando, inquam, sed per accidens, quia cùm per accidens contingat, ita probabile esse homini, quod Deus non prohibeat objectum verè prohibitum, ut oppositum sit improbabile; cumque homo tandem gubernari debeat à propriâ ratione tamquam à regulâ proximâ, ideò per accidens contingit, quod Deus, consequenter ad istam dispositionem humani animi, complaceat sibi in electione objecti materialis reverâ materialiter & simpliciter prohibiti: quod verum est, licèt objectum illud aliquo modo operanti appareat prohibitum. Sed jam ex doctrinâ hujus assertionis ponendæ sunt regulæ ex quibus statim evidenter appareat, quando periculum peccati materialis certissimè non reddat operationem inhonestam.

REGVLA PRIMA.

Nulla est obligatio vitandi peccatum materiale, quando periculum peccati materialis est improbabile & imprudens; modò probabile sit nullum adesse peccatum, ne quidem materiale. Constat ex dictis.

REGVLA SECVNDA.

Quoties universalis obligatio vitandi peccatum materiale pro aliquâ circumstantiâ, affert necessitatem moralem longè frequentiùs peccandi formaliter in illâ circumstantiâ, quàm si nulla daretur ejusmodi obligatio, talis obligatio non datur.

19. Ratio est, quia lex illa esset evidenter noxia & stulta. Ergo evidens est nullam ejusmodi legem existere, cùm nulla ejusmodi existere possit, nisi Deo authore, quo tamen authore existere non potest.

Respondetur objectionibus.

20. Objicies primò. Omnis contemptus legis divinæ est peccatum. At qui sequitur opinionem minùs tutam, relictâ tutiore, etsi improbabili, contemnit legem Dei: eo ipso enim quòd eligat illud objectum, necessariò dicit, *non obstante hac lege apparente volo hoc objectum*: quod est formaliter contemnere dictam legem. Ergo semper est peccatum sequi opinionem probabilem minùs tutam, etsi tutior sit improbabilis. *Objectio prima*

Resp. neminem in casu assertionis contemnere legem Dei, nec dicere ut contendit objectio. *Volo hoc objectum, non obstante lege Dei apparente*; sed dicit, *nulla existit Dei lex hoc vetans, & ideò volo hoc objectum; non obstante apparentiâ imprudente, quam habeo de opposito; quam ideò contemno, quia imprudens est, cùm omninò judicem Deum non prohibere hoc objectum, nec possim, si prudens esse velim, aliter judicare.* Hoc autem non est contemnere legem Dei, ut patet. *Responsio prima.*

21. Deinde resp. quòd homini in illis circumstantiis operanti, reflexè certum sit & evidens, actionem illam singularem hic & nunc licitam esse, & nullâ lege Dei prohiberi. Proinde certum est, illam apparentiam divinæ offensæ nullam habere vim inducendi obligationem ad abstinendum hîc & nunc ab opere. Unde iterum evidens est, hominem illum nullam legem Dei contemnere, cùm evidenter sciat nullam dari legem prohibentem, ne opus illud fiat in his circumstan- *Responsio secunda.* *Qui sequitur opinionem minùs tutam nullam Dei legem contemnit.*

circumstantiis, etsi fortassè detur lex prohibens illud idem opus materiale in aliis circumstantiis. Verùm operans non contemnit hanc legem, quia non operatur in circumstantiis illis, sed in aliis, ut patet.

Objectio secunda. 22. Ob. 2 Etsi apparentia legis prohibentis aliquid sit improbabilis, adhuc tamē aliquod adest periculum, ne actio illa sit transgressio. Ergo opus illud omittendum est; quia sponte se injicere in periculum peccati est peccatum.

Responsio. Resp. quòd hîc & nunc in hac operatione nullum sit periculum ullius offensæ formalis; cùm per ultimum conscientiæ dictamen, à quo voluntas regulatur, evidens sit actionem hanc hîc & nunc esse licitam, juxta dicta in primâ demonstratione assertionis positæ. Non tamen nego quin sit periculum aliquod, sed inverisimile, peccati materialis; Verùm hoc periculum; utpote omninò improbabile, non arguit peccatum esse, se in illud conjicere, quando simul evidens est, nullum esse locum peccato formali, ut constat ex dictis.

Formido peccati numquam est de eo, quod homo prudenter judicat licere. 23. Quæres, quænam sint illæ circumstantiæ diversæ, pro quibus operans certus est se non peccare, & pro quibus dubitat an opus materiale, quod ponit, esset peccatum? Resp. per exemplum. Timeat aliquis, sed improbabiliter, ne habeat impedimentum irritans matrimonium contractum; sed ille ex Pastoris sui consilio explodat hunc timorem, & formet conscientiam certò prudentem, quòd non obstante tali timore omnibus liceat debitum exigere. Ex hoc judicio surgit aliud judicium reflexum certificans illum, quòd nullam Dei legem transgrediatur, etsi fortassè accedat ad non suam, quia Deus non prohibet petere debitum à non suâ, quando illa ita prudenter creditur sua, ut oppositum sit improbabile, & ut tale contemnitur. Jam timor transgressionis non est pro istis circumstantiis, sed pro aliis, timet enim ne, si veritas constaret, eo ipso sciret hanc fœminam non esse suam uxorem, adeóque certò sciret sibi illicitum fore ad eam accedere. De his & similibus dubitat, verùm non contemnit legem prohibentem accessum pro talibus circumstantiis, quia non versatur in illis. Itaque certum est, sic operantem nullam Dei legem contemnere, nec timere, ne operatio sua sit transgressio ullius legis. Jam timere ne opus sit peccatum materiale, nil aliud est quàm timere, ne, si veritas sciretur, constaret hanc fœminam non esse suam; quod non est timere ullam dari transgressionem in opere, quod ponit in hisce circumstantiis, ut patet. Idem dicendum in omni alio casu ejusmodi, quia in simili casu numquam est periculum trangrediendi ullam legem Dei.

24. Objicies 3. ex Francisco Bonæ-spei *in Apologemate retorto*, multis in locis. Non licet sequi ullam opinionem probabilem præcisè, ne quidem probabiliorem, aut unicè probabilem, quia omnis opinio practicè probabilis admittit formidinem divinæ offensæ, quia dicit, *fortè hoc licet, fortè non licet.* At qui taliter dispositus operatur, exponit se periculo, & non curat, si Deum offendat; ideóque Deum parvi facit, illumque contemnit, ergo peccat. Præterea omnis ejusmodi opinio, etsi absolutè affirmet opus licere, tamen expressè dicit; *fortè non licet*, in hoc enim consistit actualis formido opinionis probabilis. At qui operatur cum tali formidine, periculo se exponit, Dei offensam non curat, & peccat. Ergo non licet sequi opinionem probabilem præcisè. Itaque ut quis tuto operetur, debet præter opinionem probabilem habere aliud principium moraliter illum certificans de honestate operis. Objectio 3. ex Francisco Bonæ-spei.

Porrò principium, ex quo intellectus consurgit ad moralem certitudinem, hic Author desumit ab ignorantiâ invincibili, quæ annectitur opinioni probabili, quando Opinio Bonæ-spei explicatur.

quis

quis post debitam diligentiam invincibiliter judicat, se invincibiliter ignorare veritatem. Audi verba ejus. *dub. 7. num. 319. Ignorantiam invincibilem accipimus formaliter, & physicè pro judicio, quo ex ignorantiâ invincibili, non voluntariâ, invincibiliter judicamus nos ignorare invincibiliter veritatem non esse in eo, quod sequimur, aut agimus; ideóque ita certificante opinionem, ut sequendo, invincibiliter erretur, si erretur: sive ita excludere ab istâ opinione formidinem actualem de opposito, ut moraliter certò judicetur verum esse, quod sequimur, aut agimus; nec aliter unquam ignorantiam invincibilem accipimus, dum docemus illam excusare à peccato. Illud autem judicium potest dividi in verum & falsum; sic ut illud dicatur verum, quod ex istâ ignorantiâ judicatur invincibiliter esse, quod reipsâ est: falsum verò, quod ex eâdem ignorantiâ judicatur invincibiliter esse, quod reipsâ non est.* Hactenus ille, cujus verba satis obscura sunt, & difficilem valdè intellectum habent. Volui autem ea transcribere, ut quivis judicet, an malè, vel benè impugnem ejus sententiam, quam, uti jacet, approbare non possum.

Argumentum urgetur.

25. Cæterùm quidquid ille sibi velit, ego consequenter ad ejus objectionem, sic arguo contra assertionem positam. Opinio probabilis non est sufficiens directio formalis, seu non est ultimum conscientiæ judicium, quo voluntas dirigitur, dum operatur honestè; quia omnis opinio admittit formidinem de opposito. ergo qui illo judicio non dirigitur, non est certus se benè operari. ergo committit se periculo peccandi. ergo peccat. Hinc autem sic pergo. Opinio non est sufficiens regula formalis honestæ operationis: ergo non est sufficiens regula objectiva, ex quâ reflexè cognitâ intellectus possit certificari de honestate suæ operationis. Probatur consequentia, quia opinio illa dicit, *objectum est honestum, sed fortè est inhonestum*, at intellectus reflectens super hanc expressionem, ex vi illius certificari non potest, quòd actus ille verum dicat: ergo idem semper manet periculum post reflexionem, quod erat antè. ergo si antè non erat licitum ponere illud objectum, nec posteà id erit licitum. ergo inane est, quod diximus de veritate illius principii reflexi, ex quo prætendimus demonstrare, quomodo intellectus consurgat ad certitudinem de honestate suæ operationis.

Solùm judicium probabile non sufficienter dirigit actum honestum.

Responsio.

26. Resp. Franciscum Bonæ-spei benè advertisse, quòd sola opinio probabilis, maximè si sit actu formidolosa, non sufficiat ad dirigendam honestam operationem, quia opus est, ut intellectus sit certus, operationem non esse peccaminosam. sed errat in eo, quòd putet nullam opinionem probabilem præcisè ex vi suæ probabilitatis sufficere ad fundandam hanc certitudinem, si reflexè cognoscatur, & adjungatur communibus & obviis principiis reflexis synderesis. Itaque quod concluditur à Bonæ-spei in primâ parte objectionis, admitto ut verum. sed adverto quòd ille non ritè exprimat naturam judicii probabilis; nullum enim judicium, absolutè affirmans veritatem unius & falsitatem alterius partis contradictionis, quantumvis actu formidolosum, dicit *fortè hoc est ita, fortè non est ita.* hæc enim expressio æqualiter se habet ad utramque partem. Judicium autem absolutum non æqualiter se habet ad partem utramque, sed approbat unam ut absolutè veram, & alteram ut absolutè falsam repellit. Similiter judicium absolutum actu formidolosum non ita tendit in suum objectum, ut dicat tam crudè, *hoc est ita, fortasse tamen non est ita*, nam quamvis actualis formido hoc modo communiter explicetur, non tamen sufficienter exponitur hoc modo. Judicium ergo formidolosum uni parti alligatum ita repræsentat veritatem partis, quam affirmat, non esse necessariam, sed oppositum posse locum habere, ut tamen ex

Bonæ-spei non benè exprimit naturam opinionis formidolosæ.

Natura judicii formidolosi explicatur.

proprio modo tendendi actu contemnat illam apparentiam, eamque ut absolutè falsam repellat. In hoc consistit tota natura & essentia judicii actu formidolosi, quam congruum fuit explicare pro solutione difficultatis præsentis, ut mox apparebit.

Ignorantia invincibilis juncta opinioni probabili excusat operantem.

27. Similiter admitto Bonæ-spei, quod ignorantia invincibilis juncta opinioni probabili, sit unum ex prædicatis, ex quibus intellectus consurgit ad certitudinem de honestate suæ operationis. Verùm præter illud, alia plura habentur, ex quibus eadem certitudo consurgit, ut constabit ex sequentibus. Cæterùm loquendo de ignorantiâ invincibili, illa imbibita est in ipso judicio certò probabili, nam qui elicit judicium certò probabile, non potest ideò præcisè reprehendi, quòd ita judicaverit. Ergo si erret, eo ipso irreprehensibiliter & invincibiliter errat. Itaque ignorantia & error invincibilis per se connectitur cum omni judicio probabili, de quo loquimur; sed de hoc fusè infrà suo loco. Jam modus, quo Bonæ-spei explicat ignorantiam invincibilem, nullâtenus placet; nam inprimis duplicem postulat invincibilitatem, alteram ex parte actûs, alteram ex parte objecti; quia vult invincibiliter elici judicium, quo credamus, nos, si erremus, invincibiliter ignorare veritatem. Jam invincibilitas affirmata ex parte objecti nil facit ad quæstionem præsentem, quia illa, non minùs quàm quodvis aliud objectum, affirmari potest tam vincibiliter, quàm invincibiliter. Si affirmetur vincibiliter, non excusat, quia ignorantia vincibilis neminem liberat. ergo ut excuset, debet invincibiliter affirmari. Ergo tota invincibilitas excusans se tenet ex parte actûs affirmantis objectum, non ex parte objecti affirmati per actum fallibilem, & formidolosum, qualis est actus, de quo loquitur Bonæ-spei, qui admittit actum illum esse posse verum vel falsum; quo posito, sic arguo.

Invincibilitas judicii erronei non se tenet ex parte objecti affirmati, sed actûs affirmantis.

Judicium de ignorantiâ invincibili ut excuset, debet esse certum.

28. Judicium illud est fallibile, non minùs quàm quodvis judicium probabile. ergo illud judicium non est minùs formidolosum, quàm quodvis, saltem quàm aliquod judicium probabile. ergo dicit *fortè non ignoro invincibiliter*: sicut judicium probabile dicit, *fortè objectum non est ita.* ergo si non licet sequi judicium probabile præcisè, neque licet sequi hoc judicium fallibile, quod utique non est nisi probabile, sed opus erit novo judicio certo & infallibili. Præterea peto, unde hoc judicium fallibile habeat suam invincibilitatem? nam fatetur Bonæ-spei, immò supponit illud esse invincibile. Non aliunde certè quàm ex probabili apparentiâ, in quâ fundatur. ergo probabilis apparentia præcisè fundat invincibilitatem, ergo omne judicium probabile præcisè quà tale, si erret, invincibiliter errat, & continet ignorantiam invincibilem. Ecce in quales angustias reducitur hic Author ex propriâ suâ explicatione. cogitur enim asserere, quod omni nisu falsum esse contendit.

Judicium de errore invincibili non excludit formidinem ab actu erroneo.

29. Præterea peto iterum, quomodo istud judicium fallibile possit excludere formidinem ab opinione probabili priùs conceptâ? Hoc sanè est impossibile, si opinio illa existat, quia est essentialiter formidolosa, ut ipse supponit. ergo debet destruere illam opinionem ergo per illam non erramus amplius invincibiliter, quia non est. Præterea objectum affirmatum per hoc judicium secundum, fallibiliter & formidolosè affirmatur. quomodo ergo excludit formidinem ab objecto anteà opinativè credito? Demum objectum hujus secundi actûs diversum est ab objecto opinionis præhabitæ, neque affert ullum argumentum novum, ad existimandum objectum illud esse verum, si sumatur in totâ suâ latitudine. v. g. Probabile est quòd omnibus liceat pingere in die festo, quia probabile est quod non sit opus servile. Hoc objectum

jectum non potest certiùs affirmari, ex eo quod ego per judicium reflexum judicem, me invincibiliter ignorare hanc veritatem, & invincibiliter errare, si errem; sive enim errem, sive non errem, ex hoc non confirmatur hæc veritas: *Pingere non est opus servile:* Aut hæc. *Deus nemini interdixit pingere in die festo.* Itaque objectum per actum opinativum affirmatum non evadit certum, aut expers formidinis per adjunctionem judicii à Bonæ-spei expressi. ergo tota difficultas manet intacta juxta ejus explicationem, neque apparet, quomodo intellectus possit certificari de honestate operationis hic & nunc ponendæ.

Ostenditur modus quo ex ignorantiâ invincibili connexâ in opinione probabili operans certificetur de honestate suæ operationis.

30. Aliter ergo rem explico. Ignorantia invincibilis necessariò connectitur cum omni opinione practicè probabili, modò illa absolutè credatur vera, uti dicetur uberiùs *quæst. 23.* Jam eo ipso quòd certò constet judicium illud esse probabile, non fallibiliter, sed certò constat judicantem invincibiliter ignorare & errare, si erret. Hoc tamen judicium non tollit formidinem ab opinione, cui superadditur, si illa accipiatur tam secundùm objectum, quàm circumstantias quas respicit, ut satis ex se patet, & constat ex ratione & exemplo allato. Nihilominus fundat novum discursum, quo pars objecti, priùs probabiliter affirmati, nunc certò affirmatur relatè ad circumstantias diversas. Nam prius judicium affirmabat *nullum pingere esse opus servile, nec à Deo cuiquam prohiberi præcisè ex vi operis ipsius.* At secundum judicium certificans operantem, solùm affirmat *hoc pingere hic & nunc non esse ipsi prohibitum, etsi fortassè secundùm se sit opus servile, & à Deo ex hoc titulo prohibeatur saltem aliquibus.* Modus autem quo intellectus format hunc discursum est iste. *Qui constanter resolvitur nil facere, quod scit aut dubitat esse contra legem Dei; & ne Deum offendat, diligenter & debitè quærit, an, quod aggreditur, liceat nec ne; iste non peccat, si faciat quod post debitum examen certò prudenter credit esse omnibus universaliter licitum, quamvis maneat aliqua formido oppositi, modò illud certò prudenter repellat & contemnat ut absolutè falsum; quia si erret, invincibiliter errat, & illa ignorantia invincibilis est causa talis operis. Sed ego constanter resolvor nil agere, quod scio aut dubito esse contra legem Dei, & ne Deum offendam, diligenter & debitè quæsivi, an omnibus universaliter liceat pingere in die festo; & post debitum examen certò prudenter credo hoc omnibus licere, & nemini ratione servilitatis esse prohibitum, & quidquid apparet in contrarium certò prudenter à me repellitur & contemnitur ut falsum. ergo hîc & nunc mihi licet pingere in die festo, quia si erro, invincibiliter erro, & ignorantia invincibilis est causa operis, quod facio.* Major est moraliter certa, imò absolutè evidens, quia quod fit ex ignorantiâ invincibili imputari non potest ad peccatum imputabile ratione sui; tale autem est hoc opus hîc & nunc. Minor est evidens. Conclusio legitimè deducitur, ideóque & illa ad minimum est moraliter certa. Sed de hoc argumento plura dicentur inferiùs.

31. Dixi operantem *debere certò judicare se invincibiliter ignorare malitiam operis, quod aggreditur*, quia sicut si non sit certus de probabilitate sui judicii, non potest ex vi probabilitatis consurgere ad certitudinem de honestate suæ operationis, ita nisi certus sit de invincibilitate suæ ignorantiæ, non potest ex vi illius assurgere ad certitudinem quòd per illam excusetur. Unde miror Bonæ-spei excidisse dicere, actum, quo operans sic judicat, esse fallibilem, & sæpè falsum. Si enim fallibilis est, ergo fortassè ignorantia est vincibilis. ergo fortassè peccat, quia vincibilis ignorantia neminem excusat. ergo sic operans titulo ignorantiæ non est securus. Nullam ergo Bonæ spei in taliter operante inveniet certitudinem, si sua principia fixa manere velit. Bonæ-spei inconsequentiæ arguitur.

32. Cæterùm ut respondeam, fateor opinionem

Solvitur objectio initio proposita.

nionem probabilem formidolosam non esse directionem formalem sufficientem ad honestè operandum; illa tamen cum dictâ dispositione animi, & diligentiâ præmissâ, ubi præmittenda est, est sufficiens regula objectiva; quia fundat minorem, quæ essentialiter est minor primi principii reflexi synderesis, cum quo format præmissas certas, ex quibus infertur conclusio certificans operantem de honestate suæ operationis. Nec obstat, quòd opinio explicitè aut implicitè dicat, *hoc est omnibus licitum, sed fortasse non est universaliter licitum*, tum quia motivum ita formidandi certò prudenter repellitur ut absolutè falsum, tum quia intellectus non solùm reflectit super illam expressionem suæ opinionis, sed multò magis super qualitatem ipsius actûs, scilicet quod sit judicium certò prudens, quodque prudenter contemnat ut falsum, quidquid affertur in oppositum, quod est objectum, in quod actus opinativus non fertur, sed aliud longè diversum. Et sanè hæc reflexio non immutat opinionem priùs habitam, nec ab illâ ullam expellit formidinem; illa enim tam ante, quàm post hanc reflexionem manet immutata, eodemque semper modo fertur in suum objectum, & in circumstantias, sub quibus illud respicit, ideóque eodem modo formidat, & contemnit motivum formidandi, sive hic actus reflexus subsequatur sive non. Nihilominus post reflexionem consurgit novus discursus, quo certò constat, quòd pingere in hisce circumstantiis, (quarum una est qualitas conscientiæ certò probabiliter dictantis nemini propter servilitatem prohibitum esse pingere) hic & nunc sic disposito sit licitum.

Modus quo possessor bonæ fidei sit certus licitè retinere rem probabiliter non suam.

33. Rem exemplo declaro. Probabile est Petro possessori equum esse suum; sed probabile etiam est, quòd spectet ad Paulum. Si Petrus non habeat nisi judicium probabile formidolosum, quo dicat, *licet mihi retinere equum quia est meus, quamvis fortassis non sit meus sed Pauli*, ille non sufficienter disponitur ad honestè retinendum equum, quia formidat an committat furtum, tenendo rem alienam, invito Domino. cæterùm si ex alio principio discurrat hoc modo. *Possessor bonæ fidei post debitam diligentiam absolutè & prudenter credens equum possessum ad se pertinere, & prudenter contemnens ut falsum, quidquid arguit, quòd ad Paulum pertineat, Possessor*, inquam, *sic dispositus præfertur omnibus aliis, & licitè sibi retinet equum. At ego sum talis possessor. ergo hic & nunc licitè retineo equum, etsi fortaßè erraverim in priori judicio, & si veritas ipsa certò constaret, ille ad me non spectaret sed ad Petrum.* Hic discursus non immutat opinionem probabilem priùs formatam, nec ab eâ excludit ullam formidinem, sed eam relinquit intactam ut patet, nihilominùs dicta reflexio, adjuncta principio synderesis assignato, infert conclusionem absolutè certificantem possessorem de honestate retentionis equi, licet formido semper maneat, quòd ille ad Paulum, non ad se pertineat. Conjiciat jam unusquisque oculos ad principium à nobis assignatum, & ad modum quo intellectus ex eo format novam consultationem, & videbit quod eodem modo, sicut possessor bonæ fidei, semper consurgat ad certitudinem de honestate suæ operationis, etsi semper formidet, an pingere v. g. sit opus servile, & consequenter ratione servilitatis mereatur à Deo prohiberi, & fortassis sciretur absolutè prohiberi, si veritas ipsa certò innotesceret.

QUÆ-

QUÆSTIO VIGESIMA.

Vtrùm liceat sequi opinionem minùs tutam, sed probabiliorem, relictâ tutiore probabili?

Status Quæstionis.

In quid resolvatur præsens quæstio.

1. HÆc est secunda comparatio, utrùm scilicet licitum sit sequi partem minùs tutam, quando certò constat illam esse probabiliorem oppositâ tutiore; quæ tamen & ipsa est probabilis. Quæstio hæc in hoc resolvitur, utrùm major probabilitas partis minùs tutæ, non obstante minore probabilitate partis tutioris, fundet syllogismum saltem reflexum, cujus conclusio sit judicium certificans intellectum, quòd hîc & nunc hoc objectum sit licitum, Deoque placeat, nec involvat ullum periculum peccati formalis. Si major hæc probabilitas fundet talem syllogismum, certum est quòd excuset; si autem non fundet illum, aut non excusabit, aut certum non erit, quòd excuset à peccato.

Omnes fermè tenent licitum esse sequi opinionem probabiliorem.

2. Jam quantum spectat ad authoritatem, pars affirmativa non solùm est longè probabilior parte negativâ; sed humano modo est moraliter certa. Nemo enim est apud Theologos tam Antiquos, quàm Modernos, præter unum aut alterum, eosque recentissimos, nec tanti nominis, qui aut expressè non asserat, aut evidenter non supponat partem affirmativam citra omnem controversiam esse licitam. Hoc evidentissimè constabit ex Authoritatibus, quas infrà *quæst. 22.* adferam, in quem locum citationes Authorum ideò distuli, ut omnes simul legentium oculis conspiciendæ proponerentur; sic enim veritas, & probabilitas nostræ sententiæ faciliùs conspicietur. Quocirca quæstio hæc, sicut & quæ sequitur solis rationibus hoc loco determinanda erit.

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO UNICA.

Licet sequi opinionem probabiliorem etsi minùs tutam.

Licitum est sequi opinionem minùs tutam, modò sit certò practicè probabilior parte tutiore; licèt & illa sit certò probabilis.

Demonstratur 1.

3. DEmonstratur primò hoc modo: voluntas prudenter imperat intellectui assensum erga opinionem probabiliorem, relictâ opinione minùs probabili. Stante autem hoc assensu consurgit syllogismus demonstrativus, cujus conclusio evidenter ostendit, quòd hîc & nunc liceat sequi opinionem probabiliorem, relictâ tutiore minùs probabili. ergo evidens est id esse licitum. Major fusè demonstrata est *quæst. 7.* Consequentia est in formâ, minor demonstratur in hunc modum. Hoc principium universale reflexum synderesis, *licet voluntati hîc & nunc eligere, quidquid intellectus, omnibus consideratis, certò prudentiùs existimat esse omnibus licitum, quàm possit judicare esse illicitum*, est evidens, ut ex se patet, & abundè colligitur ex dictis *quæst. 13. num. 26. & quæst. 19. num. 7.* totus enim discursus ibi positus evidenter valet de opi-

Licet quidquid prudenter creditur honestum.

nione

art. 3. jam citati, quàm etiam *art. 4. ad 2.* Ecce propositio hæc est S. Thomæ. Præterea propositio ista est evidens ex terminis, quia operatio, de qua loquitur, est conformis suæ regulæ proximæ, id est honestati propositæ & absolutè ac prudenter creditæ. ergo est honesta: Hinc subsumo, sed qui sequitur judicium probabilius, facit quod absolutè putat esse licitum; & non peccat eliciendo tale judicium; quia omnibus pensatis, prudentiùs agit ita judicando, quàm credendo oppositum. Ergo qui sequitur judicium nixum motivo probabiliori non peccat; quamvis pars opposita tutior sit probabilis.

Conscientia operantis prudenter constituta est regula moralitatis.

Probatio quinta.

7. Quinto, paulò aliter propono idem argumentum sic. Quod prudenter & sine temeritate creditur esse licitum potest licitè fieri. At quod probabilius est licere, prudenter & absque temeritate creditur esse licitum: Ergo quod probabilius est licere licitè potest fieri. Minor est evidens. Probatur major, quia repugnat hominem peccare in opere, cujus directio nullam admittit temeritatem, sed à ratione prudenti regulatur. Præterea ille solùm peccat, qui à prudentiâ per temeritatem recedit. Hoc non facit, qui operatur ex judicio probabiliùs judicante id quod agit esse licitum; quia idem est probabiliter, & prudenter judicare aliquid esse honestum. ergo sic operans non peccat.

Confirmatur.

Pars minùs tuta, si sit probabilius licitè docetur esse honesta.

8. Rursus sic arguo: Licet Theologo publicè docere id esse licitum, cujus honestas est certò probabilis; quòd multò magis verum est, si honestas operis sit probabilior ejusdem inhonestate; nam talia docens nec peccat, nec temeritatis accusari potest. Præterea si non liceret docere quidquam esse licitum, nisi cujus honestas directè esset certa, S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, aliique omnes Doctores in suis resolutionibus gravissimè peccassent, cùm plura, etiam minùs tuta, docuerint esse licita, quorum honestatem certis & indubitatis rationibus probare non potuerunt, sed solùm probabilibus confirmare. At quod licitè à S. Thomâ, aut alio quovis eximio Theologo, practicè resolvente casum propositum, docetur esse licitum, licitè in praxim reducitur; si enim id in praxi non liceret, inexcusabilis esset, qui tale quid doceret; quia homines ad peccatum & perditionem dirigeret, damnationisque periculo exponeret, quod absque dubio peccaminosum est. Sic homines de facto freti authoritate S. Thomæ non statim confitentur post lapsum, sed sæpè differunt confessionem ad aliud tempus, & quando confitentur solùm eliciunt dolorem in generali de omnibus, non in particulari de singulis peccatis; sæpè etiam ejusdem authoritate freti in confessione non explicant circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem, quia S. Thomas probabiliter tradit hæc omnia contra alios reclamantes. Jam qui se conformant hisce S. Thomæ sententiis, sequuntur partem minùs tutam, in hoc tamen non peccant, alioquin S. Thomas ea docendo peccâsset, quod constat esse falsissimum.

9. Probatur sextò ab absurdis. Imprimis obligari ad sequendam partem tutiorem minùs probabilem, rejectâ probabiliore minùs tutâ, est onus hominibus intolerabile. Item est lex noxia ac imprudens, quippè quæ si lata fuisset, plura secum incommoda afferret, quàm commoda; & dum intenderet malorum diminutionem, conjiceret homines in moralem necessitatem frequentissimè peccandi mortaliter. Ratio est, quia difficillimum est fragilitati humanæ in omnibus sequi partem probabilem tutiorem, quando probabilius est nullam adesse prohibitionem vetantem operationem, cujus omissio est tutior; si enim daretur obligatio sequendi partem tutiorem probabilem, relictâ probabiliore, unusquisque,

Probatio sexta.

Obligari ad sectanda solùm tuta est onus insupportabile, & lex noxia.

quisque, ut benè observat Esparza teneretur ad actum perfectæ contritionis, vel ad sacramentalem confessionem immediatè post quodvis peccatum mortale. Imò unusquisque de novo pro singulis instantibus denuò graviter peccaret, qui aut non eliceret actum perfectæ contritionis tam de primo peccato, quàm de morâ interpositâ inter peccatum primum, & justificationem; aut de illis confessionem sacramentalem non institueret. Rursus peccaret, qui singulis diebus festis suorum peccatorum dolorem non excitaret: 3. circumstantia peccati in die festo commissi explicanda esset in confessione. 4. ut uno verbo omnia complectar, cùm omnes opiniones à probatis Authoribus traditæ sint saltem probabiles, illæque in omni genere sint innumeræ, omnes omninò tenerentur se conformare opinionibus strictissimis in omni genere; quamvis aut omnes aut plurimæ opiniones oppositæ essent probabiliores. Atqui onus hoc, si extaret, superaret vires fragilitatis humanæ; hominesque conjiceret in moralem necessitatem committendi plurima peccata mortalia; quia onus sequendi omnes opiniones strictissimas est gravissimum, & pro innumeris opportunitatibus frequentissimè occurrit; tanta autem frequentia onerum seu tentationum gravium involvit moralem necessitatem labendi in plurimis; nisi quis peculiari, & non ordinariâ Dei gratiâ fulciatur. At Deus cujus *Iugum suave est, & onus leve*, nec est, nec esse potest Author talium legum, ut constat. ergo eodem modo constat nullam ejusmodi legem existere.

10. Demum directa persuasio de honestate operis, quæ apud homines habetur pro certitudine morali, sufficit ad licitè operandum. At major probabilitas continet hanc certitudinem moralem. ergo licet sequi majorem probabilitatem. Major ab omnibus admittitur præter quàm à Jansenistis, & est evidenter vera, quia majorem certitudinem exigere, excedit conditionem humanæ naturæ. Minor non solùm à recentioribus universaliter admittitur, sed uniformiter etiam ab antiquis pro certo tradita est. Ita docent Caietanus, Gabriel, Angelus, S. Antoninus, Nider, Jo. Gerson aliique, quorum verba expendam *quæst.* 23. Præterea ipsi hoc tradunt ex Aristotele tamquam rem per se notam, sicut reverâ nota est per se. Consequentia legitimè deducitur. ergo licet sequi partem minùs tutam, si illa sit probabilior oppositâ.

COROLLARIUM PRIMUM.

Non omne periculum probabile peccati materialis, etiam cognitum, inducit obligationem vitandi opus, quod probabiliter apparet esse prohibitum, & esse peccatum materiale.

Non omne periculum probabile peccati materialis fundat obligationem vitãdi opus, cui illud periculum annexum est.

11. Sequitur ex dictis. Quoties aliquid certò probabilius est, & absolutè creditur esse licitum, toties evidens est ejus electionem esse honestam, adeóque opus exhibitum non esse peccatum formale. In eodem casu sæpè est probabile, quòd opus illud sit prohibitum, adeóque probabile est, quòd sit peccatum materiale; cùm tamen ea apparentiâ non inducat obligationem vitandi electionem illius objecti materialis; uti demonstratum est.

COROLLARIUM SECUNDUM.

Spectat ad divinam providentiam aliquando, saltem per accidens, complacere in electione objecti directè & per se prohibiti; seu in electione peccati materialis, etsi objectum illud operanti probabiliter appareat prohibitum.

Deus debet complacere aliquando in electione objecti probabiliter inhonesti.

12. Sequitur ex dictis in demonstratione assertionis. Hoc enim spectat ad divinam providentiam, quoties homo permittitur

permittitur non solùm errare in judicio probabiliùs asserente aliquod objectum esse licitum, quamvis oppositum sit, & appareat esse probabile, sed etiam permittitur exequi opus juxta dictamen illud probabilius, sed erroneum. Atqui ad divinam providentiam spectat permittere talia judicia, & opera inde resultantia. ergo &c. Porrò ex his corollariis sequens regula evidenter vera stabilienda est, quia resolutioni difficultatis potissimæ in sequentibus quæstionibus proponendæ multùm deserviet.

REGULA UNICA.

Nulla est obligatio vitandi peccatum materiale probabiliter apparens, quando & certò probabilius est illud non esse peccatum, & absolutè creditur objectum illud à nullâ lege prohiberi.

Respondetur objectionibus.

Objectio prima. 13 OBjic. 1. quamdiu honestas objecti non est certa, ejus inhonestas est dubia. ergo semper est illicitum illud amplecti, nisi certi simus de ejus honestate; quia in dubio non licèt sectari partem minùs tutam. At antecedens locum habet in casu nostro, ergo & consequens.

Responsio. Resp. honestatem objecti propriè loquendo non esse dubiam, quando intellectus ex motivis probabilioribus absoluto judicio opinativè existimat objectum illud esse honestum. In hoc autem casu, etsi formido aliqua de inhonestate objecti illius secundùm se relatè ad circumstantias directè cognitas remaneat, oritur tamen certitudo reflexa de honestate electionis hìc & nunc ab operante ponendæ in his determinatis circumstantiis. Jam certum est formidinem illam directam non inhonestare electionem, quæ à cognitione reflexâ, certâ, & evidenti suæ honestatis regulatur. At hic est casus præsens. ergo sic operans non peccat, sed laudabiliter operatur.

Intellectus non dubitat, quando opinatur cum formidine oppositi.

Objectio secunda. 14. Objicies 2. Non est difficile habere certitudinem de rerum honestate. Ita sæpissimè Wendrockius exclamat, qui id hac ratione videtur confirmare. Si quis, inquit, Deum oret, ut potest & debet, veritas rei ipsi à Deo manifestabitur. Nec tamen inde sequetur illud objectum esse universaliter evidens, quia quod uni probabile est, sæpè alteri evadit certum & evidens. Nimius essem, si hoc eâ energiâ & frequentiâ repeterem, qua Wendrockius illud & inculcat, & extollit. Ecce ergo cùm veritas haberi facilè possit, nemini licitum est operari, nisi secundùm rei veritatem, omni dubio omnique formidine seclusâ

Resp. si veritas sit adeò facilis, cur Wendrockius, cur Jansen stæ contrariæ sententiæ fautores non scribunt integrum tractatum resolutionum moralium, ut ita nobis veritates hactenus abditas revelent? Certè nil Deo gloriosius, nil ad propriam illorum famam, nil ad nostram utilitatem conducibilius præstare poterunt. Responsio.

15. At, inquiet fortassè Wendrockius, veritas hæc non ratione naturali, sed ex illuminatione Dei habenda est; ideóque datur solùm pro opportunitate, nec potest postmodum naturali ratione explicari; sicut nemo verbis explicare potest altam illam & internam doctrinam, quam Spiritus Sanctus docet nos, ut actum fidei eliciamus. Scio quidem Jansenistas, eorumque fautores, multum tribuere internis hisce mentis illustrationibus. Nam Abbas S. Cygirani Jansenii Adjutor & Achates, ac Jansenistarum Antesignanus, inter reliqua affirmare non est veritus, *posse quemquam licitè proximum suum interficere, quando interna Spiritûs Sancti motio illum ad hoc instigat, quamvis exterior lex illud prohibeat*, ut videre est in processu contra illum jussu Regis formato anno 1638. cujus originalis copia conservatur Parisiis in Collegio Claramontano Societatis JESU. Verùm in hoc Jansenistæ imitentur Calvinistas, qui ut coërcitivam & judiciariam

Jansenistæ ad internam motionem Spiritûs sicut Calvinistæ confugiunt.

Abbas S. Cygirani Jansenistarum Antesignanus absurdissima tradit ex hac interna motione orta.

judiciariam Ecclesiæ potestatem eludant, ad internum Spiritûs motum confugiunt; certi se ibi refugium habere, quo humana Sapientia non potest penetrare. Verùm miserandum est videre diabolum sic istis hominibus imponere, ut relictâ viâ ordinariâ, quam Doctores Ecclesiæ ut planam & securam proponunt, fallacissimæ regulæ, id est internæ Spiritûs motioni, se committant. Unde enim sciet quis motionem illam, etiam post orationem habitam, non esse illusionem diaboli in Angelum lucis se transformantis? Dolendum sanè est summos Theologos hanc Wendrockii resolutionem ignorâsse. Hujus veritatis ignorantiâ laborabant S. Thomas, S. Bonaventura, S. Antoninus, Joannes Gerson, aliique Theologi, qui probabiliter tantùm resolvunt plures quæstiones in favorem partis minùs tutæ; debuissent enim horum illuminatorum more hortari fideles ad orandum Deum, ut sic per internam illuminationem certò scirent, utrùm illa objecta essent licita. quàm facilis, quàm pia dubiorum resolutio! sed à sanctissimis & doctissimis Theologiæ Doctoribus longissimè absit phanaticis Jansenistarum dogmatibus gregi Christiano illudere.

16. Quòd si sermo sit non de directâ certitudine honestatis objectivæ, sed de certitudine reflexâ honestatis formalis, illa quidem facillimè habetur, quoties datur certa probabilitas de honestate objectivâ, ut partim huc usque ostendimus, partim ostendetur in sequentibus. Verùm Wendrockius illibenter hoc audit; sed velit, nolit, veritas prævalebit. At contendere, quòd oranti directa veritas objecti dubii certò sit manifestanda, est præsumptio intolerabilis, & assertio serio Theologo indigna. Quis dubitat S. Thomam, Divum Bonaventuram, aliosque sanctissimos Ecclesiæ Doctores multis ac ferventibus orationibus Deum deprecatos fuisse, ne in suis resolutionibus vel minimum à vero aberrarent? Annè propterea quod dixerunt, certò & infallibili lumine illis innotuit? Si asseras; unde, quæso, factum est, ut in tot materiis sibi contradicant? Si neges; ergo à Deo non accipiebant lumen, quod fingit Wendrockius, quodque Deus nullibi promisit se daturum, sed aliud lumen, quo absque passione animi per prudentem, & certò probabilem resolutionem quæstionem propositam solùm probabiliter terminarent. unde factum est, ut singuli prudenter affirmarent, quod tradiderunt, etsi in suis resolutionibus ab invicem discreparent. Hi tamen non peccârunt practicè resolvendo quæstionem in favorem partis minùs tutæ; sicut non peccant, qui eorum authoritate freti id opere complent, quod illi licitum esse tradiderunt. Jam ergo quâ prudentiâ possunt omnes idiotæ, omnesque rustici, quali quali precatiunculâ hîc & nunc juxta rei opportunitatem præmissâ, eam illuminationem à Deo expectare, quam viri sanctissimi post ferventissimas preces quotidie iteratas non meruerunt accipere?

Sancti Deum exorârunt ne errarent in suis opinionibus, nec tamen impetrarunt.

17. Demum quod Wendrockius sæpissimè inculcat, scilicet objectum uni probabile alteri certum esse solere, in iis tantum locum habet, quæ immediatè subjacent experientiæ. Sic probabile mihi est Milonem occidisse Clodium, quia Caius dicit se præsentem fuisse, cùm Milo homicidium patraret. At idipsum Caio illud intuenti certum est & evidens. In reliquis autem, puta in materiis scientificis, rebusque, de quibus Authores propter motiva utrique parti faventia discrepant ab invicem, rarò valdè aut numquam contingit quidquam uni evidens esse, quod aliis tantummodo est probabile. Peto enim quinam sint illi, quibus hæ veritates dicendæ sint evidentes? An viris, qui naturam rei in controversiam vocatæ funditus non examinarunt?

Ex eis quæ cadunt sub sensum, quod uni probabile est, est certum alteri.

In materiis scientiarum, rarissime certum est uni quod alteri est solùm probabile.

Apage

Apage tam insolens, tamque absurdum effatum. Quibus ergo? Annè iis, qui quidquid ad materiam illam spectat, singulari industriâ eventilarunt? nihil minus; illi enim & sciunt, & palam profitentur se demonstrationes nullas habere, sed probabilibus tantùm conjecturis suas sententias stabilire. Errat ergo, & toto cœlo aberrat Wendrockius, qui oppositum vulgo obtrudit; quasi verò Doctorum resolutiones & certæ essent, & evidentes; quod tamen certò certiùs est falsissimum.

Objectio tertia. 18. Objicies 3. ex doctissimo legumque peritissimo, ac illustrissimo D. Prospero Fagnano *in c. ne innitaris, de const. num. 95. & 96. Qui habet suspicionem, scrupulum, seu levem credulitatem, quòd actio sit illicita, peccat, si, stante tali credulitate & scrupulo, illam ponat.* Nam *in cap. per tuas 2. de Simon.* Imaginaria demonstratio Fagnani. expressè deciditur, esse peccatum operari contra conscientiam scrupulosam, nisi priùs scrupulus deponatur; *& in c. inquisitioni de sent. ex com.* dicitur, quod conjux, habens conscientiam ex credulitate levi ac temerariâ de impedimento dirimente, possit exigere debitum, si tamen ad Pastoris sui consilium explodat conscientiam levem & temerariam. Unde sequitur, quod petendo debitum peccaret, si conscientia illa temeraria maneret, & non exploderetur: *Sed qui habet opinionem probabilem affirmantem actum esse licitum, necessariò habet suspicionem, scrupulum, & levem credulitatem, quod actus sit illicitus, ut probatum est, & admittitur ab adversariis:* quia omnis opinio est assensus cum formidine oppositi; & hæc formido inexistens opinioni vel est dubium formale positivum, vel saltem est suspicio quædam, & scrupulus, seu levis credulitas, quòd oppositum sit verum: *Ergo qui habet talem opinionem probabilem, non potest sequi illam absque peccato.* Hoc argumentum objicit Fagnanus contra usum opinionis præcisè probabilis, & apertè gloriatur illud esse insolubile. Verùm [illegible] æquè objici potest contra opinionem probabiliorem, & unicè probabilem, ideóque illud hîc ponendum censui.

Resp. Fagnanum sibi non semel in tractatu illo satis apertè contradicere in ipso fundamento, ex quo præsens controversia determinari debet. Responsio. Inprimis loco citato contendit scrupulum, suspicionem, & levem peccati credulitatem esse prædicata indistincta, aut certè necessariò connexa cum formidine actuali opinionis affirmantis, partem minùs tutam esse licitam. Deinde contendit sectantem minùs tuta peccare, si operetur, stante scrupulo & levi conscientiâ peccati, quod verissimum est, si termini in propriâ significatione accipiantur. Demum ex his concludit peccatum esse sectari minùs tuta, stante formidine opinionis probabilis, adeóque hominem in sectandâ parte minùs tutâ non excusari, nisi moraliter saltem certus sit de honestate suæ operationis. Fagnanus sibi contradicit. Hæc autem contradicunt iis, quæ tradit ibidem *num. 109.* ubi nobiscum tenet, opinionem minùs tutam, si sit unicè probabilis, & nullis rationibus probabilibus impetatur, esse sufficientem regulam ad eam licitè reducendam in praxim. Ratio est clara, quia opinio probabilis levibus tantùm impetita argumentis est actu formidolosa, idque non solùm ob argumenta contraria, quæ, etsi levia, aliqualiter vexant intellectum, quia aliquando, licet rarò, veritatem continent, ideóque certitudinem ab assensu excludunt; sed etiam ob ipsam motivi probabilis debilitatem & fallibilitatem, quæ necessariò inducit formidinem in assensum, quem causat, etsi nullo contrario argumento impetatur; fieri enim nequit, ut motivum debile, fallibile, ac vacillans certitudinem refundat in actum, quem causat. Omnis opinio probabilis est actu formidolosa. Scio Fagnanum dicere, hanc opinionem esse plus quàm opinionem, & habere certitudinem, sed hoc non probat, nec probare

probare potest, quod sit apertè falsum, maximè quando argumenta levia urgent in oppositum. Dicit etiam, & benè, quòd ad honestè operandum non requiratur certitudo mathematica, sed sufficiat moralis & humana; verùm illa, loquendo de actibus directis fallibili motivo subnixis, non excludit omnem formidinem oppositi, ut constat, etsi Fagnanus *num. 109.* dicat, sed non probet contrarium.

Fagnanus iterum sibi contrarius.

19. Eadem contradictio ex aliis Fagnani assertis clariùs elucescit, qui *num. 225.* disertè tenet, cuique licitum esse sequi partem minùs tutam, modò illa sit multò probabilior, non obstante minori partis tutioris probabilitate. Imò, quod plus est, *num. 448.* admittit licitum esse sequi opinionem unius Authoris, etsi minùs tutam, quando nullus doctor est in contrarium, quamvis rationes utrique parti faventes sint æquè probabiles; & hanc dat rationem, *quia rationes authoritate munitæ præponderant rationibus æquè probabilibus authoritate destitutis.* Idipsum etiam admittit *num. 438. & num. 449.* confirmat, quando opinio singularis est contra communem, dummodo sit verior, id est, dummodo rationes multò efficaciores pro eâ afferantur, quàm quæ militant pro sententiâ communi. At hinc sic arguo. Impossibile est intellectum non formidare de veritate, quam videt rationibus & authoritatibus probabilibus impugnari. Et sanè quando rationes hinc inde sunt æquales, quomodo potest intellectus ideò solùm esse moraliter certus de unâ parte, quia scit unum authorem has rationes illis prætulisse? Quis non videt omnia ista esse naturaliter impossibilia? Et tamen per ipsum excusantur, qui istiusmodi probabiles sententias sequuntur; formidant autem de opposito; ergo per ipsum habent scrupulum & levem credulitatem de opposito, & consequenter peccant. ergo peccant & non peccant. ergo Fagnanus sibi contradicit. Immò in istis casibus tenetur solvere 26. illa argumenta, quibus impetit asserentes, licitum esse sequi opinionem quamcumque, si constet illam esse certò probabilem; omnia enim in eo fundantur, quod opinans necessariò formidet de opposito, adeóque securus esse non possit se benè facere. ergo periculo se exponit & peccat. Hæc autem omnia æquè urgent ipsum, ac alios, ut patet.

Alia Fagnani contradictio.

20. Alterum, in quo sibi contradicit est, quòd *num. 95. & 96.* contendat, suspicionem, scrupulum & levem credulitatem peccati, necessariò connecti cum formidine opinionis probabilis, cui contrariatur *n. 14. 261.* ubi ex Bartolo *in l. Admonendi num. 19. ff. de jurejuran.* & ex Baldo *in l. bonæ fidei num. C. de reb. cred.* ponit quatuor gradus, quibus homo ad formandam plenam de malitiâ vel bonitate sui actûs credulitatem ascendit. Primus gradus est, cùm quis incipit dubitare, an actus sit illicitus. Iste gradus nil habet probationis aut credulitatis, quia dubitans non magis applicat animum ad unam, quàm ad aliam partem. Secundus gradus, qui dicitur primus probationis, est quando animus ex levi indicio inclinat ad credendum, quod actus sit malus; & talis actus vocatur suspicio vel scrupulus, quia est credulitas ex levibus conjecturis, & propterea vocatur conscientia leviter seu scrupulosè formata. Tertius gradus, qui dicitur secundus in probando, est conscientia probabilis ex gravi sed fallibili fundamento formata. Quartus, qui est tertius & ultimus probationis, est certitudo & plena veritatis convictio, quæ dicitur plena credulitas, & appellatur fides. Has Jurisperitorum distinctiones admitto, quia veræ sunt, & certissimis Theologiæ doctrinis conformes, & sic arguo. Formido peccati, inexistens judicio probabili de absolutâ honestate operis, non habet, quæ Bartolus & Baldus requirunt ad credulitatem levem, & con-

Levis credulitas quid sit apud Jurisperitos?

scientiam

ſcientiam ſcrupuloſam, quia animus per talem formidinem non magis propendet ad credendum quod opus ſit illicitum, quàm quod ſit licitum, ſed è contrariò abſolutè judicat quod objectum ſit licitum, adeóque formido illa cohæret cum ſecundo gradu probationis de honeſtate operis. Præterea non minor ſed multò major formido ineſt dubio quàm opinioni probabili, nam perfectè dubius æqualiter vacillat, & formidat, an veritas ſit in hac vel in illâ parte; opinans è contrà incomparabiliter magis propendet in partem, quam abſolutè reputat honeſtam, quàm in partem de cujus inhoneſtate formidat. Atque ideò opinio de honeſtate operis eſſentialiter excludit dubium de ejuſdem inhoneſtate, & à fortiori excludit ſuſpicionem & credulitatem levem peccati, utpotè quæ eſt plus quàm dubium, cùm ſit primus gradus probationis de inhoneſtate. Ecce levis credulitas de malitiâ actûs longè plus virium & probationis habet, quàm formido malitiæ inexiſtens judicio probabili de bonitate actûs. Ergo illa formido non conſtituit conſcientiam ſcrupuloſam, aut levem credulitatem, vel ſuſpicionem de malitiâ actûs.

Quid ſit ſcrupulus, ſuſpicio & levis credulitas?

21. Sed quidquid ſit de Juriſtis, certum eſt apud Theologos ſcrupulum, ſuſpicionem, & credulitatem levem ſignificare actum peculiarem, quo intellectus magis fertur in unam, quàm in aliam partem contradictionis. Et quidem ſcrupulus aliquando ſumitur, pro abſoluto judicio de inhoneſtate operis, ſic qui ex levibus indiciis credit eſſe peccatum incedere per crucem humi inſculptam, dicitur habere ſcrupulum & conſcientiam ſcrupuloſam. Aliquando ſumitur pro ſuſpicione, id eſt, pro actu, quo quis putat argumenta paria aut meliora reperienda fore pro inhoneſtate quàm honeſtate actûs, ſi veritas inquireretur, & hic actus eſt peccatum contra juſtitiam in illis, qui ſine ſufficienti fundamento ſuſpicantur malum de ſuo proximo. At non ſuſpicatur malum de proximo nec peccat, qui judicio probabili putat illum eſſe probum, etſi formidet de oppoſito; certum ergo eſt, formidinem inexiſtentem judicio probabili, uni parti alligato, non eſſe credulitatem levem, nec ſcrupulum, nec ſuſpicionem partis oppoſitæ; adeóque certum eſt Fagnanum & erraſſe ad *num. 95. & 96.* ubi oppoſitum latiſſimè inculcat, & ſibi *numero 261.* contradixiſſe, ubi ex Bartolo & Baldo, conformiter ad certam Theologiæ doctrinam loquentibus, explicat naturam credulitatis levis & conſcientiæ ſcrupuloſæ.

Solvitur objectio Fagnani.

22. His declaratis, argumentum Fagnani ex ſe corruit, quia minor eſt evidenter falſa. Porrò credulitas & ſcrupulus explodi-tur, quoties judicium, in quo conſiſtunt omittitur, & ut levi nixum fundamento rejicitur per judicium prudens, quo intellectus abſolutè credit rem eſſe licitam, contemnitque omnia contraria ut abſolutè falſa, & in perſuaſione de honeſtate actûs figitur, licet non abſque formidine aliquâ oppoſiti, quæ certè à nullo judicio probabili excludi poteſt, & vel maximè excludi non poteſt in caſu *cap. inquiſitioni de ſent. excom.* quia homo probè novit fieri poſſe, ut, ipſo nil ſuſpicante, detur impedimentum irritans matrimonium, & à fortiori novit non rarò evenire, ut parva illa indicia revera conjuncta ſint cum tali impedimento. Jam excluſa per hoc judicium levi credulitate homo indirectè certificatur de honeſtate ſuæ operationis, etſi directè formidet de honeſtate operis ſecundùm ſe, quia ſolùm formidat de inhoneſtate objectivâ, ſed certus eſt de honeſtate formali ſuæ operationis, ut ſæpè dictum eſt.

QUÆSTIO VIGESIMA-PRIMA.

Vtrùm liceat ſequi quamcumque ex partibus contradictionis æquè probabilibus?

Status Quæſtionis.

Authores communiter tenent, opinionem debere eſſe certò probabilem, ut liceat eam ſequi in praxi.

1. ÆPE non conſtat, quænam contradictionis pars ſit alterâ directè probabilior, cùm tamen certum ſit utramque eſſe directè probabilem; in hoc caſu quæritur, utrùm liceat ſequi partem minùs tutam, non obſtante pari quoad nos partis tutioris probabilitate? Cæterùm ut controverſia hæc, aliæque huc ſpectantes abſque ullâ æquivocatione explicentur, ſciendum eſt inprimis, quæſtionem reſtringi ad probabilitatem practicam, id eſt ad probabilitatem propoſitionis abſolutè affirmantis, hoc objectum omnibus penſatis eſſe univerſaliter licitum. Deinde ſciendum eſt, paucos fuiſſe qui in hac materia expreſsè diſtinxerint inter opinionem certò, & opinionem probabiliter tantùm probabilem. Unus aut alter expreſsè tenet probabilitatem ſolùm probabilem de honeſtate partis minùs tutæ ſufficere, ut illa licitè in praxim reducatur; ſed hanc eorum ſententiam, utpotè nimis laxam, nullatenus approbare poſſum. Reliqui omnes, qui abſolutè tenent, probabilitatem excuſare ſectantes partem minùs tutam, aut ſupponunt, aut expreſsè tradunt probabilitatem de honeſtate operis debere eſſe certam, ut operantem excuſet. Inter hos ſunt Baldellus *lib. 4. diſp. 10. n. 5.* Bardus *diſp. 4. cap. 10.* Lugo *de fide diſp. 10. ſec. 1.* quibus accedit Honoratus Fabri *in dialogo de opinione probabili*, qui præter dictos citat etiam Breſſerum *de Conſc. lib. 3. cap. 5.* Merulam *diſp. 3. cap. 4.* Lao *de Conſc. diſp. 3. dub. 2.* Maſtrium *in 2. diſp. 5. qu. 2. art. 6. n. 116. & 126.* Medinam *1. 2. quæ. 19. art. 6.* Spinulam *in tractatu de hoc argumento*; quibus alii addi poſſent, ſi opus eſſet.

Explicatur ſenſus in quo quæſtio procedit.

2. Ego cum iſtis quæſtionem hanc ad probabilitatem practicam, eamque certam & indubitatam reſtringo, & diſputatio procedit pro caſu, quando non conſtat, quænam pars ſit directè probabilior alterâ. Jam ergo quæritur, utrùm probabilitas directa hoc modo ſumpta fundet certitudinem reflexam de honeſtate operationis hîc & nunc terminatæ ad partem minùs tutam. Si fundet, licitum erit, ſecùs erit illicitum ex partibus directè æquè probabilibus ſequi minùs tutam.

Quæſtio præſens eſt omnium potiſſima in tractatu præſenti.

3. Porrò quæſtio hoc modo intellecta eſt potiſſima omnium, quæ ſpectant ad præſentem tractatum; quia frequentiùs longè deſervit praxi, quàm quæſtio ſequens de opinione minùs tutâ relatè ad tutiorem magis probabilem. Sæpè non poſſumus certò ſcire, utrùm hæc opinio ſit probabilior oppoſitâ. Thomiſtæ numquam concedent Scotiſtis ſuas opiniones eſſe minùs probabiles opinionibus illorum. Idem è contrà dicendum de Scotiſtis. Præterea ſæpiſſimè non vacat inveſtigare, quænam ex ſententiis oppoſitis ſit probabilior alterâ. Plerique etiam ſunt incapaces ad hoc inveſtigandum; qui tamen omnes egent expeditâ reſolutione præſentis quæſtionis, ſcilicet an liceat

an liceat sequi opinionem, quam certò constat esse probabilem. Ecce præsens quæstio sicut est utilissima, universalissima, & maximè necessaria, ita est potissima omnium, quæ ad præsentem tractatum pertinent. Nihilominus brevis ero in ejus resolutione, quia quæcumque authoritates & rationes afferentur pro sequenti quæstione stabiliendâ, illæ omnes à fortiori applicari debent ad hanc & superiores duas efficaciter demonstrandas.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO UNICA.

Assertio principalis.

Vnicuique in materiâ fidei & morum licitum est sequi partem minùs tutam, quando illa directè sumpta est certò probabilis, & opposita pars tutior, in actu primo ante omnem affectum & assensum uni parti alligatum, non apparet probabilior.

Duæ Rationes proponuntur.

Probatio prima.

4. Probatur 1. Intellectus prudenter flecti potest ad assentiendum cuivis ex partibus contradictionis in actu primo æquè probabilibus, ut ostensum est *quæst. 8. & 10.* Hoc posito, sic arguo. Par probabilitas partis minùs tutæ fundat possibilitatem assensûs prudenter terminatæ ad partem minùs tutam. ergo fundat certitudinem de honestate electionis ad eandem partem terminatæ. Probatur consequentia: Imperet voluntas dictum assensum. Hic assensus existens fundat hunc syllogismum reflexum. *Quidquid à quoquam prudenter judicatur non esse prohibitum, id hîc & nunc ei licitum est. Sed ego hîc & nunc prudenter judico hoc objectum non esse à Deo prohibitum. ergo hoc objectum hîc & nunc mihi licitum est.* Major est evidens, ut constat ex dictis *quæst. 13. num. 16. & quæst. 19. num. 7.* Minor etiam est evidens; quia omne judicium certò probabile est certò prudens. At hoc judicium est certò probabile, quia certò nititur motivo probabili, ut supponitur. Consequentia est in formâ; ergo est tam certa, quàm præmissæ. est autem ultimum conscientiæ dictamen fundatum in pari probabilitate directa partis tutioris & minùs tutæ. ergo illa fundat conscientiam certam de honestate electionis partis minùs tutæ. Ratio hæc est tam certa, quàm certum est intellectum flecti posse ad assentiendum cuivis ex motivis in actu primo, ante omnem voluntatis affectum indebitum, æquè probabilibus, quod certè probabilissimum est, & meo judicio certum, ut satis patet ex dictis *in quæst. 8.*

5. Probatur 2. cum Honorato Fabri in dialogo de opinione probabili. Intellectus ex opinione directè probabili reflexè surgit ad formandam conscientiam certam hoc modo: *Certum est opinionem A. esse probabilem ac prudentem; quia certum est motivum, in quo fundatur, esse sufficiens ad fundandum assensum, & præsumptionem prudentem de absolutâ honestate sui objecti. Hoc enim est esse certò probabile, seu niti motivo certò probabili. ergo certum est me posse prudenter præsumere quod sit vera.* Stante autem hac præsumptione certò prudenti, iterum intellectus sic discurrit. *Prudenter præsumo opinionem A. esse veram. ergo certum est me prudenter reducere illam in praxim; adeóque usum illius hîc & nunc mihi esse licitum.* Hoc judicium est ultimum dictamen certificans intellectum de honestate electionis hîc & nunc terminatæ ad partem minùs tutam. Nec mirum: quia tam certum est praxim opinionis esse licitam & prudentem, quàm certum est præsumptionem de illius veritate esse prudentem. At certum est præsumptionem de veritate illius esse prudentem. ergo & usum. Hæ duæ rationes sunt sibi valdè affines; quod enim dicitur de præsumptione prudenti, à fortiori dici potest de judicio absoluto pru- Probatio secunda ex Honorato Fabri.

denter credente veritatem partis minùs tutæ.

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima. 6. OBjicies 1. Probabilitas utriusque partis est certa. Ergo certa probabilitas partis minùs tutæ non potest fundare ullum syllogismum aut discursum pro honestate illius; quem certa & par probabilitas partis oppositæ non potest fundare pro ejusdem inhonestate. ergo vel neuter, vel uterque syllogismus consurgit; non uterque quia unus involvit propositionem cōtradictoriam alterius propositionis. ergo neuter consurgere potest. Erratum ergo est in utraque ratione allatâ.

Responsio. Resp. probabilitates istas per imperium voluntatis posse disjunctim fundare conclusiones oppositas. Nam si quis existimet objectum A. esse absolutè illicitum, statim consurgit dictamen evidens, quod dictat illud hic & nunc absque peccato eligi non posse. Itaque remotè par vis inest utrique probabilitati ad inferendam conclusionem oppositam conclusioni alterius partis. At si voluntas flectat intellectum ad judicandum & præsumendum quod pars minùs tuta sit absolutè vera, opposita probabilitas impeditur quo minùs possit hic & nunc fundare conclusionem oppositam. At hic est casus noster.

Instantia. 7. Dices. ergo dependet ab arbitrio operantis, quod peccet vel non peccet hic & nunc in electione unius ejusdemque objecti.

Solvitur. Resp. concedo totum, utpotè quod est evidenter verum in casibus innumeris. Qui leviter dubitat de validitate sui matrimonii, si exigat debitum, dubio illo non deposito, aut quod plus est imprudenter credendo matrimonium esse invalidum, proculdubio peccat. At si contemnat dubium ut stultum, & præsumat, atque judicet matrimonium suum esse validum, ut potest si velit, certissimè non peccat, uti traditur *in cap. inquisitioni tuæ 44. de sentent. excom.* & supra fusiùs est dictum. Ecce in potestate operantis est non peccare in opere, quod tamen hîc & nunc peccando eligit, & è contrà. Idem valet in casu nostro.

Sæpè dependet à voluntate operantis quod peccet vel non peccet in positione ejusdem objecti.

Objectio tertia. 8. Objicies 2. Ex his rationibus sequitur, quod utraque pars contradictionis simul sit certa & evidens. Consequens est impossibile. ergo rationes illæ sunt falsæ. Probatur sequela. Petrus probabiliter judicet, aut prudenter præsumat, quòd pingere in die festo sit licitum: ex hoc judicio surgit ultimum dictamen conscientiæ reflexum, quo intellectus certificatur, quod pingere in die festo, seu sequi prius dictamen non sit peccatum. E contrà Paulus eodem tempore præsumat probabiliter, & prudenter judicet quod pingere in die festo sit illicitum. Ex hoc judicio certò prudenti consurgit dictamen conscientiæ, quo intellectus ejus certificatur quòd pingere in die festo, seu sequi prius dictamen sit illicitum. Ecce utraque pars contradictionis est simul certa & evidens duobus intellectibus; quod repugnat; quia utraque pars esset vera; nam quod falsum est, nec certum est, nec evidens.

Responsio. Resp. duos illos intellectus non formare judicia opposita certa, & evidentia de eodem objecto. Nam Petrus primò probabiliter judicat, quòd pingere in die festo universaliter omnibus sit licitum; deinde, reflectens supra hoc judicium, comparat actum pingendi sibi, suæque conscientiæ, prout ille substat huic priori judicio; & inde infert, quòd hic & nunc sibi in his circumstantiis liceat pingere in die festo. Hoc autem verum est & evidens. Similiter Paulus ex contrario judicio directo infert sibi hîc & nunc non licere actum pingendi, prout substat priori suo judicio; quod etiam verum est. Verùm hæc sunt duo objecta realiter diversa & disparata, ut patet. Uno

verbo

Ultima cõscientiæ dictamina, fundata in judiciis directis contradictoriis, non sunt contradictoria

verbo Petrus judicat se non peccaturum, si cum hisce suis judiciis pingat; Paulus verò judicat se peccaturum, si cum hisce suis judiciis pingat. Quorum utrumque verum est, certum, & evidens. Prima quidem judicia directa, universaliter enunciantia de suo objecto, sunt contraria; verùm illa non sunt certa, sed solùm probabilia & formidolosa, ut supponitur. Deinde ex illis reflexè cognitis fiunt duæ novæ comparationes similium objectorum materialium relatè ad circumstantias dissimiles, & unus concludit hoc objectum relatè ad has circumstantias esse licitum; alter verò concludit aliud simile, (aut si velis idem) objectum relatè ad alias circumstantias esse illicitum; quorum utrumque est verissimum.

Reliquæ rationes.

Probatio 3. ab inconvenienti.

9. Probatur 3. ab incõvenienti. Conditio humana esset malè constituta, si certa probabilitas non sufficeret ad prudentem & honestam operationem. Considera sequentes observationes. Si superiores non possent sequi opinionem certò probabilem in præcipiendo; nec subditi in obediendo, tota reipublicæ Hierarchia pessumdaretur; nam certum est pleraque Superiorum, ut Regum, & Magistratuum præcepta in imponendis vectigalibus, & postulandis obsequiis fundari in solâ directâ probabilitate de honestate rei præceptæ. ergo non possent licitè præcipere quidquam hujusmodi, nec alia ulla, nisi quæ certò scirent esse honesta & subjecta suæ jurisdictioni. ergo vel pauca, vel paucissima possent præcipere; quia ex certis pauca sunt, ad quæ obtinenda indigent præcepto. Similiter subditi non possent obedire, quoties directè non esset certum, Superiores suos honesta præcipere. At quàm frequenter præcipiuntur ea, quæ non sunt directè certò honesta. Ecce nisi directa probabilitas ad conscientiæ securitatem sufficeret, totum reipublicæ regimen everteretur.

I. Si non liceret sequi probabilia minùs tuta, respublica turbaretur.

II. Ars medica esset condemnanda.

10. Secundò si non liceret operari secundùm opinionem probabilem, ars medica condemnanda esset; Medici enim rarò aut numquam habent certitudinem de conducibilitate medicinæ, quam præscribunt. Duæ sunt Medicorum classes; altera Galenum, altera Paracelsum sequitur. Galenici herbis, Paracelsici metallis utuntur. Utraque classis alteram erroris & periculi accusat. Interim sola probabilitas adest in curâ infirmi. Immò ex hac oppositarum scholarum dissensione habemus, sæpè non esse certum, sed solùm probabile, quòd melius sit hoc modo mederi ægroto, quàm naturam cum solâ dietâ sibi relinquere. Certum tamen est quod exercitium medicum sit honestum, idque merè propter probabilem spem sanationis; non obstante timore etiam probabili, ne ex ipsâ medicinâ ægrotus detrimentum accipiat.

III Dux belli numquam posset prælium inire.

11. Tertiò. Dux belli numquam posset licitè cum hostibus confligere; quia numquam potest esse certus se obtenturum victoriam. ergo si deberet esse certus de emolumento prælii, ut pugnam licitè iniret, nemo umquam posset signa cum hoste conferre. At hæc quàm sunt absona? Ecce sola probabilitas victoriæ, non obstante probabilitate cladis accipiendæ sufficit ad prudenter ineundum prælium. Et sanè procul dubio sæpè uterque Dux licitè init certamen, cùm tamen impossibile sit probabilius esse, quòd victoria ab utroque sit obtinenda. sufficit ergo in re tanti momenti sola probabilitas, etsi non sit major probabilitate partis oppositæ.

IV. Tota collectio opinionũ strictiorũ ab omnibus observanda esset sub pœnâ peccati.

12. Quartò. Si probabilitas non sufficeret ad securitatem conscientiæ, sed vel certitudo, vel major probabilitas ad eam requireretur, omnes tenerentur ad sectandas omnes opiniones strictiores, in materiâ jejunii, temperantiæ, charitatis, liberalitatis,

litatis, aliarumque omnium virtutum; nam illæ solæ sunt tutiores; aut certè tenerentur ad partem strictiorem sectandam, donec constaret partem minùs strictam, minúsque tutam esse oppositâ probabiliorem. At hoc esset onus intolerabile; & hoc docere est reddere jugum Christi, quod leve est, durissimum, & exponere animas imminenti periculo, & morali necessitati peccandi. Præterea praxis Ecclesiæ est evidenter in contrarium; talis autem praxis manifestè arguit id licitum esse, quod reducitur à toto cœtu fidelium Deum timentium in praxim continuam. Vix enim unum reperies, qui in omnibus sectetur partem tutiorem, aut directè certò probabiliorem.

13. Quintò Mercatores in suis contractibus, ac navigationibus ita sectantur probabilem spem lucri, ut prudenter operentur, quamvis nulla sit certitudo felicis successûs, sed graves & probabiles rationes persuadeant fore, ut opes & operam perdant. Idem videre est in ludentibus, & sortes mittentibus, qui, etsi solâ, & quidem non majori probabilitate lucri ducantur, honestè operantur, & excusantur à peccato prodigalitatis, à quo excusari non possent, nisi directa probabilitas, & spes non temeraria lucri præberet sufficiens fundamentum ad securitatem conscientiæ. sufficit ergo directa, & certa probabilitas ad fundandum certum cónscientiæ dictamen, quod intendimus.

Replica. 14. Dices. Ut Dux militiæ licitè prælium ineat, & ut Medicus licitè præscribat medicinam, victoria illi, & curatio huic debet apparere probabilior, quàm clades exercitûs, aut deterior valetudo patientis. Ergo exempla hæc frustra allata sunt pro confirmatione præsentis thesis, quæ loquitur de pari probabilitate partis utriusque.

Solvitur. Resp. exempla ista magis favere quæstioni superiori quàm huic, nam primo aspectu illam evidenter demonstrant, sicut & quæ in posterum afferentur, à fortiori militant pro majori probabilitate; nihilominus hæc ipsa exempla convincunt præsentem veritatem; nam loquendo de apparentiâ antecedente affectum & judicium uni parti affixum, falsum est, quòd victoria, & sanitas debeant apparere probabiliores clade, & deteriore patientis valetudine; esto id verum sit de apparentiâ consequente affectum, & judicium uni parti affixum. Jam apparentia consequens judicium & affectum, non est fundamentalis regula conscientiæ, sed solùm apparentia antecedens, ut patet. Præterea esto tam victoria, quàm sanitas appareat probabilior omni licitè pugnanti & medenti; nihilominus major illa probabilitas non est illis certa, sed dubia; nam victoria non potest reipsâ esse probabilior pro utroque exercitu; sicut uterque medicus tam Galenicus quàm Paracelsicus non potest habere rationes certò probabiliores pro valetudine obtinendâ per utrumque modum contrarium operandi; nam singuli damnant modum proprium aliorum ut periculi plenum. Jam sicut probabilitas solùm probabilis, non suffragatur securitati conscientiæ; quia cùm non certò constet, præsumptionem de veritate partis minùs tutæ esse prudentem, non potest certò constare usum ejusdem esse licitum, ita major probabilitas dubia non suffragatur securitati conscientiæ, titulo illius majoritatis dubiæ: nam cùm excessus ille sit incertus, non est certum, judicium directum, illi motivo apparenti innixum, esse prudentius judicio opposito; adeóque ex hoc nulla oritur certitudo honestatis in operatione. Tota ergo securitas fundatur in certitudine probabilitatis, non in incerto gradu probabilioritatis. Exempla itaque allata convincunt intentum, quia certum est eos licitè operari, quando non sunt certi de majori fundamento pro utilitate, quàm pro nocumento actionis, quam aggrediuntur.

Probabilitas solùm probabilis non sufficit ad securitatem conscientiæ.

15. Pro-

Probatio quarta. 15. Probatur 4. Quæstio hæc est de jure naturæ. ergo manifestum est, veritatem pro nobis stare. Jus enim naturæ adeò insitum est hominum mentibus, ut vix in rudibus dari possit invincibilis ejus ignorantia. Certè in viris doctissimis, sanctissimisque, qui lumine fidei roborati veritati indagandæ cum sincero ejus inveniendæ desiderio incumbunt, fieri nequit, ut omnes communiter conspirent ad asserendum quidquam esse certò licitum, quod ipso naturæ jure est illicitum. At omnes fermè Doctores Catholici asserunt licitum esse sequi partem minùs tutam, modò sit certò probabilis, non obstante pari, immò majori probabilitate partis oppositæ. ergo ad minimum moraliter certum est, neminem ex jure naturæ teneri ad partem tutiorem, quando pars minùs tuta est certò probabilis, quamvis pars opposita sit æquè probabilis, aut etiam probabilior. At certum est quæstionem hanc esse de jure naturali, quia locum habet ante omnem legem positivam. Ergo moraliter certum est hanc propositionem; *Licitum est sequi partem minùs tutam certò probabilem, etiamsi pars opposita sit æquè probabilis, aut etiam probabilior*, esse veram. Aliud autem non intendimus.

Omnes docti & pii non errant in iis quæ sunt de jure naturæ.

Probatio quinta. 16. Probatur 5. cum Caramuele *in Apologemate à numero 151. usque ad num. 159 inclusivè.* Quæstio de Immaculatâ Deiparæ Conceptione est quæstio in materiâ fidei, & morum. In materiâ quidem fidei, quia procedit de intelligentiâ sacræ Sripturæ, & divinæ revelationis. Paulus enim *1. Corinth. 15.* hæc habet. *Per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur* (nota illud *omnes*) *ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Jam si Paulus absque ullâ exceptione universaliter locutus est, nos cum Scotistis reipsâ illi contradicimus. Thomistæ verò illi contradicunt, si Apostolus, exceptione aliquâ aut restrictione subintellectâ, illud effatum enunciavit. Eadem etiam quæstio spectat ad mores: Nam in eâ fundatur peculiaris Dei cultus, nempè erectio altarium, missæ celebratio, indulgentiarum & Privilegiorum concessio, concionum fervens exhortatio; quæ eò tendunt, ut glorificetur Deus præservans, & Beatissima Virgo à peccato præservata, non obstante, quod Deus ipse per Paulum nobis dixerit. *In Adam omnes moriuntur.* Jam si B. Virgo reipsâ præservata non fuisset, Deus laudaretur propter bonum, quod non præstitit; & B. Virgo magni fieret ob excellentiam, quâ caruit. &c. Uno verbo totus ille cultus in errore fundaretur, & Ecclesia, concedens privilegia hanc Deiparæ immunitatem colentibus, stimularet fideles ad colendam conceptionem verè abominabilē, tamquam sanctissimam: &c. Jam hæc omnia, si quæ alia spectant ad mores, ut patet. Nam turpe est colore peccatorem ut sanctum; & Deo tribuere quæ non fecit; sanctosq; ob inanes & falsos titulos honorare. hoc posito, sic arguo.

17. In hac quæstione, quæ spectat ad fidem & mores, sola probabilitas sufficit ad securitatem conscientiæ sectantis partem minùs tutam. Pars enim tutior in hac re est omne judicium suspendere, donec Ecclesia veritatem definierit. Qui enim sic operatur, certus est se sese ab omni errore, & erroris periculo immunem servare; cùm, qui alterutri ex partibus oppositis adhæret, errandi periculo in materiâ fidei se exponat. Certum tamen est, quod licitum sit credere Deiparam conceptam esse sine peccato. Imò hoc adeò certum est, ut oppositum sine errore intolerabili dici non possit. Similiter licitum est Thomistis contrariam sententiam tenere; quia utrumque satis apertè traditur in Bullâ Sanctissimi D. N. Alexandri VII. de sanctissimâ Deiparæ conceptione nuper editâ. Jam quæro, quid sit, quod certam reddat honestatem voluntatis flectentis intellectum in assensum rei in materiâ

Argumentum hoc clarè proponitur.

materiâ

materiâ fidei nondum certæ? Non objectum ipsum affirmatum, vel negatum; nam illud certum non est. Quid ergo? Sola probabilitas; nam illâ demptâ, nemo absque peccato talem B. Virginis immunitatem posset asserere, aut negare. E contrà quamdiu hæc probabilitas perseverat, certum est, quòd unicuique liceat quamvis sententiam sectari pro libito, quia sola probabilitas directa, fundat certam honestatem in electione terminatâ ad objectum, (cujus veritas & honestas est certò probabilis.

Adversarii, ni opinionē mutent, videntur peccaturi in Bullam Alexandri VII.

18. Et sanè, qui universaliter asserunt probabilitatem directam in materiâ morum & fidei non sufficere ad securitatem conscientiæ, videntur impingere in hanc Bullam Sanctissimi D. N. Alexandri VII. Dicunt enim implicitè, & si interrogentur, modò velint consequenter loqui, debent implicitè dicere, omnes peccare, qui immaculatam Deiparæ conceptionem tuentur, aut falsam reputant; quia omnes in materiâ fidei & morum sectantur opinionem solùm directè probabilem, minusque tutam. At hoc dicere sub pœnis & censuris gravissimis vetitum est. Videant ergo adversarii, quomodo in posterum excusari possint à tam periculosâ inobedientiâ.

Sola probabilitas ab initio honestū reddidit cultum hunc Deiparæ.

19. Jam quantum spectat ad mores, quæro quid certò honestet cultum Deo, & Deiparæ sub hoc titulo impensum? Quid ab initio, quando maxima Theologorum pars reclamabat, eum honestabat? Quid reddidit summos Pontifices certos se in fovendo hoc cultu laudabiliter fuisse operatos? Sola probabilitas quòd Beata Virgo sine peccato concepta fuerit. Hac enim demptâ, tam Pontifices cultum illum promovendo; quàm subjecti Fideles eum procurando peccassent, sicut peccarent, si absque ratione probabili, talem cultum Deo exhiberent in honorem Conceptionis Enoch, v. g. cujus exemptio probabili ratione non confirmaretur. E contrà si probabile esset Enoch tali privilegio fuisse præventum, illicò hæc omnia evaderent licita relatè ad cultum Deo & Sancto suo propter talem præservationem impendendum.

Ex hoc particulari eadem assertio universaliter concluditur de aliis omnibus.

20. Ex hoc autem particulari indubitanter vero, idem infertur de omnibus aliis. Nam ubicumque in materiâ fidei aut morum datur directa probabilitas de honestate operis, illa non minùs fundat certitudinem reflexam de honestate electionis, non obstante periculo erroris in tali judicio directo, quàm probabilitas immunitatis Deiparæ, non obstante periculo erroris, fundet certitudinem reflexam de honestate judicii alteri parti alligati, & cultûs Deo sub hoc titulo impensi. Ergo certa probabilitas partis minùs tutæ universaliter sufficit pro securitate conscientiæ in materiâ fidei & morum.

21. Et sanè, quod spectat ad materiam fidei, manifestum est, quod liceat sequi quamvis ex opinionibus certò probabilibus, quas Ecclesia tolerat, & quæ à Doctoribus Catholicis in materiâ fidei traduntur; quia cùm ex neutrâ parte reperiatur certitudo, & certa probabilitas utrique parti faveat, utraque rationabili fundamento innititur, ideóque honestè eligi, & prudenter credi potest vera. Quod autem hinc argumentari liceat, & quidem efficaciter ad materiam morum, apertè constat non solùm ex Recentiorum, sed omnium Antiquorum unanimi consensu. Certè Sylvester, Major, Angelus, S. Antoninus, Nider & Gerson audacter utuntur hoc argumento tamquam à fortiori, ad probandum quòd in materiâ morum licitum sit sequi minùs tutam. Verba illorum citabuntur quæst. seq.

Ratio sexta.

22. Denique sic arguo. Si daretur obligatio sectandi probabiliora, id esset, vel quia essent tutiora, vel rationabiliora; neque enim alia ratio excogitari potest, quàm

quæ

quæ in altero horum capitum fundatur. Non quia tutiora; nemo enim tenetur sectari tutiora, ut ex S Antonino, Majore, Landulpho, aliisque omnibus tam antiquis quàm modernis fusè constabit *quæst. sequenti.* Præterea si tutioribus inhærendum esset, non liceret sequi probabiliora quando sunt minùs tuta; At hoc est falsum, ergo &c. Non quia rationabiliora; nemo enim tenetur ad rationabiliora, & perfectiora, quia ad vitandum peccatum sufficit sequi quod rationabiliter & prudenter creditur bonum. ergo ad non peccandum sufficit si bona fide sequamur probabilia; quod verum est, etsi sint minùs probabilia; quod *quæst. 23.* clarè demonstrabitur; ex quo præsens assertio à fortiori confirmabitur, & demonstrabitur esse vera.

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima.

23. OBjicies I. In sectandâ opinione minùs tutâ, sed æquè probabili, tantum est periculum erroris & peccati materialis, quanta est spes veritatis, & honestatis. ergo actio conformis tali opinioni non potest esse honesta. ergo par probabilitas pro honestate partis minùs tutæ, non fundat certam honestatem electionis ad partem minùs tutam terminatæ.

Respon-sio.

Resp. honestatem esse duplicem, aliam objectivam, aliam formalem. Objectiva est conformitas objecti, in quod actus tendit, cum judicio & voluntate Dei omnibus illud universaliter proponentis ut licitum. Formalis est conformitas electionis cum divinâ voluntate illam permittente, non vetante &c. Hæ duæ honestates separabiles sunt ab invicem, ut patet in operante malum ex ignorantiâ invincibili; in accedente ad suam conjugem, verè non suam, sed quàm prudenter reputat esse suam, non obstante improbabili & levi conjecturâ oppositi; & in sectante opinionem minùs tutam,

Honestas alia formalis, alia objectiva.

Utraque ab alterâ est separabilis.

sed paulò probabiliorem oppositâ tutiore. Actus enim, quem isti eliciunt, habet honestatem formalem, quia verè conformatur voluntati, quâ Deus, saltem per accidens, in illo sibi complacet. Similiter Deus non displicet sibi in objecto posito, si illud non consideretur præcisè secundùm se, sed solùm prout substat huic determinato judicio, aut ignorantiæ præviæ, &c. nam prout substat hisce circumstantiis, & prout sub illis eligitur, nullam pœnam meretur, sed licitè ponitur. Nihilominus, stante hâc honestate formali, objectum ipsum secundùm se est inhonestum, sed materialis hæc inhonestas, ejusque apparentia etiam probabilis non inhonestat electionem, nec ab ea tollit honestatem formalem. Exemplo totam difficultatem expedio. Dicit Scotista. *Deipara sine peccato concepta est.* Hîc duo considero, actum ipsum, & objectum actûs. Actus est certò honestus, certò licitus; Nam Sanctiss. D. N. Alexander VII. in bullâ citatâ damnat eos, qui ejus honestatem in dubium revocant. Nihilominus objectum ipsum est solùm probabiliter consonum sacræ Scripturæ, & consequenter solùm probabiliter honestum; nam si sacræ Scripturæ opponeretur, nec verum esset, nec honestum; sed falsum & turpe. Idem dicendum est de Thomistâ, non quidem publicè docente, (nam hoc vetitum est) sed interiùs probabiliter judicante oppositum. Ecce par, aut etiam majus periculum erroris, & inhonestatis materialiter sumptæ non tollit, nec impedit certitudinem honestatis formalis in electione terminatâ ad objectum materiale, cujus veritas & honestas certa non est, sed tot & tam efficacibus rationibus improbatur, quot confirmatur.

Periculum probabile inhonestatis objectivæ cohæret cum certitudine honestatis formalis.

24. Ratio à priori istius rei hæc est; quia licet objectum illud materiale secundùm se consideratum, & prout apparet antecedenter ad omne judicium, & præsum-

Ratio à priori declaratur.

Qq ptionem

ptionem uni parti alligatam, non sit certò honestum; sed tantùm appareat periculum erroris, quanta elucet spes veritatis; nihilominus dantur in actu primo motiva talia pro utrâque parte, ut quisque in actu secundo pro arbitratu suo possit certò prudenter præsumere veritatem ex hâc potiùs, quàm ex illâ parte latêre. Jam ergo si quis ante hanc, aut aliam ejusmodi prudentem præsumptionem honestatis operaretur, indubitanter peccaret, quia objectum illud non substaret circumstantiis honestantibus electionem ipsius; At si non operetur, nisi consequenter ad præsumptionem honestatis certò prudentem & probabilem, certum est electionem terminatam ad objectum, cujus honestas prudenter præsumitur, esse honestam; quidquid sit, an objectum ipsum secundùm se sit, vel non sit vetitum, aut permissum. Unde quamvis periculum erroris & inhonestatis objectivæ in objecto materiali appareat, nullum tamen apparet periculum inhonestatis formalis electioni inexistentis; sed conscientia de illius honestate certificatur, uti videre est in exemplo allato, & clarè colligitur ex dictis.

Objectio secunda. 25. Objicies secundò. Agens liberum, ut licitè operetur, debet habere certitudinem de honestate actûs, quem ponit, quia ultimum judicium conscientiæ debet esse certum, ut operationem, quam regulat, reddat honestam. At stante pari probabilitate de inhonestate & honestate operis talis certitudo haberi non potest. ergo stante tali probabilitate agens liberum non potest licitè sectari opinionem minùs tutam, etsi æquè probabilem cum tutiore. Probatur minor: quamdiu par est probabilitas de honestate & inhonestate objecti ponendi, tamdiu probabilitas de honestate & inhonestate electionis ad illud terminatæ est par; quia objectum refundit honestatem & inhonestatem in actus, quos terminat. ergo quandiu par est probabilitas de honestate & inhonestate objecti ponendi, electio ad illud terminata non potest esse certò honesta. ergo nullo modo potest esse honesta. Hæc & præcedens objectio revera continent quidquid favet & favere potest Adversariis.

Respondeo. Resp. Distinguo majorem. Agens liberum, ut honestè operetur, debet esse certum de honestate materiali & objectivâ sui actûs nego; de honestate formali ejusdem, concedo majorem. Certissimè enim constat ex allatis exemplis certitudinem de materiali ejus honestate non requiri, quia sæpè certum non est, quòd objectum materiale, ad quod actus terminatur, sit honestum, & tamen certum est, electionem talis objecti esse honestam. Minor eandem distinctionem admittit; nam quandiu par est probabilitas de honestate & inhonestate operis, tamdiu probabilitas de materiali tantùm honestate & inhonestate electionis est par; nulla autem est probabilitas de ejusdem inhonestate formali, sed omnimoda certitudo de ejusdem honestate, modò intellectus procedat, & formet dictamen conscientiæ juxta modos hactenus explicatos, aut alios illis æquivalentes, de quibus sermo erit in sequentibus. (Ad honestatem actûs non requiritur honestas objecti materialis secundùm se considerati.)

Respondetur ad confirmationem minoris. 26. Ad confirmationem minoris dico, quòd sicut electio potest esse honesta, licet objectum materiale non sit; ita electio potest esse certò honesta, licet objectum materiale non sit certò honestum, sed probabiliter inhonestum, ut constat ex allatis exemplis, & rationibus. Sed ad formam argumenti distinguo antecedens; quandiu probabilitas honestatis & inhonestatis operis ponendi est par, tamdiu probabilitas directa de honestate & inhonestate electionis quæ dirigitur à principiis synderesis directis, & à discursu per ratiocinationem directam habita est par, conceditur antecedens. Tamdiu probabilitas indirecta de honestate, & inhonestate operationis, quæ

per

per principia ſynderesis reflexa & per comparationem objecti cum circumſtantiis intentionalibus hic & nunc in perſonâ operante exiſtentibus dirigitur, eſt par, negatur antecedens; quia hoc eſt evidenter falſum, ut conſtat ex rationibus & exemplis allatis. nam operans per hæc principia certificatur de honeſtate ſuæ electionis in iſtis circumſtantiis poſitæ, non obſtante probabili apparentiâ de inhoneſtate materiali objecti, in quod fertur pro aliis circumſtantiis, quæ univerſaliter reſpiciunt omnes, ut ſæpè dictum eſt.

Objectum formale, non materiale, refundit honeſtatem in electionem voluntatis.

27. Ad id quod dicitur objectum refundere honeſtatem in electionem, id fateor eſſe verum de objecto formali, ſcilicet de placito Dei, quo Deus vel per ſe, vel ſaltem per accidens ſibi complacet in electione hujus objecti; At loquendo de objecto materiali id univerſaliter verum non eſt, nam multa nec bona ſunt, nec mala, niſi prout permittuntur, aut prohibentur à Deo. Immò loquendo de iis, quæ ſunt intrinſecè bona & mala idipſum non eſt verum niſi remotè, quatenus poſtulant à Deo præcipi, conſuli, aut prohiberi, & quatenus habent vim indicandi, quod Deus in eorum electione ſibi complaceat, aut diſpliceat. Jam hæc doctrina locum habet in caſu noſtro; nam etſi electio hujus objecti, ut ſubſtans circumſtantiis univerſaliter afficientibus omnes, non habeat vim indicandi Deum certò ſibi complacere in illa, nam ſolùm probabiliter hoc indicat, tamen hæc determinata electio hujus objecti prout hîc & nunc afficit hanc perſonam, & ſubſtat conſcientiæ certò prudenter conſtitutæ de univerſali honeſtate rei, omninò certificat operantem quòd Deus hic & nunc, ſaltem per accidens, ſibi complaceat in illâ. Qui hæc ritè intelligit, magnâ ex parte attingit ipſum fundamentum præſentis controverſiæ, clarè detegit adverſariorum fallacias, ipſamque rei veritatem intuetur.

Objectio tertia.

Utrum ſacerdos poſſit licitè celebrare die dominico, poſt eſum carnium tranſacto ſabbatho.

28. Objicies 3. Si liceret ſequi opinionem probabilem, multæ leges graviter obligantes fruſtrarentur. Probatur ſequela. Probabile eſt quod dato ſub finem ſabbathi ſigno mediæ noctis liceat carnes edere, quia probabile eſt diem dominicum incœpiſſe. Jam Caius præsbiter ſequatur hanc opinionem, & audito primo pulſu mediæ noctis carnes comedat. Hactenus Caius non peccavit. Ponamus jam quòd Caius finitâ comeſtione audiat aliud horologium dans ſignum mediæ noctis. Jam ergo probabile erit illum jejunum eſſe relatè ad diem dominicum, quia probabile eſt ſabbatum nondum fuiſſe tranſactum, quando ille eſum ſuum abſolvit. ergo licitum illi erit celebrare die dominico. Hoc autem licitè peracto, fruſtrabitur præceptum de non celebrando die dominico poſt eſum carnium à die ſabbathi excluſivè. Idem valet de eo, qui recitaturus horas, dicat ſe ſuas veſperas differre uſque ad ultimum quadrantem horologii A. Interim horologium B. dat ſignum mediæ noctis. jam ergo non tenebitur dicere horas illas, quia probabile eſt diem, cui onus illas recitandi alligabatur, tranſiiſſe. ergo ſi liceret ſequi opinionem probabilem minùs tutam, fruſtrari poſſent leges imponentes onus certiſſimum.

Aut veſperas licitè omittere propter varietatem horologiorum.

Reſponſio.

Reſp. caſus hos aliosque ſimiles, quorum plures affert Lugo *diſp. 15. de Euchariſt. ſec. 2. num. 45. & ſeqq.* dupliciter conſiderari poſſe: primò ita ut operans ab initio habeat probabilitatem de mediâ nocte nondum elapsâ, ſed poſtea vel propter lunæ ecclipſim, aut aliunde certò ſciat, noctis medium elapſum eſſe. Secundò ita ut ſemper maneat incertus, ſolamque probabilitatem habeat de utrâque contradictionis parte. In primo caſu ille qui bonâ fide certò probabiliter crederet mediam noctem nondum adveniſſe non peccaret, rationabiliter differendo horas uſque ad tempus reſiduum ſufficiens earundem recitationi; ſed neque deinceps

 peccaret

peccaret eas absolutè omittendo, si evidenter sciret mediam noctem contra suam expectationem elapsam esse. Verùm hoc raró potest contingere. Similiter, si quis probabiliter crederet mediam noctem advenisse, esto non peccaret carnes edendo, si simul haberet animum non celebrandi die dominico: hic tamen, si postea certò sciret nondum esse mediam noctem, posset die dominico celebrare, quia certò sciret se esse jejunum, & bonâ fide materialiter tantum violasse præceptum non edendi carnes die sabbathi. Quòd si præceptum recitandi horas, aut abstinendi à carnibus die sabbathi hîc & nunc frustretur in hoc homine particulari, id est per accidens, nec censeri debet inconveniens, sicut non est inconveniens, si Laicus, aliunde impotens ad communicandum die dominico, in dicto casu carnes ederet; nam conjunctio communionis sequuturæ, nullam superaddit difficultatem in ordine ad præsentem quæstionem, in hoc primo sensu intellectam.

In casu objectionis etsi detur simultas probabilitatis, non datur probabilitas simultatis

29. Quòd si sermo sit in secundo sensu, dico utramque partem contradictionis esse simul probabilem, sed non esse probabile utramque simul esse veram. Id est, fateor dari quidem simultatem probabilitatis, sed certum est non dari probabilitatem simultatis. Itaque esto probabile sit hoc determinatum instans A. antecedere mediam noctem; & postea probabile sit, quòd media nox illud antecesserit, & è contrà; numquam tamen probabile erit duo instantia temporis à se remota simul copulativè sumpta concidere cum noctis medio; quia hoc est evidenter impossibile. Hoc posito, sic discurro. Licet sequi quamcumque opinionem probabilem seorsim sumptam, non tamen licet simul sequi quamcumque collectionem opinionum probabilium, quia probabile est singulas esse veras; sed non est probabile, quod omnes collectim sumptæ sint veræ. Doctrinâ hanc applico casibus in argumento allatis. Dantur duo præcepta certò obligantia copulativè; alterum non comedendi carnes durante sabbatho; alterum non celebrandi die dominico, nisi jejunium naturale à mediâ nocte præcesserit. Jam si Caius post primum mediæ noctis signum comedat carnes, & post secundum abstineat; & deinde celebret die sequente, non poterit esse probabile illum satisfecisse utrique huic præcepto copulativè; sed tantùm alteri disjunctivè sumpto; non enim potest esse magis probabile quòd utrique præcepto copulativè satisfecerit, quàm sit probabile instans A. esse, & simul non esse instans mediæ noctis. Nam ut satisfaciat præcepto abstinendi à carnibus, instās A. quod est media nox, debet præcessisse comestionem; At ut satisfaciat præcepto debitè comunicandi, non instans A. sed aliud instans posterius consequens comestionem debet esse instans mediæ noctis. Ergo tam impossibile est utrumque præceptum materialiter impleri in hoc casu, quàm impossibile est idem instans A. esse & simul non esse instans mediæ noctis. At hoc est evidenter impossibile; ergo & illud. Jam ergo cùm sit evidenter impossibile utrumque hoc præceptum materialiter sumptum copulativè impleri, non potest esse probabile quod utrumque materialiter impleatur; quia nil evidenter impossibile potest esse probabile. Jam ut aliquis excusetur à violatione præcepti per opinionem probabilem, debet esse probabile quòd sic operando materialiter impleat illud præceptum. ergo nemo per opinionem probabilem excusatur à violatione alterutrius duorum præceptorum collectivè obligantium, nisi probabile sit illum per suas operationes materialiter implevisse utrumque collectivè sumptum, At hoc non habetur in casu nostro; ergo non est probabile quod non violet alterutrum illorum; immò oppositum

Non est probabile sacerdotem sic operantem non violare aliquod præceptum certum.

situm est certum ipsi operanti: peccat ergo indubitanter qui sic operatur.

Idem valet de omittente horas.

30. Idem valet pro secundo casu, quia duo præcepta certa sibi succedentia & copulativè obligantia urgent sacerdotem ad bis recitandas vesperas intra spatium duorum dierum. Jam non potest esse probabile, quòd utrumque impleverit copulativè, si procedat, uti contendit objectio; & hoc ipsi certò innotescit; ergo non est probabile illum taliter procedendo excusari, sed certissimum est illum materialiter, & consequenter etiam formaliter, peccare. Ita fermè respondet Esparza *de act. hum. quæst. 23. art. 1. ad 3.*

Qui eligit tempus ultimum pro solutione debiti, non potest licitè mutare sententiam in fraudem præcepti.

30. Optima etiam est responsio Cardinalis Lugo loco citato, qui benè advertit, obligatum ad horas canonicas tandiu teneri ad recitationem officii, quandiu probabile est mediam noctem nondum advenisse, quia præceptum est certum, & in possessione; solutio autem adhuc possibilis. ergo. Præterea in casu objectionis, ideò teneris horas recitare; quia tu ipse elegisti alterum horologium pro termino, ante quem debitum hoc solveres. ergo quandiu non est certum, tempus solvendo destinatum effluxisse, teneris pensum solvere ante ultimum illud instans, quod tu ipse ex tacito consensu Domini tibi elegisti ad solvendum. Ita respondet Lugo, qui etiam acutè & efficaciter probat, eam esse intentionem Dei supremi legislatoris, unicuique naturæ ductu intimatam, ut quoties præceptum aliquod, propter ignorantiam determinati instantis in quo expirat, prudenter eligatur ut implendum tali tempore, quod probabiliter judicatur esse opportunum, toties non sit illi personæ licitum mutare suam sententiam, in fraudem præcepti, nisi veritas ipsa certò innotescat. Ratio autem est; quia certum est Dei præcepta certò obligare, & non posse admittere ullum medium, per quod certò, & facilè frustrentur. ergo eo ipso constat talem sententiæ mutationem aut licitam non esse, aut certè non extinguere obligationem solvendi debitum; alioquin præceptum Dei certò obligans, certò non obligaret, sed certò frustrari posset. Dicere autem contrarium est laxitas non ferenda. Præterea ut per judicium probabile quis excusetur, non oportet solùm considerare singula judicia, quæ format de rebus ad hujus præcepti obligationem spectantibus; sed oportet omnia collectim inspicere; & si inveniatur, quòd in omnibus collectim sumptis probabile sit ipsum non errâsse, sed veritatem attigisse, eo ipso licitum illi erit sequi totum suum dictamen prudens. At si è contrariò conflatum illud judiciorum non habeat probabilitatem, sed certum sit omnia simul non posse esse vera, pariter certum erit illa judicia, etsi successivè eliciantur, non posse excusare quemquam, quia illa per modum unius sumpta non sunt dispositio prudens & rationabilis, sed evidenter imprudens & falsa; cùm tamen tota persuasio intellectûs, qua disponimur ad operandum vel non operandum, debeat esse prudens, etsi sumatur per modum unius, ad hoc ut per illam excusemur. Certum ergo est operantem juxta modum in objectione præscriptum peccare, & nullatenus excusari posse.

Collectio judiciorum quibus dirigimur ad operandum debet esse probabiliter vera, ut per eam liceat sequi partem minùs tutam.

Quid liceat sacerdoti in casu allato?

31. Quocirca ex usu licito cujusvis opinionis probabilis, solùm sequitur Caium posse hac die sabbathi carnes edere post primum signum noctis mediæ, modò velit sequenti die à communione abstinere; & iterum sequenti sabbatho comedere cibos illo die non vetitos, usque ad secundum mediæ noctis signum, & deinceps die sequenti celebrare; sic enim probabile erit ipsum verè implesse omnem legem obligantem, adeóque reflexè loquendo certus erit se non peccâsse sic faciendo, sicut ante operationem per ultimum conscientiæ dictamen ex principiis reflexis formatum, certus

certus erat se sic operãdo non peccaturum.

32. Objic. 4. ex Wendrockio *in differt. de probab. sec. 2. parag 5. Qui incertus est an rem illicitam fecerit, hic securus esse non potest se non peccâsse. At qui opinionem probabilem secutus, id fecit quod probabiliter tantùm putabat esse licitum, is certus non est id, quod fecit, non esse illicitum, id est peccatum. ergo securus non est se non peccâsse.* Ita Wendrockius, qui sic à posteriori, ex defectu testimonii conscientiæ certificantis de honestate operationis transactæ, arguit non præcessisse certificationem de honestate operationis ponendæ; adeóque defuisse dispositionem sufficientem ad honestandam actionem illam, quæ proinde cognoscitur fuisse peccaminosa.

Objectio quarta ex Wendrockio.

Resp. majorem evidenter falsam esse, si sermo sit de inhonestate objectivâ rei positæ secundùm se spectatæ, quæ tamen vera est, si loquamur de inhonestate electionis hîc & nunc positæ ab operante. Nam qui non est securus aut opus positum esse secundùm se honestum, aut electionem illius hîc & nunc positam esse licitam, non est certus se non peccâsse. At qui è contrà certus est operationem fuisse honestam, certus est se non peccâsse, etsi non sit certus objectum positum fuisse honestum; ut patet in accedente ad suam uxorem verè non suam, cum vero sed improbabili tantùm, eoque exploso dubio de invaliditate matrimonii initi. Minor eodem modo distinguitur; non est certus electionem suam fuisse licitam, nego; non est certus objectum electum esse secundùm se licitum, cõcedo minorem; & nego consequentiam. Et sanè in hoc tam Wendrockii, quàm aliorum nobis adversantium error consistit, quòd numquam reflectant ad honestatem operationis, sed solùm figant mentem in honestate objectivâ operis secundùm se, similiter solùm considerant quid ex principiis directis universaliter inferri possit de honestate operis secundùm se, numquam autem respiciunt ad principia synderesis reflexa, & quid ex illis concludatur de honestate hujus particularis electionis; de quâ tamen tota disputatio unicè procedit.

Responsio.

33. Objicies 5. ex eodem Wendrockio *in appendice ad dissertationem de probab. parag. 9.* Qui dubitat an sit iniquum, quod agit, certissimè peccat. Sed qui post rationes expensas judicat utramque contradictionis partem esse æquè probabilem, strictè & propriè dubitat de veritate utriusque. Ergo sic judicans certissimè peccat si sectetur partem minùs tutam, quia ponit objectum de quo dubitat an sit iniquum. Ad hoc reducitur tota vis argumenti, quòd ibi fusiùs prosequitur; quodque asserit non minùs evidenter demonstrare falsitatem nostræ sententiæ, quàm argumenta mathematicorũ certissima geometriæ effata demonstrẽt.

Objectio quinta.

Demonstratio imaginaria Wẽdrockii.

Resp. Wendrockium aut ignorare, quid sit indirecta probabilitas opinionis, aut eam cum directâ ejusdem probabilitate confundere. Nam qui asserit utramque contradictionis partem esse directè æquè probabilem, non ideò dubitat de veritate rei, quia ex rationibus reflexis certò scire potest, partem minùs tutam esse longè probabiliorem oppositâ, quamvis hæreat dubius quænam ex motivis directis sint aliis probabiliora. Jam quando dicimus eum, qui omnibus inspectis credit utramque partem contradictionis esse directè æquè probabilem, posse pro libitu sectari partem minùs tutam, id non asserimus præcisè ex vi motivorum directorum, quæ ille, omnibus pensatis, in actu secundo reputat æqualia, sed maximè ex vi argumentorum indirectè & reflexè probantium (quorum aliqua jam perpendimus, reliqua autem, *duabus quæstionibus seqq.* clarissimè proponentur) & incomparabiliter prævalentium omnibus, quæ in contrarium afferri possunt. Itaque minor prætensæ demonstrationis Wendrochianæ est apertè falsa.

Responsio.

Wendrockius confundit directam probabilitatem cum indirectâ.

34. Præ-

Non impugnat sensum legitimum assertionis.

34. Præterea, quando dicimus, cuique licitum esse sectari quamcumque ex partibus directè æquè probabilibus, etsi operans ad argumenta reflexa non respiciat; sermo est de æqualitate rationum utrique parti faventium pro priori ad omnem affectum & judicium uni parti impensum, quâ non obstante, probatum est *quæst. 8.* intellectum flecti posse in actu secundo ad existimandum, partem minùs tutam esse unicè veram, in quo casu operans non manet dubius de honestate operis, sed directè credit illud esse licitum, & per novam consultationem certificatur de honestate suæ operationis, ut cónstat ex dictis. Totum autem quod intendimus est, eum à peccato excusari, qui antequam operetur certò probabiliter concludit partem, quam sectatur, esse licitam, sive hoc ex directis, sive reflexis argumentis inferat. Et sanè argumenta allata hoc verum esse convincunt, & idipsum ex dicendis *duabus quæst. seqq.* apertiùs constabit. Ecce iterum. Minor demonstrationis Wendrockianæ sumitur in sensu diverso ab eo, in quo sumitur à nobis, quando dicimus solam probabilitatem directam ad conscientiæ securitatem sufficere. Proh qualis demonstratio!

Dubium de honestate objectivâ, cohæret cum certitudine honestatis formali.

35. Sed neque major est vera, si sermo sit de inhonestate objectivâ operis secundùm se spectati, nam qui dubitat de illâ, sæpè certus est de honestate formali operationis ad illud materiale terminatæ. Sic *in cap. inquisitioni 44. de sent. excom.* definitur, uxorem posse licitè debitum reddere, etsi dubitet de validitate matrimonii; & *in cap. quid culpatur. 23. quæst. 1.* traditur, subditum à principe vocatum ad bellum licitè bellare, etsi dubitet de inhonestate operis præcepti. Itaque dubium de inhonestate objectivâ rei, quam eligimus, rectè cohæret cum certitudine de honestate operationis. ergo major falsa est, nisi intelligatur tam de inhonestate formali operationis, quàm objectivâ operis; at in hoc sensu minor est falsa, nam etsi quis formidet, ne si veritas certò innotesceret, pars minùs tuta sciretur esse inhonesta, adhuc potest absolutè flectere assensum ad absolutè credendum, quòd liceat, & ex principiis ac argumentis reflexis (de quibus sermo erit in sequentibus) multis viis consurgere ad formandam conscientiam certam de honestate suæ operationis. Ecce demonstratio Wendrockii undique corruit.

Objectio sexta.

36. Objicies 6. ex Wendrockio in *appendice de libro Prosperi Fagnani art 9.* exemplum Medici non est ad rem, quia Medici habent certam scientiam, quòd liceat uti mediis probabilibus; nam ex duobus malis minimum est eligendum. Medici autem certò sciunt, minùs periculosum esse uti remediis probabilibus quàm nullis. Ita Wendrockius qui hac ratione putat se sufficienter explodere exemplum Medici à Caramuele allatum pro benignâ sententiâ, & à nobis superiùs ponderatum.

Responsio.

Wendrockius non percepit vim argumenti, quod impugnat.

Resp. Wendrockium non percepisse vim argumenti à Caramuele allati. Caramuel enim loquitur de curâ morborum acutorum, de quâ propter Paracelsistas & Galenicos sibi contradicentes, solùm est probabile remedium, quod præscribitur, fore potiùs proficuum quàm nocivum. Utraque enim secta alteram evidentis periculi arguit. Jam unde, quæso, Medicus habet certam scientiam, quòd benè operetur præscribendo remedium tam incertum? Non ex illo principio per se noto. *E duobus malis minimum est eligendum.* Nam quæ, quæso, minor certa subsumi potest? an illa, quam ponit, aut potiùs supponit Wendrockius? scilicet: *sed minus malum est præscribere hoc remedium probabile, quàm nullum.* Nullo modo: nam hæc propositio etsi vera sit aliquando in morbis consuetis, quando medicina est certò tuta, non tamen vera est in morbis acutis, nam si Galenici asserant

afferant illam propositionem esse veram, Paracelsistæ eam falsissimam esse contendunt. Quæ ergo certitudo in hac minore? aut unde ficta illa certitudo Wendrockiana deduci potest? SIet ergo exemplum Medici esse argumentum solidissimum pro confirmandâ nostrâ sententiâ.

Objectio septima ex Wendrockio.

57. Objicies 7. ex eodem Wendrockio *in eâdem appendice art. 12.* exemplum de cultu B. Virginis absque originali conceptæ, & de Bullâ Alexandri VII. non est ad rem; quia Pontifex ex principiis certis processit ad condendum statutum, quod evulgavit. Conatur autem assignare ea principia; unde infert, eum in solâ probabilitate fundatum non fuisse, atque ideò nil ex hac Bullâ in favorem benignæ sententiæ deduci posse.

Responsio.

Resp. Wendrockium, quantùm spectat ad substantiam argumenti, nil penitus afferre, quo vel apparenter solvatur. Dicimus enim, opinionem de Virgine aut infectâ, aut liberâ peccato originali, esse objectum spectans ad fidem, & bonos mores. Ad fidem directè, quia versatur circa intelligentiam sacræ Scripturæ, quam qui perperam contra veritatem accipit, Deum mendacem facit, & gravissimè peccat. Ad bonos verò mores, quia cultus, quem fideles Deo in honorem Virginis præservatæ exhibent, fundatur in persuasione probabili de ejus immunitate. Hactenus nil est quod aut reprehendat, aut possit reprehendere Wendrockius. Pergo. ergo qui eligit alterutram ex dictis opinionibus eligit objectum spectans ad fidem & bonos mores. Illatio est evidens. At quamcumque partem eligat, eligit minùs tutam. Nam in quæstionibus hujusmodi pars unicè tuta est omne judicium suspendere, donec veritas ab Ecclesiâ declaretur. Hæc etiam illatio est evidens. Hoc tamen non obstante, nemo peccat, quamcumque illarum sententiarum sectetur. Non peccato erroris contra fidem; non peccato superstitionis contra religionem colendo Virginem sic præservatam, Deum sic præservantem. Quæro autem unde excusetur. Non aliunde quàm à probabilitate; si enim illa deesset assensus contineret peccatum erroris, & cultûs superstitionem involveret.

Argumentum ab assensu & cultu B. Virginis ab originali præservatæ deductum iterum expenditur contra Wendrockium.

Contra hæc certissimè illata nil, quod potui videre, respondet Wendrockius. Jam eadem ratio, quæ excusat sic sentientes & operantes, pariter excusat Pontificem constituentem Bullam præfatam. Quòd autem Pontifex excusatus fuerit per principia certa, & non merè probabilia, verum est de principiis synderesis reflexis. Verùm illa principia in alio non fundantur, & practicè fundari non possunt in alio, quàm in probabilitate sententiæ de Deiparæ immunitate, tamquam in objecto; hac enim ablatâ turpiter cultus indiceretur, & peccaminosè tali mysterio assensus præberetur; ut patet. At eadem est ratio in omni alio objecto eligibili; cujus honestas directè cognita est certò probabilis, quamvis illa sit pars minùs tuta, eò quòd probabilis etiam sit ejusdem inhonestas; nam per principia synderesis reflexa, fundata in probabilitate directâ ut in objecto, intellectus consurgit ad certitudinem & evidentiam de honestate suæ electionis. Argumentum itaque, quod cum Caramuelo ab his exemplis deduximus, efficacissimum est, quantumcumque Wendrockius conetur oppositum persuadere, nam reverâ nullibi in respondendo assequitur vim argumenti, nec tangit punctum difficultatis.

Objectio octava ex Baronio.

58. Objicies 8. ex P. Vincentio Baronio *disp. 2. sec. 3. art. 2. parag. 3.* Res fidei ad tres classes reducuntur. Aliæ sunt certò revelatæ, & expresè declaratæ ab Ecclesiâ, tamquam certa fidei dogmata. Aliæ sunt evidenter cum istis connexæ; & tales sunt omnes conclusiones verè Theologicæ, quæ evidenter deducuntur ex utrâque præmisâ revelatâ;

Res fidei ad tres classes reducuntur.

revelatâ, vel unâ revelatâ & alterâ evidente. Aliæ demum probabiliter tantùm connectuntur cum rebus revelatis. Jam exemplum immaculatæ Conceptionis reducitur ad hanc tertiam classem; & consequenter non spectat ad materiam conscientiæ. At in rebus spectantibus ad duas classes priores nemo propter ullam probabilitatem excusatur à peccato contra fidem. Ergo in materiâ fidei numquam licet sectari partem minùs tutam, etsi probabilem; modò sermo sit de re, quæ ad conscientiam spectat.

Responsio. Resp. distinctionem hanc Baronii esse utilem ad præsentem quæstionem. Quantum autem spectat ad objecta sub prioribus classibus contenta, illa non possunt esse probabilia in sensu composito cum expressâ definitione Ecclesiæ, aut cum evidenti illatione ex principiis certis & evidentibus. Quocirca dicere, nullam probabilitatem excusare opinantes contra fidei dogmata sufficienter proposita, aut contra conclusiones Theologicas evidenter ex certis præmissis illatas, est loqui de subjecto, ut aiunt, non supponente. Nos enim, & omnes nobiscum sentientes, unanimiter supponimus, nullam apparentiam de falsitate talium objectorum esse posse probabilem. Imò hoc ipsum non semel efficaciter demonstratum est in superioribus. Solùm ergo restat, an certa probabilitas de veritate mysterii alicujus non sufficienter propositi excusare possit à peccato dantem fidem illi mysterio. Nos dicimus unumquemque excusari à peccato, si credat tale mysterium, modò & speculativè probabile sit mysterium illud esse verum, simulque sit certò practicè probabile, fidem licitè illi posse impendi; ad confirmationem afferimus exemplum de immaculatâ Deiparæ Conceptione, de quâ licitum est cuicumque parti assensum præbere, quamvis tutius esset omnem assensum suspendere. Neque locum habet major probabilitas ad inducendam obligationem subscribendi parti probabiliori. Idem autem valet in omni ejusmodi casu spectante ad fidem, quia eadem ratio æquè in omni casu excusat operantem ex conscientiâ probabiliter seu prudenter constitutâ.

39. Porrò quod Baronius dicit, rem hanc ad conscientiam non spectare, falsissimum est; si enim ad conscientiam non spectâsset, quomodo tot clamores excitati fuissent ab impugnatoribus immaculatæ Conceptionis contra ejusdem defensores, quos olim hæreseos arguebant; quasi sacræ Scripturæ authoritatem negligerent, ut imprudenti pietati ad nil utili indulgerent? Certè hinc inde eò progressa est contentio, ut singulæ partes partem adversam peccati mortalis ream condemnarent. Et fortassis nondum quievissent turbulentæ hæ rixæ, nisi Sedes Apostolica expressè vetuisset, ne ulla pars adversam partem ideò peccati arguat, quòd vel negantem vel affirmantem sententiam teneat. certum ergo est quæstionem de immaculatâ Conceptione ad conscientiam pertinere, alioquin nullus hisce clamoribus locus fuisset. Præterea qui novam sententiam inveheret, & diceret S. Josephum, aut Jeremiam Prophetam immunem fuisse à labe originali, diceret rem spectantem ad conscientiam, & ad fidem. Quomodo ergo non dicebant rem spectantem ad conscientiam, qui primi id affirmârunt de Deipara? Res utique utrobique ad conscientiam pertinet, nec alia est aut excogitari potest diversitas, quàm quòd Patroni immunitatis Deiparæ fundamento probabili nixi limitationem appusuerint ad generales locutiones sacræ Scripturæ, ideóque non peccaverint; qui autem idem assererent de aliis, peccarent non aliâ de causâ, quàm quia sine fundamento prudenti seu probabili novas interpretationes imprudenter affingerent sacræ Scripturæ.

Quæstio de immunitate Deiparæ est res spectans ad conscientiam.

40. Demum fateor quæstionem de immaculatâ Deiparæ Conceptione nunc am-

Opinio de immunitate Deiparæ spectat ad conscientiam tamquam res certò licita, idque non aliun de quàm quia est certò probabilis.

pliùs non esse materiam ita spectantem ad conscientiam, ut ullum supersit dubium prudenter suspicandi peccatum aut peccandi periculum latere in eximendâ B. Virgine à reatu labis originalis, quia Pontifices declarârunt oppositum. Verùm simul dico, Pontifices non aliâ ratione hoc declarâsse, quàm quia declarârunt opinionem de immunitate Deiparæ esse certò probabilem, & prudenti motivo innixam. Hoc enim declarato, consectarium est, nullum esse posse peccatum aut peccati periculum in tali judicio, etsi fortassè contingat illud esse erroneum. E contrà, hoc ablato, Pontifices non potuissent illud declarare, quia judicium illud fuisset peccaminosum, propter manifestum periculum erroris in rebus ad fidem spectantibus. Verùm hinc sequitur, usum opinionis cujusvis, si sit certò probabilis practicè, esse licitum, quodque si Pontifex declararet aliquam opinionem affirmantem aliquid esse licitum, esse certò probabilem, unà definiret usum ejus esse licitum, sicut enim hæc duo conjunctim necessariò definita sunt in materiâ de immaculatâ Conceptione, ita necesse est ea in omni aliâ materiâ conjunctim declarari.

QUÆSTIO VIGESIMA-SECUNDA.

Utrùm opinio, dictans usum partis minùs tutæ & directè minùs probabilis esse licitum, sit authenticè probabilior oppositâ?

Status Quæstionis.

Adversarii non impugnant benignam sententiam in sensu, in quo à nobis asseritur.

1. UTHORES, qui nuper benignam sententiam impugnârunt, in eo palmariter errarunt, quòd non nisi opinionem à se confictam impugnârint, in quâ neminem contradicentem habebant. Hoc videre est in Candido Philaletho, Sinnichio, Mercoro, Wendrockio, Vincentio Baronio, aliisque, maximè autem in Prospero Fagnano, qui *in cap. Ne innitaris, de constit.* fusissimè tractat de hac materiâ, & in unum omnia fermè collegit, quæ aut ipse proprio ingenio & industriâ excogitare potuit, aut ab aliis suis in libris ac scriptis evulgatum fuit. Hoc ut palam fiat, opus est, ut sententiam nostram (quam *benignam* in posterum appellabo, sicut oppositam, quia nimis austera est, vocabo *rigidam*.) clarè explicem. Inprimis dicimus licitum cuique esse sectari partem minùs tutam, quando illa est aut unicè probabilis, aut directè probabilior parte tutiore. Nec tamen id ita intelligimus, quasi verò ubi constiterit de solâ aut majori ejus probabilitate, per hoc præcisè homo excusetur, & possit quidquid voluerit agere; non hoc asserimus; nam stante toto illo, omne absolutum judicium de rei veritate suspendi, & homo dubitare potest, an res sit licita necne. Jam si quis in tali dubio sectetur minùs tuta, indubitanter peccabit, non obstante majore probabilitate partis, quam sequitur. Ut ergo excusetur, debet formare judicium, quo absolutè credat opus illud esse licitum, atque ex illo, si formidolosum sit & incertum, per novam consultationem in aliquo principio synderesis reflexo fundatam consurgere ad certitudinem de suâ operatione. Nemo enim honestè operatur, nisi per judicium certum

Sensus benignæ sententiæ expositus.

certum reguletur. Unde dicimus, nullum judicium probabile esse formalem regulam proximè directivam voluntatis honestè operantis, sed solùm asserimus, quòd sit regula remota objectiva, quatenus est occasio fundans novam consultationem, per quam homo certificatur de honestate formali suæ operationis, ut fusè explicatum est *quæst. 19. & 20.*

Eadem sententia explicatur alterius.

2. At quando pars minùs tuta solùm est æquè aut minùs probabilis, quàm pars tutior, observationes aliæ locum habent, ut nostra sententia ritè intelligatur. Inprimis enim dicimus, eam solùm opinionem reputari practicè probabilem, cujus veritas post omnem indagationem, quam homo tenetur adhibere, impensam, ita invenitur manere incerta, ut tamen argumentis certò probabilibus fulciatur. Jam si post dictam diligentiam adhibitam directa probabilitas partis utriusque sit æqualis, aut partis minùs tutæ sit minor probabilitate partis tutioris, dupliciter fieri potest, ut sectans partem minùs tutam excusetur, primò præcisè ex vi rationum directè, secundò ex vi rationum indirectè probantium veritatem partis illius.

Quando excusatur, qui solùm utitur argumentis directis æqualibus?

3. Inprimis ergo qui in illo casu solùm uteretur argumentis directè probantibus, non excusaretur, si, omnibus pensatis, in actu secundo absolutè crederet ea esse minora, aut non majora argumentis contrariis, quia, stante tali judicio, non posset formare conscientiam, quòd opus sit absolutè honestum; nam qui absolutè credit aliquid esse licitum, eo ipso fertur in illud ut in partem prævalentem, probabiliorem, & unicè veram, ut ostensum est *quæst. 8. num. 25. & seqq.* Itaque in hoc casu dicimus, eum non aliter posse licitè sectari partem minùs tutam, quàm si ex vi motivi, quod in actu primo ante affectum uni parti alligatum vel non excedebat vel non æquabat motivum oppositum, per imperium voluntatis in actu secundo feratur in illud ut in motivum unicè verum, & multò prævalens motivo opposito. Jam quod hoc sit possibile, fusè ostensum est *quæst. 8. per totam.* Cæterùm quamvis in hoc deciperemur, nulla hinc laxitas induceretur, quia dicimus, operantem, ad argumenta solùm directa attendentem, non posse licitè operari, nisi ex illis flectatur ad absolutè, & certò probabiliter credendum opus, quod aggreditur, esse omnibus universaliter licitum. Quod si in eo casu nemo posset tale judicium formare, nemo certè ex hac nostrâ assertione incitari posset ad operandum, sed ab opere retraheretur, quia docemus, quod peccet, qui taliter dispositus partem minùs tutam sectatur.

4. Quòd si homo in actu secundo credat motiva directè probantia esse æqualia pro utrâque parte, aut potiora pro parte tutiore, peccat utique, si sectetur partem minùs tutam, nisi ex vi argumentorum indirectè vel reflexè probantium & prævalentium consurgat ad formandam conscientiam, quòd opus illud, non obstante paritate argumentorum directè probantium, sit omnibus universaliter licitum. Et certum est nos habere talia argumenta reflexa, quibus hoc ipsum nobis ita persuadetur, ut id ipsum sit vel moraliter certum, vel incomparabiliter probabilius opposito. Itaque his positis, duo affirmamus: primum est, sectantem minùs tuta numquam excusari, nisi ex rationibus directis vel reflexis per absolutum judicium in actu secundo feratur in partem, quam sectatur, tanquam in partem unicè veram & probabiliorem parte tutiore. Secundum quod dicimus est, judicium hoc, si non sit moraliter certum, per se solum non esse ultimum conscientiæ dictamen quo immediatè dirigimur ad operandum, sed ex illo oriri debere aliud judicium, quo intellectus per principia synderesis reflexa certificetur de honestate formali

Sectans minùs tuta non excusatur, nisi feratur in illa, ut oppositis probabiliora.

formali suæ operationis. Multis autem viis partim ostendimus, partim ostendemus, quænam sint hæc principia reflexa, & quomodo per ea conscientia certificetur. Præterea ut homo ex vi prædicti judicii certò probabilis de universali honestate operis excusetur, debet sincero corde ita esse dispositus, ut si sciret aut dubitaret se falli, nullatenus eam partem sectaretur, quia Deo jubenti cupit in omnibus obedire. Ratio est, quia si hæc dispositio animi accedat, statim apparet, quomodo invincibiliter ignoret veritatem, si erret. Deinde manifestum est, quod talis ignorantia antecedat opus illudque causet. Certum autem est, quòd ignorantia invincibilis malitiæ inexistentis operi, si antecedat opus, causet involuntarium,& à peccato excuset, ut omnes unanimiter tradunt cum S. Thomâ. *1. 2. quæst. 6. art 8.* aliisque in locis. Sed de hoc plura in progressu dicenda erunt.

In resolutione quæstionis moralis utraq; pars est periculosa.

5. Atque hic rogo cordatos lectores, ut absque passione judicent, utrùm qui in hoc tantum sensu docent, usum opinionis directè certò probabilis esse licitum, non obstante pari aut etiam majori probabilitate directâ partis tutioris, meritò argui possint laxitatis? quæ demum assertio rationabilior excogitari potest? certum tamen est nos aliud non docere, nam plenè nobis satisfactum erit, si quod hic dixi verum esse concedatur. Scio plures ex adversariis vehementiùs invehi in sententiam benignam, ejusque Authores vix alio, quàm *Probabilistarum*, *Laxonum*, *Palponum*, *Cæcorum cæcos ducentium* nomine compellare. Verùm verba vacua nos non terrent. Et sanè palam errant adversarii, si se nobis tutiores in opinando putent, nam quicunque quæstiones morales resolvunt in ancipiti versantur, & non minùs peccant, qui plus debito arctant conscientias, quàm qui plus æquo eas laxant; sicut enim hi nimiâ facilitate *consilium altissimi irritant*, ita illi, ex zelo non secundùm scientiam, gravissimo injecto pondere, adeò adaugent *onus Christi leve*, ut de illis non immeritò dici possit illud Matthæi 23. 4. *Alligant onera gravia & importabilia & imponunt ea in humeros hominum*, quia inculcant ea esse præcepta, quæ nec Deus nec homo unquam mandavit. Unde Hugo de S. Richardo in hunc locum Matthæi, pulchrè perstringens Sacerdotes & Confessarios nimis austeros, hæc verba habet. *Si erramus, nonnè melius est propter misericordiam dare rationem, quàm propter crudelitatem deficere pœnitentem.* Meminerint ergo adversarii se in eâdem nobiscum arenâ versari, & desinant disputationem seriam improperiis turbare. Meminerint etiam, quòd sicut illa, si à nobis objicerentur, causæ nostræ nullum robur afferrent, ita similia ab ipsis in nos conjecta eorum assertiones non confirment. Et sanè ad omnia istiusmodi illud responderi potest, quod olim in simili occasione respondit Augustinus *lib. de unitate Ecclesiæ* cap. 5. *Hæc sive in illos à nobis, sive ab eis in nos dicantur, nisi priùs probentur manifestissimis documentis, convitiante magis levitate, quàm convincente veritate dici, quis mediocriter sanus ignorat?*

6. Quæ cùm ita sint, apertè constat, quòd qui benignam sententiam impugnant, eam non ut à suis Authoribus asseritur, sed in sensu à se confictо impetant, quodque cùm nil præter suas phantasias ut absonas rejecerint, triumphum non ante victoriam duntaxat, sed etiam ante prælium canant. Cùm enim quæstio hæc, maximè quoad parem aut minorem probabilitatem partis minùs tutæ, sit reflexa, ejusque authores eam reflexis tantùm argumentis stabiliant, adversarii eam solùm impugnant in sensu directo, quasi verò quisquam esset tam insulsus & vecors, qui opinionem, quàm veram reputat, argumentis tantummodò minùs probabilibus confirmari crederet. Certè Fagnanus,

Sensus, in quo Adversarii nos impugnãt, apertur.

gnanus, apud quem collectum est quidquid hactenus contra benignam sententiam dictum reperitur, non alia coacervat argumenta, quàm quæ probant aut judicium merè probabile se solo ad securitatem conscientiæ non sufficere, aut argumenta directa parti minùs tutæ faventia, absolutè in actu secundo credita æquè aut minùs probabilia, quàm quæ directè favent parti tutiori, ex se non sufficere ad excusandum sectantem minùs tuta. Nam *in cap. ne innitaris, de constit. à num. 59. usque ad 98.* ponit 26. argumenta ad probandum, quod non liceat sequi opinionem probabilem; & in illis aliud non ostendit, quàm quòd omnis opinio sit formidolosa, & consequenter quod illa ex se non possit conscientiam certam reddere; & per consequens quod ex se præcisè à peccato non excuset. Sed quem, quæso, sibi contradicentem habet? vix unus est aut alter ex patronis benignæ sententiæ, qui non requirant judicium certum de honestate operationis, ut illa absque peccato ponatur; & si qui hoc negent, illi pariter contendunt, operantem cum formidine propriâ judicii probabilis esse securum; asserunt enim illam formidinem non contrariari morali certitudini, quam tenent esse inseparabilem à judicio certò probabiliter existimante opus esse licitum, adeóque negant suppositum, in quo tota ejus argumentatio fundatur. At reliqui omnes ultrò admittimus tam principia, quibus Fagnanus utitur, quàm conclusiones, quas inde deducit, esse verissimas: scilicet omnem opinionem esse actu formidolosam, ac proinde nullam opinionem se solâ sufficere ad honestatem; sed unà etiam asserimus, judicium certò probabile de absolutâ honestate operis fundare novam consultationem, per quam ex principiis synderesis reflexis homo certificatur de honestate operationis, quam hîc & nunc ponit. Quid ergo excusat sectantem minùs tuta? dicam: quod excusat remotè est judicium certò probabile de honestate operis; quod proximè excusat, est dictamen certum & evidens ex principiis synderesis reflexis occasione dicti judicii probabilis exortum. Sed hæc non tetigit, ne dum impugnavit Fagnanus, aut ullus alius, quæ tamen unicè impugnanda erant, si sententiam benignam in proprio ejus sensu ab authoribus intento, impugnare voluissent. Idem dico de impugnatione duarum aliarum assertionum, in quibus tradimus, licitum esse cuique sectari partem minùs tutam, si illa sit directè probabilis, sive directa ejus probabilitas sit æqualis, sive minor directâ probabilitate partis contrariæ. Nam non aliter eas impugnat, quàm si fateremur & crederemus omnia omninò argumenta, quibus impellimur ad id asserendum, atque etiam ad operandum inducimur, esse solùm paria aut minora argumentis suadentibus opus esse peccatum. Nam ut rejiciat parem probabilitatem ut insufficientem, *à num. 125. usque ad num. 171.* congerit 17. argumenta & *à num. 256. ad num. 402.* contra minorem probabilitatem conglomerat argumenta 42. quibus omnibus solùm ostendit, eum dubitare de honestate operis, qui, omnibus pensatis, putat rationes omnes utrique parti quomodocumque faventes esse æquales, illudque à fortiori verum esse de eo, cui rationes faventes parti minùs tutæ apparent minùs probabiles oppositis; unde infert sectantem minùs tuta in istis casibus necessariò peccare, quia nullum format judicium de honestate operis. Uno verbo de totâ materiâ agit, ac si illa merè determinanda esset ex vi rationum directè probantium, quas ultrò supponimus esse pares aut minores argumentis contrariis. Verùm nemo in hoc sensu loquitur, nam si asserimus, esse licitum sequi partem directè æquè aut minùs probabilem, id facimus, quia habemus rationes reflexas validiores,

& consequenter apud nos probabiliores pro hoc quàm pro opposito. Quocirca si nostram sententiam rectè impugnare voluisset, debuisset ostendere directam probabilitatem honestatis, etsi non sit major directâ probabilitate inhonestatis, non fundare argumenta reflexa potiora pro honestate quàm pro inhonestate operis. Verùm de hoc ne verbum apud Illum aliósve extat.

Authoritates certæ afferendæ sunt.

7. Jam ergo benignâ sententiâ in hoc sensu intellectâ, in quo tantùm à nobis omnibusque ejus defensoribus accipitur, quæritur, utrùm illa sit probabilior oppositâ. In præsenti quæstione authoritates, in sequenti rationes ponderabimus; si enim constiterit, eam tum potiori authoritate, tum rationum efficaciorum pondere alteri prævalere, eâdem operâ certum erit, sententiam benignam pro verâ amplectendam, rigidam verò ut falsam ab omnibus esse explodendam. Cæterùm authoritates afferam non dubias eas, sed certas; illarum enim, quæ dubiæ sunt, nulla ratio habenda est, cùm æquè ab utrâque parte, sed rectiùs à neutrâ vendicari possint. Allegabo autem authoritates omnium fermè Theologorum, maximè antiquorum, ut omnes videant nullam aut esse aut fuisse discrepantiam inter eos, sed omnes unanimiter sententiæ benignæ quoad rei substantiam subscripsisse. Certè nisi scivissem quæstionem hanc esse summi momenti, & me in evolvendis tot Antiquorum scriptis laboris piguisset, & lectorem tæderet eadem toties repetita relegere, sed quia res omnes tangit, & ex humanâ speculatione major consolatio sperari non potest, quàm si quis certò cognoscat omnes omnium temporum scriptores tradidisse sententiam adeò omnibus favorabilem, ideò non minùs exactus ero quàm diffusus in authoritatibus colligendis, futurum enim prævideo, lectorem incredibilem voluptatem & fructum longè uberrimum ex authoritatum citandarum seriâ consideratione excerpturum. Unum moneo, scilicet authoritates minori probabilitati directæ faventes, à fortiori favere probabilitati æquali, & majori.

8. Cæterùm duæ sunt quæstiones valdè affines, atque ab adversariis æqualiter improbatæ, altera omninò generica, utrùm scilicet liceat sequi partem minùs tutam, minúsque probabilem; altera, an liceat Confessario se conformare probabili opinioni pænitentis, etsi ipse Confessarius aut dubius sit de ea quæstione, aut etiam speculativè teneat partem contrariam esse veram. Porrò quia qui tenent hanc secundam, à pari, aut etiam à fortiori tenent primam, ideò Authores qui expressè tenent hanc secundam, promiscuè citabuntur cum illis, qui in expressis terminis generaliter tradunt usum opinionis minùs probabilis minúsque tutæ esse licitum, & pro expressis illius Authoribus reputari debent. Quod ideò volui notare, ne lector in aliquibus ex citatis non inveniens quæstionem præsentem in terminis, putet sibi esse illusum, certò enim sciat, neminem ex citandis reperiri, qui alterutram ex istis sententiis expressè non amplectatur. Quod si aliquis non ita clarè & universaliter loquatur, illius opinio & sensus ex propriis ejus verbis eruetur.

Quit enim Confessarium aut posse, aut debere se conformare probabili opinioni pænitentis nobiscum sentiunt.

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Plures longè Authores à centum ultimis annis stant pro sententiâ dictante, usum opinionis directè minùs probabilis minúsque tutæ esse licitum, quàm pro opinione contrariâ dictante, talem usum esse inhonestum.

Benigna sententia à pluribus hujus sæculi defenditur, quàm rigida.

9. DEmonstratur assertio productis in medium iis, qui utramque sententiam

Demonstratur ex partium enumeratione.

tentiam certò tenent. Ecce elenchum eorum, qui expressè tradunt usum partis minùs tutæ, etsi directè minùs probabilis, esse licitum, idque adversariis fatentibus; ipse enim Mercorus contexuit hunc indicem Authorum, qui contra rigidam pro benignâ sententiâ stare noscuntur, ex quo *part. 2. art. 29.* illum exscribo.

Alvarez disp. 80.
Aversa quæst. 28. *sec.* 18.
Arriaga de act. hum.
Aragon. 2. 2. *q.* 63. *art.* 4.
Azorius tom. 1. *lib.* 2. *cap.* 12.
Amicus de regulis extrinsecis.
Bannez 1. 2 *q.* 10. *art.* 1.
Baldellus 1. *par. Theol. moralis disp.* 12.
Bardi disp. sel. in resp. ad Candidum.
Barbosa Collect. cap. Capellanus de feriis.
Bonacina de peccat. q. 4. *puncto* 9.
Bresserus lib. 3. *de Conf. cap.* 6.
Castro Palao p. 1. *tr.* 1. *dis.* 2.
Candidus disquis. 1. *verb. Absol.*
Coninck disp. 34. *dub.* 10.
Corneius tract. 8. *disp.* 3. *dub.* 6.
Diana 2. *par. tr.* 13. *resol.* 1.
Emmanuel Barbosa Rem. lib. 3. *t.* 64.
Escobar in summa cap. 3.
Farinacius conf. 60. *num.* 9.
Franciscus de Lugo de conf. cap. 3.
Filliuccius tom 2. *cap.* 4. *q.* 4.
Garzias de Benef. par. 11.
Gordonus lib. 1. *Mor. q.* 9. *c* 6.
Granado tract. 2. *contr.* 2. *disp.* 2.
Guttierez lib. 1. *cap.* 13.
Henriquez lib. 14. *cap.* 3.
Ioannes Sanchez disp. 42. *n.* 12.
Layman lib. 1. *tract.* 1. *cap* 5.
Lessius de Iustitia cap. 29. *dis.* 8.
Ledesma sum. tom. 8. *cap.* 22.
Lezana part. 4. *in sum. V. opinio.*
Lorca disp. 39.
Lopez 1. *part. sum. cap.* 120.
Malderus quæst. 19. *art.* 5. *disp* 86.
Martinez tom. 1. *in* 1. 2. *q.* 19. *art.* 6.
Medina 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6.
Montesinus disp. 29. *qu.* 5.
Merula disp. 3. *cap.* 4.
Naldus. Verb. opinio.
Oviedus 1. 2. *S. Thomæ.*
Petrus Navarra lib. 3. *cap.* 1.
Pontius de Matrim. lib. 10. *c.* 13.
Portel. dub. reg. Verb. opinio.
Reginaldus lib. 13. *num.* 90.
Rodriguez in expos. bullæ §. 9.
Salas tract. 8. *sect.* 6.
Sairus Clavis lib. 1. *cap.* 5.
Salon. de just. & jure q. 63. *contr* 2.
Suarez tom. 5 3. *part. disp.* 40. *sec.* 5.
Sa. Verbo dubium. num. 3.
Spinula de libera & prud elect.
Sanchez lib. 1. *cap.* 3. *summæ.*
Sanctarellus resol. moral. qu. 44.
Tannerus disp. 2. *quæst.* 4. *dub.* 5.
Vasquez 1. 2. *quæst.* 19. *cap.* 3.
Viguerius cap. 15. *Inst.* §. 1
Villalobos tom. 1. *tract.* 1. *diffic.* 10.
Valentia disp. 2. *q.* 14. *puncto* 4.

Hactenus Mercorus elenchum contexuit; & sine dubio omnes isti Authores expressè tenent benignam sententiam, sunt autem in universum 59. Verùm elenchus iste mancus est, cùm plurimi omissi sint, quocirca eos adjungere visum est, quorum notitia ad me pervenit. Incipio autem ab iis, quos oculis propriis lustravi, sunt autem sequentes.

Authores, qui stant pro sententiâ benignâ, enumerantur.

10. Dominicus Sotus *lib. 6. de just. quæst.* 1. *art. 6.* propè finem, & *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. ad 5.* verba citabuntur inferius. Graffius *parte 1. lib. 1. cap. 15. num. 22. & 23.* expressè docet Confessarium posse, & debere se conformare probabili sententiæ pænitentis. Jodocus Lorichius *in Thesauro novo Theolog. verb. opinio* fermè per totum, præcipuè verò in fine. Navarrus *in Manuali cap. 27.* multis in locis, præcipuè verò *num. 281. 288.* Item *lib. 5. Consil. consilio 17.* verba ejus postea expendentur. Bertaut *in directorio*

Florio Confessariorum gallicè scripto, *pag. 212. editionis 23. Parisiis habitæ apud Georgium Soly.* ubi loquens de prudentia requisita in Confessario ante confessionem, hæc habet. *Si, circa validitatem excusationis à pœnitente prætensæ, sint variæ Doctorum sententiæ probabiles, & pœnitens teneat oppositam ejus, quam Confessarius sectatur, debet Confessarius illum absolvere, séque pœnitentis opinioni conformare, quia in hac opinionum diversitate, datur pœnitenti optio eligendi quamcumque voluerit.* Ludovicus Schildere *de princip. is conscientiæ formandæ tract. 2. cap. 2. §. 2.* Di Castillo *tract. 8. de sacr. Pœnit. disp. 10. num. 556.* & duobus seqq. Item *tract. 10. de Matrim. disp. 9. dub. 11. 12. 13. & 14.* Bassæus *tom. 1. Verbo Conscientia. num. 4.* Honoratus Fabri *in dialogo de opinione probabili.* Bossius *de conscientiâ part. 1. tit 1. § 17. num. 127.*

Martinus Esparza *de act. human. quæst. 23.* Du Vallius *tract. de act. humanis, quæstione 4. art. 12.* Sfortia Card Pallavicinus *de act. hum. disp. 9. quæst. 4. art. 2. & 4.* Sylvius *1. 2. quæst. 19. art 5. quæsito 9. conclus. 3.* Joannes Pontius *in cursu Theolog. disp. 24. quæst. 3. conclus. 3.* Joannes Ferrerius *in tract. de probabilitate opinionum in re morali* gallicè scripto. David Mauden *discur. 2. in octavum Decalogi præceptum num. 11. & 12.* Joannes Card. de Lugo *de pœnit. disp. 23. sec. 2.* Item *de jure & just. disp. 37. sec. 10.* Item *lib. 3. Respons. Moralium dub. 19.* Gammachæus *1. 2. quæst. 19. cap. 2.* Fragosus *de regimine Christianæ Reipub. part. 1. lib. 4. disp. 10. num. 196. & 201.*

Salmanticenses tom. 3. tract. 11. disp. 7. num. 30. per transennam tradunt benignam sententiam, eamque ut notoriè veram supponunt. Becanus *de act. hum. cap. 4. num. 20.* Jaonnes Medina *codice de rebus restituendis quæst. 22. ad 6. quæsiti posterioris.* Item *tom. 1. tract. de confessione, quæst. 19. duobus ultimis paragraphis.* Pesantius *1. 2. quæst. 19 disp. 2. ad art. 6.* Toletus *in summa, lib. 3. cap. 20. num. 4.* ubi expressè docet Confessarium obligari posse à pœnitente, ut sequatur opinionem probabilem, quam ipse secutus est, cumque absolvat, etsi Confessarius credat oppositam tutiorem esse veram. Atque ibidem apertè supponit pœnitentem sic operantem à peccato excusari. Toleto adjungi debet gloria hujus sæculi S. Franciscus de Sales, qui *lib. 1. epist. 34* scribens ad quendam Episcopum suum amicum, hortatur illum, ut pro juvandis animabus sibi commissis assiduè legat summam Cardinalis Toleti, *quia brevis est, & facilis, doctrinamque securam continet.* Ergo S. Franciscus de Sales judicavit opinionem benignam esse securam, eamque & ipse adhibere solitus est, & alios ad eâ utendum hortatus est, ut ita meliùs animarum saluti providere possent. Wiggers *1. 2. quæst. 19. art. 6. dubio 6.* Caramuel multis in locis, diffusissimè autem in Apologemate. Petrus Milhard *tom. 2. magni Confessariorum ductus gallicè scripti cap. 13.* Busenbaum in Medulla Theologiæ moralis *lib. 1. tract. 1. cap. 2. dub. 2.*

11. Molina *de justitia, tract. 2. disp. 63. num. 9. conclus. 2.* docet præscriptionem, bonâ fide initam, posse continuari ac perfici superveniente dubio probabili pro utrâque parte, quódque hoc sufficiat ad practicè formandam bonam fidem, seu conscientiam rationabilem, quia melior est conditio possidentis. In quo & exercitè tradit benignam sententiam, scilicet partem minùs tutam ex vi probabilis resolutionis esse licitam, & signatè supponit nostram sententiam esse sufficientem regulam ad licitè operandum. Covarruvias eandem doctrinam ante Molinam tradidit, *in regulam, Possessor malæ fidei, de reg. juris in 6. §. 7. num. 3. 4. & 5.* citatque pro suâ sententiâ plurimos antiquorum, eosque Doctores præstantes, quos vide, quia omnes proculdubio nobiscum sentiunt. Franciscus Victoria *in summâ*

quæst. 177. de confessione. quem, quia ad alterum etiam sæculum spectat, infra fusiùs explicabo. Marchantius *tract. 5. tit. 5. quæst. 6. & 7. Tribunalis Sacramentalis.* Matthias Hauzeur *tom. 2. epitomes S. Aug. ad lib. 1. de bapt. contrà Donatistas, cap. 5.* Goffar *in compendio Bonacinæ verbo opinio.* Vulpes à Monte Piloso *in summâ Theologiæ, parte 2. disp. 72. art. 1. num. 4. & seqq.* Gaspar Hurtadus *de Sacram. tract. de pœnit. disp. 9. difficult. 7.* Item *disp. 10. diff. 23. in fine.* Chapeaville *in thesauro casuum reservatorum parte 2. cap. 3. difficult. 18.* quærit, an miles non subditus possit licitè bellare in dubio belli injusti, & hoc modo respondet. *Si verò sint milites, qui non subsunt duci militiæ, non possunt in causâ dubiâ militare, quia non tenentur obedire sicut alii. Si tamen probabiliter crederent causam esse justam, licet aliqui scrupuli manerent, possent militare, quia moraliter & practicè loquendo tales non sunt dubii.* Curiel *1. 2. quæst. 76. art. 2. dub. 5.* expressè tenet ignorantiam juris humani eo ipso esse invincibilem & excusare, quòd quis post dubium ortum sufficientem diligentiam adhibeat vel ponderando rationes, vel peritos consulendo; responsúmque unius viri periti ac probi plerumque sufficere affirmat; & tandem concludit ignorantiam invincibilem excusare, *quando aliquis operatur factâ sufficienti diligentiâ, etsi sequendo doctorum consilium, decipiatur.* Idem *1. 2. quæst. 88. art. 4. parag. dico primo*, adhuc universaliùs nobiscum sentit. nam ut ostendat eandem numero volitionem posse transire à peccato veniali ad esse mortale, sic arguit. *Eadem volitio objecti potest continuari, si maneat eadem apprehensio bonitatis propter quam est volitum, quamvis in principio conscientia probabiliter dictet esse tantum peccatum veniale, & posteà accedat conscientia sive vera, sive erronea dictans esse peccatum mortale. ergo in isto casu idem numero actus erit primò peccatum veniale, & posteà mortale.* Ecce Curiel apertè supponit judicium probabiliter dictans peccatum aliquod esse tantùm veniale, etsi erroneum, excusare à malitiâ mortali; quod certè nil minus continet, quàm quod nos docemus in materiâ præsenti.

12. Philipppus Faber *in selectis disp. de pœnit. ad dist. 14. lib. 4. disp. 6. num. 46.* ubi licet ad securitatem conscientiæ postulet, ut quis sectando partem minùs tutam feratur in illam, ut in partem probabiliorem; nihilominùs seipsum in hoc declarat; scilicet aliud non requiri, quàm ut dubium deponatur, & intellectus probabiliter judicet opus esse licitum, quia hoc ipsum involvit & partem illam reputari longè probabiliorem, & dubium deponi. Præterea ibidem *num. 47. & seqq.* expressè tenet inprimis Theologum, licitè posse operari contra propriam opinionem, sectando partem minùs tutam ab aliis pro licitâ propositam, *quia licet judicet*, sunt ejus verba, *per rationes intrinsecas suam opinionem probabiliorem, tamen victus authoritate aliorum cedit, & mutat sententiam, & quæ non erat sua, fit sua opinio.*

Præterea *in eodem tract. ad dist. 17 lib. 4. disp. 24 num. 91.* tradit Confessarium obligari ad se conformandum sententiæ probabili pœnitentis, etsi ipse eam falsam judicet. *Ratio est*, inquit, *quia cùm opinio est authorum probatorum excusat pœnitentem, & ideò si sacerdos nollet eum absolvere, faceret ei injuriam.* & paulò infra. *cùm pœnitens possit sequi opinionem illam probabilem, & in reliquis sit benè dispositus, fit illi injuria, nisi auditâ confessione sacerdos eum absolvat.* Hæc fusiùs de Philippo Fabro dicenda fuerunt, quia Caramuel eum citat pro sententiâ rigidâ, sed immeritò.

Joannes à S. Thoma *1. 2. quæst. 18 disp. 12. art. 3.* hæc habet. *Quod attinet ad conscientiam probabilem, est unica regula certa: licere sequi conscientiam, & sententiam probabilem, dummodo de ejus probabilitate constet practicè, & prudentialiter, non solùm speculativè. Quæ*

probabilitate practicâ stante, quamvis speculativè habeat quis dubitationes & difficultates, immò licèt oppositum appareat probabilius & tutius, licitè potest talem conscientiam sequi. Hanc regulam censeo generalem & universaliter veram pro omnibus actionibus moralibus. Ecce Author iste non solùm per omnia tenet sententiam benignam, sed eam certam esse asserit; & ad omnem omninò materiam extendi.

Sinnichius magnâ ex parte nobiscum est, quia *in Saule lib. 1. cap. 67. num. 260.* docet licitum esse sequi opinionem alienam contra propriam tutiorem, quando opinio illa non versatur circa materiam juris naturalis. Tamburinus *lib. 1. in Decalogum cap. 3. parag. 3. & alibi sæpè.* Antonius Cotonius *lib. 1. controversiarum celebrium controv. 5. cap. 5.* fusè tradit quidquid hactenus diximus aut dicturi sumus, quia constat, unumquemque posse licitè sequi suam opinionem, sive illa sit directa sive reflexa, quia illi est probabilior operanti. At idem ego per omnia teneo. Franciscus Bonæ-spei in Apolog. retorto tenet, unumquemquæ post sufficientem diligentiam adhibitam, licitè sequi posse partem minùs tutam, si nullum invenerit præceptum sufficienter propositum, quia tunc invincibiliter ignorat præceptum, si detur, atque per ignorantiam invincibilem certò excusatur. Nos aliud non docemus.

13. Joan. Bap. Bernardinus Possevinus *in praxi curæ pastoralis cap. 15.* Præpositus *de sacram. pænit. quæst. 10. num. 8.* Turrianus *de justitia. disp. 13. dub. 3. num. 21. & seqq.* Eandem doctrinam apertè supponit, & exercitè tradit Cabrera *de sacram. ad art. sextum quæstionis 62. disp. 1. §. 5. num. 27.* Andreas Mendo *in staterâ opinionum benignarum differt. 13. quæst. 15.* Thomas Hurtado *tom. 1. resol. moral. tract. 3. resol. 19. & pluribus seqq.* Pellizzarius *in Manuali regularium tom. 1. tract. 5. cap. 12. num. 56.* qui alibi sæpè exercitè suppponit sententiam benignam esse in praxi tutissimam. Polancus *in Directorio Confessariorum cap. 1. titulo de prudentia Confessarii.* Petrus à S. Joseph. in decal. cap. 8. art. 4. dub. 7. §. resp. 3. & seqq. Julius Clarus insignis Jurisperitus *lib. 5. practicæ criminalis quæst. 66. num. 2.* tenet judicem licitè posse condemnare reum convictum, quem novit innocentem; habet autem innumerabiles tum Theologos tum Jurisperitos consentientes, in quo uno omnes noscuntur nobiscum sentire. Alios Canonistas & Juristas non affero, quia ad Theologos me restringo. Herinx *tract. de act. hum. disp. 4. quæst. 3.* Palacius *in 2. dist. 39. disp. 2. dub. 2.* tradit ex Gersone, eum non peccare, qui sequitur partem minùs tutam, modò illa, omnibus inspectis, sit ipsi probabilior, non obstante formidine ortâ ex minore probabilitate partis tutioris oppositæ.

14. Præter hos complures alios inveni citatos apud probatos Authores, qui profitentur se non nisi à propriis oculis lectos referre; sunt autem sequentes, qui absque dubio nobiscum sentiunt.

Acatius de Velasco tom. 2. Verb. *opinio probabilis. resolut. 316. num. 7.* Brancatius apud Caramuelem *in Apologemate.* Bartholomeus Ledesma *in sum. de pænit. sacr. diff. 14. conclus. 5.* Barnabas Galliego *tract. de consc.* agens *de consc. prob.* non solùm tenet benignam sententiam, sed asserit eam inter Thomistas esse communiorem. Hieronymus de Rua *tom. 2. controv. 6. dub. 6.* & alibi. Joannes Martinez de Prado. *tom. 1. Theol. moralis quæst. 4. §. 3.* Ildefonsus Baptista *1 2. de conscien.* Merola *de conscientiâ disp. 3. cap. 4.* Pasqualigus *de opinionis electione.* Martinus Ledesma apud Guimenium *in tract. de opin. prob. propos. 1. num. 7.* refertur expressè tenere, opinionem parum probabilem excusare sequentem illam. Hallus *de scrupulis lib. 2. cap. 7. & 9.* Perez *certam. 10. schol. cap. 2* apud Guimenium proximè citatum, docet judicium opinativum sufficere

sufficere ad securitatem conscientiæ, & ne quis se periculo exponat. Mascarenha apud Caramuelem *in Apolog.* Marchinus *de sacra. Ordinu tract. 2. part. 3. cap. 1 num. 17.* Thomas Vilar *1. 2. tract. posteriori de conscient. part. 4. §. 6.* Josephus Rocafull *in praxi. part. 3. tract. de consc. lib. 3. cap. 6.* Verricelli in *quæst. moral. tract. 2 sing. quæst. 5.*

15. Quòd liceat sequi opinionem minùs probabilem in impositione gabellarum, præter plures ex hactenus nominatis, tenent apud Guimenium loco citato Joannes de la Cruz, Sotus, Gallo, & Mantius. Diana etiam *parte 1. tract. 3. de Parlamento* inter alios pro eadem opinione citat Morlam jurisconsultum.

16. Qui tenent licitum esse judici in judicando sequi opinionem minùs probabilem, à fortiori stant pro nostrâ sententiâ. Hi autem sunt numero plurimi. Plures eorum citat Diana *part. 11. tract. 2. resol. 60.* inter quos præter multos ex hactenus nominatis sunt Texeda, Samuelius, Possentius; Joan. de Soria, Martinus de S. Joseph, Cutelhus, Guazzinus, Larrea, & Fagundez. Sed ad eos pergamus, qui in propriis terminis nobiscum sentiunt. Mercatus *de contract. lib. 2. cap. 5.* Macado *tom. 1. in tract. de opin. prob. art. 6. & 7.* Trullench *tom. 2. lib. 8. cap. 1. dub. 6.* Joannes Valerus *verb. opinio. differentia 1. numero 3.* Thomas Zerola *in praxi pœnitentia cap. 22. quæst. 3.* editionis Venetæ anno 1599. Nicolaus Isambert *in 1. 2. dis. 9. art. 4. pag. 135.* Ludovicus Bail *lib. de triplici examine quæst. 12. pag. 192. tertia editionis, & quæst. 13. pag. 207.* Jo. Paulus Nazarius *in opuscul. Theol. opusc. 2. de statu & obl. Religios. de voto obed. dubitat. 4. conclus. 2.* Nugnus Cabezudo *in addit. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. dub. 3. edit. veneta an. 1612.* Paulus de Blanchis *in disceptat. de difficilior. materiis casuum Venetiis editis an. 1630 pag. 182.* Jo. Bap. Hacquetus *1. 2. tract. de consc. controv. 14.* Ludovicus Beia *in respons. casuum coram Cardina. Palaotto part. 2. casu 6. edit Olisipon an. 1610. pag. 164.* Urbanus ab Ascensione *in Theol. moral. tract. 1. cap. 11.* Carolus Mallettus *tom. 1. moral. Theol. Malleat. 8, tra. 4. pag. 91.* Franciscus Longus à Coriolano *de casib. reservatis parte 1. sec. 2. art. 2.* Gesualdus Panormitanus *tom. 1. oper. moral. tract. 24. cap. 5. edit. Veneta an. 1649.* Jacobus Raggius *centuria 1. de Regim. Regularium part. 3. dub. 46.* Leander à S. Sacramento. *part. 5. tract. 1. disp. 4. quæst. 10.* Marcus Vidal *in Arcâ vitali de opin. prob. inquisit. 5. num. 45.* Andreas Lanfrancus *opusc. 1. cap. 4. num. 16,* Homobonus de Bonis *in comment. de exam. Ecclesiastico tract. 12. cap. 4. quæst. 17. resolut. 6.* Josephus de Januario *in resolutionibus Neapoli editis an 1649. resolut. 61. num. 5.* Hieronymus Garcias *in sum. tract. 1. difficult. 5. dub. 2.* Petrus de Ochagavia *de Sacram. Bap. quæst. 11. num. 11.* Joannes de Solorzano *lib. 3. de Indiarum jure, cap. 2. num. 38.* Ludovicus Carbo *in sum. tom. 1. parte 1. cap. 14. edit. Veneta an. 1606.* Lælius Zecchus *in sum. tom. 1. de reg. human. act. cap. 4. n. 7.* Guilielmus Mercerus *in comment. ad 3. part. S. Thomæ Lovanii editis an. 1630. pag. 382.* Gaugericus Hispanus natione Belga *in addit. ad Summulam Caietani verb. opinionis usu.* Bernardus Justinianus *de continuat. cambiorum quæst. 13. num. 16.* Caspensis *in curs. Theol. tract. de consc. disp. 2. sec. 2. num. 15.* Lao *de conscientia disp. 3.* Homem *de conscientia. cap. 2.*

17. Quid opus est plures congerere, cùm ipsi adversarii unanimiter fateantur Theologos fermè omnes, atque etiam Juristas nobiscum sentire? Certè Fagnanus *in cap. ne innitaris, de constit. num. 25.* expressè tradit quòd Theologi nostri temporis ferè omnes conveniant, posse nos tutâ conscientiâ sequi opinionem minùs tutam, quando cognoscitur esse probabilis, nil ulterius inquirendo, an opposita sit probabilis vel probabilior. Tum *num. 26.* ex

Ludovico à Cruce refert, ferè omnes omninò ſcholaſticos tenere, cuique licitum eſſe ſectari partem minùs probabilem minúſque tutam. Demum *n. 45.* fatetur etiam non ſolùm Theologos ferè omnes hujus ſæculi, ſed etiam Juriſperitos docere, quod non peccet, qui juxta opinionem probabilem operatur. Et ſanè veritas hæc adeò comperta eſt, ut in dubium vocari non poſſit.

Omnes Authores, qui moralia ſcripſerunt, nobiſcũ ſentire convincuntur.

18. Præter hos ergo innumerabilis adhuc multitudo ſupereſt eorum, qui in expreſſis terminis benignæ ſententiæ ſubſcribunt, immò audacter dico, neminem, qui multùm de re morali tractavit, inveniri, qui eam veram eſſe non ſupponat. Ratio eſt, quia nemo Theologorum moralium eſt, qui non ponat plures reſolutiones practicas minùs tutas, contra oppoſitam partem tutiorem probabilem. Omnes autem Caſuiſtæ & Theologi morales arbitrantur eos, qui bonâ fide ſectantur ſuas ipſorum reſolutiones, eo ipſo eſſe à peccato immunes, alioquin ipſi peccarent eas evulgando, propter periculum cui proximum exponerent; plurimi enim talia non agerent, niſi ea ut licita à Doctoribus propoſita fuiſſent. ergo omnes arbitrantur cuique licitum eſſe ſequi partem minùs tutam certò probabilem, contra tutiorem probabilem, modò abſolutè credat partem, quam ſequitur, eſſe veram, & omnibus penſatis in ea ſe figat, tamquam in parte unicè verâ. At nos aliud non docemus, quia idipſum requirimus vel in directâ, vel in reflexa ſaltem conſideratione objecti, ſiquidem operans, ut excuſetur, debet formare bonam credulitatem de honeſtate operis ut ſubſtantis ſuæ electioni. Verùm quia Mercorus plures citavit pro adverſâ ſententiâ, ideò pro pleniori veritatis indagine, & omnium ſatisfactione, neceſſe eſt examinare, an ita ſenſerint necne; ſi enim illi etiam nobiſcum ſentire inveniantur, nil deerit ad completiſſimam aſſertionis probationem. Ecce autem indicem eorum quos pro ſententia rigida citat Mercorus.

S. Aug. de doctrinâ Chriſt. lib. 2.
S. Antoninus 3. part. tit. 3. cap. 10.
Armilla verbo opinio.
Angelus. Verb. opinio quæſt. 1.
Antonius Merenda de Conſilio.
Andrianus de reſt. 4.
S. Bernardus.
Caietanus Verb. opinio.
Comitolus lib. 1. quæſt. 15.
Corduba de contract. tr. 7. q. ult.
Candidus Philalethus de elect. praxi.
Gerſon tract. 36.
Gravina Cherubim Paradiſi.
Henricus quodl. 4. qu. 33.
Io. Major in 4. qu. 1. con. 3.
S. Io. Chryſoſt. hom. 44. in Matt.
Navarrus in Sum. cap. 37.
Paulus Freſanellus de oblig. miſſæ.
Peirinus. tom. 3. cap. 1. n. 10.
S. Thomas. quodl. 8. art. 13.
Tabiena verbo Dubium.
Scotus 4. ſent. diſt. 1. qu. 6.
Sotus lib. 3. de juſt. q. 5. 6.

19. Hos Authores Mercorus prudenter dixit *citari pro ſententiâ rigidâ*, quia certum eſt, plures eorum, imò & omnes reipsâ nobis favere, quod ut conſtet, examinandum eſt, quid iſti Authores ſentiant de quæſt. præſenti.

20. Inprimis quod ſpectat ad SS. Aug. Bernardum, Chryſoſtomum, & Thomam, illi omnes apertè nobis favent, uti fusè oſtendetur *qu. 27. & 29.* De ſancto etiam Antonino *in hac ipſa qu.* evidenter conſtabit, quòd per omnia nobiſcum ſentiat. SS. PP. nobiſcum ſunt.

21. Quod ſpectat ad reliquos, illi ferè omnes ante annos centum ſcripſerunt, ideóque eorum mens opportuniùs examinabitur ad aſſertionem ſequentem. Reliqui, de quibus nunc agendum eſt, ſunt Comitolus, Philalethus, Gravina, Paulus Freſanellus, Peirinus,

Peirinus, & Antonius Merenda, nam illi tantùm ex omnibus ad præsentem assertionem pertinent. Inprimis Comitolus solùm requirit ad licitam operationem, ut quis absolutè judicet opus suum esse honestum, sive moveatur ad id ex authoritate, sive ex ratione probabili apud ipsum ita prævalente, ut eum ad absolutum judicium flectat. Idem expresè docet Philalethus in suâ *disp. de opinionum praxi*, ubi expresè asserit, non dari obligationem sectandi tutiora, quando pars minùs tuta absolutè creditur honesta, tunc enim contendit, operantem esse certum de honestate suæ operationis; idque ex eodem nobiscum principio infert, & demonstrativè inferri meritò existimat, *quæst. 1.* Itaque in re ipsâ neuter à nobis discrepat, quia & nos dicimus, neminem excusari sectando partem minùs tutam, nisi absoluto judicio, eoque saltem probabili judicet operationem suam esse licitam. Præterea cùm evidens nobis sit nostram sententiam esse probabiliorem oppositâ, & à nobis absolutè veram haberi, certum est ex eorum principiis nos excusari, dum eam in praxi sequimur. Idemque valet de iis, qui nobis potiùs fidunt quàm adversariis. At nemo est, qui, si velit, non possit prudenter nobis assentiri, propter evidentem præponderantiam authoritatum, & rationum nostræ sententiæ faventium.

Comitolus à nobis nō discrepat.

Philalethus etiam nobiscum sentit.

22. Itaque hi duo in tantum à communi sententiâ recesserunt, in quantum considerarunt partem tutam supponi minùs probabilem, eamque semper talem intellectui repræsentari supposuerunt. quod si considerassent, opinionem directè minùs probabilem posse ex rationibus reflexis in tantum roborari, ut objectum, quod directè loquendo est minùs probabile, evadat absolutè probabilius opposito, idque ita contingere in præsenti casu percepissent, tunc sicut non in re, sic nec in verbo à communi opinione recessissent. Legantur isti Authores, & verum invenietur quod dixi.

In quo Comitolus & Philalethus à cōmuni sententia recesserunt?

23. Quod spectat ad Gravinam, Fresanellum, & Peirinum, nondum potui eos videre, sed suspicor, eos ad summum tenere cum Comitolo & Philaletho, tum quia à Mercoro solùm citantur tamquam negantes usum partis minùs probabilis minùsque esse licitum, tum quia Fagnanus eos citat inter illos, qui docent partem minùs tutam esse licitam eis, quibus omnibus benè inspectis illa apparet probabilior quàm pars opposita. ergo loquuntur de ultimâ apparentiâ objecti ante opus, quam tam illi quàm nos dicimus debere illud repræsentare tamquam probabilius opposito, alioquin operans aut operaretur in dubio, aut certè contra expressum conscientiæ dictamen ageret. Itaque isti quoad rem ipsam per omnia nobis consentiunt.

Gravina. Fresanellus, & Peirinus à Philaletho nō discrepant.

24. Caramuel in Apologemate citat duos alios, tenentes usum partis minùs tutæ minùsque probabilis non esse licitum, nempè Philippum Fabrum, & Thomam de Afflicto. Secundum non vidi, sed primus certo certius solùm differt à communi sententia in modo loquendi; expresè enim docet, sectantem minùs tuta excusari, si bonâ fide probabiliter judicet opus, quod facit, esse licitum, quia eo ipso fertur in illud ut in partem multò probabiliorem. Quod ipsum & nos docemus; nisi enim opus evadat operanti probabilius, quàm pars opposita tutior, proculdubio peccat. Verùm non opus est, ut hæc apparentia fundetur in his aut illis rationibus, nam sive per rationes directas, sive per reflexas, sive propter argumenta, sive propter authoritatem extrinsecam opus absolutè credatur licitum, operans excusatur ex mente Fabri, qui proinde nobiscum per omnia consentit. Idem sentiendum est de Thomâ de Afflicto, qui cùm citetur pro eâdem opinione cum Fabro, eodem modo loqui censendus est. Vide mentem Philippi Fabri, ubi eum supra

Faber, & De Afflicto nobiscum sentiunt.

ſuprà in catalogo citatum invenies. Atque hi quidem hactenus non in re, ſed ad ſummum in modo loquendi, non in ſubſtantiâ doctrinæ moralis, ſed ad ſummum in adjectâ aliquâ quaſi. ſpeculativâ, eâque parvi momenti ad intentum principale concludendum, à communi ſententiâ diſcrepant. Immeritò ergo pro oppoſitâ ſententiâ citantur, cùm certum ſit, quòd per omnia ullius momenti nobiſcum ſentiant.

Sex tantum reipsâ ſtant pro ſententiâ rigidâ.

25. Quæres, quinam ergo ſunt, qui tenent ſententiam rigidam? Reſpondeo pauciſſimos eſſe ex iis, qui ſua typis vulgarunt. Ex Theologis Julius Mercorus, & Vincentius Baronius editis opuſculis rejecerunt omnem opinionem probabilem, ut periculoſam; Sinnichius etiam in Saule ex-rege, quantum ſpectat ad jus naturæ, tradit nullam probabilitatem ad conſcientiæ ſecuritatem ſufficere, ſi quis ſectetur partem minùs tutam. Hiſce univerſaliter ſubſcribit Guilielmus Wendrockius, qui *in notis ad Epiſtolas Provinciales* diſputationem de probabilitate attexuit, in quâ mirè in communem ſententiam invehitur. Præter hos Theologos Proſper Fagnanus Juris-Conſultus periti ſſimus fusè impugnat uſum cujuſvis opinionis ut illicitum, & certitudinem moralem pro conſcientiæ ſecuritate requirit, in quo imitatus eſt Antonium Merendam, qui & ipſe Juris-conſultus *in ſuo lib. de Conſilio* in ſententiam benignam vehementiùs inſurrexit. Præter hos ſex, alios non admitto nobis quoad rei ſubſtantiam contrariari. Sed neque omnes iſti reipsâ nobis adverſantur, ſed in multis, quando venitur ad praxim, nobiſcum ſentiunt, ut mox oſtendam. Certè Faber, Comitolus, Philalethus, & ſi qui alii rejiciant minorem probabilitatem, majoremque ut ſufficientem conſcientiæ regulam admittant, ex mera æquivocatione à communi ſententia oretenus receſſerunt, cum reipsâ per omnia illi, ſi ritè intelligatur, ſubſcribant; nam omnes

Sed aliqui illorum nobiſcum ſentiunt.

dicimus, operantem, ut excuſetur, debere per aliquod judicium prudens ferri in partem, quam ſequitur, ut in partem omnibus inſpectis probabiliorem oppoſitâ. Quocirca ex Authoribus hujus ſæculi longè plures ſtant pro benignâ, quàm pro rigidâ ſententiâ.

Omnes fermè Confeſſarii, Concionatores, & Patres ſpirituales nobiſcum ſentiunt.

26. Quod ſi ſermo ſit de viris doctis & piis, qui, etſi de materiâ iſtâ tractatus non ediderint, docuerunt tamen & docent in ſcholis, quique ſaluti animarum, ut Patres ſpirituales, Concionatores, aliique conſcientiarum Directores, incumbunt, ii omnes fermè uno ore communem tradunt ſententiam, eamque in praxi frequentiſſimè ſectantur, & ut regulam ad conſcientiæ tam ſuæ quàm alienæ ſecuritatem abundè ſufficientem amplectuntur. Quod dico evidens eſt omni, qui cum ejuſmodi perſonis converſationem habuit. Ratio autem evidenter convincens hanc praxim eſt, quia omnes fermè Authores, quibus Paſtores animarum, quibus Scholaſtici, quibus Concionatores, aliique utuntur, expreſsè tradunt hanc ſententiam pro tutâ conſcientiæ regulâ, à quâ proinde ipſi communiter non recedunt; neque enim in re tanti momenti ſibi ſolis fidunt, ſed alienæ potiùs prudentiæ determinationem quæſtionis tanti momenti relinquunt, eorumque reſolutionibus tam ſe, quàm alios dirigunt.

Authores utrique ſententiæ faventes invicem comparantur.

Authores utriuſque ſententiæ invicem comparantur.

27. Qui pro benignâ ſtant ſententiâ non ſolùm numero, ſed etiam, nî fallor, doctrinæ famâ longè ſuperiores ſunt. Qui enim benignam ſententiam tradiderunt, fuerunt fermè omnes Theologi inſignes, quorum plurimi, non minori ſanctitatis quàm doctrinæ laude conſpicui, integros tam de hac quæſtione, quàm de universâ morali Theologiâ tractatus ediderunt,

remque

remque à fundamentis examinarunt. Illi verò, qui expresſè tradunt ſententiam oppoſitam, ſunt numero pauciſſimi (neque enim ultra ſex reperire potui) illique non omnes Theologi; quique Theologi ſunt, an ſint tantæ doctrinæ, quantæ ſunt Authores noſtræ ſententiæ, quivis æquus arbiter judicet. Certè apud me, qui legi eorum opera, illis æquiparari non poſſunt; & certum eſt, famam doctrinæ ab eis per opuſcula ſua quæſitam nondum æquare illam, quam noſtræ ſententiæ Authores communiter apud omnes non malè affectos obtinent.

Adverſarii non ritè impugnât nos. 28. Præterea Adverſariorum authoritas in hac quæſtione multùm ex eo minuitur; quòd nemo illorum impugnaverit ſententiam benignam in ſenſu, in quo à ſuis authoribus aſſeritur. Conſtat hoc, quia in argumentis ſuis ſupponunt, partem minùs tutam, directéque minùs probabilem nullis argumentis reflexis roborari & fieri probabiliorem parte oppoſitâ, in quo ſenſu nemo aſſerit, licitum ulli eſſe ſectari partem minùs tutam, ſi illa, omnibus omninò inſpectis, operâri appareat minùs probabilis parte tutiore. Quanta autem ſit authoritas impugnantium ſententiam in ſenſu ab authoribus non intento, quivis per me judicet.

In quæſtione hac parva eſt authoritas Juris-peritorum. 29. Rurſus ex iſtis ſex, duo fuerunt juris quidem peritiâ optimè inſtructi, nempè Merenda & Fagnanus, ſed neuter illorum in ſpeculationibus Theologicis multùm excelluit; cùm tamen ad præſentis quæſtionis, utpotè quæ ad jus naturæ pertinet, reſolutionem, perfecta Theologiæ notitia ſit ſummè neceſſaria. Sicut autem in rebus ad jus poſitivum ſpectantibus Juris peritis potiùs quàm Theologis credendum eſt, ita è contrariò in quæſtionibus jus naturale concernentibus Theologorum reſolutioni ſtandum eſt, cùm Juris-peritorum authoritas in rebus ejuſmodi ab omnibus minoris fiat.

Merenda Juris-peritus. 30. Præterea Merendæ liber jam olim Romæ prohibitus fuit, omniumque oculis interdictus. Quamvis pro viri honore hoc diſſimulandum non ſit, me ſcilicet legiſſe apud Baronium, nî fallor, nuntium in Galliis percrebuiſſe, interdictum illud relaxatum fuiſſe. Sed an ita ſit, ego certè neſcio. Liber etiam Wendrockii an. 1660. 7. Martii à pluribus Epiſcopis, Doctoribus, & Profeſſoribus Facultatis Pariſienſis graviſſimâ cenſurâ inuſtus fuit, tanquam liber hæreſi Janſenianâ gravidus, & maledictis refertus, qui non ſummo Pontifici, non Regiæ Majeſteti, non Religioſis familiis parceret; quem proinde librum judicarunt dignum pœnâ libellis famoſis & hæreticis à jure conſtitutâ. unde paulò poſt factum eſt, ut liber ille decreto Regis, dato Pariſiis 23. Sept. publicè combuſtus ſit.

Fagnanus reipsâ nobiſcum ſentit. 31. Fagnanus in hac quæſtione inconſequenter loquitur, ſibique non ſemel contradicit, ut oſtenſum eſt *in fine quæſt. 20.* Præterea reipsâ nobiſcum ſentit, quia tenet, licitum eſſe ſequi partem probabiliorem, & quod plus eſt *num. 448.* hæc habet. *Authoritas unius gravis Doctoris reddit opinionem probabilem, & eſt fundamentum ſufficiens eam tenendi, & ad praxim deducendi, ſi in contrarium nullus occurrat Doctor, & utrimque ſint rationes æquè probabiles.* In hoc caſu nulla eſt certitudo directa, ut patet. Quod ſi Fagnanus clarè ſciviſſet, quomodo, hoc non obſtante, ex principiis reflexis conſcientia certa formari poſſit, (quod ex defectu Theologiæ ignoravit) utique illud idem vidiſſet toties evenire poſſe, quoties pars minùs tuta eſt directè probabilis, quia tunc ex argumentis reflexis illius honeſtas evadit longè probabilior ejuſdem inhoneſtate; vidiſſet illud, inquam, & per omnia nobis ſubſcripſiſſet. Fagnanus ergo in ſubſtantia rei à nobis non diſcrepat.

Sinnichius maximâ ex parte nobis favet. 32. Sinnichius in Saule *lib. 1. cap. 67. §. 260.* tenet, licitum eſſe ſequi probabilem aliorum

aliorum opinionem contra propriam oppositam, etiam tutiorem; modò illa opinio non versetur circa materiam juris naturalis. Ergo maximâ ex parte nobiscum concordat. In tantum autem in materiâ juris naturalis dissentit, in quantum putat nullam juris naturalis ignorantiam esse invincibilem. Sed & in hoc fallitur, ut ostensum est *quæst. 16. n. 16. n. 86.* & licet non falleretur in hoc, eo ipso sibi contradiceret, ut infra ostendetur *quæst. 25. num. 39.* Itaque in hac parte authoritas Sinnichii non multùm urget.

Baronius laxior iis, quos laxitatis arguit

33. Vincentius Baronius multùm declamat contra sententiam benignam, Recentioresque laxitatis damnat. Verùm ille festucam in alieno, trabem in proprio oculo non vidit. In pluribus enim adeò laxus est, ut parum absit ab aliquibus ex 45. propositionibus laxis, quas Alexander VII. nuper damnavit. Legatur eruditissimus Dominus Du Bois in tract. verè præclaro *ad 45. propos. nuper damnatas, num. 239. 450. &c.* ubi eum hac de causâ valdè exagitat. Sed & Franciscus Bonæ-spei *in Apologem. retorto dub. 6. num. 34. & seq.* fusè impugnat Baronium, ostenditque ea omnia, quæ ipse in nostrâ sententiâ reprehendit, ex propriis ejus principiis efficaciter stabiliri. Sed & nos infra idipsum ostendemus, ubi regulas ab eo propositas examinabimus, & ostendemus illas esse planè insufficientes.

Mercorus lenius & modestius Theologus.

34. Demum Julius Mercorus, Reverendiss. Mantuæ Inquisitor *in Basi Theologiæ Moralis* impugnavit sententiam benignam. Et sanè Mercori authoritatem multi facio, quia vir est Theologiæ peritus, & solus ex omnibus, præter Fagnanum, quæstionem hanc à fundamentis examinavit, summâque cum modestiâ, solidè, & absque passionis impetu librum suum composuit. Nihilominus audacter dico, Mercorum in praxi nostræ sententiæ inhærere, nam *in 3. part. sive praxis limitata*, plures ponit resolutiones nec evidentes nec certas, immò nec certò probabiliores oppositis, quas tamen practicè proponit ut ad conscientiæ securitatem sufficientes. Certè *part. 3. art. 24.* dicit, Titium, qui propriâ experientiâ doctus optimè novit, quòd cùm decies ad domum Bertæ accessisset, quinquies cum eâ peccaverat, posse ad eandem domum iterum accedere, si boni alicujus temporalis urgeat necessitas, quamvis probabiliter timeat se iterum peccaturum. Hîc peto à Mercoro, an habeat rationes, quibus hanc suam resolutionem certam esse demonstret? Si habet, afferat. Verùm non afferet, nam bonum spirituale pluris faciendum est, quàm damnum temporale. Certè Christus præcipit oculum erui, potiùs quàm scandalum per oculum admitti. Quò certè significat, damnum temporale contemni debere, ut peccatum evitetur. Quod si Mercorus hujus asserti certitudinem non habeat, sicut certò certiùs non habet; ergo in re periculi plenissimâ solùm probabiliter resolvit casum propositum, quem tamen ad praxim resolvit. Ergo existimat, alios suæ resolutioni bonâ fide inhærentes sequi posse partem minùs tutam, non certam, sed solùm probabilem. ergo, qui nostram sententiam bonâ fide sectantur, pariter excusatos reputare debet. Ecce Mercorus in praxi tutam reputat sententiam, quam omni nisu ut periculosam rejicit. Unde nil miror Theologum Parisiensem apud Werdrockium Mercoro objicere, totum ex ejus assertis efficaciter stabiliri, quod in aliis reprehendit. Et sanè cùm doceat, *quòd quando Author classicus, vel jam usu receptus & notus, docet aliquam sententiam benignam, & dicit eam esse in praxi tutam, nullamque facit mentionem de oppositâ rigidiore, Confessarius possit eam in praxi sequi, quia respectu talis Doctoris se habet ut discipulus*, manifestum est, Confessarios posse nostræ sententiæ inhærere, cùm plures Authores classici asseverantes

In praxi tenet quod in theoria falsum putat.

asseveranter tradant eam esse tutam, nullamque oppositæ mentionem faciant. Omitto alia quamplurima in quibus Mercorus in praxi & in particulari nobiscum sentit, etsi, in universali ac speculativè loquendo, profiteatur se eam ex animo impugnare.

35. Compara jam paucos istos, quorum nemo non in particulari nobiscum sentit, nemo nos in sensu à nobis intento impugnat; compara, inquam, illos cum incredibili numero præstantissimorum Authorum, qui unanimiter tenent benignam sententiam, statimque videbis, nostram opinionem, authoritate Recentiorum inspectâ, esse incomparabiliter probabiliorem oppositâ.

Plures pro nobis, quàm contra nos scripserunt post exortam hanc controversiam.

36. Nec dicas, Adversarios post alios scripsisse, adeóque vidisse quid antiquiores dixerant, eosque nihilominus refutasse. Nam contra est, inprimis quia nil novi attulerunt, quòd jam à pluribus sæculis perpensum & solutum non fuerit, ut ex dicendis constabit. Deinde argumenta ipsorum æquè urgent ipsos in particulari, ac nos in universali. Ipsi autem ea nequeunt solvere in sua sententiâ, nos ea facillimè suo loco solvemus. Demum plures Authores, illique adversariis, ingenio, sedulitate, & probitate non inferiores, post adversariorum argumenta perpensa & explosa, absque ullâ hæsitatione antiquis subscripserunt. Evidens proinde est longè plures majorisque famæ Authores hujus sæculi stare pro benignâ, quàm pro rigidâ sententiâ, ideoque nostram sententiam, authoritate modernorum inspectâ præsumi debere longè probabiliorem oppositâ.

Adversarii in praxi suam relinquunt sententiam.

37. Sed quis quæso adversariorum universaliter suam sententiam in praxi sectatur? audacter dico, nemo. Percurrant, qui velint, summas casuum, & ante oculos ponant omnes sententias strictiores, non quidem certas, sed tantùm probabiles; tum in vitam singulorum inquirant, & procul dubio invenient, eos multa & fecisse & factitare, quæ solùm probabiliter sunt licita; idque ipsi, si conscientiam examinent, verum esse invenient. Atque hinc præsumptio est, eos interiùs non sentire, quod exteriùs profitentur; alioquin essent homines impii, ac proinde nullius fermè authoritatis. Quid ergo ponderis habet eorum authoritas in quæstione hac, in quâ, quando ad rem venitur, aliter credunt, quàm docent? Immò ego sic arguo. Si illi securitatem conscientiæ inveniant in sententiâ, quam impugnant, quia suum judicium deponunt, nobisque consentiunt, quis dubitare poterit, an Authores benignæ sententiæ eandem in ipsâ inventuri sint? Sed ad alia.

ASSERTIO SECUNDA.

In sæculis retroactis quoad rem ipsam usus opinionis benignæ universaliter reputabatur licitus. Opposita autem sententia nec erat in usu, neque communiter credebatur vera.

Benigna sententia apud Antiquos semper viguit.

38. Dixi *quoad rem ipsam*, quia certum est à nemine quæstionem hanc reflexam sub his terminis, *an liceat sequi opinionem directè minùs probabilem, minúsque tutam*, fuisse propositam; neque enim suas resolutiones ad unius generis argumenta restringebant, ut nos majoris claritatis gratiâ nunc facimus in quæstione hac reflexâ, sed ad omnia omninò reflectebant, & si illa apud aliquem ita prævalebant, ut probabiliter crederet, se honestè operari, illum tutum pronunciabant. Hæc autem est tota quidditas & substantia benignæ sententiæ. Itaque quoad rem ipsam nobiscum senserunt. Expressè enim docuerunt, licitum esse sequi partem minùs tutam, dummodo quis eam bonâ fide reputet esse veram, & temerè non formet suam conscientiam, sed alicui viro docto & pio credat, habeat-

Præsens quæstio ab Antiquis agitata non fuit.

Antiqui in re omnino cõsentiunt cum Recẽtioribus.

que animum ita dispositum, ut si sciret aut crederet oppositum esse verum, nequaquam faceret, quod facit. Deinde non exigunt ut quis sequatur partem, cui plures & graviores Authores subscribunt, sed aiunt sufficere, si quis temerè non operetur, eò quòd mentem figat in gravis Doctoris authoritate, quem prudenter credere possumus nec falsum esse in discurrendo, nec fallere voluisse in docendo. Has & similes expressiones habent antiqui, quæ quoad rem ipsam in nullo discrepant à communi sententiâ.

Jansenistæ in omni apice ad hanc quæstionem spectante errant.

39. Stet ergo fixum, substantiam quæstionis in eo tantùm verti, an liceat sequi partem non certam, modò illa omnibus inspectis, etiam argumentis reflexis, sit probabilior oppositâ, & absolutè credatur vera. Jansenistæ uno ore clamant, nullam in sententiis sequendis probabilitatem, etsi majorem, sufficere, sed ubique pro cavendo peccato certitudinem requiri; nec desunt, qui oppositam communemque sententiam novitatis accusant, eoque nomine ut periculosam damnant. Sed Jansenistæ quoad hoc in omni apice errant: certum enim est, nullum ex antiquis bonæ notæ Theologis cum illis sentire, cùm nemo sit, qui in multis non existimet probabilitatem, saltem majorem, pro conscientiæ securitate sufficere, etiam in prosecutione partis minùs tutæ.

Plures antiqui ad licite operãdum exigunt, ut quis probabiliora sectetur.

40. Sunt, fateor plures ex antiquis, qui expreßè dicunt hominem, ut excusetur, debere sectari vel tutiora, vel probabiliora; verùm illi, uti jam dictum est, non loquuntur de majore probabilitate solùm directâ & certâ se tenente ex parte objecti, sed tantùm de probabilitate se tenente ex parte actûs hominis operantis; nec aliud exigunt, quàm quòd operans probabiliter reputet suam actionem esse licitam, adeoque ex rationabili motivo feratur in illam tamquam in partem probabiliorem, immò, & absolutè veram. At nos hoc ipsum exigimus; necesse enim est, ut quis formet prudens dictamen conscientiæ, quo credat objectum, in quod fertur, esse licitum, alioquin excusari non poterit, quia *quod non est ex fide, peccatum est.* Porrò suum cuique opinatum probabilius est opposito, ut & per se patet; & doctè observat Adrianus *quodlib 2.* Itaque per hunc loquendi modum antiqui non adversantur benignæ sententiæ, sed in omnibus ad amussim nobiscum sentiunt. Sed ut hoc apertè videas lege authoritates adjectas per sæcula digestas.

Citantur aliqui ex antiquis qui stant pro benigna sententiâ & post an. 1500. scripserunt.

Navarrus tenet benignam sententiam.

41. PRimum locum tenet Navarrus, qui *in manuali cap. 27. num. 281.* hæc habet. *Quibus addo non semper esse necessarium partem tutiorem eligere, satis enim est quoad præcepti implementum tutam eligere, etiam in spectantibus ad fidem & mores; in aliis enim nec de consilio quidem tenetur quis eligere tutiorem.* Insuper ibidem *num. 283.* loquens de remedio scrupulorum, sic ait. *Sexta, usus Epikeiæ seu æquitatis, de quâ S. Thom. 2. 2. quæst. 220. & Arist. Moral. 5. persuadendo sibi non peccare, qui implet legem juxta mentem Authoris, licet verba offendat. Neque qui eam in sensu benigniore servat, quamvis in duriore violet. Neque qui eam non servat, ubi & quando est impossibile aut valdè difficile, S. Antonio determinatore 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. Neque qui eam non servat, ut fatuus non habeatur. Nec qui in rebus dubiis secundùm communem usum bonorum servat. Septima, rectus intellectus illius vulgati, tutior pars est eligenda in dubio, in eo nimirum, quod est propriè dubium, cujusmodi non est, cum sufficienti authoritate aut ratione altera pars creditur; aut cum ex multis opinionibus una pro verâ eligitur.* Deinde num. 288. sic

Regula Epikeiæ rectè fecundæ.

Firmare mentem in veritate opinionis probabilis, reddit operantè securum.

sic concludit. *In foro conscientiæ, ad effectum non peccandi, sufficit eligere pro verâ opinionem ejus, quem meritò censemus esse virum idoneâ ad id scientiâ & conscientiâ præditum, juxta dicta n. 281.*

Eligens opinionem bonâ fide, si rationabiliter eligat, excusatur à peccato, si erret.

42. Præterea Navarrus *de pænit. dist. 7. in cap. si quis autem*, diffusissimè tradit, quòd, paucis casibus demptis, non sit præceptum, sed consilium sectari tutiora, & *num. 53.* hæc habet. *Ille excusandus videtur, qui cùm eruditus sit, & utriusque opinionis argumenta librare potens, bonâ fide illam sibi deligit. Excusamus item illum, qui cùm non sit eâ eruditione, ut per se opinionum fundamenta librare valeat, bonâ tamen fide, ac seriò virum aliquem eruditionis & pietatis famâ clarum consulit, ac illius authoritate motus alteram opinionem esse veram credit.* Rursus *num. 67. & seq.* docet Confessarium debere absolvere pœnitentem, qui sequitur probabilem aliorum sententiam, etsi ipse Confessarius eam pro falsâ habeat.

Viguerius nobiscum sentit.

43. Viguerius *in Instit. Theolog. cap. 15. §. 1. numero 2. de legum interpretatione*, hæc habet. *Triplex est legis interpretatio: quadam est particularis, quæ fit per particularem personam, quando ei occurrit dubium super observatione legis, quoad eam, & non potest haberi, saltem de facili recursus ad legislatorem, vel parem aut superiorem. Tunc talis recurrere debet ad judicatorium naturale, & inquirere an in tali casu legislator intenderet legem observari, vel non: & an si legislator esset præsens, diceret se sic intelligere legem, & quid faceret, si ipse esset legislator. Conclusio illius discursus dicitur particularis interpretatio, quæ fit per virtutem Epikeiæ, & excusat illum à transgressione legis, si agat secundùm illam resolutionem inquisitionis, saltem in foro interiori, secluso scandalo. Alia est interpretatio & expositio magistralis, quæ fit cum inquisitione rationis & cum collatione aliarum legum, vel aliorum passuum ejusdem legis. Et hanc quilibet doctus vel expertus in aliquâ scientiâ sive politiâ facere potest &c. Hæc magistralis interpretatio non habet necessitatem (non enim tenetur quilibet assentire illi interpretationi, & secundùm eam agere) habet tamen excusationem; quia in dubiis sequens opinionem rationabilem alicujus magistri, cùm magister & doctor est approbatus (ut D. Thomas, qui absque ratione aut authoritate non solet loqui) est excusatus à peccato, quod valdè notandum est ad sedandos scrupulos timoratarum conscientiarum.*

Epikeia quomodo & quando formari possit.

44. Floruit autem Viguerius, suasque institutiones edidit an. 1553. ergo jam ante annos centum opinio benigna erat in usu. Addo eam tempore Viguerii non solùm usitatam fuisse, sed ab omnibus habitam pro dogmate moraliter certo, quod diversitati opinionum non subjacebat. Viguerius enim in epistolâ didicatoriâ ad Decuriones Civesque Granatenses contribules suos, hæc de se habet. *Quæ omnia ita congessi, ut resecatis opinionibus, problematibus admissis nullis, nil non ex sacris bibliis, ac sanctorum orthodoxorumque Patrum monumentis compilarim. Idque in hunc finem me fecisse velim existimetis, ut iis instructus generosus animus diviniorum sermonum intellectum consequi, hæreticorum tela retorquere, cæterosque tutò* (nota benè) *& sine ullo erroris periculo docere valeat & moderari.* Ecce doctrina Viguerii, quæ eadem est cum Nostrate, & pro ea citatur ab ipso etiam Mercoro, tempore ipsius ultra omnem probabilitatem erat, & habebatur, qualis verè est, dogma moraliter certum, & indubitata conscientiæ ritè formandæ regula. Unde miror Mercorum, cùm citet Viguerium pro benignâ sententiâ, dixisse nihilominus, eam ante centum annos fuisse in Ecclesiâ ignotam; certum enim est institutiones Viguerii centum annos ad minimum ante librum Mercori fuisse impressas.

Sententia benigna ante centum annos habebatur pro dogmate certo.

45. Dominicus Soto scripsit ante annos centum, mortuus est enim an. 1560. & expressè tradit benignam sententiam. Inprimis *lib. 6. de justitiâ & jure quæst. 1. art. 6*

Dom. Sotus tradit benignam sententiam.

 prope

prope finem docet non expedire, ut in casibus controversis Ecclesia definiat, quinam illorum sint usurarii, primò quia determinatio harum quæstionum est purè philosophica, & Spiritus S. non curat Ecclesiæ nisi sacram Scripturam exponere, & leges necessarias sancire. Secundò, quia etsi quæstio spectet ad jus naturæ, non indigemus tali definitione, quia (do ejus verba formalia) *quando sunt opiniones probabiles inter graves Doctores, utramque sequaris, in tuto habes conscientiam.* Rursus idem *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 5. ad 5.* expressè docet Confessarium debere se accommodare opinioni probabili pœnitentis, illumque absolvere, etiam in re spectante ad jus naturæ (de illa enim quæstio ibi agitata procedit) etsi Confessarius ille teneat sententiam oppositam, & hanc dat rationem. *Postquam opinio pœnitentis est probabilis, excusat eum à culpâ, & ideò jus habet absolutionem petendi, quam ideò Plebanus tenetur impendere.* Ecce Sotus loquitur de opinione probabili, absque ulla exceptione, & expressè asserit probabilitatem excusare, & tutam reddere conscientiam, etiam quando graves Doctores inter se discrepant. At nos aliud non docemus. ergo Sotus nobiscum est. Quod cùm ita sit, miror Mercorum citasse Sotum pro sententiâ rigidâ.

Victoria nobiscum est.

46. Franciscus Victoria vir egregiè doctus mortuus est an. 1546. ideóque paulò antiquior Soto fuit. Hic Author *in summâ quæst. 177.* agens de confessione expressè docet, Confessarium teneri ad absolvendum pœnitentem, qui sequitur opinionem probabilem etsi minùs tutam, quamvis Confessarius ipse teneat oppositam; & specificat in rebus ad jus naturæ spectantibus; rationemque dat, quia probabilitas illa secum affert ignorantiam invincibilem, quæ à peccato excusat. Ecce tempore Victoriæ probabilitas etiam in rebus ad jus naturæ spectantibus credebatur conjungi cum ignorantiâ invincibili, ideóque excusare omnes, qui eam bona fide sectabantur. At hoc ipsum est, quod nos docemus.

Armilla ex adversariorum confessione nobiscum sentit.

47. Quod spectat ad Armillam, seu Fumum Authorem Armillæ, quem Mercorus citat pro rigidâ sententiâ, tantùm abest, ut ille eam teneat, ut è contra oppositum sit satis notorium; Comitolus enim antesignanus omnium, qui apparenter impugnant usum opinionis minùs probabilis minusque tutæ, *lib. 5. quæst. 15.* reprehendit Armillam quasi fœdè prolapsum, quòd docuerit, posse quem sectari opinionem alienam contra propriam. Ecce Armilla ab ipsis adversariis nobiscum sentire reputatur, etiam quoad usum opinionis minùs probabilis, quia aliena sententia unicuique apparet minùs probabilis quàm propria. Cæterùm censura illa Comitoli est apertè nimia, cùm opinio, quam in Armilla reprehendit, sit communissima, &, si ritè intelligatur, manifestè vera.

Mens Armillæ exquiritur.

48. Confirmatur idipsum ex ipso Armilla, qui *verbo Confessio sacramentalis num. 18.* hæc habet. *Si confessor sciat aliquem habere peccatum mortale, de quo confitens non facit sibi conscientiam, & consequenter non confitetur, secundùm Goffredum debet ei facere conscientiam, nec eum absolvere, sed reputare indignum, quod si res dubia est, & opiniones Doctorum sint variæ, an sit mortale tale peccatum, si Confessor est ordinarius, ipsum admonitum prius, tamen in suâ opinione persistentem, debet absolvere. Si verò non est ordinarius, & tenet firmiter esse mortale, non debet absolvere, quia ex merâ voluntate dependet ejus absolutio, sed ad alium remittat.* Hic duo dicit Armilla; primum, quòd Confessor ordinarius possit absolvere pœnitentem sectantem minùs tutam Doctorum opinionem, etsi eam credat esse falsam, & pœnitens de periculo admonitus nolit retrocedere. Alterum, quòd Confessor non ordinarius debeat illum ad alium remittere, si firmiter credat illud esse peccatum;

De Confessario nobiscum tenet.

catum; unde per exceptionis regulam tenet, quod ille etiam possit pœnitentem absolvere, si solùm probabiliter credat, & non firmiter teneat illud esse peccatum. Ecce Armilla expressè tenet, Confessarium posse in absolvendo sequi opinionem alienam contra propriam; apertéque supponit pœnitentem, etiam periculi admonitum, non peccare, si bonâ fide inhærens probatorum Doctorum sententiæ sectetur partem minùs tutam.

Solvitur quod in cõtrarium afferri potest.

49. Cæterum negare non possum, quin Armilla *verbo opinio num.* 2. primò aspectu videatur favere adversariis, nam ibi dicit, operantem in dubio peccare; & statim addit, *prædicta esse intelligenda de opinione, quæ est cum formidine alterius partis.* Præterea ibidem dicit, *inter opiniones semper partem tutiorem eligendam, ne quis se exponat periculo ambiguitatis, & faciendi quod est illicitum.* Nihilominus si attentè legatur in hoc ipso loco, certò constabit, illum nobiscum sentire; nam statim apertè indicat, se loqui de eo, qui operatur in dubio, absque eo quod absolutè credat opinionem, quam sectatur, esse veram; adeò ut sensus illius sit iste. *Ad conscientiæ securitatem non sufficit, quod sint, qui doceant partem minùs tutam esse licitam, si operans ambiguus maneat, & dubitet; nec ullo modo directè aut indirectè formet bonam credulitatem de honestate operis*; quod est verissimum. Jam quòd hic sit sensus Armillæ, constat primò, quia in fine *illius numeri* 2. habet hæc. *Ideò quando dicitur, quod tenetur amplecti tutiorem, intelligitur quando est cum formidine alterius partis; sed quando firmat se in unâ opinione alicujus Doctoris, quam veram credit, licet credat aliam opinionem esse meliorem, non propter hoc exponit se mortali, quia non sequitur aliquod, de quo dubitat esse falsum, licet credat esse minùs bonum.* At nos aliud non docemus; nam sectans minùs tuta peccat, nisi absoluto judicio firmet se in honestate partis, quam sequitur, quia alioquin exponit se periculo; quo tamen liberatur, si eliciat dictum judicium, etsi sciat partem oppositam esse meliorem, seu tutiorem.

Qui bonâ fide probabiliter credit se bene facere, nec peccat, nec potest peccare.

50. Probatur idipsum 2. Armilla verbo *scrupulosus num.* 4. hortatur scrupulosum *consulere peritos, & esse quietum ad consilium sapientis, quia non potest errare, si formet sic conscientiam, & dimittat scrupulum.* Unde sic arguo: si scrupulosus, etsi erret, non possit peccare, si ad dictum sapientis formet conscientiam, & dimittat scrupulum. Ergo neque peccare potest, qui prudenter & probabiliter format conscientiam de parte minùs tutâ, dubiumque deponit, etsi in suo judicio erret. Et hæc est sententia Armillæ. At nos alia non docemus. Ergo Armilla per omnia nobiscum sentit.

51. Conradus *quæst.* 100. *de contract.* ponit tres conclusiones, quibus solvit quæstionem, utrum, qui inter contrarias Doctorum sententias sequitur minùs tutam, peccet necne. In primâ conclus. dicit, sectantem minùs tuta peccare, quando aut *habet probabilem conscientiam, quod actus ille sit mortalis, & dicitur probabilis, ubi plus declinat ad credendum, quòd sit mortalis, quàm quod non sit talis*; aut etiam, *quando habet æquilibrem conscientiam, quòd sit mortalis, hoc est aquò coedit, quod sit mortalis, sicut quod non*; aut demum, *quando vir doctus adhæret opinioni justificanti actum, illúmque ponit contra rationes notabiliter magis prægnantes pro opinione damnante eundem actum.* Nos idem docemus, si sermo sit de totâ apparentiâ, quam habet homo operans; & ratio est clara, quia in primo ac tertio casu homo operatur contra conscientiam, & in secundo manet in dubio.

Conradus tenet opinionẽ minùs tutam excusare, si illa omnibus inspectis sit probabilior opposità.

52. In 2. conclus. expressè tradit sectantem minùs tuta ex probabili, licet erroneâ persuasione non peccare, si sit vir doctus, & fecerit quod in se est, ut veritatem disceret, modò post rationes justificantes actum

perpensas, *cùm videantur sibi magis prægnantes, ipse bonâ fide & probabili conscientiâ agit rem ut licitam, dummodo paratus sit omittere actum, si sciret eum esse illicitum.* & rationem dat, quia talis inprimis *non peccat ex temeritate ut patet.* Deinde non peccat *ratione rei actæ*, quia error ille, & ignorantia est invincibilis, antecedit opus & illud causat, ideóque excusat operantem, juxta communem notamque doctrinam de ignorantiâ invincibili. Ipsissima sunt, & non alia quæ nos tradimus. Idem docet de illiterato, quem dicit excusari, etsi *audiat illâ de re esse varietatem opinionum, dummodo ob authoritatem sui prælati, assecurantis eum de illo actu, probabili, bonâ, ac quietâ conscientiâ adhæret illi opinioni, quæ justificat actum.* Hæc ipsa & nos exigimus. Ecce Conradus agnoscit ignorantiam invincibilem in opinione probabili, sicut & nos, qui in nullo ab eo discrepamus, dummodo omnia omninò considerentur, quæ requirimus. In 5. conclus. asserit Confessarium proprium pœnitentis posse ac debere absolvere pœnitentem, qui sequitur opinionem minùs tutam, modò illa sit verè probabilis, etsi ipse contrariam teneat. Idemque docet de Confessario non ordinario, qui aut ejusdem esset opinionis cum pœnitente, aut nullius in ea re opinionis esset. Ecce Conradus in omnibus nobis favet.

Ignorantia invincibilis inest opinioni probabili.

53. Silvester floruit an. 1500. & per omnia nobiscum sentit. Nam *in summâ V. opinio quæst. 1.* hæc habet: *Quæritur utrum sequens opinionem Doctoris alicujus non subtiliter investigatam, quæ deinde apparet falsa: sive quod idem est, utrum auditores diversorum magistrorum tenentium diversas opiniones, quarum altera necessariò est falsa, excusentur, si sequantur opiniones suorum magistrorum.* Respondet autem huic quæsito quod primo aspectu *videantur haberi opiniones contrariæ de hac re.* Tum citat S. Thomam in quodlibetis, ubi dicit, quòd in rebus ad fidem & bonos mores spectantibus nemo excusetur, si sectetur falsam sententiam sui Magistri. In oppositum citat Panormitanum in Cap. *Capellanus de feriis* dicentem, *quod sequens opinionem alicujus Doctoris non subtiliter investigatam, quæ postmodum apparet falsa, excusatur à peccato, quamdiu non apparuerit falsa.* cui addit alios complures idem sentientes. Quibus præmissis hæc adjungit valdè notanda, per quæ resolvit quæstionem propositam. *Istæ autem opiniones non sunt contrariæ, sed ex utrisque elicitur completa veritas; quia utraque loquitur in spectantibus ad fidem aut mores. Et S. Thomas dicit, quod tales non excusantur in his, quæ sunt manifestè & clarè determinata alicubi. Quo etiam modo secundùm Archiepiscopum intelligitur, cùm dicit, quod in opinionibus faciens contra veram, licet non contra conscientiam, non excusatur à peccato, puta in habendo plures præbendas; quia facit contra legem Dei, aliàs, inquit, contradiceret sibi in eodem libro, quod non est credendum. Et est verum quod in talibus non excusat ignorantia. Panormitanus verò loquitur in obscuris, & est verum oppositâ ratione, dicente Monaldo, quod non generatur aliquod præjudicium veritati, cùm inter diversas opiniones à magistris approbatas, & scripturis authenticis annotatas, illam quis amplectitur, quæ sibi videtur magis consona rationi. Et hoc intellige, non solùm quando quis facit quod in se est, ut intelligat veritatem, quia talis etiam in manifestè determinatis excusaretur, cùm laboret ignorantiâ pro tunc invincibili; sed etiam cùm quis ex affectione ad suum Doctorem judicat probabiliter, ut sibi videtur, esse verum, quod est falsum. Nec obstat quod in dubiis tutior est eligenda. De sponsal. juvenis, quia non est in dubio, qui probabilibus rationibus flectitur ad unam partem. Nec quod incertum dimittendum est, & certum tenendum de pœnit. dist. 7. si quis. quia tenet iste certum sibi moraliter, cùm in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus secundùm Philosophum 1. Eth. Unde si Ioachim tenuit contra fidem de sum. Trin. damnamus. Et non fuit hæreticus,*

Silvester tenet opinionem minus tutam etsi minùs probabilem, si reputetur vera, excusare sectantem illam.

Tempore Silvestri omnes benignã sententiam amplectebantur.

hæreticus, quia talis articulus nondum erat per Ecclesiam damnatus. Multò magis excusatur sequens opinionem Doctorum non reprobatam cum voluntate non adhærendi, si vera non appareret. Hactenus Sylvester.

Sola opinio benigna nota erat tempore Silvestri.

54. Ex hoc loco Sylvestri notandum primò, sententiam ipsius, quæ eadem est cum illâ Panormitani & nostrâ (nam expressio Panormitani nil minùs significat, quàm si diceret, quamcumque opinionem certò probabilem bonâ fide existimatam veram, excusare à peccato) fuisse extra controversiam, & reipsâ neminem ex Authoribus, quos legerat (legerat autem omnes fermè, ut constat ex catalogo eorum, quos citat in fine summæ, & ideò suam summam vocavit *summam summarum*, quia ex aliorum omnium summis fuit compilata) illi reipsâ repugnare. Ecce sententia rigida non fuit in rerum natura usque ad tempora Sylvestri, quia expressè asserit de re istâ nullas extare sententias contrarias.

An teneatur quis cõfiteri, quod probabiliter credit non esse mortale?

55. Rursus Sylvester *Verbo Confessio* sacramentalis 2. quæst. 2. hæc habet. *Qui opinatur probabili ratione de aliquo, quod non sit mortale, non tenetur illud confiteri* Item *verbo scrupulus* dicit scrupulosum debere stare consilio sapientum, imò quod plus est posse illum *facere contra scrupulos tutâ conscientiâ ex consilio proprio, quando habet probabilem rationem, quod sic posset facere, maximè si sit doctus.* Hoc dicto diffusè solvit objectiones omnes, quibus animus scrupulosorum urgeri solet ad sectanda tutiora. Et nominatim respondet tutiora non ex præcepto, sed solùm ex consilio esse sequenda. Deinde addit sufficere, si sequamur opinionem tutam; & nomine opinionis tutæ intelligit opinionem faventem libertati contra legem, & contradicentem opinioni, quam tutiorem appellamus, quæque favet legi contra libertatem.

56. Demum Verbo scrupulus plurima addit huc spectantia scituque dignissima, & inter reliqua hæc habet. *Quintò quæritur quomodo se debeat habere scrupulosus in eligendâ opinione, ubi Doctores variant. Et dico secundùm Archiepiscopum, quod tutâ conscientiâ potest quis eligere unam opinionem, & secundùm eam operari, si habeat notabiles Doctores, & non sit expressè contra determinationem Scripturæ vel Ecclesiæ. Nec sit scandalum, nec conscientia perplexa. Præcipuè si quis adhibuit diligentiam in quærendo an liceat. Unde etiam Ulderiçus dicit in summâ, quod consulens peritiores in dubio, de quo non habet expressam authoritatem, utrum ita sit, modò formet sibi conscientiam bonam, excusatur, etiamsi sequatur consilium falsum, quia fecit quod potuit.*

Ex opinionibus contrariis tutò eligitur quævis certò probabilis.

57. Adrianus VI. floruit circa an. 1500. & expressè nobiscum est. nam *tract. de restit. §. circa hæc occurrit dubium, fol. mihi 55. colum. 4.* tradit, non restituentem aliena excusari à peccato, si peritorum & proborum consilio acquiescat, etsi illi in suâ resolutione decipiantur; simulque concludit, quod in his ignorantia probabilis excuset. Rursus in sequentibus idem asserit de illo, qui prudenter & bonâ fide sequitur partem minùs tutam in contradictione aliorum sapientum, qui dicunt illud esse illicitum. Citat etiam S. Thomam in quodlibetis, ubi videtur universaliter concludere, quòd quidquid fit contra legem sit peccatum, nec excusetur per hoc quod sit juxta conscientiam; illumque interpretatur eo modo, quo Sylvester eum interpretatus est, loco proximè citato.

Adrianus VI. nobis favet.

58. Præterea *tract. de confess. quæst. 5. dub. 7.* docet, sacerdotem absolvere posse pœnitentem, qui probabili judicio sequitur opinionem Doctorum, quam ipse sacerdos putat esse falsam, Præterea Adrianus dispensavit in matrimonio rato, etiam contra propriam communemque sententiam, ut infra ostendam. Id est in praxi secutus est opinionem sibi minùs probabilem minùsque tutam, atque per hoc se excusatum existimavit,

Confessor potest absolvere pœnitentem probabilia sectantem, etiam contra propriã sententiam tutiorem.

æxistimavit. Mirum ergo est Adrianum à Mercoro contra nos citari, cùm certissimè nobis faveat.

Leo X. approbavit benignam sententiam

59. Adriano propter supremi Pontificatûs dignitatem adjungendus est Leo X. qui opinionem benignam videtur cononizasse; nam, ut refert Casarubius *verbo declarare*, hic Pontifex concessit Fratribus Minoribus, qui scrupulis vexantur, *ut possint in omnibus dubiis, securâ conscientiâ, stare determinationi suorum superiorum.* Hoc privilegium non aliâ ratione potuit concedi, approbari, ac declarari pro sufficienti conscientiæ regulâ, quàm quia assertio viri probi & periti reddat in omni materiâ sententiam suam probabilem, & consequenter fundat sufficientem regulam pro conscientiâ ritè formandâ, modò gerat se, ut decet virum peritum & probum; quales esse, & qualiter se gerere meritò supponendi sunt, qui in Religiosorum Superiores eliguntur.

Major superficialiter lectus videtur nobis adversari.

61. Joannes Major cōtemporaneus Adriani, floruit circa an. 1500. & citatur contra benignam sententiam. Sed immeritò. Major ergo *quæst. 2. in Prologum 4. sent.* quærit, quid faciendum sit in materiâ morum & fidei, quando contrariæ opiniones vigent. Et si superficialiter legatur, videbitur nobis adversari, quia ponit tertiam assertionem dicens. *In materiâ morum securior pars est tenenda.* & rationem dat, quòd sequens minùs tuta peccet, quia periculo peccati se exponit. Et paulopost in ultimo paragrapho illius quæstionis hæc habet. *Teneatur pro doctrinâ, tamquam esset celte in silice sculpta, quòd in viâ morum modus certior est tenendus; qui enim se exponit periculo peccati, peccat.* Hæc autem nobis adversari videntur.

Major in nullo contrariatur nobis.

61. Nihilominus Major nobiscum est, quod sic probo. Inprimis in secundâ conclusione expressè asserit: *Non esse peccatum in materiâ fidei tenere hanc vel illam partem, dummodo non constet, utra pars sit vera, & sapientes in illâ materiâ diversa sentiant.* Ecce Major nobiscum est quoad materiam fidei; quia unusquisque per eum liberatur à peccato erroris, qui probabiliter errat in re ad fidem spectante, etsi sectetur partem solùm æquè aut minùs probabilem. Unde arguo sic. Si Major teneret, usum opinionis tutæ in moralibus esse peccatum, inconsequenter loquutus fuisset, & sibi in duabus conclusionibus immediatis contradixisset. Hoc autem credibile non est. Ergo agens de moralibus, aliud sentit, quàm quod verba primo aspectu præ se ferunt. Probatur major. Qui in materiâ fidei sectatur partem, quam alii sapientes reputant falsam, non sectatur partē tutiorem; nam inprimis pars probabilior est tutior, quàm minùs probabilis. Deinde in istiusmodi casibus sola via tuta est omne judicium suspendere, donec Ecclesia veritatem determinaverit; solamque probabilitatem sententiarum affirmare, sic enim certò non errabit; cùm se errandi periculo exponat, quoties alteri partium absolutè subscribit. Hoc & per se patet, & Majorem non latuit, quia Scotus id apertè tradit in 3. dist. 25. quæst. 1. Hoc tamen non obstante, per Majorem excusatur à peccato erroris, quia si erret, probabiliter errat. Ergo nisi inconsequenter loquatur, idem debet dicere de sectante minùs tuta in moralibus; tum quia error in materiâ fidei, prout est objectum eligibile, & dependet ab imperio voluntatis, est materia moralis, non minùs quàm quodvis aliud, quod subest electioni liberæ; tum quia non est minùs malum errare in materiâ fidei quàm morum, cùm hæresis sit peccatum gravissimum. ergo non minùs peccatum est exponere se periculo errandi in materiâ fidei, quàm morum, quia æquè tenemur vitare errorem in materiâ fidei, ac morum.

Argumentum à materiâ Fidei, ad materiā morum est efficax.

62. Confirmatur, quia Major ipse admittit argumentum istud ab hac paritate desumptum ut efficax, eoque utitur ad probandam conclusionem quartam, in quâ tenet

pro

pro licito sequi quamcumque opinionem circa materiam morum, quando illæ sunt æquè certæ, idque confirmat ex eo, quod in simili pro arbitratu liceat opinari in materiâ fidei. Itaque Major sibi contradiceret, si tertia conclusio haberet sensum, quem primo aspectu præ se fert. At hoc est incredibile. ergo alium longè sensum admittit.

Mens Majoris penitùs explicatur.

63. Præterea 4. Majoris conclusio ita se habet. *Quando opiniones oppositæ sunt æquè certæ circa materiam morum, potest homo sine peccato hanc viam, vel oppositam imitari.* Hæc assertio nobis favet quàm maximè, imò ipsissima est cum præcipuâ præsentis controversiæ resolutione; quia supponit esse posse opiniones contrarias in re morali, quarum utraque sit æquè certa juxta sensum ipsius, & integrum tunc cuique esse sectari quamcumque voluerit. At ex opinionibus contrariis una est vera, altera falsa. ergo juxta mentem Majoris sæpè excusatur, qui se exponit periculo peccati materialis, cui certè non potest non exponi, qui ex contrariis opinionibus sectatur partem minùs tutam. Neque obstat, quod in probatione conclusionis Major solùm afferat exempla, in quibus neutra pars est tuta, idcóque videatur conclusio de illis tantùm casibus debere intelligi, in quibus utrimque imminet periculum, ideóque tunc solùm, quando utraque pars est æquè certa, id est æquè probabilis, licitum est per illum sequi quamcumque partem. Hoc enim non obstante, certum est sensum conclusionis extendi ad partes, quarum una est tutissima, altera minùs tuta. Ratio hoc convincens est. quia nemo meliùs novit sensum Majoris, quàm ipse Major. At ille, dum objicit sibi contra hanc quartam conclusionem, ponit exemplum de contractu ineundo, quem aliqui dicunt esse licitum, & totidem dicunt esse illicitum, quem tamen omnes supponunt posse licitè non iniri; id est, ponit exemplum de parte tutâ, & non tutâ, & tamen respondet in hunc modum, *quando autem sunt notabiliter plures pro unâ parte, quàm pro aliâ, securè potest illam partem plurium amplecti, quæcumque fuerit illa.* Ergo assertio illa procedit de opinionibus contrariis, quarum altera non est tuta à periculo peccati materialis, à quo altera est tutissima. Similiter ibidem loquens de rudibus, hæc habet. *Mercator autem & rudis nescit inter eorum rationes discernere, quis rationabiliùs loquatur: sed sufficit ei credere doctis asserentibus, qui nolunt seipsos damnare, sed cupiunt prodesse & benè dicere.* Ecce rudes, etsi sciant scholam dividi, & hos docere contractum hunc esse illicitum, illos verò licitum, nihilominus excusantur per Majorem, si in boni & docti viri verbo suam conscientiam prudenter deponant. At nos alia non docemus.

Ex doctrina Majoris nobis licet benignam sententiam sequi.

Hoc dictum Majoris abundè sufficit pro determinandâ quæstione præsenti, nam cùm pro benignâ sententiâ sint incomparabiliter plures, quàm pro rigidâ, uti evidenter constat ex dictis, certè juxta sententiam Majoris illa tuta est, & æquè secura ac opposita. Itaque licet Major fortassè senserit usum opinionis minùs aut æquè probabilis, sed minùs tutæ, non esse licitum, si operans respiciat solùm in rationes & authoritates directè probantes veritatem illius, eò quòd quæ favent parti minùs tutæ non præponderent; certum est tamen Majorem, si omnia considerentur, quæ reflexè probant usum partis minùs tutæ esse licitum, per omnia sentire nobiscum, qui certè non tam audacter diceremus nostram sententiam reflexam esse sufficientem conscientiæ regulam, nisi evidenter sciremus eam rationibus & authoritatibus incomparabiliter præponderantibus efficacissimè comprobari. Porrò quia omnes istæ authoritates & rationes cooperantur ad formandum practicum conscientiæ dictamen, ideò ex mente &

doctrinâ Majoris dicimus eas abundè sufficere, ad excusandum à peccato, & peccati formalis periculo.

Rigidissima Majoris doctrina coincidit cum sententiâ benignâ.

64. Confirmatur hocipsum ex ipsâ *3. conclusione*, in quâ Major dicit, partem tutiorem in materiâ morum esse sectandam, cùm enim contra eam objecisset ex illa sequi, *quod quis non posset emere vitalitia, nec redditus redimibiles vel irredimibiles. Henricus enim Gandensis in quodlibetis tenet partem negativam; & eos relinquere non est peccatum secundùm omnes. Eodem modo de confessione statim facienda de mortali commisso habitâ opportunitate sacerdotis*, quia contractus illos omittere, & confessionem statim facere tutius est, multipliciter respondet, supponendo pro certo neminem in istis casibus teneri ad partem tutiorem. Respondet ergo primò sic. *Licet dictum Henrici sit securius, non tamen est securior opinio, quia est minùs rationabilis, tum quia non habet authoritatem, nec rationem pro se, & opposita opinio utramque habet.* Hæc responsio locum habet pro sententiâ benignâ contra rigidam, cùm rationes & authoritas Henrici non sint minoris momenti ad confirmandum ipsius assertum, quàm rationes & authoritates pro sententiâ rigidâ ad eam confirmandam. Præterea ex hac responsione constat, Majorem distinguere inter opinionem objectivam & formalem; objectiva est, quod vocat dictum, formalis est ipsa propositio, quâ dictum affirmatur. Dictum, seu opinio objectivâ dicitur tutior, quando magis recedit ab apparentiâ omnis peccati etiam materialis, quàm alia opinio objectiva, cum quâ comparatur. Propositio autem illa, seu opinio formalis est tutior, quæ est probabilior seu rationabilior, quia subest minori periculo falsitatis quàm opposita minùs probabilis. Ex his constat tertiam hanc assertionem Majoris intelligi debere non de dicto, seu opinione objectivâ tutiore, sed de propositione seu opinione formali; & hoc modo intellecta facit hunc sensum. *Quando sunt duæ opiniones cõtrariæ, quarum altera asserit, altera negat aliquid esse licitum, nemo excusatur sectando dictum minùs tutum, nisi omnibus inspectis ejus opinio sit tutior, id est verisimilior opposita.* Itaque certum est, Majorem aliud non exigere pro excusando sectante minùs tuta, nisi quod Navarrus, Adrianus, Sylvester, aliique omnes requirunt, scilicet ut omnibus pensatis probabilius illi sit, suam operationem esse honestam, quàm inhonestam. At nos idipsum requirimus, nec quisquam Authorum nobis faventium sentit oppositum, ut fusè demonstrabo *quæstione sequente.* Et in hoc sensu concludo cum Majore, *teneatur pro doctrinâ tamquam esset celte in silice sculpta, quod in viâ morum modus certior est tenendus, qui enim se exponit periculo peccati, peccat*, cui certè se exponit, qui operatur aut cum conscientiâ, aut cum dubio peccati, quo modo necesse est eum se habere, qui non format conscientiam de honestate suæ operationis, quam nemo formare potest, cui honestas operationis non apparet probabilior, certior & securior, quàm ejusdem inhonestas.

Major solùm requirit, ut opinio minùs tuta omnibus inspectis, sit probabilior opposita.

65. Secunda Majoris ad argumentum illud responsio est ista, *nego quod illa via sit securior; cùm enim sapientes & rationes flectant se ad oppositum, posito ejus*, id est Henrici, *non est ponderanda. Et sic modus oppositus est securus, in quo nullus scrupulus est habendus.* Hæc responsio vel cadit supra dictum, vel supra opinionem Henrici, (idem dici debet de sententiâ Bonaventuræ & aliorum, qui tenent obligationem confitendi datâ opportunitate sacerdotis statim obligare, quam Major æquè hìc impugnat, ac sententiam Henrici) si supra opinionem, coincidit cum responsione primâ; hoc autem non est credibile, frustra enim replicasset eandem responsionem, quippè quæ [...] fuisset alia à priori. Ergo cadit supra dictum.

Sententia rigida juxta mentem Majoris non est tutior opinione benigna.

Et

Et Major expresè negat dictum Henrici, Bonaventuræ & aliorum (cui tamen sua probabilitas non deest, saltem loquendo de opinione S. Bonaventuræ) esse securius dicto opposito, *quia sapientes & rationes flectunt se ad oppositum, & ideò illorum positio non est ponderanda, atque ita modus oppositus est securus, in quo nullus scrupulus est habendus.* quia quamvis aliqua supersit formido de peccato materiali, nulla esse potest de peccato formali, modò conscientia formetur de honestate operis propter rationes & authoritates prævalentes. Hæc responsio evidentiùs quadrat in sententiam rigidam, quàm in sententias Henrici, Bonaventuræ & aliorum; quia certum est, rationes & authoritates pro nostrâ sententiâ esse tanti momenti, ut evidenter reddant illam, ejusque objectum securum ac tutum juxta stylum ac mentem Majoris. Itaque cum Majore nego sententiam rigidam tam objectivam, quàm formalem esse securiorem & tutiorem opinione benignâ.

Major in hac parte sequutus est communem sui ævi sententiam; id est opinionem benignam.

66. Demum quinta ejus conclusio ita dicit. *Prudens debet sequi communem opinionem sapientum tam in materiâ fidei quàm morum, potiùs quàm paucorum.* Itaque Major ipse ita credendus est sensisse, & sine dubio ita sensit circa quæstionem præsentem. At certum est, communem opinionem sapientum illius ævi, ut Adriani, Sylvestri, Conradi, Victoriæ, Soti, Tabienæ, Caietani, Pelbarti, &c. favisse benignæ sententiæ, & unam eandemque fuisse cum illâ intellectâ in sensu à nobis explicato. Ergo Major quoad omnia eam tenuit, & nobiscum reipsâ sentit, etsi propter aliam intelligentiam earundem vocum primo aspectu ab eâ videatur discrepare. Præterea hæc Majoris assertio evidenter ostendit, nostram sententiam hisce saltem temporibus juxta ejus mentem esse tenendam, quia illa sola est communis, ut certum est. Ergo Major ipse ab illâ nec olim dissensit, nec nunc dissentiret, alioquin non sequeretur regulam, quam hîc ponit à prudentibus esse tenendam tam in materiâ fidei, quàm morum. Et sanè innumeræ sunt resolutiones practicæ apud Majorem, quæ evidenter evincunt, eum sensisse probabilem Doctorum resolutionem esse sufficientem conscientiæ regulam ad benè operandum, etiam in aliorum sapientum contradictione, modò tamen ob rationes vel authoritatem illorum bona fides de operationis honestate formetur, & oppositum prudenti seu probabili judicio explodatur, & contemnatur ut falsum. Pono unum vel alterum exemplum. Major ergo *in 4. dist. 12.* Hæc habet. *Si quis sciens se* (id est advertens se esse) *in principio cantici Te Deum laudamus, mundando tunicam, cubiculum vel vitrum, dicens reliquos psalmos laudum, & reperiens se in ultimâ lectione psalmi laudate Dominum de cælis, cui tunc primùm venit in mentem sua lectio, nescius an legerit psalmos inter medios necne, est tamen ei multùm probabile quod sic: Dico quod jam satisfecit precepto de dicendis illis psalmis; & per consequens non tenetur eos repetere, sive eos dixerit, sive non, quia est ei ignorantia invincibilis.* Ecce Major agnoscit ignorantiam invincibilem in opinione multùm probabili; & ex ejus vi ponit assertionem largissimam. Largissimam, inquam, quia quamvis sit valdè probabile, quòd dixerit Psalmos illos, non tamen est multùm probabile, quòd non teneatur eos repetere, cùm enim præceptum sit in possessione, titulus incertus de horis dictis aut non dictis non inducit eandem præsumptionem de extinctione obligationis, ac de Psalmis dictis; nam si sit dubium, an dicti sint, non est dubium an obligatio perseveret necne; sed certum est, quod obligatio urgeat. Similiter durat obligatio, etsi rationes aliquæ parvi momenti non tamen probabiles, arguant Psalmos esse dictos. Ergo licèt sit valdè probabile

Major plæraque ad praxim resolvit sed solùm probabiliter, idque non minùs laxè, quàm recentiores.

quod Psalmi sint dicti, non tamen in eodem gradu est probabile, quòd obligatio illos recitandi cesset, quia possessio favens præcepto multùm imminuit de hac secundâ probabilitate. Itaque quod Major hîc docet, non est multùm probabile, raro enim contingit hominem, seriò agentem, pati distractionem ab initio hymni *Te Deum* usque ad capitulum laudum, quin illa sit culpabilis & voluntaria, sicut raro etiam evenit, hominem penitus distractum à verbis posse tot tamque varia ordinatè proferre. Et sanè hæc Majoris assertio tam laxa est, ut laxiorem in hac materiâ vix invenies apud casuistas, quos Adversarii laxitatis inauditæ arguunt, eò quòd à severitate antiquorum Theologorum in opinando recesserint. Præterea Major in eâdem quæstione tenet, sacerdotem cum alio recitantem horas satisfacere, etsi eas recitet absque ullo actu voluntatis, modò socius ipsius debitum actum voluntatis habeat, quia actus ille supplet pro utroque. Quis quæso modernorum tam laxè sentit in hac materiâ?

67. Præterea Major in eadem *distinct. 12. quæst. 8.* docet contra Angelum in summâ, quod audiens missam & dicens horas simul satisfaciat utrique præcepto; id est practicè resolvit partem minùs tutam pro regulandâ conscientiâ, nec tamen nisi probabiliter eam resolvit. Ergo censet probabilem resolutionem contra oppositam probabilem & tutiorem ad conscientiam ritè formandam sufficere. Sed & in *quæst. 9.* loquens de casibus in quibus Clerici excusantur à dicendis horis hæc habet. *Et licèt sint casus in quibus horas possit prætermittere; si tamen commodè eas dicere possit, non assuescat ad hoc, ne in inconveniens de non dicendis horis extra excusationem legitimam incidat. Cùm hoc tamen non faciat conscientiam de horis non dictis, quando consilio sapientum dicitur esse rationabilis excusatio.* Innumera ejusmodi sunt apud Majorem, quæ evidenter arguunt eum per omnia nobiscum sentire.

68. Inter alios Mercorus citat Cordubam contra benignam sententiam; verùm Corduba, si ritè intelligatur per omnia nobiscum sentit. Inprimis *lib. 2. de ignorantia quæst. 3.* expresse quærit, an excusetur sequens partem minùs tutam ob opinionem Doctorum dicentium illam esse licitam, & ponit hanc thesim, quæ est ordine secunda. *Quando opinio probabilior asserit & justificat, quod in se non est tam securum, quàm ejus oppositum, tunc licèt sit tutius talem opinionem non sequi, licitum tamen est eam sequi.* Hinc evidenter sequitur intentum nostrum, quia benigna sententia est evidenter probabilior opposita. Ergo licet illam sequi juxta mentem Cordubæ. Saltem hoc licet nobis, & omnibus qui illam habent pro probabiliori.

Corduba tenet partem minùs tutam esse licitam, si sit probabilior opposita.

Nec obstat tertia ejus assertio, in quâ dicit, *partem tutiorem tenendam esse, quando opposita sententiæ sunt, aut creduntur æquè probabiles.* Sed nec obstat prima ejus assertio, in quâ idem à fortiori affirmat de necessitate sectandi partem tutiorem, simúlque probabiliorem. Nam loquitur de parte tutiore, quæ omnibus omninò consideratis est probabilior aut æquè probabilis, & pro tali habetur ab operante. Hoc autem nos ultrò fatemur, nec est qui contradicat, ut evincam *quæst. sequenti in fine.* Tenemus enim operantem, ut excusetur, debere bonâ fide non temerè conceptâ sequi, quod omnibus pensatis ipsi apparet non solùm probabilius, sed absolutè reputatur verum. Tota ergo diversitas inter nos & Antiquos tam citatos, quàm citandos, qui pro conscientiæ securitate exigunt majorem probabilitatem partis minùs tutæ, in eo sita est, quod nos accipiamus opinionem directè minùs probabilem, & insuper addamus illi rationes & authoritates reflexas, quibus in unum collatis, dicimus & scimus honestatem illius partis esse probabiliorem ejusdem inhonestate.

Corduba solùm contrariatur nobis quoad modum loquendi, non quoad rem ipsam.

inhonestate. Atque ideò dicimus usum illius partis esse licitum. Quod certè nec Corduba, nec Navarrus, nec Major, nec quisquam Antiquorum negavit, nec ullus negare potest; constat enim honestatem operis esse posse simpliciter probabiliorem ejusdem inhonestate, saltem ex vi rationum & authoritatum reflexè & indirectè probantium, quamvis si ipsa natura rei solùm inspiciatur, ejusdem honestas directè tantùm considerata sit minùs probabilis ipsius inhonestate. E contrà Antiqui non distinguunt hæc duo, sed confusè & indistinctè loquuntur de tota probabilitate, quam res habet, undecumque tandem illa colligatur; atque ideò dicunt neminem excusari nisi sectetur vel tutiora vel probabiliora, eò quòd fieri non possit, quin alioquin operetur aut cum conscientiâ, aut cum dubio peccati mortalis, quorum neutrum evenit, quando quis absolutè credit rem, quam facit, esse licitam, quia suum cuique opinatum probabilius est. Hæc autem omnia verissima sunt, & à nobis non solùm admissa, sed absolutè asserta ut penitus necessaria pro conscientiæ securitate.

Antiqui apparenter tantùm discrepant à Recentioribus in quæst. præsenti.

Rursus Corduba eodem in loco duo dicit, quæ per omnia concordant cum benignâ sententiâ. Primùm ita se habet. *Benè stat utramque opinionem esse æquè probabilem, & quod ego non ex solâ affectione, sed ex liquâ rationabili causâ, puta quia rationes alterius scio dissolvere, vel credo per alios benè dissolvi, aut solubiles esse nec omninò efficaces, licet illas ego dissolvere non sciam: vel etiam ex ignorantiâ invincibili rationabiliter vel inculpabiliter æstimem alteram opinionem esse magis probabilem, aut veram, quæ non est: & tunc hæc quæ probabilior aut vera æstimatur tenenda est de necessitate, aut de licentiâ, ut in duabus proposit. præced. dictum est.* Alterum ejus assertum est hujusmodi. *Quartò si homo non est litteratus aut doctus, aut si nescit ibi esse varietatem opinionum, neque dubium inter Doctores; aut si audit, vel scit ibi varias esse opiniones, tamen probabiliorem, aut tutam non ex affectione, sed ex ignorantiâ, vel ex aliâ causâ credit eam, quam ipse sequitur, æquè aut magis quàm oppositam; & ita cum bonâ fide, bonâque conscientiâ putans sibi licere agit vel omittit, paratus oppositum agere, si sufficienter sciret illud illicitum esse; hic certè inculpabiliter agit, & illam sequitur opinionem, & per ignorantiam invincibilem excusatur.* Nos autem alia non docemus. Ecce Corduba nobiscum est.

Aliæ Cordubæ asserta coincidunt cum benignâ sententiâ.

Opinio probabilis involvit ignorantiam invincibilem.

69. Joannes Tabiena Caietani æqualis, cui suam summam dedicavit, immeritò citatur pro sententiâ rigidâ; nam apertè nobis favet, atque suo calculo convincit mentem Caietani & Theologorum sui temporis eandem fuisse cum Recentiorum opinione quoad quæstionem præsentem. Nam *V. opinio. num. 3.* hæc habet *Quæritur quæ opinio sit sequenda secundùm Canonistas. Resp. primò, quod in dubiis non generatur aliquod præjudicium veritati, quando inter diversas opiniones à Doctoribus approbatas, illam quis amplectitur, quæ sibi magis videtur consona rationi. &c.* ergo cùm nobis sententia benigna videatur magis consona rationi, illam amplecti ac sequi possumus absque veritatis præjudicio ex mente Tabienæ. In eodem titulo multa habet huc spectantia, ut quod in rebus fidei nondum determinatis & sufficienter declaratis, nemo peccet peccato erroris, si probabiliter opinetur, etiam contra veritatem, quodque qui in ejusmodi rebus sequitur opinionem Magistri sui, aut suam (si tamen sit rationabilis) non incurrat periculum hæresis; quæ certè ex S. Thoma exscripsit, & refert se ad *Verb. excom 5. casu 4. §. 3.* ubi idipsum fusiùs declarat..

Tabiena tenet nostram sententiam.

Rursus *verbo scrupulus*, ex sancto Antonino ponit plures regulas pro remedio scrupulorum, quarum tertia est *obedientia, sequendo opinionem & directionem peritorum; formando conscientiam super consiliis eorum, & adhærendo eis; & multoties faciendo contra proprios,*

proprios scrupulos ex eorum judicio & hoc potest quis facere tutâ conscientiâ. Imò etiamsi esset falsa opinio, quæ consulitur, secundùm dictum Archiepiscopum non peccat, nisi esset contra manifestam determinationem Scripturæ vel Ecclesiæ. Nec valet, quod in dubiis tutior via sit eligenda, quia hoc non est præceptum, sed consilium. nec per hoc se exponit periculo, sed fugit periculum. Et subdit, quod qui sic ageret in articulo mortis, esset securus; hæc omnia ibidem expresse tradit Tabiena, qui proinde absque dubio per omnia nobiscum consentit, quoad substantiam præsentis controversiæ.

Caietani mens exquiritur.

70. Caietanus *in summa ad verbum, opinionis usus*, videtur respuere usum cujusvis opinionis minùs tutæ, ut illicitum; hæc enim habet. *In operandis, nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujuscumque assumere ut regulam operis, quia eo ipso, quo operatio committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ, quia opinio omnis ambigua est, utpote cum formidine alterius partis.* Nihilominus si attentè legatur, & ritè intelligatur, sine dubio constabit eum à communi sententiâ non recedere; nam nomine formidinis non intelligit infirmitatem assensûs absolutè alligati ad unam partem contradictionis, quæ infirmitas in sententiâ Caietani & Thomistarum est inseparabilis ab omni actu opinativo, sed solùm intelligit dubium, seu ambiguitatem intellectûs hærentis inter unam & alteram contradictionis partem, absque eo, quod absolutè credat partem minùs tutam esse absolutè veram.

Probatur hoc 1. quia alioquin formido improbabilis, & quivis scrupulus contra judicium probabilissimum de honestate operis, redderet illud illicitum; quod certò certiùs falsum est, uti demonstratum est *quæst. 19 per totam*, & à Caietano ignorari non potuit.

Probatur 2. quia *si nullius opinio assumi potest ut regula operis*, uti expressis verbis dicit, ergo nec S. Thomæ opinio sufficeret, nec ipsiusmet Caietani resolutiones practicæ sufficiunt, ut quis eas tutâ conscientiâ sectetur, etsi in illis suam conscientiam bonâ fide deponat. At hoc nec de S. Thoma, nec de seipso Caietanus sensit; alioquin frustra summulam scripsisset; quippe quæ plena est resolutionibus, quæ nullâ certitudine fulciuntur, & quarum aliquæ sunt laxitatis non ferendæ, ut in verbo *præceptum*, ubi docet transgressionem præcepti humani positivi, factam sine contemptu tam præcepti quàm finis præcepti, non esse peccatum mortale, & alia similia non toleranda, & jam post censuram Alexandri VII. in 45. proposit. nuper damnatas satis explosa. De his Caietanus certitudinem non habebat; putavit tamen operantem bonâ fide, & absolutè quiescentem in ratione, quam affert, excusari à peccato. Itaque quando dicit opinionem conjunctam cum formidine oppositi ad conscientiæ securitatem non sufficere, nomine formidinis intelligit dubium verum, & sensus est, *ut quis non peccet, non sufficit, quòd docti dicant aliquid esse licitum, si alii teneant oppositum; quia toto hoc stante, operans dubitare potest, an benè vel malè agat; sed opus est ut absolutè ac prudenter credat opus, quod facit, esse licitum, & tunc excusatur*, quia sic dispositus non dubitat nec formidat in sensu Caietani, ideoque non se committit periculo.

Summa Caietani non caret opinionibus laxissimis, nullatenus admittendis.

Probatur 3. quia Caietanus ipse, paulo post verba citata, dum applicat doctrinam in illis traditam ad peccatum mortale, seipsum explicat dicendo: *Et si de peccato mortali agitur, constat esse peccatum mortale facere scienter operationem dubiam, an sit mortalis.* Ecce tam ratio, quàm applicatio doctrinæ priùs traditæ solùm procedit pro casu dubii. Ergo nomine formidinis priùs intellexerat veram dubitationem, seu dubiam animi vacillationem.

Caietanus loquitur expressè de dubio.

Probatur 4. Caietanus paulò pòst explicans priorem doctrinam, quæ uti jacebat

videbatur

Major probabilitas judicii, uni parti alligati est moralis certitudo.

videbatur nimis stricta, hæc subjungit. *Et hac intellige de opinione propriè dictâ, quæ est cum formidine alterius partis, & per se loquendo. Non enim propterea aliquid opinione tenetur, quia diversi Doctores contraria sentiunt; quoniam cum hujusmodi contrarietate stat, quod una pars sit ratione sufficiente ad moralem certitudinem fulta, & jam non est opinio apud capientes rationem illam; sed quia nesciunt multi discernere inter certitudinem moralem & mathematicam, omnia quodammodo locant sub opinionibus. Dixi quoque, per se loquendo, quia per accidens contingit nescientes discernere inter notum opinione & notum certâ ratione morali, errare & excusari credentes absque formidine alterius partis viris probis & doctis dicentibus, facite sic, quia potest licitè fieri.* Hactenus Caietanus. Ex quibus constat primò, nos juxta mentem Caietani excusari, dum sequimur nostram sententiam, quia illa nobis certa est ratione morali juxta sensum Caietani, distinguentis inter certitudinem mathematicam & moralem. Constat 2. omnes nobis bonâ fide credentes absque formidine, sicut solent homines credere viris doctis & probis asserentibus aliquid esse licitum, excusari à peccato. Constat 3. illum nomine *opinionis propriè dicta, conjuncta cum formidine oppositi* non intelligere absolutum assensum uni parti alligatum, & levem illum falsitatis metum, qui & reipsâ, & maximè in Thomistarum sententiâ est inseparabilis ab omni judicio fallibili, quia apertè supponit, certitudinem moralem formidinis exclusivam reperiri tam in fide humanâ fallibili, quâ credimus viro perito & pio, quàm in rationabili discursu, quo, non obstantibus motivis & authoritatibus in contrarium, absolutè credimus aliquid esse verum propter motiva fallibilia. At hujusmodi judicium non potest esse expers tenuis illius formidinis, cùm tale judicium in omni sententiâ sit actu formidolosum. Ergo Caietanus nomine *opinionis propriè dicta, conjuncta cum formidine opppositi* non intelligit absolutum judicium ex motivo fallibili uni parti prudenter alligatum, sed solùm intelligit opinionem alienam ita cognitam, ut meus illi assensum non præbeat, sed hæreat dubia inter utramque partem contradictionis. Caietanus ergo in nullo à communi sententiâ discrepat, quia judicium probabilius uni parti affixum habet certitudinem moralem juxta phrasim Caietani.

Pelbartus expressis terminis benignæ sententiæ subscribit.

71. Pelbartus de Temisuar an. 1500. edidit *Aureum S. Theologiæ Rosarium*, in quo, *verbo opinio num. ultimo* expressè quoad omnia nobiscum sentit. Hæc enim habet. *Sed nonne excusatur à peccato is, qui sequitur opinionem Doctorum, quæ postmodum apparet falsa? Respondetur secundùm Panormitanum in cap. Capellanus, De Feriis, & in Angelicâ summâ, quod excusatur; nec tenetur homo semper in diversitate opinionum eligere tutiorem: quia opinio est tuta, cùm habet Doctorem pro se satis acceptum, & hoc sufficit ad salutem cum tali voluntate, quod non adhæreret ei, si non crederet illam esse veram. Vnde in tali non est contemptus, nec periculo se exponit: & sic nec peccatum inobedientiæ. Nam si Ioachim Abbas non fuit hæreticus, licet tenuit falsum contra fidem, ut patuit supra, quia talis articulus nondum erat ab Ecclesia damnatus. Ergo &c.* Ita ille, qui cùm dicat opinionem, habentem pro se Doctorem satis acceptum, esse tutam, quamvis opposita sit tutior, & à plurimis doceatur, nil minùs expressit, quàm si dixisset quamvis opinionem directè certò probabilem esse tutam conscientiæ regulam, cùm omnis ejusmodi opinio habeat pro se Doctorem gravem, & satis probatum. Quod si reflexè loquamur, non unum habet, sed omnes omninò, tam antiquos, quàm modernos, si pauculos excipias supra citatos.

Citantur Antiquiores ab an. 1500. ascendendo usque ad an. 1400.

72. Gabriel

Gabriel tenet partem minùs tutam esse licitam si illa probabiliter judicetur esse honesta.

72. Gabriel Biel floruit circa an. Domini 1490. & indubitanter tenet probabilem resolutionem, in quâ homo quiescit ut in parte absolutè verâ, sufficere, ut sequens partem minùs tutam à peccato excusetur, licèt cũ communi antiquorũ sententiâ doceat, eum ratione periculi peccare, qui sequitur partem minùs tutam, nisi omnibus inspectis intellectus magis moveatur ad credendum quod sit, quàm quod non sit licita. In quo per omnia nobis consentit. Inprimis *in 4. dist. 15. quæst. 8.* tenet, illicitum esse habere plures præbendas, extra quosdam casus ibi expressos. Inter reliqua autem argumenta, quibus suam sententiam confirmat, *ad litteram S.* sic arguit. *In via salutis relinquere certum, & eligere incertum est amare suum periculum; qui verò amat periculum peribit in illo. Eccli. 3. Vnde Gerson in regulis moralibus hanc regulam ponit. Agere incertum & dimittere certum in materiâ morali est peccatum mortale. Et specificat eam addens: si tale sit incertum, quòd sit mortale, non solùm per conjecturas leves, aut ex suspicione trepidâ & scrupulosâ, proveniente ex nimio timore cadendi in viâ Dei. Sed intelligitur, dum tale est vehementer & probabiliter incertum, æquè sicut oppositum, vel magis; tunc enim illud quod agitur, non carebit peccato mortali. Hæc Gerson. Nunc autem quod habere plura beneficia extra dictos casus sit peccatum mortale, est sententia plurium sanctorum & famosorum Doctorum, plus concordans sacræ Scripturæ, & Patrum Canonibus, quàm ejus opppositum. Ergo posse habere sine mortali plura est valdè incertum, & longè minùs probabile, quàm oppositum. Ergo tenens plura beneficia extra casus dictos committit se incerto peccati mortalis. & dimittit certum.* Hactenus Gabriel. Ex quibus constat, eum tenere neminem peccare sectando partem minùs tutam, qui ex motivo probabili magis propendet ad credendum quod liceat, quàm quod non liceat. Itaque major probabilitas, undecumque habita, & absolu-

Major probabilitas excusat sectantem minùs tuta.

tum judicium de honestate operis excusat sectantem minùs tuta juxta mentem Gersonis & Gabrielis. At nos aliud non docemus.

73. Nec obstat, quod Gabriel ideò neget licitam esse hanc pluralitatem, quia pars affirmativa est minùs probabilis, quod malè intulisset, si credidisset, licitum esse sequi partem directè minùs probabilem; nam Gabriel solùm resolvit quæstionem hanc ex vi rationum directè probantium, & juxta illas ex doctrinâ Gersonis benè concludit intentum; quia ille, apud quem dictæ rationes prævalent, si alias potentiores non habeat, peccat sine dubio, si plura beneficia teneat. Præterea mihi certum est, Gabrielem, & alios ejus temporis Theologos non admisisse, quod opinio, docens pluralitatem beneficiorum esse licitam, esset certò probabilis. Hoc patet, primò, quòd longè acriùs invehantur in eam, quàm in alias opiniones minùs tutas; quod certè non fecissent, si eam aliis æquè probabilem agnovissent. Patet 2. quia Theologi illius temporis unanimiter tenebant talem pluralitatem esse illicitam, nec erant nisi aliqui Canonistæ, qui tenebant oppositum. In re autem spectante ad jus naturæ, paucorum Canonistarum sententia contra unanimem Theologorum opinionem non est probabilis. Patet 3. ex eo, quod Gabriel non solùm acerrimè, præter morem, in hanc sententiam invehatur, ut in rem periculi plenissimam, sed etiam quia expressè dicit, sententiam pluralitati huic faventem esse *longè minùs probabilem opinione contrariâ*, quod rarò aut numquam evenit, quando utraque pars est certò probabilis practicè. Et sanè Theologi illius temporis alieniore animo intuebantur opinionem faventem pluralitati præbendarum, quam hodie nos aspiciamus opinionem dicentem, *licitum esse judici in judicando sequi partem minùs probabilem*, in quam opinionem, etsi eam reputemus

Mens Gabrielis explicatur.

An liceat habere plures præbendas? reputemus practicè improbabilem, nemo tam acriter invehitur, quàm antiqui invehebantur in sententiam asserentem, pluralitatem præbendarum esse licitam. Sicut ergo ex eo, quod negem, licitum esse judici sequi partem minùs probabilem, inferri non potest, quod teneam nemini licere sectari partem minùs probabilem practicè, quia horum unum alteri non obstat. Ita ex eo, quod Gabriel simpliciter dicat, non esse integrum habere plures præbendas, non sequitur, quod in sensu reflexo neget, licitum esse sequi partem minùs tutam, & directè minùs probabilem (si tamen sit certò practicè probabilis, maximè si ex rationibus reflexis probabilitas de honestate superet probabilitatem partis oppositæ) tum quia ille nullibi instituit hanc quæstionem reflexam, tum quia loquitur de opinione, quam non agnoscebat esse certò probabilem practicè; tum demum, quia absolutè tradit partem, omnibus inspectis, probabiliorem ad conscientiæ securitatem sufficere, quod abundè nobis sufficit. Jam quod mens Gabrielis sit, qualem exposuimus, & per omnia nobis concordet, ex aliis etiam locis manifestum erit, hunc enim ideò attuli, quia nil est in Gabriele quod magis faveat adversariis, qui locus proinde non erat dissimulandus.

Probabilis resolutio pro parte minùs tutâ excusat operantem ex mente Gabrielis. 74. Itaque *in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 3. dub 2.* tenet cum Scoto contra Halensem, S. Thomam, Richardum, pluresque alios, quòd qui scienter implet pœnitentiam in peccato mortali, satisfaciat, nec teneatur eam repetere. Ecce practicè resolvit pro parte minùs tutâ contra partem oppositam tutiorem, & tutum eum reputat, qui suæ sententiæ se conformat. Immò quod plus est *ibidem dub. 5.* docet cum Scoto, pœnitentem non obligari ad acceptandam pœnitentiam à Confessore injunctam. Rursus *in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. dub 1.* eandem magis resolutè repetit doctrinam, & cum Scoto consulit Confessoribus, taliter dispositum non repellere: *Melius enim est*, inquit, *cum modicâ & levi pœnâ, aut nullâ mittere ad purgatorium, quàm desperatum relinquendo mittere ad infernum.* Ecce in re periculosâ contra partem tutiorem & reipsâ magis probabilem (quia prima ex istis opinionibus Gabrielis non est probabilior alterâ, & secunda tempore ipsius reipsâ erat longè minùs probabilis sua contradictoria, nam post Tridentinum non est amplius probabilis) non solùm tenet usum partis minùs tutæ esse licitum, sed etiam eam reputat materiam consilii Confessariis opportuni, modo quis bonâ fide in eâ tamquam in parte absolutè verâ deponat conscientiam.

75. Deinde *in 4. dist. 16. quæst. 3. art. 1. notando 3.* sumptâ occasione ab obligatione jejunii, loquens de interpretatione legis positivæ hæc habet. *Intentioni autem legislatoris obviat, qui ex contemptu, aut sine rationabili causâ ordinationem non servat. Qui verò in casu (in quo probabiliter credi potest, si legislator adesset, eum obligare non vellet) à verbis legis deviat, intentioni legislatoris non obviat, nec reputandus est transgressor statuti.* Hæc assertio probat quidquid dicimus, quantum spectat ad jus positivum, quia quoties probabile est aliquid esse licitum, toties probabiliter credi potest, legislatorem nolle nos obligare ad illud, tamquam ad rem præceptam, idque dupliciter judicari potest, primò ex vi probabilitatis directæ, etsi illa in actu primo verè sit minor probabilitate partis oppositæ; secundò saltem ex vi probabilitatis reflexæ, quæ longè excedit, probabilitatem partis contrariæ. Ergo ex mente Gabrielis quævis probabilitas practica, si certa sit, sufficit ad excusandum sectantem minùs tuta in rebus ad jura positiva spectantibus. Eadem autem ratio valet in aliis omnibus materiis. — Probabilitas sufficit ad interpretandam legem, eiusque obligationem evitandam.

76. Demum juvat annectere, quæ Gabriel *ibidem ad litteram E E.* exscribit ex Gersone

Major probabilitas ab omnibus habebatur pro morali certitudine sufficiente ad licitè operandum.

Gersone *lib. 4. de Consol. Theolog. prosa 2.* & approbat, ac fatetur esse communem Doctorum sententiam. *Certitudo triplex est, supernaturalis, naturalis & moralis* (omitto priores duas, quia ad rem non faciunt) *certitudo moralis est, quæ habetur ex probabilibus conjecturis, grossis & figuralibus, magis ad unam partem, quàm aliam inducentibus, seu persuadentibus. Illa certitudo non removet in unâ parte omnem probabilitatem vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad istam, quàm ad aliam. Admittit etiam formidinem de opposito, & scrupulos, non tamen advertendos, sed contemnendos. Et hæc certitudo sufficit in moralibus secundùm Philosophum 1. Eth. dicentem. Disciplinati est in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ. Æquè enim vitiosum est, inquit, Mathematicum persuadentem quærere, & moralem demonstrantem. Talis etiam moralis certitudo sufficit ad cavendum mortale*, subdit Gabriel, *& ad committendum; ut habens moralem certitudinem circa aliquod præceptum, agens secundùm illam cavet mortale, & agens contra illam incidit in mortale.* &c. Ecce major probabilitas de honestate operis, undecumque tandem derivetur ex mente Gersonis, Gabrielis, & communi Doctorum illius ævi consensu, est moralis certitudo, sufficiens ad excusandum à peccato, etsi opposita pars sit probabilis, suaque probabilitate inducat formidinem de opposito. At nos idem per omnia docemus, exigimus enim ut operans magis inclinet ad partem quam sectatur, quàm ad oppositam, quodque omnibus inspectis, honestas operis sit probabilior ejusdem inhonestate; ideóque postulamus moralem certitudinem juxta mentem Gersonis, Gabrielis, Caietani & aliorum antiquorum, à quibus nec latum unguem discedimus.

Rosella nobiscum sentit.

77. Baptista Trovamala in summâ, quam vocat Rosellam, verbo *opinio* ex Monaldo hæc habet & approbat. *In dubiis non generatur aliquod præjudicium veritati, cùm inter diversas opiniones à Magistris approbatas, illam quis amplectitur, quæ sibi videtur magis cōsona rationi.*

Rursus verbo *communicare num. 3.* loquens de dispositione sufficienti ad licitè communicandum, hæc habet. *Si autem quis non habet conscientiam peccati mortalis, aut hoc est, quia præparavit se, & discussit se præparatione sufficienti, conscientiam suam examinando, & peritos consulendo, si opus est, aut probabili, scilicet conscientiam suam probabiliter examinando; aut negligenti. in primo casu non peccat, sed accipit remissionem peccatorum, & meretur. In secundo non peccat, sed tamen remissionem non accipit, nec meretur. &c.* & citat Petrum de Palude. Ecce probabilis conscientia de sufficienti dispositione excusat communicantem in statu peccati. Et *num. 4.* ex Richardo *in 4. dist. 9.* ponit resolutionem minùs tutam, & minùs probabilem, certè nullatenus probabiliorem eo etiam tempore (nam nunc non est probabilis) scilicet quòd homo peccati mortalis conscius, & habens copiam Confessoris, possit communicare, non præmissâ confessione, si sit contritus, & de propinquo expectet sacerdotem, cui devotiùs & securiùs confiteretur. Audi verba formalia. *Si de propinquo expectaret alium sacerdotem, cui devotiùs & securiùs confiteretur, sic enim expectans nullo jure, quod ego sciam, communicare prohibetur, si est verè pœnitens. Hæc Richardus.*

Probabilitas per Rosellam excusat sectantes minùs tuta.

Præterea Rosella *Verbo Missa num. 18.* ex Astensi *lib. 4.* docet sæcularem, qui ex pigritia absque contemptu & prava consuetudine semel & iterum omittit audire sacrum in die festo, non peccare nisi venialiter. Hæc sententia nunc non est probabilis, & tunc non erat veritatis certæ, sed ad summum probabilis; & quidem non erat certò probabilior opposita; Rosella tamen immunem à peccato putabat, qui bonâ fide illi se conformabat. *Floruit autem an. 1483.*

78. An-

Angelus apertè nobiscum sentit.

78. Angelus Clavasius Author summæ Angelicæ, coëtaneus Trovamalæ, floruit anno 1480. *verbo opinio, num. 2.* expressè docet cum Panormitano, quod sequens opinionem Doctorum non subtiliter investigatam, quæ postmodum apparet falsa, excusetur à peccato. Huic doctrinæ aliam limitationem non apponit Angelus, quàm quòd locum non habeat in his, quæ sunt contra Dei præcepta, & legem naturalem omnium mentibus insertam, quorum ignorantia neminem excusat. Tum respondet objectionibus hoc modo. *Nec obstat prædictis illud cap. Invenis de Sponf. ubi dicitur quod in dubiis tutior pars est eligenda. Et Ecclesiastici cap. 3. Qui amat periculum peribit in illo. Ergo videtur se exponere periculo, qui in diversitate opinionum non eligit tutiorem; quia hoc verum esset, quando propriè dubium est: sed quando est opinio secus est, quia tunc non sumus in dubio: nec consequenter exponit se quis periculo. quod benè notandum. Item nec obstat etiam illud Aug. de pœnit. dist. 7. si quis, ubi dicitur, dimitte incertum, & tene certum, quia alia est certitudo in moralibus, alia in naturalibus. Propterea dicit Philosophus 1. Ethicorum quod disciplinati est in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ; æquè enim vitiosum est persuadentem quærere mathematicum, & moralem demonstrantem. Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentiâ demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis & figuralibus magis ad unam, quàm ad aliam partem se habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus & maximè sapientibus apparet verum. Nam si Ioachim non fuit hæreticus, licèt tenuerit falsum contra fidem, ut patet in cap. Damnamus de summa Trinit. & fid. cat. quia ab Ecclesia talis articulus nondum erat damnatus. Multò magis excusatur quis sequendo opinionem Doctoris, quando talis opinio ab Ecclesia non est reprobata, cum tali voluntate, quod si non crederet verum, non ei adhæreret. Certè in isto non potest esse contemptus, & sic nec peccatum inobedientiæ. Et ergo tenet certum sibi certitudine morali, & dimittit dubium sibi, scilicet opinionem contrariam.* Hactenus Angelus.

Major probabilitas est moralis certitudo.

79. Hinc patet primò Angelum, in omni opinione certò probabili practicè, agnoscere ignorantiam invincibilem, quæ excusat operantem. Secundò constat, sectantem opinionem Doctorum juxta mentem Angeli non se exponere periculo peccandi, quia non operatur in dubio. Constat tertiò potissima Adversariorum argumenta ab annis fermè ducentis considerata & ritè fuisse soluta ab antiquis Theologis. Constat quartò argumentum à materiâ fidei desumptum ab Angelo habitum fuisse tamquam medium potentissimum ad probandum à fortiori in materiâ morum. Demum constat Angelum sensisse, operantem ex probabili Doctorum resolutione, si tamen dubium deponat, & illis absolutè credat, non posse peccare peccato contemptûs & inobedientiæ, dummodo sit ita dispositus, ut si non crederet verum, non ita faceret. Universaliter autem sic operans, juxta sententiam Angeli & rei veritatem sectatur tutum & certum, & dimittit incertum ac dubium. Ipsissima, & non alia à nobis traduntur in hac materiâ.

Quædam scitu digna notantur in doctrina Angeli.

80. Dionysius Carthusianus floruit circa an. 1460. & *in 2. d stinct. 39. quæst. 3.* docet subditum Religiosum debere in omnibus, quæ non sunt certò contra legem Dei, suo prælato obedire; & *propè finem quæst.* concludit his verbis. *In dubiis verò an sit contra præceptum Dei standum est præcepto Prælati. Quia etsi sit contra Deum, attamen propter obedientiam bonum non peccat subditus, sed Prælatus.*

Dionysius Carthusianus apertè favet benignæ sententiæ.

Eandem doctrinam fusiùs tradit *in 2. dist. 44. quæst. ultima*, & eam ex S. Bernardo extendit ad res non strictè præceptas, sed à Superiore simpliciter ordinatas, etiã in materiis, quæ propriè non spectant ad materiam professionis, quæque ideò juxta multorum sententiam non possunt rigorosè

In dubiis obediendum est Prælato.

præcipi à Prælato. Hoc autem aliter locum non habet, quàm quod subditus pii & prudentis Superioris sui judicium possit tamquam rationabilem conscientiæ regulam accipere. At idem valet de aliis, qui certò probabilem opinionem pro conscientiæ regulâ proponunt. Immò hæc Dionysii doctrina locum habet in casu, quo probabilius est subdito Prælatum decipi; quo non obstante potest prudenter suum judicium deponere, & Superioris judicium pro regulâ accipere, & secundùm illud tutâ conscientiâ operari.

Facultas Parisiensis favet nostræ sententiæ.

81. Atque hîc omittendum non est decretum Facultatis Parisiensis, quod extat apud Dionysium Carthusianum in *4. distinct. 25. qu. 3.* ubi refert, quod propter quæstionem inter Doctores dissentientes motam, quæsitum fuit à Facultate, *utrum in aliquo monasterio fæminarum liceat recipere fæminam ultra numerum personarum, quæ de bonis Monasterii commodè & sine penuriâ sustentari possunt; & de personâ recipiendâ, oblatis gratis spiritualibus, exigere temporalia?* Huic quæsito sic respondit Facultas Theologica. *Dicimus, quod ubi monasterium est ita tenue, ut fæmina, quæ recipi petit, non possit de bonis monasterii sustentari sine penuria, oblatis gratis spiritualibus, & receptione personæ liberè factâ ad spiritualia, si persona illa sic recepta habeat bona temporalia, de quibus juxta consuetudinem regionis potest disponere, & ea monasterio conferre, tunc potest ab ea aliquid peti solùm pro necessitate sui victûs, sine fraude, ut habeat monasterium, unde sibi providere possit. Et hoc non intelligendo de actione coactivâ, ita quod ejiciatur, si non dederit; sed quod in omnibus servetur debitus modus, & recta intentio.* & quod hoc locum habeat, ubi diuturnâ & communi consuetudine derogatum videtur constitutionibus Bonifacii, & Urbani quinti, quas ibi citat. & tandem sic concludit; *tutius tamen est, quod nihil petatur, vel exigatur, nec in hujusmodi monasteriis ultra numerum earum, quæ sine penuriâ sustentari possint, aliqua fæmina recipiatur.* Huic decreto ipse Carthusianus subscribit, cùm illud afferat ad suam sententiam confirmandam. Ecce ante annos 200. tam ipse Carthusianus, quàm celeberrima Facultas Parisiensis pro practicâ resolutione ad formandam conscientiam judicarunt, & ex probabili solùm resolutione dictarunt, partem minùs tutam posse licitè in praxim reduci; etsi propter rationes in contrarium id certum non esset, sed solùm probabile, cùm pleno ore fateantur oppositum esse tutius. Ergo antiqui Theologi censuerunt partem tutiorem non ex necessitate, sed solùm ex consilio tenendam esse, quando pars minùs tuta est probabilis.

Pars tutior ex consilio, non ex præcepto tenenda est.

82. Sanctus Antoninus mortuus est anno Domini 1459. ætatis suæ 70. exactissimè autem tractavit, quæ spectant ad quæst. præsentem *parte 1. summa. tit. 3. cap. 10. §. 10.* ubi fusè tradit regulas deponendi scrupulos, & timores offendendi Deum in nostris actionibus. Inprimis ponit argumenta contraria, quibus diabolus perturbat mentes scrupulosorum; & ante omnia objicit illud vulgare, *in dubiis tutior pars est eligenda*; sed ad hoc respondet, *eligere viam tutiorem consilii est non præcepti; aliàs oporteret multos ingredi Religionem, in quâ tutiùs vivitur quàm in sæculo. Non ergo de necessitate oportet tutiorem eligere, quando etiam alia via eligi potest tuta.* Secundò objicit, quòd peccet, qui se peccati periculo exponit, cui se videtur exponere qui ex contrariis opinionibus sequitur laxiorem, cùm illa possit esse falsa. Sed ad hoc respondet, *quòd qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, peccat mortaliter, etiamsi illud in se non esset mortale, sumendo strictè & propriè dubitationem. &c. Sed si dubitet leviter quis, & per modum scrupuli, sicut dubitat seu formidat habens opinionem de aliquo, quia ita inhæret ipsi sententiæ, ut formidet de opposito, sic agendo contra tale dubium non peccat, dum adhæret*

S. Antoninus eximius benignæ sententiæ patronus.

Solvit omnia adversariorum argumenta.

Qui operatur ex opinione formidolosa, non operatur in dubio, nec periculo se exponit.

opinioni alicujus doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsâ magis quàm pro oppositâ opinione, etiamsi opinio, quam tenet, non esset vera. Et hoc nisi ipsa opinio sumpta esset contra manifestum testimonium Scripturæ, vel determinationem Ecclesiæ. Talis enim non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem. Ecce tempore S. Antonini communis doctrina erat eadem quæ nunc; nam sequi partem & opinionem tutiorem reputabatur consilium non præceptum, quique sequebatur opinionem certò probabilem, nec operabatur in dubio, nec censebatur se discrimini ac peccandi periculo exponere.

Epikeia quænam sufficiat ad excusandum a peccato.

83. Paulo post loquens de Epikeia utili ad deponendam conscientiam scrupulosam, hæc habet. *Septima regula est pro scrupulorum depositione præceptorum discreta epikeisatio, id est interpretatio, vel declaratio, &c. & secundùm hanc virtutem Epikeia possumus præcepta Dei, Ecclesiæ, prælatorum, seu judicum benignè interpretari. Et in foro quidem contentioso ejus est interpretari cujus est condere, vel sententiare. Sed in foro conscientiæ* (nota benè) *circa præcepta & humana & divina dico, quod pertinet ad quemlibet pro facto suo, si tamen rationabiliter interpretetur.* Ecce unusquisque pro facto suo potest interpretari legem quamcumque, & per hoc excusatur, si eam rationabiliter interpretetur. At interpretatio secundùm opinionem etiam minùs probabilem, etiam directè tantùm consideratam, & multò magis secundùm eam ex reflexis rationibus & authoritatibus stabilitam, est rationabilis. Ergo per Antoninum usus opinionis minùs probabilis ex vi solarum rationum directè probantium, & multò magis ex vi rationum reflexarum benignæ sententiæ faventium est licita.

84. Demum pro remedio scrupulosæ conscientiæ maximè opportuno, dicit oculos & mentem conjiciendam esse in electionem opinionis tutæ; nam, *sunt*, inquit, *aliquando de aliquibus materiis moralibus Doctores opinionum contrariarum, & tunc scrupulosi dubitant, quam partē possint cum bonâ cōscientiâ eligere* Quos scrupulosos, & alios oēs bonæ & sanctè timoratæ conscientiæ ut hac de re, quæ summi momēti est, instruat, hæc habet.

Opinio certò probabilis, si credatur vera, eo ipso est tuta.

Notandum quòd cum bonâ conscientiâ potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundùm eam operari, excluso saltem scandalo, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores, dummodo talis opinio non sit contra authoritatem expressam sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ; & quòd etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam & credulitatem formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte. Et præcipuè quando quis adhibet diligentiam inquirendo an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc quod sit illicitum.

In rebus moralibus Doctores sæpissimè ab invicem dissentiunt.

85. Et ne quis existimet Authores graves in rebus moralibus & practicis non dissentire, probat oppositum hoc modo. *Quod autem sint contrariæ opiniones inter Doctores sanctitate & scientiâ maximos in materiâ morali, aliquando etiam ad salutem necessariâ, patet per exempla. Nam B. Thomas in 4. tenet, quod post lapsum in mortale non oportet aliquem statim confiteri sub peccato, habitâ copiâ Confessoris, nisi in paucissimis casibus, qui ibi ponuntur distinct. 17. & cum eo tenet Richardus. Sed Hugo de S. Victore, & B. Bonaventura sunt in hoc contrariæ opinionis &c. Neutra horum opinio reprobatur ab Ecclesia, etsi B. Thomæ opinio communiùs teneatur, quæ tamen minùs tuta videtur. Raymundus Decretista, & Sanctius in summâ tenet, quod participare cum excommunicatis majori excommunicatione in loquelâ, cibo, & hujusmodi, in casu non concesso, sit peccatum mortale universaliter. Sed D. Thomas in 4. & Joannes Andreas, & Archidiaconus tenent contrarium & illud contrarium communiter tenetur; & sic* (nota benè) *exempla innumera possent poni.* Ergo per Antoninum innumera sunt exempla in quibus licitum est & tutum sectari

sectari minùs tuta, quia hoc licitum est, quoties Doctores præstantes inter se discrepant, si conscientia formetur, ut vult S. Antoninus.

Antoninus explicat S. Thomam.

86. His dictis, objicit sibi illud S. Thomæ in quodlibetis, ubi ait, *ex contrariis sententiis necesse est alteram esse veram, alteram falsam. Si ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum facit contra veram opinionem, non excusatur à peccato, cùm faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra conscientiam*, & postea respondet hoc modo. *Hæc verba S. Thomæ non possunt intelligi nisi de his, ubi manifestè patet ex Scripturâ, vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra legem Dei; & non de illis intelligit, ubi non apparet, aliàs sibi contradiceret in eodem libro, quod non est credendum.*

87. Deinde pergit in probatione asserti principalis hoc modo. *Thomas in summâ dicit, quod si quis de aliquo agendo dubio magis peritos consulat, de quo nullam habet expressam authoritatem, utrum ita sit an non, dummodo formet sibi bonam conscientiam, etiam si res aliter se habeat, quam id quod sentit, & quod sibi consultum fuerit, excusatur, quia fecit quod potuit, & Deus plus non requirit.*

Quivis sectari potest quamvis opinionem probabilem.

88. *Item ex responsis, quæ videntur data ab Alberto Magno, habetur quod Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcunque opinionem voluerit, dummodo alicujus Doctoris magni opinionem sequatur.*

Hostiensis etiam dicit ex. de cogn. spirit. cap. si vir. Ubi sunt diversæ opiniones, & diversa judicia, semper humanior est præferenda & æquior. Et ad idem facit, quod ait Aug. distinct. 9. Sana.

Opinio probabilis involvit ignorantiam invincibilem.

89. *Guilielmus etiam in glossâ Raymundi dicit, quod in apicibus juris, ubi dubitant etiam sapientes, excusabilis est ignorantia. Unde si aliquis bonâ fide partem illam vel illam elegerit, non debet super hoc habere conscientiam nimis scrupulosam.*

90. *Item Petrus de Palude super 4. distinct. 17. dicit, quod si Confessor dubitaret, utrum illud, de quo confitens non pœnitet, nec confitetur, esset mortale, & ipse confitens dicit quod consilio peritorum illud facit, de quibus ex vitâ & scientiâ probabile est, quod non consulerent nisi benè, illo judicio se potest conformare: secus autem esset, si esset certus de opposito.*

Confessarius debet se conformare opinioni pœnitentis.

Idem videtur sentire Goffridus de Fontibus, in his scilicet opinionibus contrariis, quæ tolerantur ab Ecclesiâ, ut dictum est. Et quod debet proponere confitenti, quod benè studeat de hoc seipsum per prudentes informare, eò quod alii tenent contrariam opinionem, maximè si illius contrariæ opinionis Confessor sit ordinarius ejus, & sic eum absolveret.

Item sentit Richardus Claremontanus non distinguendo utrùm Confessor ejus sit ordinarius, vel non ordinarius. &c.

In materia fidei licet amplecti quamcumque opinionem verè probabilem.

91 *Probatur & hoc idem tali ratione secundùm Cancellarium. Fides est tam necessaria sicut virtutes morales, & si non amplius. Sed constat communiter apud Theologos, quod in materiâ fidei, dum Doctores sentiunt contraria, licitum est ante determinationem Ecclesiæ tenere unam partem vel alteram sine periculo peccati, vel fidei, ut patet in abbate Ioachim, qui tenebat contrarium ad id, quod Magister sententiarum dixerat in 1. distinct. 1. lib. pro quo Magistro sentent. Ecclesia postmodum determinavit. extrav. de summa Trin. Damnamus. Nec tamen dictus Ioachim incidit in hæresim aut perfidiam propter hoc, quia dicta sua omnia subjecit correctioni Ecclesiæ. Ergo à simili licet unam opinionem in moralibus tenere juxta limitata superius, ubi saltem magis sapientes non sentiunt contrarium, & ubi paratus est obedire Ecclesiæ & Scripturæ, si ei errorem explanaverit.*

Argumentum à materiâ fidei ad materiam moralem est validum.

Antoninus respondet objectis ex Augustino.

92. Tum objicit illud Aug. *Tene certum, dimitte incertum, de pœn. dist. 7. cap. si quis.* unde videtur sequi quod tutior opinio in omnibus sit sequenda; sed respondet locum non esse ad rem, quia Aug. loquitur de differente pœnitentiam ad extremum vitæ, & solùm dicit, pœnitentiam tunc factam esse

esse incertam. Sed dato quod ista Augustini authoritas extendatur ad alias opiniones, & materias morales, sic respondet.

Major probabilitas est certitudo moralis.

93. *Notandum secundùm Cancellarium quod certitudo, quæ requiritur in materiâ morali, non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ. &c. Tertia certitudo, scilicet moralis seu civilis, tangitur in principio Ethicorum, ubi dicitur quod disciplinati est in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ. Æquè enim vitiosum est persuadentem quærere mathematicum, & moralem demonstrantem. Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentiâ demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis, grossis & figuralibus, magis ad unam partem quàm ad aliam se habentibus. Dicitur autem probabile quod pluribus & maximè sapientibus apparet verum. Ex his igitur sequitur, quod in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teste Aristotele & experientiâ, sufficit talis certitudo, quæ non semper scrupulos omnes abjiciat, sed sufficit, ut contemnat seu superet eos. Ad quod etiam optimum facit illud Leonis Papæ dicentis. In his quæ dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendam, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum PP. inveniatur adversum. Distinct. 14. cap. sicut quædam. Ista autem certitudo moralis colligitur ex uno trium modorum, videlicet ex alterius authoritate, quod pertinet ad incipientes, qui scilicet erudiuntur per alios in doctrinis, & addiscunt & obediunt juxta illud Deut. 32. Interroga patrem tuum, & annuntiabit. &c. Secundus modus est ex propriâ eruditione, quod congruit proficientibus studendo in scripturis, juxta illud Proverb. 27. stude sapientiæ fili mi. Tertius modus est ex circumspectione circumstantiarum, & hoc quoad perfectos.* Hactenus Antoninus.

Octo doctrinæ penitus coincidentes cum benignâ sententiâ vigebant in Ecclesia tempore S. Antonini.

94. Ecce per Antoninum cuique licet interpretari legem pro facto suo; nec peccat, qui rationabiliter, seu probabiliter eam interpretatur, licet erret in sua interpretatione. Deinde opinio Doctorum favens libertati contra aliorum opinionem præcepto faventem per Antoninum tuta est, & censetur immunis à peccandi periculo. Tertiò objectiones eædem, quas adversarii nobis nunc objiciunt, olim notæ erant, perpensæ, atque solutæ à S. Antonino. Quartò qui bonâ fide format credulitatem de honestate operis sui, non peccat, licèt erret, modò sequatur opinionem celebris Doctoris in rebus non certò reprobatis ab Ecclesia. Quintò opinio probabilis & bona fides in ejusmodi opinione fundata involvit ignorantiam invincibilem secundùm Ulricum, Guilielmum, & Antoninum. Sextò licet Confessario absolvere pœnitentem contra propriam sententiam, modò opinio, quam pœnitens sequitur, sit probabilis. Septimò, usus cujusvis opinionis probabilis in materiâ fidei licitus est; & argumentum à paritate rei ad fidem spectantis à fortiori valet ad probandum, quod excusetur, qui in re morali sequitur quamcumque opinionem probabilem, etsi fortè contingat eum in sua opinione errare. Demum major probabilitas de honestate operis, undecumque habeatur, verè est, & à Gersone, S. Antonino, aliisque habetur tamquam certitudo moralis, quæ ad securitatem & tranquillitatem conscientiæ abundè sufficit.

Hæ sunt opiniones & doctrinæ, quæ vigebant in Ecclesia tempore S. Antonini, quasque ille doctrinâ pariter & sanctitate illustrissimus tamquam regulas tutas praxi deservientes fidelibus proposuit. At nos alia non docemus.

S. Antoninus in quo sensu requirat majorem probabilitatem pro benè formanda conscientia:

95. Dices. S. Antoninus pro securitate conscientiæ requirit majorem probabilitatem, nam expressè ponit illam clausulam, *modò formet sibi bonam conscientiam de eo quod credit, tamquam de probabiliori parte.* Et antea in primâ authoritate citatâ similem posuerat dicens: *Dummodo adhæret opinioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles*

pro-

pro ipsa magis, quàm pro opposita opinione. Ergo Antoninus contrariatur nobis, qui docemus æqualem, imò minorem probabilitatem partis minùs tutæ ad conscientiæ securitatem sufficere.

Antoninus solùm postulat, ut operans formet bonam fidem de honestate partis, quam amplectitur.

96. Resp. Adversarios palam errare in intelligendâ Antonini mente; ille enim quando dicit, *sed bonam conscientiam & credulitatem format de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte*, solùm exigit, ut operans, deposito dubio, formet absolutum judicium de honestate sui operis; impossibile enim est quod quis eliciat tale judicium, quin feratur in illam partem, tamquam in probabiliorem, & verisimiliorem, & quin habeat rationes probabiles magis inclinantes intellectum in actu secundo ad unam partem, quàm ad oppositam; quia unicuique suum opinatum probabilius est. At hoc totum à nobis exigitur, omninò enim requiritur, ut conscientia operantis formetur per absolutum dictamen, quo credit operationem suam esse honestam; idque nisi fiat vel ex vi rationum directè, vel certè ex vi rationum indirectè probantium honestatem operis, operans non excusatur; quia *quod non est ex fide peccatum est.* Et sanè existimare, Antoninum in alio sensu exigere majorem probabilitatem pro conscientiæ securitate, omninò alienum est ab ejus intento, quia intendit ponere regulas practicas & faciles pro formandâ conscientiâ in perplexitate & causâ dubitandi. At exigere, ne quis sectetur opiniones Doctorum, nisi illæ sint reipsâ probabiliores oppositis, non tollit, sed auget perplexitatem, novamque dubii causam præbet, quia statim cuique occurreret: *Fortasse contraria opinio habet rationes aut authoritates æquales, vel etiam potiores*, atque ita nemo, aut ferè nemo uti posset regulâ ab ipso propositâ, quod certè ejus intento repugnat. Atque ideò Antoninus non dixit formandam esse conscientiam *de probabiliori*, sed solùm *tamquam de probabiliori parte*, ut indicaret conscientiam debere formari per absolutum judicium de honestate operis, ad instar ejus, quod formatur, quando adhæremus parti probabiliori contra motiva minùs probabilia, hoc enim modo antea explicaverat distinctionem opinionis formidolosæ à dubitatione propriè dictâ, & ideò ut ostendat dubium debere deponi, utitur phrasibus, quas in objectione notavimus. Ecce Antoninus per omnia nobiscum est. Antiqua ergo est nostra sententia, & olim non minùs viguit in Ecclesiâ quàm nunc.

Panormitanus per omnia stat pro benigna sententia.

97. Panormitanus floruit circa tempora S. Antonini, eoque paulo fuit antiquior; mortuus enim est anno 1445. Hic vir ab omnibus celebratur tamquam juris canonici peritissimus, & in commentariis *ad cap. Capellanus de feriis* hæc habet *num. 6. Notandum ex hac glossâ sic intellectâ, quod non peccat non servans jus præcepti, ubi sunt variæ opiniones, licèt postea appareat contrariam opinionem fuisse veram, & aliam, quæ tenebatur, non subtiliter investigatam. Et pro hoc adduco bonam glossam juncto textu in cap. 1. de Postu. Prælat. lib. 6. & in cap. fin. de sponsâ duorum. & in cap. cum venerab. de consuetudine. Facit L. Regula, & quod ibi notatur ff. de jure. & facit ignorantia, & quod notat Inno. in cap. per tuas 2. de Simonia.* Ita Panormitanus.

Bernardus Bottonus author Glossæ in Decretales nobiscum sentit.

98. Huc etiam spectat Glossa secunda dicti capitis *Capellanus, ad parag. alii verò.* ubi hæc habetur. *In his verò, quæ ad solemnitatem spectant, diversa tenere non est peccatum, quia unaquæque provincia abundat in sensu suo. 76. di. utinam. & 12. dist. illud. & 1. de sepult. certificari. 12. dist. novit.* Cujus Glossæ sensus est, quod sicut non est peccatum celebrare matrimonium solemniter, modò qui illud celebrat tempore controverso, sectetur opinionem Doctorum, quia si erret, probabiliter errat; ita universaliter non est peccatum sectari partem minùs tutam, quando Doctores circa illam materiam probabiliter

probabiliter discurrentes contraria sentiunt. Hæc Glossa, inquit Navarrus *de pœnit. dist. 7. in c. si quis autem num. 7.* à multis commendatur, & in his ab Alexandro.

Et sanè Panormitanus loco citato *num. 5.* expressè ait hanc esse sententiam & mentem Glossæ, quodque Goffredus & Tancredus in hoc sequentes glossam senserint illud non fuisse peccatum, saltem antequam Papa dictasset *cap. Capellanus*, nam post hoc caput dictatum, jus certum declaratum est, cui soli est standum. Ecce non solùm Theologi antiqui, sed etiam præstantissimi in Canonum peritiâ nobiscum sunt.

Joan. Nyder diffusè tradit benignam sententiam.

99. Joannes Nyder, teste Sixto Senensi, floruit anno 1430. regnante Sigismundo Imperatore. Hic author, quoniam antiquus est, & sedulò collegit quid Doctores de quæstione præsenti senserint, attentè legendus est; sed quia non ubique est obvius, ideò ex illo plura exscribam, ut prudens lector, in re præsenti, quæ summi momenti est, clarè perspiciat, quid antiqui in hac materiâ tenuerint.

Hic Author *in consolatorio timoratæ conscientiæ* fusè tractat rem hanc, maximè *in 3. parte* ubi inprimis *cap. 11.* hæc habet: *Quarta regula principalis est opinionis alicujus tuta electio. Sunt enim aliquando de aliquibus materiis moralibus Doctores opinionum contrariarum, & tunc scrupulosi dubitant, quam partem possunt cum bonâ conscientiâ eligere.*

Omnis opinio certo probabilis tutò eligi potest, si credatur vera.

Pro enodatione hujus difficultatis notandum est inprimis, quòd cum bonâ conscientiâ potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundùm eam operari, saltem excluso scandalo, quæ pars habet pro se notabiles, seu notabiliores Doctores, dummodo talis opinio non sit contra expressam authoritatem sacræ Scripturæ, neque contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & dummodo ex contrarietate talium opinionum non inducatur quis ad dubitandum, sed bonam conscientiam seu fidem sibi formet de probabiliore parte. Præcipuè in tali casu quando quis adhibet diligentiam inquirendo an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat, quod sit illicitum.

Ut probet hoc assertum, citat primò S. Thomam *quodl. 3. quæst. 10.* Deinde allegat plura exempla, in quibus S. Thomas tenet partem minùs tutam contra gravissimos Authores contrarium sentientes. Tum respondet celebri loco S. Thomæ *in quodl. 8. art. 13.* ubi dicit *sequentem falsam opinionem peccare contra legem, nec excusari per hoc, quod faciat secundùm conscientiam.* Respondet autem eum *non posse intelligi nisi de illis, ubi manifestè patet ex Scripturâ vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra legem Dei, & non de illis, ibi illud non apparet, sicut seipsum declarare videtur quodl. 3. art. 10. Alias sibi contradiceret in eodem libro, quod non est credendum.*

100. Ex his statim infert hanc conclusionem. *Ex quibus sequi videtur expressè, quod non oportet semper tutiorem opinionem eligere de necessitate salutis, sed sufficit tutam eligere. Nam tutior est gradus comparativus præsupponens positivum, scilicet aliam tutam esse opinionem; quia tutiores videntur esse opiniones præfatæ aliorum, quàm quas S. Thomas ibi tenet.* Et idipsum ulteriùs specificat in sententiâ S. Thomæ *quodl. 4. quæst. 13.* dicentis eos excommunicatos non esse vitandos, de quorum excommunicatione sapientes contraria opinantur, modò per sententiam Judicis non sint declarati excommunicati.

Sequi tutiora est consilium non præceptum.

101. Tum pergit hoc modo. *Secundò patet principale per Altissiodorensem, quem allegat Cancellarius tractatu de pollutione. Dico, inquit, cum Altissiodorensi, quod regula magistralis, videlicet dubitans de aliquo, an sit illicitum, & stante dubio, illud agens peccat, quia discrimini se committit; intelligenda sit de dubio tali, quod est vehemens, & magis aut æquè inducit mentem credere quod est mortale illicitum, sicut quod est licitum. Secus enim est, ubi mens plus inclinatur, & judicat, quòd est licitum,*

Qui operatur dubio probabiliter deposito non peccat.

licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequàque certitudinem evidentem, aut fixam; quia nec hoc ipsum requiritur.

Sequens consilium proborum & peritorum, etsi erret, non peccat.

102. *Tertiò patet illud per plures antiquos Theologos, & Canonistas, devotione & litteraturâ multùm famosos. Dicit enim Vlricus super 2. sentent. distinct. 22. & concordat in summâ (quem Vlricus Iohannes in summâ valdè commendat) quod si quis de aliquo agendo dubio magis peritos consuluerit, de quo nullam habet authoritatem expressam, utrum ita sit vel non, dummodo formet sibi bonam conscientiam, postquam magis peritos consuluerit, &c. etiamsi res aliter se habet, quàm ipse sentit, excusatur, fecit enim quod potuit, Deus autem nihil impossibile requirit ab homine. Hæc ille. Nam ibidem æquiparat istum casum ignorantiæ invincibili, & omninò involuntaria, quia scire non potest.* Hactenus Nyder, qui sic pergit.

Sententia rigida animarum saluti est perniciosa.

103. *Ad idem est Monaldus in prologo summæ suæ dicens. Non generatur aliquod præjudicium erga veritatis sententiam, cùm inter diversas opiniones à magistris, & approbatis Doctoribus scriptis authenticis annotatas, illam opinionem quis amplectitur, quæ sibi videtur magis consona rationi. Vnde etiam Humbertus in expositione Constitutionum Ordinis Prædicatorum dicit, quod fructus animarum impediri solet per nimiam austeritatem in consiliis & opinionibus; terrentur enim ex hoc homines in tantum, ut salutem negligant. Idcirco relaxanda est, quantum fieri potest austeritas, & agendum est benignè cum hominibus, quia sic meliùs trahuntur ad salutem, cùm sententiæ mitiores tenentur. Hæc Humbertus. Côncordat Hostiensis, qui dicit extra. de cogna. spirituali in glos. super cap. sed vir. quod ubi sunt diversæ opiniones & diversa jura, semper humanior est præferenda, id est rationabilior; immò & æquior. extra. de Transf. cap. finali.* Ubi verò *utraque humana est, parti majori standum est, & saniori.*

Opinio certò probabilis invincibilem ignorantiam volvit.

104. *Ad idem est Wilhelmus glossator Raymundi de sententiâ præcepti d'ffinitionis, & excommunicationis, cap. 24. dicens: In apicibus juris, ubi dubitant etiam sapientes, excusabilis est ignorantia. Vnde si aliquis bonâ fide partem illam vel illam elegerit, non debet super hoc conscientiam habere nimis scrupulosam. Item idem Wilhelmus ubi supra in materiâ de decimis recitans duas opiniones dicit, quòd illa prima opinio, scilicet quod antiquas decimas sine peccato in feodu retinere possunt Laici, & quod ad hæredes transeant, benignior est, & ideò magis amplectenda.*

Omnis opinio probabilis tuta est.

105. *Item reperi in libris veteribus Ordinis nostri Prædicatorum responsa plura, quæ data esse videntur à Domino Alberto, eo adhuc vivente, quæ sic sonant. Item dicit idem, quod Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus magni Doctoris opinionem sequatur.*

Confessarius potest se conformare probabili opinioni pœnitentis.

106. Tum *in cap. 12.* pergit hoc modo. *Goffridus du Fontibus quodl. 9. quæst. 16. dicit, si confitens non habet conscientiam de aliquo actu, quem Confessor opinatur esse peccatum, quando confitentis opinio non procedit ex proterviâ, sed ex probabili ratione, debet eum Confessor absolvere, maximè Confessor ordinarius, nisi esset peccatum tale, quod certum & manifestum esset communiter illud peccatum esse, nec de hoc sint opiniones contrariæ, quæ ab Ecclesiâ tolerantur. &c. Concordat etiam Bernardus Claromontensis dicens. Si sint opiniones inter magnos dicentes, quod peccatum est; alii verò dicunt quod non; tunc debet in tali casu consulere aliquos, de quorum judicio confidit, & secundùm consilium discretorum facere, & peccatum reputare, vel non reputare. Ex quo enim opiniones sunt inter magnos, & Ecclesia non determinavit alteram partem, teneat quam voluerit, dummodo judicium in hoc resideat propter dicta eorum saltem, quos reputat peritos. Ibidem tamen addit contra Goffridum, quod non refert an Confessor sit ordinarius, vel non.*

Petrus de Palude in 4. dist. 17. dicit. Si Confessor dubitaret utrum illud, de quo alius non pœniteret,

pœniteret, esset mortale, & iste sibi diceret, quod de consilio peritorum illud faceret, de quibus ex vitâ & conscientiâ probabile esset, quòd non consulerent nisi benè; potest se illi judicio conformare. Secus autem si esset certus de opposito.

Bonorum exemplum est aliis regula vivendi.

107. Concordat Joannes de Cambaco tam in de consolatione Theologiæ, lib. 14. quàm in quæst. de culpa & gratiâ. Dicit in de consolatione. In dubiis, bonorum virorum vita aliis vivendi debet esse regula. Est igitur respiciendum ad facta bonorum virorum, & discretorum. & si plures tales, vel in pluribus, casu tali eis occurrente, sic vel sic se habere invenires, aut æstimatione tuâ judicares, tunc & tu similiter agere non formides. Dicis fortè in contrarium; tales viri etsi bonam habeant conscientiam, non tamen scientiam habent circa illam materiam. Vel è converso habent scientiam, non tamen conscientiam, vel si scirent quod utrumque haberent, fortè sic non facerent. Sed respondeo, quando non est omninò certum, probabile tamen est, & modicum dubium, quod simul scientiam habeant, & bonam conscientiam, & quod ita se haberent, si casus tales eis occurrerent, tamen pro excusatione tuâ noveris satis esse, si similiter feceris. Nempè in moralibus, & circa humanos actus non est demonstratio requirenda. Ad idem est Adam super 4. dist. 9.

Opinio probabilis de statu gratiæ est dispositio sufficiens ad licitè communicandum.

108. Pro enodatione etiam scrupulosarum conscientiarum clariùs adhuc cum prædictis concordat Johannes de Erdenberch. nostri Ordinis Doctor satis antiquus, exemplificando in materiâ communicandi super 4. dist. 9. Qui, inquit, non haberet peccatum mortale, tamen crederet se habere. Aut credit hoc firmiter, ita quod est quiescens in illâ opinione, accedendo ad Eucharistiam peccat mortaliter. Si autem probabiliter credit se esse in peccato mortali, sed non firmiter, nec acquiescit, ut si alicui durè locutus est, & cogitat, tu peccasti mortaliter, sed tunc statim retrahit se, & dicit intra se non esse peccatum mortale, non est verum. Et tamen non potest sufficienter se retrahere, quin sibi occurrat. Dico quòd in tali casu benè potest accedere, tamen semper retrahendo opinionem suam.

Probabilis certitudo sufficit in moralibus ad licitè operandum.

109. Capite 13. citat Gersonem, ex quo in tract. de contract. fusè probat, quod operari sectando partem minùs tutam, non obstante formidine & scrupulo de peccato, sit remotum à peccato, & veri peccati periculo. Et utitur paritate à materiâ fidei ad materiã morum, & arguit ab exemplo Abbatis Joachim per omnia sicut supra Antoninus argumentatus est, idque absque ullâ fermè verborum diversitate, atque ita concludit. Concludendum ex prædictis omnibus, quod probabilis certitudo sufficit in moralibus, ut non exponat se quis periculo, ut sicut dicunt Doctores de celebrante missam, & similibus, ubi requiritur status gratiæ, quòd sufficit probabilis conjectura, quia certitudo alia sine revelatione non habetur. Prout in moralibus dicit Aristoteles sumendam esse certitudinem figuraliter & grossè, quia certitudo non removet omnem probabilitatem vel opinionem alterius partis, licèt magis declinet ad istam, quàm ad aliam. Hactenus ex Gersone. Tum ex suo sic. Non itaque oportet semper terreri, quando aliqui tenent contrarium unius opinionis, quæ à sapientibus tuta judicatur, etiamsi non apparet tutior. Ex præmissis præterea sequitur, quod inter contrarietatem opinionum eligens unam partem, tunc securus videtur in conscientiâ, quando illa opinio non est evidenter contra sacram Scripturam, vel determinationem Ecclesiæ; modò sciat per se vel per alium, cui credit, probabiliter rationes contrarias solvere, quas videt; aut si sciat alios prudentes eas contemnere, aut abjicere. Sed contentus esse debet certitudine morali, (quam explicat in cap. 14. ex Gersone, & dicit ex Philosopho consurgere ex probabilibus conjecturis grossis & figuralibus magis ad unam partem quàm ad alteram) & pro posse formare bonam conscientiam in illâ opinione, atque ita habere animum dispositum, ut paratus sit obedire Ecclesiæ, si contrarium determinaverit, & resi-

Probabilis conjectura est moralis certitudo juxta antiquos.

& restituere &c. quando veritas sufficienter innotuerit.

Antiqui solverunt argumenta adversariorum.

110. Capite 16. solvit quidquid opponi potest in favorem sententiæ rigidæ. Scilicet. *Qui amat periculum peribit in illo. Tutior via est eligenda. Tene certum, dimitte incertum. Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.* quibus addit dictum illud S. Thomæ supra citatum ex *quodl. 8. art. 13.* quibus omnibus respondet. Nominatim autem dicit. *Non oportet semper viam tutiorem eligere, quia stat aliam esse tutam, quæ eligi potest. Tutiorem enim viam eligere est consilii non præcepti.* omitto alia quamplurima. ex cap. 17. 20. & 21.

In materiâ fidei, quævis opinio probabilis est tuta.

111. Tandem cap. 29. expresse docet, quomodo in materiâ fidei liceat amplecti quamcumque ex opinionibus contrariis, modò utraque sit certò probabilis. Sic enim ait. *Potest quis absque periculo peccati tenere opinionem alicujus magistri, etiam contrariam veritati fidei in his, quæ ad fidem pertinent,* modò opinio illa non sit expresse contra sacram Scripturam, nec contra manifestam Ecclesiæ determinationem, & qui eam sequitur, humiliter paratus sit suum judicium Ecclesiæ, si contrarium declaraverit, subjicere; atque magister, cujus sententiam sequitur, sit vir pietate atque doctrinâ illustris, &c. quæ sunt acceptiones, quas ponit, ut propositio, quam asserit, universaliter locum habeat.

Sententia rigida à nemine tenebatur temporibus Antonini & Nyder.

112. Ecce Joannes Nyder per omnia eadem tenet cum Antonino, Sylvestro, aliisque, ideòque eædem reflexiones fieri possunt & debent de illius doctrinâ, quas in sententiâ Antonini expendimus. Unum superest notandum, idque momenti maximi, scilicet tam S. Antoninum, quàm Joannem Nyder ex professo afferre argumenta in contrarium, eaque solvere. Certum autem est, eos neminem ex omnibus contradicentem afferre, præter difficilem & singularem illum loquendi modum, à S. Thomâ *quodl. 8. art. 13.* usurpatum; ideòque certum est, opinionem rigidam nec tempore illorum, nec antea fuisse communem, sed neminem omninò aut tunc, aut antea illam tenuisse, si enim aliquis eam tenuisset, utique illud non omisissent, quia nil magis obstitisset electioni opinionis minùs tutæ, quàm si Authores graves id illicitum esse docuissent. Itaque & tunc & antea semper verum fuerat quod suo tempore observavit Sylvester verbo *Opinio*, scilicet nullam fuisse opinionum varietatem in materiâ præsenti, quia omnes unanimiter tenuerunt, sectantem opinionem probabilem, dummodo dubium deponat, & absolutum formet judicium de honestate suæ operationis, atque ita magis in illud inclinet, quàm in oppositum, per hoc ipsum excusari, & tutum esse in conscientiâ. Ita omnes antiqui senserunt, Conradus, Major, Pelbartus, Sylvester, Angelus, S. Antoninus, Nyder, Gerson, Altissidiorensis aliique ab illis citati.

Nec ante Jansenismum à quoquam tenebatur.

113. Atque hic provoco adversarios, ut vel unum ex antiquis afferant, qui unanimem hanc Gersonis, Nyder, S Antonini, Conradi, Sylvestri aliorumque sententiam ex professo impugnârit. Si aliquem invenerint, fatebor rigidam sententiam esse Jansenismo antiquiorem, à priscis agnitam, & ab aliquibus saltem approbatam. Quod si neminem invenerint, (certum autem est eos neminem reperturos) desinant in meridianâ luce cæcutire; & apertâ veritate convicti tandem fateantur, benignam sententiam semper in Ecclesiâ viguisse, rigidam verò ante Jansenismum numquam fuisse auditam.

S. Bernardinus stat pro benignâ sententiâ.

114. S. Bernardinus Senensis *in dialogo de obedientiâ*, primò approbat illud dictum S. Bernardi *in lib. de præcepto & dispensat. Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.*

Deinde

Deinde cùm in *5. argum.* objecisset votum obedientiæ videri malum, quia constringit ad obediendum in dubiis & periculosis, respondet hoc modo. *Si dubium vel ignorantia subditi sit de facto, seu de singularibus & circumstantiis, in nullum committit se discrimen alicujus mali, quando obedit; quia nullum est sibi peccatum, nec peccati periculum, nisi hujusmodi dubietas, vel ignorantia proveniret ex voluntate, vel negligentiâ suâ: Si autem sit dubium de jure, seu in universali, tunc aut subditus non tenetur scire illud jus, & tunc nullum est sibi periculum: aut tenebatur scire; & tunc quamvis non excusetur à toto, bonum tamen obedientiæ excusat à tanto. Quidquid igitur est ibi de periculo peccati, aut de peccato, non provenit ex obedientiæ lege, sed potiùs ex indebitâ ignorantiâ subditi, & ex indebito imperio prælati*; quod imperium non per se, sed per accidens astringit subditum propter ignorantiam culpabilem, quam habet de jure divino. Tertiò in primo limite obedientiæ perfectæ, scilicet quando peccatum manifestum præcipitur, hæc habet. *Sciendum tamen quod ubi subditus rationabiliter dubitat, an quod præcipitur sit peccatum an non, tunc profectò obedire debet.* & statim citat *cap. quid culpatur 23. quæst. 1.* & in hunc sensum discurrit, si difficultas & subtilitas materiæ, vel sanctitas prælati, aut subditi simplicitas rationabilem fundent præsumptionem, quod res præcepta sit licita, adeò ut dubium inhonestatis habeat contra se præsumptionem rationabilem, obediendum est. *Quod si dubium sit irrationabile*, inquit Bernardinus, *ut si dubitetur de eo, quod apud omnes constat esse mortale vel veniale peccatum, hujusmodi dubietas cùm ex ignorantiâ juris proveniat, non excusat ad minùs à toto.* Hinc constat S. Bernardinum nobiscum sentire quoad materiam obedientiæ, quæ certè universalis est, & ad omnia fermè extenditur. Si enim res præcepta sit probabiliter licita per eum obtemperandum est, quod certè aliter verum esse non potest, nisi quia probabilitas illa fundat rationabilem præsumptionem de honestate operis, nam ubi non datur ejusmodi præsumptio probabilis per ipsum non est obediendum.

Obediendum est quandiu probabile est rem præceptam esse licitam.

115. Dices Bernardinus non solùm dicit, peccatum manifestum, sed etiam peccati mortalis periculum manifestum esse limitem obedientiæ, quod fusè ex professo probat in deductione & explicatione secundi limitis. At sequi opinionem minùs tutam superioris, est se exponere periculo manifesto peccati. ergo per Bernardinum non licet subdito sequi talem opinionem. Replica.

Resp. minorem à Bernardino expressè reputari falsam in toto tractatu, ut evidenter patet ex dictis. Itaque hoc loco nomine *periculi manifesti* intelligit occasionem proximam labendi in peccatum mortale, quæ occasio ratione periculi labendi in peccatum certum, in omnium sententiâ est peccatum mortale. Ponit exemplum, & ita loquitur. *Audire mulierum confessiones peccatum non est; & tamen in patiente fragilitatem carnis posset esse incentivum ad malum. Si igitur Frater inclinaretur sic, quod dubitaret, ne caderet in peccatum, & ob hoc nollet talium audire confessiones, secundùm quatuor Magistros prælatus non posset ipsum cogere audire tales confessiones.* Quasi diceret, qui talem fragilitatem carnis patitur, ut audiendo fœminarum confessiones non possit prudenter dubium removere, quin sit consensurus in carnis illecebras, ille secundùm quatuor magistros non tenetur obedire; quâ in re duo notanda sunt; alterum est, quòd Bernardinus loquatur de operante in dubio, seu dubio non deposito, & quidem propter occasionem proximam labendi in peccatum certum, non autem de operante, dubio probabiliter deposito, neque de sectante opinionem, quando probabile est, nil illicitum in tali opere reperiri. ergo per hoc in nullo nobis contrariatur, nec quoad

Solutio.

Utrum subditus teneatur ad obediendum, quando res præcepta est ipsi proxima peccandi occasio?

Opinio minùs probabilis, si credatur vera, excusat ex mente S. Bernardini.

priora sibi contradicit. Alterum est, quod in hoc ipso exercitè sequatur benignam sententiam, quia fatetur suam opinionem esse solùm quatuor magistrorum, & repugnare communi aliorum sententiæ; & tamen hanc suam opinionem, etsi quoad numerum Authorum, & præsumptionem inde ortam, oppositâ minùs probabilem, putat subditum tutum esse in conscientiâ; si superiori præcipienti non obediat, dummodo juxta hanc paucorum sententiam suam formet conscientiam. Ecce Bernardinus per omnia nobiscum consentit.

Nemo tenetur confiteri venialia etiam in Paschate.

116. Rursus S. Bernardinus *in tract. de confessione*, non longè ab initio, dicit duas esse sententias Doctorum, quorum aliqui affirmant, aliqui negant obligationem confitendi venialia semel in anno, si careant mortalibus. Et mox apertè videtur subscribere secundæ sententiæ, tum quia eam ponit posteriori loco; tum quia affert rationes & authoritates pro illâ & non pro alterâ, ait enim. *Ecclesia statuit omnia peccata sua ab unoquoque esse confitenda, quod de venialibus non potest intelligi, quia præceptum esset impossibile, cui nemo tenetur, quia nullus omnia venialia confiteri potest; & secundùm hoc non habens mortalia non tenetur ad confessionem; sed sufficit ei se presbytero præsentare, & ostendere se absque conscientiâ mortalis esse, ut ad communionem recipi possit, & hoc ei pro confessione reputatur.* Nihilominus citat Bonav. Thom. & Richardum *dicentes quòd prima sententia sit securior.* Tum citat Scotum pro secunda hac sententia, ejusque rationes affert, & approbat; cum quo tamen in *4. distinct. 17.* suadet hominibus venialia confiteri; maximè perfectis.

Circumstantiæ solùm aggravantes non sunt necessariò confitendæ.

117. Præterea in eodem tractatu docet cum S. Tho. & Bon. circumstantias in eadem specie aggravantes non esse necessariò confitendas, & sic concludit. *Unde dicendum, quòd confessio circumstantiarum in aliquod genus trahentium spectat ad confessionem de necessitate; confessio aggravantium de congruitate; confessio alleviantium potiùs facit incongruitatem.* Rursus in sequentibus docet, quòd peccator non teneatur statim confiteri datâ opportunitate sacerdotis. &c. ergo certum est, S. Bernardinum tenere, quòd qui inter discrepantes Doctorum opiniones sectatur minùs tutam, excusetur, modò bonâ fide credat opinionem illam esse veram, aut ex aliorum authoritate prudenter sibi persuadeat licitum sibi esse confessionem ad aliud tempus differre. Floruit S. Bernardinus circa an. 1430. quia mortuus est an. 1443.

Jo. Gerson eximius Patronus benignæ sententiæ:

118. Joannes Gerson, vir profundissimæ doctrinæ, floruit ante annũ 1420. quia mortuus est anno 1429. Hic tantus vir multis in locis nobis cõsentit. Inprimis *in tract. de præparat. ad missam, & pollut. nocturnâ considerat. 3.* hæc habet. *Non omnis scrupulus aut dubitatio de peccato mortali impediunt celebrantis dignitatem; patet, quia certitudo moralis, qualem consideraт. 2. diximus sufficere, compatitur secum vacillationem quandam animi, aut hæsitationem quandam, vel suspicionem seu scrupulos, quòd homo non sit sufficienter dispositus, aut quod aliquo impedimento ligatus est.* & paulò post. *Si quis opposuerit, quod dubitans de aliquo an sit illicitum, & stante dubio illud agens peccat, quia discrimini se scienter objicit. Respondeo cum Altissiodorensi regulam hanc magistralem intelligendam esse de dubio tali, quod est vehemens, & magis aut saltem æquè inducit mentem credere, quòd est mortaliter illicitum, sicut quòd est licitum. Secus est ubi mens plùs inclinatur, & judicat quòd est licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem aut fixam, quia nec hoc ipsum requiritur.* Ecce Gerson apertè fatetur, operantem ex probabili dictamine, quo dubium deponitur, & opus creditur licitum, excusari, etsi vacillet & formidet de opposito. At nos aliud non docemus; quia *exigimus ut mens sectantis partem minùs probabilem plùs inclinetur, saltèm ex motivis reflexu,*

Qui facit, quod probabiliter credit esse licitum, non peccat.

reflexis, ad credendum quod sit licitum, quàm illicitum, & quòd absolutè credat opus esse honestum.

Operans, dubio probabiliter deposito, non peccat.

119. Idem in regulis moralibus plurima habet idem confirmantia. Inprimis inter regulas in generali hæc habet. *Exponere se periculo peccati mortalis est peccatum mortale, vel sic agere incertum & dimittere certum in materiâ morali est peccatum mortale, si tale sit incertum, quod sit mortale non solùm per conjecturas leves, aut ex suspicione trepidâ & scrupulosâ proveniente ex nimio timore cadendi in viâ Dei: Sed intelligitur dum tale est vehementer & probabiliter incertum, æquè sicut oppositum vel magis; tunc enim illud quod agitur non carebit mortali culpâ, aliter non oportet.* Aliud nos non docemus. Rursus ibidem agens de Eucharistia sic loquitur. *Discrimen novi peccati mortalis in celebrando vitatur, si post discussionem conscientiæ (quæ regulariter in talibus haberi solet) celebraturus non habeat conscientiam fixam, aut æquè firmam (sicut de opposito) quòd sit in peccato mortali, vel alio legitimo impedimento, ut est irregularitas. Et hæc vocatur certitudo moralis vel civilis, quòd homo sufficienter probatus est.* Ecce probabilitas carentiæ peccati, & irregularitatis, & assensus probabilis de illorum remotione per Gersonem reddit celebrantem immunem à periculo novi peccati.

Qui in dubio probabiliter credit se esse bene dispositum, licitè communicat.

Temerarium est dicere, quod peccatum sit in ullo dubio contrahere.

120. Cæterum Gerson nullibi expressiùs loquitur de quæst. præsenti quam *parte 2. De contractibus. proposit. 13.* Nam cum in *proposit. 12.* objecisset illud August. *Tene certum, & dimitte incertum*, quo conscientiæ sæpè urgentur, ne in Doctorum discrepantiâ sectentur minùs tuta, ponit hanc propositionem, quæ est ordine 13.

Argumentum sumptum ex consilio vel dubio minus Doctoris, quod in ullo dubio contrahere sit peccatum mortale, non est efficax, sed temerarium & negandum.

Oportet enim incertitudinem esse non tantummodo scrupulosam, levem & formidolosam, sed valdè probabilem, priùs quàm agere eâ stante, peccatum mortale judicetur. Sic enim dictum illud sapientis intelligitur. Qui amat periculum peribit in illo. Itaque non quodlibet dubium facti sufficit ad causandum peccatum mortale. Ergo nec quodlibet dubium juris. Tum citat caput *inquisitioni de sent. excom.* ad probandum assumptum, & ad idem confirmandum alia coacervat, nominatim hæc habet. *Rursus in materiâ fidei, cùm Doctores dissentiunt, licitum est ante determinationem Ecclesiæ sæpè tenere unam partem vel alteram.* Scilicet quando utraque est certò probabilis, nam qui sequeretur opinionem temerariam & improbabilem non excusaretur à peccato. Et paulo post hæc addit. *Dicimus quod probabilis certitudo sufficiat in moralibus, ut non se exponat quis periculo; ut dicunt Doctores de celebrante missam & similibus, ubi requiritur status gratiæ, quòd sufficit probabilis conjectura. Quia certitudo alia sine revelatione non habetur, prout in moralibus dicit Aristoteles sumendam esse certitudinem grossè & figuraliter, quæ certitudo non removet in una parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad istam vel ad aliam, quod sufficit.*

Maior probabilitas est certitudo moralis & ad operandum sufficit.

Ecce iterum major probabilitas, undecumque sumpta, etiam relinquens oppositam partem apparenter probabilem, est certitudo probabilis, quæ per Gersonem sufficit, ne sectans minùs tuta peccet, aut periculo se exponat. Rursus hoc verum est tam in jure, quàm in facto. Tertiò locum habet hæc doctrina tam in materiâ fidei, quàm morum. Hæc autem, quæ Gerson hic docet, quoad omnia concordant cum sententiâ benignâ. Et sanè si Gerson legatur, innumera invenientur, in quibus exercitè nobiscum sentit, putatque in particulari probabilem resolutionem, etiam contra satis communem reclamantium sententiam, pro conscientiæ securitate sufficere. At nos aliud non docemus. ergo Gerson nobiscum est.

121. Pe-

pro ipsa magis, quàm pro opposita opinione. Ergo Antoninus contrariatur nobis, qui docemus æqualem, imò minorem probabilitatem partis minùs tutæ ad conscientiæ securitatem sufficere.

Antoninus solùm postulat, ut operans formet bonam fidem de honestate partis, quam amplectitur.

96. Resp. Adversarios palam errare in intelligendâ Antonini mente; ille enim quando dicit, *sed bonam conscientiam & credulitatem format de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte*, solùm exigit, ut operans, deposito dubio, formet absolutum judicium de honestate sui operis; impossibile enim est quod quis eliciat tale judicium, quin feratur in illam partem, tamquam in probabiliorem, & verisimiliorem, & quin habeat rationes probabiles magis inclinantes intellectum in actu secundo ad unam partem, quàm ad oppositam; quia unicuique suum opinatum probabilius est. At hoc totum à nobis exigitur, omninò enim requiritur, ut conscientia operantis formetur per absolutum dictamen, quo credit operationem suam esse honestam; idque nisi fiat vel ex vi rationum directè, vel certè ex vi rationum indirectè probantium honestatem operis, operans non excusatur; quia *quod non est ex fide peccatum est.* Et sanè existimare, Antoninum in alio sensu exigere majorem probabilitatem pro conscientiæ securitate, omninò alienum est ab ejus intento, quia intendit ponere regulas practicas & faciles pro formandâ conscientiâ in perplexitate & causâ dubitandi. At exigere, ne quis sectetur opiniones Doctorum, nisi illæ sint reipsâ probabiliores oppositis, non tollit, sed auget perplexitatem, novamque dubii causam præbet, quia statim cuique occurreret: *Fortasse contraria opinio habet rationes aut authoritates æquales, vel etiam potiores*, atque ita nemo, aut ferè nemo uti posset regulâ ab ipso propositâ, quod certè ejus intento repugnat. Atque ideò Antoninus non dixit formandam esse conscientiam *de probabiliori*, sed solùm *tamquam de probabiliori parte*, ut indicaret conscientiam debere formari per absolutum judicium de honestate operis, ad instar ejus, quod formatur, quando adhæremus parti probabiliori contra motiva minùs probabilia, hoc enim modo antea explicaverat distinctionem opinionis formidolosæ à dubitatione propriè dictâ, & ideò ut ostendat dubium debere deponi, utitur phrasibus, quas in objectione notavimus. Ecce Antoninus per omnia nobiscum est. Antiqua ergo est nostra sententia, & olim non minùs viguit in Ecclesiâ quàm nunc.

Panormitanus per omnia stat pro benigna sententia.

97. Panormitanus floruit circa tempora S. Antonini, eoque paulo fuit antiquior; mortuus enim est anno 1445. Hic vir ab omnibus celebratur tamquam juris canonici peritissimus, & in commentariis *ad cap. Capellanus de feriis* hæc habet *num. 6. Notandum ex hac glossâ sic intellectâ, quod non peccat non servans jus præcepti, ubi sunt variæ opiniones, licèt postea appareat contrariam opinionem fuisse veram, & aliam, quæ tenebatur, non subtiliter investigatam. Et pro hoc adduco bonam glossam juncto textu in cap. 1. de Postu. Prælat. lib. 6. & in cap. fin. de sponsâ duorum. & in cap. cum venerab. de consuetudine. Facit L. Regula, & quod ibi notatur ff. de jure. & facit ignorantia, & quod notat Inno. in cap. per tuas 2. de Simonia.* Ita Panormitanus.

Bernardus Bottonus author Glossæ in Decretales nobiscum sentit.

98. Huc etiam spectat Glossa secunda dicti *capitis Capellanus, ad parag. alii verò.* ubi hæc habentur. *In his verò, quæ ad solemnitatem spectant, diversa tenere non est peccatum, quia unaquæque provincia abundat in sensu suo. 76. di. utinam. & 12. dist. illud. & 1. de sepult. certificari. 12. dist. novit.* Cujus Glossæ sensus est, quod sicut non est peccatum celebrare matrimonium solemniter, modò qui illud celebrat tempore controverso, sectetur opinionem Doctorum, quia si erret, probabiliter errat; ita universaliter non est peccatum sectari partem minùs tutam, quando Doctores circa illam materiam

probabiliter

probabiliter discurrentes contraria sentiunt. Hæc Glossa, inquit Navarrus *de pænit. dist. 7. in c. si quis autem num. 7.* à multis commendatur, & in his ab Alexandro.

Et sanè Panormitanus loco citato *num. 5.* expresse ait hanc esse sententiam & mentem Glossæ, quodque Goffredus & Tancredus in hoc sequentes glossam senserint illud non fuisse peccatum, saltem antequam Papa dictasset *cap. Capellanus*, nam post hoc caput dictatum, jus certum declaratum est, cui soli est standum. Ecce non solùm Theologi antiqui, sed etiam præstantissimi in Canonum peritiâ nobiscum sunt.

Joan Nyder diffusè tradit benignam sententiam.

99. Joannes Nyder, teste Sixto Senensi, floruit anno 1430. regnante Sigismundo Imperatore. Hic author, quoniam antiquus est, & sedulò collegit quid Doctores de quæstione præsenti senserint, attentè legendus est; sed quia non ubique est obvius, ideò ex illo plura exscribam, ut prudens lector, in re præsenti, quæ summi momenti est, clarè perspiciat, quid antiqui in hac materiâ tenuerint.

Hic Author *in consolatorio timoratæ conscientiæ* fusè tractat rem hanc, maximè *in 3. parte* ubi inprimis *cap. 11.* hæc habet: *Quarta regula principalis est opinionis alicujus tuta electio. Sunt enim aliquando de aliquibus materiis moralibus Doctores opinionum contrariarum, & tunc scrupulosi dubitant, quam partem possunt cum bonâ conscientiâ eligere.*

Omnis opinio certò probabilis tutò eligi potest, si creditur vera.

Pro enodatione hujus difficultatis notandum est inprimis, quòd cum bonâ conscientiâ potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundùm eam operari, saltem excluso scandalo, quæ pars habet pro se notabiles, seu notabiliores Doctores, dummodo talis opinio non sit contra expressam authoritatem sacræ Scripturæ, neque contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & dummodo ex contrarietate talium opinionum non inducatur quis ad dubitandum, sed bonam conscientiam seu fidem sibi formet de probabiliore parte. Præcipuè in tali casu quando quis adhibet diligentiam inquirendo an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat, quod sit illicitum.

Ut probet hoc assertum, citat primò S. Thomam *quodl. 3. quæst. 10.* Deinde allegat plura exempla, in quibus S. Thomas tenet partem minùs tutam contra gravissimos Authores contrarium sentientes. Tum respondet celebri loco S. Thomæ *in quodl. 8. art. 13.* ubi dicit *sequentem falsam opinionem peccare contra legem, nec excusari per hoc, quod faciat secundùm conscientiam.* Respondet autem cum *non posse intelligi nisi de illis, ubi manifestè patet ex Scripturâ vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra legem Dei, & non de illis, ibi illud non apparet, sicut seipsum declarare videtur quodl. 3. art. 10. Aliàs sibi contradiceret in eodem libro, quod non est credendum.*

100. Ex his statim infert hanc conclusionem. *Ex quibus sequi videtur expressè, quod non oportet semper tutiorem opinionem eligere de necessitate salutis, sed sufficit tutam eligere. Nam tutior est gradus comparativus præsupponens positivum, scilicet aliam tutam esse opinionem; quia tutiores videntur esse opiniones præfata aliorum, quàm quas S. Thomas ibi tenet.* Et idipsum ulteriùs specificat in sententiâ S. Thomæ *quodl. 4. quæst. 13.* dicentis eos excommunicatos non esse vitandos, de quorum excommunicatione sapientes contraria opinantur, modò per sententiam Judicis non sint declarati excommunicati.

Sequi tutiora est consilium non præceptum.

101. Tum pergit hoc modo. *Secundò patet principale per Altissiodorensem, quem allegat Cancellarius tractatu de pollutione. Dico, inquit, cum Altissiodorensi, quod regula magistralis, videlicet dubitans de aliquo, an sit illicitum, & stante dubio, illud agens peccat, quia discrimini se committit; intelligenda sit de dubio tali, quod est vehemens, & magis aut æquè inducit mentem credere quod est mortale illicitum, sicut quod est licitum. Secus enim est, ubi mens plus inclinatur, & judicat, quòd est licitum,*

Qui operatur dubio probabiliter deposito non peccat.

licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequàque certitudinem evidentem, aut fixam; quia nec hoc ipsum requiritur.

Sequens consilium proborum & peritorum, etsi erret, non peccat.

102. *Tertiò patet illud per plures antiquos Theologos, & Canonistas, devotione & litteraturâ multùm famosos. Dicit enim Vlricus super 2. sentent. distinct. 22. & concordat in summâ (quem Vlricus Iohannes in summâ valdè commendat) quod si quis de aliquo agendo dubio magis peritos consuluerit, de quo nullam habet authoritatem expressam, utrum ita sit vel non, dummodo formet sibi bonam conscientiam, postquam magis peritos consuluerit, &c. etiamsi res aliter se habet, quàm ipse sentit, excusatur, fecit enim quod potuit, Deus autem nihil impossibile requirit ab homine. Hæc ille. Nam ibidem æquiparat istum casum ignorantiæ invincibili, & omninò involuntaria, quia scire non potest.* Hactenus Nyder, qui sic pergit.

103. *Ad idem est Monaldus in prologo summæ suæ dicens. Non generatur aliquod præjudicium erga veritatis sententiam, cùm inter diversas opiniones à magistris, & approbatis Doctoribus scriptis authenticis annotatas, illam opinionem quis amplectitur, quæ sibi videtur magis consona rationi. Vnde etiam Humbertus in expositione Constitutionum Ordinis Prædicatorum dicit, quod fructus animarum impediri solet per nimiam austeritatem in consiliis & opinionibus; terrentur enim ex hoc homines in tantum, ut salutem negligant. Idcirco relaxanda est, quantum fieri potest austeritas, & agendum est benignè cum hominibus, quia sic meliùs trahuntur ad salutem, cùm sententiæ mitiores tenentur. Hæc Humbertus. Côncordat Hostiensis, qui dicit extra. de cogna. spirituali in glos. super cap. sed vir. quod ubi sunt diversæ opiniones & diversa jura, semper humanior est præferenda, id est rationabilior; immò & æquior. extra. de Transf. cap. finali.* Ubi verò *utraque humana est, parti majori standum est, & saniori.*

Sententia rigida animarum saluti est perniciosa.

104. *Ad idem est Wilhelmus glossator Raymundi de sententiâ præcepti diffinitionis, & excommunicationis, cap. 24. dicens: In apicibus juris, ubi dubitant etiam sapientes, excusabilis est ignorantia. Vnde si aliquis bonâ fide partem illam vel illam elegerit, non debet super hoc conscientiam habere nimis scrupulosam. Item idem Wilhelmus ubi supra in materiâ de decimis recitans duas opiniones dicit, quòd illa prima opinio, scilicet quod antiquas decimas sine peccato in feodu retinere possunt Laici, & quod ad hæredes transeant, benignior est, & ideò magis amplectenda.*

Opinio certò probabilis involvit ignorantiam invincibilem.

105. *Item reperi in libris veteribus Ordinis nostri Prædicatorum responsa plura, quæ data esse videntur à Domino Alberto, eo adhuc vivente, quæ sic sonant. Item dicit idem, quod Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus magni Doctoris opinionem sequatur.*

Omnis opinio probabilis tuta est.

106. Tum *in cap. 12.* pergit hoc modo. *Goffridus du Fontibus quodl. 9. quæst. 16. dicit, si confitens non habet conscientiam de aliquo actu, quem Confessor opinatur esse peccatum, quando confitentis opinio non procedit ex proterviâ, sed ex probabili ratione, debet eum Confessor absolvere, maximè Confessor ordinarius, nisi esset peccatum tale, quod certum & manifestum esset communiter illud peccatum esse, nec de hoc sint opiniones contrariæ, quæ ab Ecclesiâ tolerantur. &c. Concordat etiam Bernardus Claromontensis dicens. Si sint opiniones inter magnos dicentes, quod peccatum est; alii verò dicunt quod non; tunc debet in tali casu consulere aliquos, de quorum judicio confidit, & secundùm consilium discretorum facere, & peccatum reputare, vel non reputare. Ex quo enim opiniones sunt inter magnos, & Ecclesia non determinavit alteram partem, teneat quam voluerit, dummodo judicium in hoc resideat propter dicta eorum saltem, quos reputat peritos. Ibidem tamen addit contra Goffridum, quod non refert an Confessor sit ordinarius, vel non.*

Confessarius potest se conformare probabili opinioni pœnitentis.

Petrus de Palude in 4. dist. 17. dicit. Si Confessor dubitaret utrum illud, de quo alius non pœniteret,

pœniteret, esset mortale, & iste sibi diceret, quod de consilio peritorum illud faceret, de quibus ex vitâ & conscientiâ probabile esset, quòd non consulerent nisi benè; potest se illi judicio conformare. Secus autem si esset certus de opposito.

Bonorum exemplum est aliis regula vivendi.

107. *Concordat Ioannes de Cambaco tam in de consolatione Theologiæ, lib. 14. quàm in quæst. de culpa & gratiâ. Dicit in de consolatione. In dubiis, bonorum virorum vita aliis vivendi debet esse regula. Est igitur respiciendum ad facta bonorum virorum, & discretorum. & si plures tales, vel in pluribus, casu tali eis occurrente, sic vel sic se habere invenires, aut æstimatione tuâ judicares, tunc & tu similiter agere non formides. Dicis fortè in contrarium; tales viri etsi bonam habeant conscientiam, non tamen scientiam habent circa illam materiam. Vel è converso habent scientiam, non tamen conscientiam, vel si scirem quod utrumque haberent, fortè sic non facerent. Sed respondeo, quando non est omninò certum, probabile tamen est, & modicum dubium, quod simul scientiam habeant, & bonam conscientiam, & quod ita se haberent, si casus tales eis occurrerent, tamen pro excusatione tuâ noveris satis esse, si similiter feceris. Nempè in moralibus, & circa humanos actus non est demonstratio requirenda. Ad idem est Adam super 4. dist. 9.*

Opinio probabilis de statu gratiæ est dispositio sufficiens ad licitè communicandum.

108. *Pro enodatione etiam scrupulosarum conscientiarum clariùs adhuc cum prædictis concordat Iohannes de Erdenberch. nostri Ordinis Doctor satis antiquus, exemplificando in materiâ communicandi super 4. dist. 9. Qui, inquit, non haberet peccatum mortale, tamen crederet se habere. Aut credit hoc firmiter, ita quod est quiescens in illâ opinione, accedendo ad Eucharistiam peccat mortaliter. Si autem probabiliter credit se esse in peccato mortali, sed non firmiter, nec acquiescit, ut si alicui durè locutus est, & cogitat, tu peccasti mortaliter, sed tunc statim retrahit se, & dicit intra se non esse peccatum mortale, non est verum. Et tamen non potest sufficienter se retrahere, quin sibi occurrat. Dico quòd in tali casu benè potest accedere, tamen semper retrahendo opinionem suam.*

109. Capite 13. citat Gersonem, ex quo *in tract. de contract.* fusè probat, quod operari sectando partem minùs tutam, non obstante formidine & scrupulo de peccato, fit remotum à peccato, & veri peccati periculo. Et utitur paritate à materiâ fidei ad materiâ morum, & arguit ab exemplo Abbatis Joachim per omnia sicut supra Antoninus argumentatus est, idque absque ullâ fermè verborum diversitate, atque ita concludit. *Concludendum ex prædictis omnibus, quod probabilis certitudo sufficit in moralibus, ut non exponat se quis periculo, ut sicut dicunt Doctores de celebrante missam, & similibus, ubi requiritur status gratiæ, quòd sufficit probabilis conjectura, quia certitudo alia sine revelatione non habetur. Prout in moralibus dicit Aristoteles sumendam esse certitudinem figuraliter & grossè, quia certitudo non removet omnem probabilitatem vel opinionem alterius partis, licèt magis declinet ad istam, quàm ad aliam.* Hactenus ex Gersone. Tum ex suo sic. *Non itaque oportet semper terreri, quando aliqui tenent contrarium unius opinionis, quæ à sapientibus tuta judicatur, etiamsi non apparet tutior. Ex præmissis præterea sequitur, quod inter contrarietatem opinionum eligens unam partem, tunc securus videtur in conscientiâ, quando illa opinio non est evidenter contra sacram Scripturam, vel determinationem Ecclesiæ; modò sciat per se vel per alium, cui credit, probabiliter rationes contrarias solvere, quas videt; aut si sciat alios prudentes eas contemnere, aut abjicere. Sed contentus esse debet certitudine morali,* (quam explicat in cap. 14. ex Gersone, & dicit ex Philosopho consurgere ex probabilibus conjecturis grossis & figuralibus magis ad unam partem quàm ad alteram) *& pro posse formare bonam conscientiam in illâ opinione, atque ita habere animum dispositum, ut paratus sit obedire Ecclesiæ, si contrarium determinaverit, & resti-*

Probabilis certitudo sufficit in moralibus ad licitè operandum.

Probabilis conjectura est moralis certitudo juxta antiquos.

& restituere &c. quando veritas sufficienter innotuerit.

Antiqui solverunt argumenta adversariorum.

110. Capite 16. solvit quidquid opponi potest in favorem sententiæ rigidæ. Scilicet. *Qui amat periculum peribit in illo. Tutior via est eligenda. Tene certum, dimitte incertum. Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.* quibus addit dictum illud S. Thomæ supra citatum ex *quodl. 8. art. 13.* quibus omnibus respondet. Nominatim autem dicit. *Non oportet semper viam tutiorem eligere, quia stat aliam esse tutam, quæ eligi potest. Tutiorem enim viam eligere est consilii non præcepti.* omitto alia quamplurima. ex cap. 17. 20. & 21.

In materiâ fidei, quævis opinio probabilis est tuta.

111. Tandem cap. 29. expressè docet, quomodo in materiâ fidei liceat amplecti quamcumque ex opinionibus contrariis, modò utraque sit certò probabilis. Sic enim ait. *Potest quis absque periculo peccati tenere opinionem alicujus magistri, etiam contrariam veritati fidei in his, quæ ad fidem pertinent,* modò opinio illa non sit expressè contra sacram Scripturam, nec contra manifestam Ecclesiæ determinationem, & qui eam sequitur, humiliter paratus sit suum judicium Ecclesiæ, si contrarium declaraverit, subjicere; atque magister, cujus sententiam sequitur, sit vir pietate atque doctrinâ illustris, &c. quæ sunt acceptiones, quas ponit, ut propositio, quam asserit, universaliter locum habeat.

Sententia rigida à nemine tenebatur temporibus Antonini & Nyder.

112. Ecce Joannes Nyder per omnia eadem tenet cum Antonino, Sylvestro, aliisque, ideóque eædem reflexiones fieri possunt & debent de illius doctrinâ, quas in sententiâ Antonini expendimus. Unum superest notandum, idque momenti maximi, scilicet tam S. Antoninum, quàm Joannem Nyder ex professo afferre argumenta in contrarium, eaque solvere. Certum autem est, eos neminem ex omnibus contradicentem afferre, præter difficilem & singularem illum loquendi modum, à S. Thomâ *quodl. 8. art. 13.* usurpatum; ideóque certum est, opinionem rigidam nec tempore illorum, nec antea fuisse communem, sed neminem omninò aut tunc, aut antea illam tenuisse, si enim aliquis eam tenuisset, utique illud non omisissent, quia nil magis obstitisset electioni opinionis minùs tutæ, quàm si Authores graves id illicitum esse docuissent. Itaque & tunc & antea semper verum fuerat quod suo tempore observavit Sylvester verbo *Opinio*, scilicet nullam fuisse opinionum varietatem in materiâ præsenti, quia omnes unanimiter tenuerunt, sectantem opinionem probabilem, dummodo dubium deponat, & absolutum formet judicium de honestate suæ operationis, atque ita magis in illud inclinet, quàm in oppositum, per hoc ipsum excusari, & tutum esse in conscientiâ. Ita omnes antiqui senserunt, Conradus, Major, Pelbartus, Sylvester, Angelus, S. Antoninus, Nyder, Gerson, Altissidiorensis aliique ab illis citati.

Nec ante Jansenismum à quoquam tenebatur.

113. Atque hic provoco adversarios, ut vel unum ex antiquis afferant, qui unanimem hanc Gersonis, Nyder, S Antonini, Conradi, Sylvestri aliorumque sententiam ex professo impugnârit. Si aliquem invenerint, fatebor rigidam sententiam esse Jansenismo antiquiorem, à priscis agnitam, & ab aliquibus saltem approbatam. Quod si neminem invenerint, (certum autem est eos neminem reperturos) desinant in meridianâ luce cæcutire; & apertâ veritate convicti tandem fateantur, benignam sententiam semper in Ecclesiâ viguisse, rigidam verò ante Jansenismum numquam fuisse auditam.

S. Bernardinus stat pro benignâ sententiâ.

114. S. Bernardinus Senensis *in dialogo de obedientiâ*, primò approbat illud dictum S. Bernardi *in lib. de præcepto & dispensat. Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omninò accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.*

Deinde

Deinde cùm in 5. *argum.* objecisset votum obedientiæ videri malum, quia constringit ad obediendum in dubiis & periculosis, respondet hoc modo. *Si dubium vel ignorantia subditi sit de facto, seu de singularibus & circumstantiis, in nullum committit se discrimen alicujus mali, quando obedit; quia nullum est sibi peccatum, nec peccati periculum, nisi hujusmodi dubietas, vel ignorantia proveniret ex voluntate, vel negligentiâ suâ: Si autem sit dubium de jure, seu in universali, tunc aut subditus non tenetur scire illud jus, & tunc nullum est sibi periculum: aut tenebatur scire; & tunc quamvis non excusetur à toto, bonum tamen obedientiæ excusat à tanto. Quidquid igitur est ibi de periculo peccati, aut de peccato, non provenit ex obedientiæ lege, sed potiùs ex indebitâ ignorantiâ subditi, & ex indebito imperio prælati*; quod imperium non per se, sed per accidens astringit subditum propter ignorantiam culpabilem, quam habet de jure divino. Tertiò in primo limite obedientiæ perfectæ, scilicet quando peccatum manifestum præcipitur, hæc habet. *Sciendum tamen quod ubi subditus rationabiliter dubitat, an quod præcipitur sit peccatum an non, tunc profectò obedire debet.* & statim citat *cap. quid culpatur 23. quæst. 1.* & in hunc sensum discurrit, si difficultas & subtilitas materiæ, vel sanctitas prælati, aut subditi simplicitas rationabilem fundent præsumptionem, quod res præcepta sit licita, adeò ut dubium inhonestatis habeat contra se præsumptionem rationabilem, obediendum est. *Quod si dubium sit irrationabile*, inquit Bernardinus, *ut si dubitetur de eo, quod apud omnes constat esse mortale vel veniale peccatum, hujusmodi dubietas cùm ex ignorantiâ juris proveniat, non excusat ad minùs à toto.* Hine constat S. Bernardinum nobiscum sentire quoad materiam obedientiæ, quæ certè universalis est, & ad omnia fermè extenditur. Si enim res præcepta sit probabiliter licita per eum obtemperandum est, quod certè aliter verum esse non potest, nisi quia probabilitas illa fundat rationabilem præsumptionem de honestate operis, nam ubi non datur ejusmodi præsumptio probabilis per ipsum non est obediendum.

Obediendum est quandiu probabile est rem præceptam esse licitam.

115. Dices Bernardinus non solùm dicit, peccatum manifestum, sed etiam peccati mortalis periculum manifestum esse limitem obedientiæ, quod fusè ex professo probat in deductione & explicatione secundi limitis. At sequi opinionem minùs tutam superioris, est se exponere periculo manifesto peccati. ergo per Bernardinum non licet subdito sequi talem opinionem. Replica.

Resp. minorem à Bernardino expreſsè reputari falsam in toto tractatu, ut evidenter patet ex dictis. Itaque hoc loco nomine *periculi manifesti* intelligit occasionem proximam labendi in peccatum mortale, quæ occasio ratione periculi labendi in peccatum certum, in omnium sententiâ est peccatum mortale. Ponit exemplum, & ita loquitur. *Audire mulierum confessiones peccatum non est; & tamen in patiente fragilitatem carnis posset esse incentivum ad malum. Si igitur Frater inclinaretur sic, quod dubitaret, ne caderet in peccatum, & ob hoc nollet talium audire confessiones, secundùm quatuor Magistros prælatus non posset ipsum cogere audire tales confessiones.* Quasi diceret, qui talem fragilitatem carnis patitur, ut audiendo fœminarum confessiones non possit prudenter dubium removere, quin sit consensurus in carnis illecebras, ille secundùm quatuor magistros non tenetur obedire; quâ in re duo notanda sunt; alterum est, quòd Bernardinus loquatur de operante in dubio, seu dubio non deposito, & quidem propter occasionem proximam labendi in peccatum certum, non autem de operante, dubio probabiliter deposito, neque de sectante opinionem, quando probabile est, nil illicitum in tali opere reperiri. ergo per hoc in nullo nobis contrariatur, nec quoad priora.

Solutio.

Utrum subditus teneatur ad obediendum, quando res præcepta est ipsi proxima peccandi occasio?

Opinio minùs probabilis, si credatur vera, excusat ex mente S. Bernardini.

priora sibi contradicit. Alterum est, quod in hoc ipso exercitè sequatur benignam sententiam, quia fatetur suam opinionem esse solùm quatuor magistrorum, & repugnare communi aliorum sententiæ; & tamen hanc suam opinionem, etsi quoad numerum Authorum, & præsumptionem inde ortam, oppositâ minùs probabilem, putat subditum tutum esse in conscientiâ; si superiori præcipienti non obediat, dummodo juxta hanc paucorum sententiam suam formet conscientiam. Ecce Bernardinus per omnia nobiscum consentit.

Nemo tenetur confiteri venialia etiam in Paschate.

116. Rursus S. Bernardinus *in tract. de confessione*, non longè ab initio, dicit duas esse sententias Doctorum, quorum aliqui affirmant, aliqui negant obligationem confitendi venialia semel in anno, si careant mortalibus. Et mox apertè videtur subscribere secundæ sententiæ, tum quia eam ponit posteriori loco; tum quia affert rationes & authoritates pro illâ & non pro alterâ, ait enim. *Ecclesia statuit omnia peccata sua ab unoquoque esse confitenda, quod de venialibus non potest intelligi, quia præceptum esset impossibile, cui nemo tenetur, quia nullus omnia venialia confiteri potest; & secundùm hoc non habens mortalia non tenetur ad confessionem; sed sufficit ei se presbytero præsentare, & ostendere se absque conscientiâ mortalis esse, ut ad communionem recipi possit, & hoc ei pro confessione reputatur.* Nihilominus citat Bonav. Thom. & Richardum *dicentes quòd prima sententia sit securior.* Tum citat Scotum pro secunda hac sententia, ejusque rationes affert, & approbat; cum quo tamen in *4. distinct. 17.* suadet hominibus venialia confiteri; maximè perfectis.

Circumstantiæ solùm aggravantes non sunt necessariò confitendæ.

117. Prætetea in eodem tractatu docet cum S. Tho. & Bon. circumstantias in eadem specie aggravantes non esse necessariò confitendas, & sic concludit. *Unde dicendum, quòd confessio circumstantiarum in aliquod genus trahentium spectat ad confessionem de necessitate; confessio aggravantium de congruitate; confessio alleviantium potiùs facit incongruitatem.* Rursus in sequentibus docet, quòd peccator non teneatur statim confiteri datâ opportunitate sacerdotis. &c. ergo certum est, S. Bernardinum tenere, quòd qui inter discrepantes Doctorum opiniones sectatur minùs tutam, excusetur, modò bonâ fide credat opinionem illam esse veram, aut ex aliorum authoritate prudenter sibi persuadeat licitum sibi esse confessionem ad aliud tempus differre. • Floruit S. Bernardinus circa an. 1430. quia mortuus est an. 1443.

Jo. Gerson eximius Patronus benignæ sententiæ.

118. Joannes Gerson, vir profundissimæ doctrinæ, floruit ante annũ 1420. quia mortuus est anno 1429. Hic tantus vir multis in locis nobis cõsentit. Inprimis *in tract. de præparat. ad missam, & pollut. nocturnâ considerat. 3.* hæc habet. *Non omnis scrupulus aut dubitatio de peccato mortali impediunt celebrantis dignitatem; patet, quia certitudo moralis, qualem consideral. 2. diximus sufficere, compatitur secum vacillationem quandam animi, aut hæsitationem quandam, vel suspicionem seu scrupulos, quòd homo non sit sufficienter dispositus, aut quod aliquo impedimento ligatus est.* & paulò post. *Si quis opposuerit, quod dubitans de aliquo an sit illicitum, & stante dubio illud agens peccat, quia discrimini se scienter objicit. Respondeo cum Altissiodorensi regulam hanc magistralem intelligendam esse de dubio tali, quod est vehemens, & magis aut saltem aequè inducit mentem credere, quòd est mortaliter illicitum, sicut quòd est licitum. Secus est ubi mens plùs inclinatur, & judicat quòd est licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem aut fixam, quia nec hoc ipsum requiritur.* Ecce Gerson apertè fatetur, operantem ex probabili dictamine, quo dubium deponitur, & opus creditur licitum, excusari, etsi vacillet & formidet de opposito. At nos aliud non docemus; quia *exigimus ut mens sectantis partem minùs probabilem plùs inclinetur, saltèm ex motivis reflexu,*

Qui facit, quod probabiliter credit esse licitum, non peccat.

reflexis, ad credendum quod sit licitum, quàm illicitum, & quòd absolutè credat opus esse honestum.

Operans, dubio probabiliter deposito, non peccat.

119. Idem in regulis moralibus plurima habet idem confirmantia. Inprimis inter regulas in generali hæc habet. *Exponere se periculo peccati mortalis est peccatum mortale, vel sic agere incertum & dimittere certum in materiâ morali est peccatum mortale, si tale sit incertum, quod sit mortale non solùm per conjecturas leves, aut ex suspicione trepidâ & scrupulosâ proveniente ex nimio timore cadendi in viâ Dei: Sed intelligitur dum tale est vehementer & probabiliter incertum, aequè sicut oppositum vel magis; tunc enim illud quod agitur non carebit mortali culpâ, aliter non oportet.* Aliud nos non docemus. Rursus ibidem agens de Eucharistia sic loquitur. *Discrimen novi peccati mortalis in celebrando vitatur, si post discussionem conscientiæ (quæ regulariter in talibus haberi solet) celebraturus non habeat conscientiam fixam, aut aequè firmam (sicut de opposito) quòd sit in peccato mortali, vel alio legitimo impedimento, ut est irregularitas. Et hæc vocatur certitudo moralis vel civilis, quòd homo sufficienter probatus est.* Ecce probabilitas carentiæ peccati, & irregularitatis, & assensus probabilis de illorum remotione per Gersonem reddit celebrantem immunem à periculo novi peccati.

Qui in dubio probabiliter credit se esse bene dispositum, licitè communicat.

Temerarium est dicere, quod peccatum sit in ullo dubio contrahere.

120. Cæterum Gerson nullibi expressiùs loquitur de quæst. præsenti quam *parte 2. De contractibus. proposit. 13.* Nam cum in *proposit. 12.* objecisset illud August. *Tene certum, & dimitte incertum*, quo conscientiæ sæpè urgentur, ne in Doctorum discrepantiâ sectentur minùs tuta, ponit hanc propositionem, quæ est ordine 13.

Argumentum sumptum ex consilio vel dubio unius Doctoris, quod in ullo dubio contrahere sit peccatum mortale, non est efficax, sed temerarium & negandum.

Oportet enim incertitudinem esse non tantummodo scrupulosam, levem & formidolosam, sed valdè probabilem, priùs quàm agere eâ stante, peccatum mortale judicetur. Sic enim dictum illud sapientis intelligitur. Qui amat periculum peribit in illo. Itaque non quodlibet dubium facti sufficit ad causandum peccatum mortale. Ergo nec quodlibet dubium juris. Tum citat caput *inquisitionis de sent. excom.* ad probandum assumptum, & ad idem confirmandum alia coacervat, nominatim hæc habet. *Rursus in materiâ fidei, cùm Doctores dissentiunt, licitum est ante determinationem Ecclesiæ sæpè tenere unam partem vel alteram.* Scilicet quando utraque est certò probabilis, nam qui sequeretur opinionem temerariam & improbabilem non excusaretur à peccato. Et paulo post hæc addit. *Dicimus quod probabilis certitudo sufficiat in moralibus, ut non se exponat quis periculo; ut dicunt Doctores de celebrante missam & similibus, ubi requiritur status gratiæ, quòd sufficit probabilis conjectura. Quia certitudo alia sine revelatione non habetur, prout in moralibus dicit Aristoteles sumendam esse certitudinem grosse & figuraliter, quæ certitudo non removet in unâ parte omnem probabilitatem, vel opinionem alterius partis, licet magis declinet ad istam vel ad aliam, quod sufficit.*

Major probabilitas est certitudo moralis & ad operandum sufficit.

Ecce iterum major probabilitas, undecumque sumpta, etiam relinquens oppositam partem apparenter probabilem, est certitudo probabilis, quæ per Gersonem sufficit, ne sectans minùs tuta peccet, aut periculo se exponat. Rursus hoc verum est tam in jure, quàm in facto. Tertiò locum habet hæc doctrina tam in materiâ fidei, quàm morum. Hæc autem, quæ Gerson hîc docet, quoad omnia concordant cum sententiâ benignâ. Et sanè si Gerson legatur, innumera invenientur, in quibus exercitè nobiscum sentit, putatque in particulari probabilem resolutionem, etiam contra satis communem reclamantium sententiam, pro conscientiæ securitate sufficere. At nos aliud non docemus. ergo Gerson nobiscum est.

121. Pe-

Alliacensis favet benignæ sententiæ.

121. Petrus Alliacensis, quondam Gersonis Magister, & postea Archiepiscopus Cameracensis, & Cardinalis, qui floruit circa an. 1410. Hic Author licet *in quæst. super sentent.* (nam alia ejus opera non vidi) ubique fermè agat de speculativis, tamen apertè indicat opinionem probabilem sufficere ad formandam conscientiam, & tutò operandum, etiam in contradictione aliorum reclamantium. *In 4. quæst. 2 art. 1.* hæc habet. *Parvuli non debent baptizari invitis parentibus alterius sectæ, sicut Iudæis & paganis. Et hoc maximè à personâ privatâ; quia parentes habent jus in filios; quod non debet eis tolli à personâ privatâ &c. Scotus tamen dicit, quòd persona publica, sicut princeps, si tolleret à Iudæis filios parvulos, & eos faceret baptizari, & religiosè educari, benè faceret, dummodo hoc faceret cum bonâ cautelâ, scilicet ne parentes præcognoscentes hoc, priùs occiderent parvulos. Immò quod plus est, quod religiosum esset illos parentes cogere minis & terroribus, ad suscipiendum baptismum, & ad servandum postea susceptum. Et hoc ipse declarat, & respondet ad oppositas rationes.* Hactenus Alliacensis, qui manifestè supponit, opinionem Scoti esse tutam, alioquin ostendisset illam sibi non placere. At hoc non indicat, ergo approbat eam ut tutam. Ecce in materiâ juris naturalis Alliacensis putat opinionem probabilem etsi minùs tutam (minùs, inquam, tutam, quia certum est Principes ad hoc non teneri) ad conscientiæ securitatem sufficere; etsi S. Thomas. *3. parte. quæst. 68. art. 10.* exprefsè dicat hoc non licere, quia repugnat juri naturali. Præterea S. Thomas *2. 2. quæst. 10. art. 12.* eandem doctrinam fusiùs explicat, ibidemque dicit. *Periculosum videtur hanc assertionem de novo inducere, ut præter consuetudinem hactenus in Ecclesiâ servatam, Iudæorum filii, invitis parentibus, baptizentur.* Tum addit talem baptismum & periculosum esse, & juri naturali repugnare. S. Thomam sequuntur Thomistæ, & Thomistarum Princeps Joannes Capreolus (coëtaneus nisi etiam fortassè paulò antiquior Alliacensi) qui *in 4. dist. 5. & 6. quæst. 1.* egregiè solvit argumenta non solùm Scoti, sed etiam quæ Durandus *in 4. dist. 4. quæst. 6. art. 2.* aliique afferunt contra sententiam S. Thomæ.

Parvuli an licitè possint baptizari invitis parentibus?

Capreolus favet nobis.

122. Porrò quia mentio facta est de Joanne Capreolo, qui eodem anno 1410. vivebat, juvat unum etiam ex illo exemplum ponere, in quo proponit opinionem minùs tutam pro sufficienti conscientiæ regulâ. Itaque Capreolus *in 4. distinct. 21 quæst. 2. art. 1.* cum S. Thomâ ponit hanc conclusionem, ordine quartam. *Sacerdos de voluntate confitentis potest revelare peccatum pœnitentis.* Tum *art. 2.* opponit sententiam Durandi docentis, quòd generalis licentia pœnitentis dicentis, *concedo ut de confessis à me loquaris cum aliis*, non sufficiat, ut de illis possit loqui, sed oportet *ut pœnitens extra confessionem dicat sacerdoti in generali, vel in particulari peccatum, quod vult alteri revelari*, alioquin sacerdos de illo loqui non poterit. Demum ponit aliorum argumenta hoc ipsum probantia. Nihilominus Capreolus *in 3. art.* perstat in suâ sententiâ, conatur solvere argumenta Durandi & aliorum, ideóque tenet partem minùs tutam probabiliter creditam excusare sectantem illam, quamvis alii Authores graves judicent partem oppositam esse veram.

An & quando liceat confessionem revelare ex consensu pœnitentis?

Idipsum confirmatur ex aliis antiquioribus ab an. 1400. ascendendo ad an. 1300.

Jo. de Burgo favet benignæ sententiæ.

123. Joannes de Burgo, Cancellarius Universitatis Cantabrigiensis, an. 1385. edidit summam casuum, quam vocat *Pupillam oculi*, eò quòd majori ex parte desumpta sit à libro grandiore & antiquiore, qui *Oculus sacerdotis* appellabatur. Hic Author *in tractatu de pœnit. in generali, cap. 3. de confessione, litt. aa.* agens de circumstantiis necessariò

expri-

exprimendis hæc habet. *Quædam circumstantiæ aggravant peccatum in eâdem specie peccati notabiliter; & has etiam oportet confiteri. Non enim sufficit illi, qui centum marcas rapuit de alieno dicere, ego accepi de alieno, cùm hoc verum esset, si unum denarium accepisset. Secundum verò alios communiùs sed non tutiùs opinantes circumstantiam talem non oportet confiteri.* Ecce tunc temporis communis practicè opinantium sensus idem erat, qui nunc; cōmuniter enim credebant, partem minùs tutam sufficere ad licitè operandum, & excusandum à peccato, etsi alii directè tenerent partē minùs tutam esse falsam.

Pœnitentia in mortali peracta an sit reiteranda? 124. Rursus ibidem *cap. 4. littera G.* hæc habet. *Ioannes Cancellarius tenet cum Scoto, pœnitentiam in peccato mortali peractam, non esse necessariò reiterandam; etsi oppositum tutius sit, & à multis reputetur necessarium.*

Filius an possit hæreditatem adire, si mater dicat eû esse spurium? 125. Ibidem *cap. 12. litt. A.* in fine loquens de filio Spurio, hæc habet. *Sed dicit Glossator Wilhelmus, quòd filius hujusmodi putativus non tenetur in hoc casu credere mulieri soli, quia posset esse mulieris fallacia. Et ideò si sanâ conscientiâ non credit ei, excusatus est tam de perceptis, quàm percipiendis fructibus.* Ecce per hos licet Spurio sequi partem minùs tutam, etiam in re spectante ad jus naturæ, modò rationabiliter seu probabiliter non credat matri, asserenti illum esse spurium. Uno verbo, hæc summa simillima est summis modernis; nam ubique plena est resolutionibus tantùm probabilibus, quibus pars minùs tuta practicè proponitur pro regulâ conscientiæ.

Argentina nobis favet. 126. Thomas ab Argentinâ floruit circa an. 1350. Hic Author multis in locis tradit partem minùs tutam tamquam regulam practicam pro formandâ conscientiâ. Nam *in 4. dist. 16. art. 2.* hæc habet. *Dico 2. decens est & congruum de circumstantiis intra eandem speciem aggravantibus pœnitere, & confiteri. Tamen hoc non est simpliciter necessarium, ut dicunt communes Doctores; sufficit enim, ut ipsi dicunt, quòd peccatòr in confessione exprimat peccatum secundùm proprium genus suum.* Mox fatetur *oppositam quorundam opinionem esse securiorem & dictis B. Augustini magis conformem.* Et quamvis dicat, se nolle nunc discutere fundamenta harum opinionum, manifestum est, eum constare in suo asserto secundo; in quo non posset constare, nisi supponeret certam probabilitatem partis minùs tutæ excusare sectantes illam contra oppositam sentētiam tutiorem etiam probabilem.

127. Idem *in 4. dist. 19. art. 4.* expresse docet, quòd simpliciter participantes cum excommunicato absque contemptu Ecclesiæ non peccent mortaliter. Certum tamen est, oppositam opinionem, quam ille ibidem agnoscit multis argumentis, quæ solvit, esse munitam, & probabilem tunc fuisse, & tutiorem. Ecce Argentina nobiscum est. An participans cum excommunicato peccet?

Greg. Ariminensis nobis favet. 128. Gregorius Ariminensis floruit quidem circa an. 1350. scripsit autem pauca tantùm ad moralitatem spectantia. Nihilominus *in 2. dist. 38. quæst. 1. art. 2.* expresse docet, ignorantiam, & errorē invincibilem excusare eum, qui facit malum, quod non fecisset, si veritatem scivisset. Verba ejus sunt. *Talis ignorantia* (scilicet quam antea vocaverat invincibilem) *in utroque casu sicut excusat à peccato, sic facit actum illum non esse voluntarium, & per consequens ille actus non propriè dicitur adulterium, neque alius homicidium.* Loquitur autem de accedente ad non suam, & occidente innocentem, qui tamen illam suam esse, & hunc, utpotè legitimè condemnatum, reum putaverat. Tum dicit, quòd homicidium & adulterium sumpta pro peccatis, quæ sunt intrinsecè mala, non significent præcisè occisionem hominis, & concubitum cum alienâ, sed quòd significent ea fieri voluntariè contra legem, quæ aut scitur, aut debebat sciri, &c. Quòd si fiant ex errore & ignorantiâ invincibili, quæ aut non potuit, aut non debuit vitari, Interfectio hominis, quando dici debeat homicidium.

Zz

vitari, jam non sunt peccata, quia etsi res fiat, non tamen fit eo modo, quo est peccatum. Hoc idem memini me etiam legisse in Adriano, qui expresse dicit, parum referre ad peccatum, quod res, quæ fit, sit mala & prohibeatur, dummodo modus, secundùm quem fit, nec malus est, nec prohibitus. At hæc doctrina Ariminensis includit quidquid docemus. Nam qui post adhibitam diligentiam probabiliter errat, laborat invincibili ignorantiâ, quam scilicet aut non potest, aut certè non tenetur vitare. Ergo si ex eâ formet sibi bonam conscientiam, excusabilis est, nec opus imputari potest ad peccatum, tum quia malum ipsius non est voluntarium, tum quia modus illud faciendi nec malus est, nec prohibitus. At nos alia non docemus. ergo Ariminensis nobiscum est.

Res prohibita non est peccatum nisi fiat modo prohibito.

129. Robertus Holcot floruit an. 1345. & *in disquisitione de imputabilitate peccati* ad literam R. hæc habet. *Quod facit actum voluntatis esse desertionem gratiæ, facit eundem actum esse peccatum mortale, quia idem est desertio gratiæ & peccatum mortale ex 5. & 6. conclus. Videamus ergo quid propriè requiritur, ut anima deserat gratiam. Ex dictis inferre possumus, quòd tunc solùm propriè & per se deserit anima gratiam, quando scienter facit aliquid, per quod æstimat se gratiam perdere, vel incerta est si gratiam perdat. Exemplum: si anima judicet se per actum A. perdere justitiam, etiamsi justum est fieri, & committat A. scienter, videtur quòd propterea deserit justitiam, quia non habet curam vel zelum justitiæ. ergo tunc perdit justitiam ex 3. conclus. & per consequens peccat mortaliter. Quòd si homo dubius vel incertus sit, numquid ex commissione A. perdat gratiam vel non; & hoc non obstante committit A. iterum propterea deserit gratiam, quia non zelat pro eâ; immò omittit & renuit conservare gratiam, ex hoc quod vult facere illud, ex quo incertus est, si perdat gratiam. Ideò dici potest sic, quòd solus ille actus voluntatis ex se est peccatum mortale, quo quis æstimat se gratiam perdere, vel dubius vel incertus est an gratiam perdat. Ex quo sequitur, quòd ut aliquid sit peccatum mortale ex se, requiritur ut aliquis existimet se gratiam perdere, vel incertus sit numquid illam perdat.*

Holcot nobiscum tenet.

Faciens, quod putat Deo placere, non peccat, si illud faciat ut Deo placeat.

130. Huic doctrinæ statim objicit Holcot sic. *Sola desertio gratiæ est peccatum mortale. ergo ubi nulla est desertio gratiæ, nullum est peccatum mortale. Sed ubi aliquis operatur quodcumque malum credens se obsequium præstare Deo, ibi non est desertio gratiæ, per ultimam conclusionem. Ergo quodcumque malum faciendo cum tali credulitate, licet erroneâ, non peccat aliquis mortaliter. quod est falsum &c.*

Replica Holcot contra seipsum.

Huic objectioni inter alia sic respondet. *Qui malum quantumcumque grave operatur credens benè facere, & obsequi Deo, non peccat mortaliter, quia non deserit gratiam; negatur hæc consequentia, quia potest esse, quod aliquis operetur malum credens obsequium præstare Deo, licèt fortè non operetur intentione obsequendi Deo, & ideò cum tali credulitate stat, quod deserat justitiam, & non deserat justitiam. Si tamen aliquis credens se benè facere & servire justitiæ, quantumcumque malum operetur solâ tamen intentione ut serviat Deo sive justitiæ, tunc dico, quòd ex hoc non peccat mortaliter, nec illud erit peccatum mortale ex se, quia tale peccatum non excludit zelum justitiæ. Immò fit merè zelo justitiæ. Et ideò talis in illo casu, si nullam habeat aliunde culpam, non incurrit culpam mortalem: ex quo non perdit gratiam. Et nota super hoc Aug. super. 1. can. 10. hom. 5. & 6. Et tamen credat sic faciendo servire justitiæ, sed non facit intentione servandi justitiam. Item potest esse, quòd piâ intentione aliâ, ut alicujus commodi gratiâ illud facit solùm, & adhuc dico, quòd non peccet mortaliter propter eandem rationem, quia scilicet talis operatio in illo casu non excludit zelum justitiæ. Si tamen sic credens operetur aliquâ intentione perversâ, quæ intentio nata sit excludere zelum justitiæ, tunc ex se est peccatum mortale. Et ita fortè fuit de*

Solutio Holcot.

Utrùm peccet, qui piâ quâvis intentione facit, quod credit Deo placere.

Judæi, qui occiderunt Christum & Apostolos, & tamen sic faciendo credebant se benè facere; non tamen fecerunt eâ intentione ut benè facerent, sed fortè invidiâ & aliâ intentione perversâ, ex quâ fortè æqualiter fecissent, si hoc non credidissent: Et tunc illi peccaverunt mortaliter. Si tamen aliqui Christum occiderunt, & in hoc benè facere & Deo placere crediderunt, si solâ illâ intentione fecerunt, ut Deo placerent, tunc dico, quod ex illo facto præcisè culpam mortalem non incurrerunt, nec peccaverunt nisi venialiter. Secus autem si aliunde habuerunt culpam mortalem. Hactenus Holcot; qui statim post declarat, quid intelligat nomine peccati mortalis ex se, ait enim. *Peccatum dicitur mortale dupliciter. Vno modo propriè & ex se; & est illud quod non potest fieri sine culpâ mortali. cujusmodi est omnis actus, quo quis existimat se justitiam excludere; vel quo non curat, si eam excludat. &c. Alio modo dicitur peccatum aliquod esse mortale ex genere, & tale fieri potest sine culpâ mortali. Dicitur autem mortale ex genere, quia ex genere suo tam vitiosum est, ut quantum ex se est fieri non potest scienter sine culpâ mortali, ut stuprum, adulterium &c. Et hoc secundo modo fit peccatum mortale sine culpâ mortali in casu supradicto.*

Peccatum aliud ex se, aliud ex genere mortale est.

131. Hæc doctrina Holcot clarè continet sententiam benignam, nam juxta doctrinam hanc, nemo peccat mortaliter, nisi qui vel existimat se actu suo excludere gratiam, aut certè de hoc dubitat. Ergo si homo cupidus suæ salutis, sollicitus sit nil agere, per quod amittat gratiam, & post diligens examen putet aliquid esse à Deo permissum, & consequenter Deo placere, & non excludere gratiam, ideóque illud agat, paratus illud vitare, ne gratiam perdat, si aut crederet, aut dubitaret illud gratiam excludere, imò paratus ad oppositum si Ecclesia oppositum determinaverit, hic certè non peccat, sed excusatur in sententiâ Holcot. At hæc omnia requiruntur in sententiâ benignâ, ut excusetur, qui sequitur partem minùs tutam; ut sæpè dictum est. Ergo qui sequitur benignam sententiam, ex mente Holcot excusatur à peccato.

Opinio Holcot continet quidquid sententia benigna docet.

132. Dices: Holcot expressè asserit, eum peccare mortaliter, qui aut existimat, aut dubitat, aut incertus est, se per suum actum deserere justitiam & gratiam. At qui sequitur opinionem probabilem minùs tutam contra probabiliorem & tutiorem, etsi non dubitet, adhuc incertus est, utrum deserat gratiam. ergo Holcot expressè contrariatur nobis. Replica.

Resp. Holcot, ut ex ejus lectione manifestum est, nil aliud intelligere per *esse dubium*, *vel incertum*, quàm *simpliciter esse dubium.* Hoc primò patet, quia ille, dum explicat suam sententiam, aliquando ponit tres illos terminos, *existimare*, *dubitare*, *incertum esse*, sæpè omittit tertium. Præterea frequenter tam in objectionibus, quàm in solutionibus solùm ponit duo membra, videlicet æstimationem & dubium de gratiâ deserendâ. Ergo aliis in locis nil aliud requirit, alioquin ubi omisisset tertium terminum, & falsum dixisset, & sibi contradixisset. solùm ergo claritatis gratiâ ponit terminum *incertum* ad explicandam qualitatem dubii; nam dupliciter dubitamus, primò cùm nulla apparet ratio hinc inde, aut certè tam parva, ut parum aut nihil stimulet ad assensum. Secundò dubitamus inter motiva opposita satis potentia, & intellectus incertus hæret, quamdiu alteri parti assensum non præbet; quòd si judicium in alterâ parte figat, non hæret incertus, nec ullatenus est dubius. Itaque Holcot per *esse incertum* non intelligit formidinem oppositi inclusam in actu opinativo, sic enim sibi contradiceret, cùm supponat actum falsum, & per consequens formidolosum, excusare eum, qui falsò putat se Deo præstare obsequium, modò bonam habeat intentionem & zelum servandi justitiam. Itaque per illos terminos solùm explicat qualitatem & Solutio.

 diversitatem

diversitatem dubii, & dicit, operantem in dubio, sive dubitet absque fundamentis urgentibus, sive hæreat anxius, dubius, animi pendens, & incertus inter argumenta hinc inde utrique parti faventia, numquam excusari, quia deserit zelum justitiæ.

Confirmatur hoc ipsum, quia ubique explicat eam dispositionem animi, ex vi cujus quis contrahit culpam mortalem, per hoc, quòd aut existimet so gratiam perdere, aut non curet, si eam perdat. Patet hoc non solùm ex dictis, sed colligitur ex eo quod habet *ad 2. ad litt. T.* ait enim: *Dico quod non potest committere aliquod peccatum, quod sit mortale ex se, nisi æstimet se justitiam relinquere, aut non curet si justitiam relinquat.* At qui bonâ fide credit se benè facere, & ideò operatur, paratus ad oppositum, si aut dubitaret aut crederet, se malè agere, potiùs quàm justitiam desereret, multùm sollicitus est, ne justitiam perdat, ut patet. ergo non peccat ex mente Holcot. At nos aliud non dicimus.

Judex an possit licitè condemnare, quem certò novit innocentem?

133. Demum ut hoc ipsum apertiùs in particulari convincatur, sciendum est, Holcot, *in derminationibus quæst. 1. litt. NN.* docere, Judicem non posse licitè condemnare eum, quem scit esse innocentem, licet allegata & probata in foro exteriori sint sufficientia. His tamen *ad litteram OO.* statim subjungit ista. *Iudex licitè potest procedere secundùm allegata contra innocentem, si nesciat eum esse innocentem, quamvis habeat credulitatem, & credat eum fore innocentem, quia licitè potest deponere credulitatem, & procedere secundùm allegata, dummodo habeat istud, quod semper nollet procedere contra eum secundùm allegata, si sciret illa allegata esse falsa.* Ecce Judex iste excusatur, qui tamen non potest ita deponere credulitatem de innocentiâ rei, quin formidet, quòd non sit reus. ergo Holcot non requirit carentiam formidinis de inhonestate operis, ut operans excusetur. ergo per terminum *incertum* non intelligit formidinem opinioni conjunctam, sed dubium propriè dictum. ergo solùm requirit probabilem dubii depositionem. Itaque dubitari non potest, quin Holcot per omnia nobiscum sentiat.

Jo. Bacon tenet, Judicem posse licitè condemnare innocentem, secùdùm allegata convictum.

134. Joannes Bachon floruit an. 1335. & in *2. dist. 40. art. 2.* expressè docet, Judicem posse licitè condemnare reum secundùm allegata convictum, quem certò scit esse innocentem. & paulò post *art. 4.* dicit, Judicem hærentem dubium, qui non potest conscientiam deponere, & judicare sibi licitum esse eum condemnare juxta allegata, posse alteri vices suas delegare; & cùm objecisset, eum sic periculo vitam innocentis exponere, inter alia responsa hoc habet. *Cùm hoc fiat solùm propter scrupulosam conscientiam, ut ei satisfaciat, sufficit, quod alteri committat, supposito quod in hoc ejus conscientia tranquilletur.* Ecce ut operans in re summi momenti excusetur sectando partem minùs tutam, sufficit per Bachonem, si probabiliter deponat conscientiam, & absolutè credat opus suum esse licitum, & in eo judicio quiescat.

An homo cum periculo vitæ teneatur famam restituere, quam injuste læsit?

135. Rursus *in 4. dist. 21. quæst. unicâ. art. 5.* loquens de restitutione famæ, inter reliqua approbat doctrinam quandam ex Richardo *in 4. dist. 15. quæst. 6. ante finem*, & ita loquitur. *Tertio modo damnificat quis alium injustè in famâ indirectè falsum crimen illi imponendo; ut scilicet neget verum crimen sibi impositum ab alio: Et quamvis talis peccet, quia mentitur, tamen postea non tenetur tentione necessariâ ad salutem alii restituere famam recognoscendo crimen sibi impositum verum esse, ut dicunt quidam & probabiliter*: quia &c. & proponit rationem assertionis. & mox subjungit; *alii tamen dicunt quòd tenetur, quod satis durum videtur, quia quandoque crimen est tale, quòd suspenderetur &c. si illud recognosceretur publicè.* Ecce, in re ad jus naturæ spectante, sola probabilitas partis minùs tutæ, contra oppositam partem probabilem, approbatur

approbatur à Bachone & Richardo tamquam sufficiens ad extinguendam obligationem sectandi partem tutiorem.

Guido de Monte-Rocherii nobiscum sentit.

156. Guido de Monte Rocherii an. 1333. edidit *Manipulum Curatorum* in quo *parte 1. tract. 2. de sacr. Bapt. cap. 4.* docet contra Durandum, quòd sacerdos baptizans in necessitate, & sine solemnitate, sicut facit vetula, non peccet mortaliter, etsi sit in statu peccati mortalis. Ibidem *cap. 5.* de quæstione, *an filii Iudæorum parvuli sint baptizandi invitis parentibus?* ponit sententiam affirmativam Scoti, & negativam S. Thomæ; & licet neutram alteri præferat, supponit utramque tutam esse, dummodo bonâ fide in praxim reducatur, alioquin alteram damnasset. Et quod plus est de furioso à nativitate hæc habet. *Furiosi à nativitate non sunt baptizandi, quia in adultis requiritur fides & devotio suscipiendi illud, quod facit Ecclesia. At tales non possunt habere fidem & devotionem, ergo non possunt suscipere baptismum.* Hæc sententia laxa est & falsa; laxa, quia tendit ad perniciem animarum; falsa, quia tales, etsi quoad corpus adoleverint, tamen quoad libertatem sunt instar parvulorum, pro quibus proinde æquè ac pro parvulis alii respondere possunt. Et tamen tutum putat, qui bonâ fide has opiniones sequitur in praxi.

Utrùm furiosi à nativitate sint baptizandi?

Inter opiniones probabiles datur optio.

137. Rursus *parte 3. cap. 7.* proponit tres opiniones diversas circa obligationem confitendi, vel non confitendi iterum eadem peccata. & sic concludit. *Quæ istarum opinionum sit melior & verior, relinquo judicio meliori, & unusquisque quam voluerit eligat.* At una tantùm est tutior; reliquæ sunt minùs tutæ. Ergo Guido judicat quod liceat cuique in practicis sequi quamcumque opinionem probabilem voluerit, si illam eligat pro regulâ suæ conscientiæ. Tum recitat opinionem Bernardi de Galliaco, qui in suo Correctorio contra Godofredum de Fontanis docet, quod integrè confessus peccata sua sine contritione de peccatis præteritis, & proposito de peccatis in posterum vitandis, *non teneatur de necessitate iterum confiteri, sed tenetur iterum confiteri de peccatis priùs confessis fictè, & de ipsâ fictione, & virtute confessionis factæ, & contritionis præsentis remittuntur sibi peccata.* Hanc sententiam Guido non improbat; sed solùm limitandam putat, quòd in genere debeat dicere se confessum fuisse plura peccata sine dolore & proposito; & pro se citat Raymundum. Ecce tam Guido quàm Raymundus in hoc expressè tenent partem minùs tutam contra oppositam tutiorem, & quidem in re periculosissimâ, & valdè laxâ, quorum proinde opinionem hac in re non probo, quia illa confessio non erat sacramentalis, cùm Sacramentum pœnitentiæ absque dolore de peccatis haberi non possit. At omnia peccata exponi debent in confessione, quæ sit sacramentalis, & pars Sacramenti.

An fictè confessus teneatur iterum eadem peccata confiteri?

138. Astesanus seu Astensis circa idem tempus, nempè circa an. 1330. floruit, scripsit autem egregiam summam 8. *lib.* comprehensam, in quam collegit resolutiones omnium casuum, de quibus Authores tractaverant. In hoc opere planè procedit, sicut Casistæ moderni. Ideóque proculdubio censet opiniones, quas ponit, esse regulas sufficientes pro conscientiâ formandâ; cùm ad alium finem similes tractatus non scribantur. Hic Author innumeris in locis ponit resolutiones tantùm probabiles pro formandâ conscientiâ contra partem oppositam tutiorem. ergo tenet probabilitatem partis minùs tutæ, modò bona fides juxta eam formetur, ad conscientiæ securitatem sufficere, non obstante probabilitate partis tutioris.

Astesanus per omnia tenet benignã sententiam.

139. Inprimis. *lib. 1. tit. 18. art. 10.* fusè tradit contra plures tutiùs opinantes, quòd Judex licitè possit condemnare legaliter convictum, quem certò scit esse innocentem. Ibidem similia tradit ex S. Tho. & Rich.

An Judex possit licitè condemnare, & ministri interficere innocentem?

Rich. de ministris sententiam exequentibus, quando conscii sunt, quòd testes falsa deposuerunt. ex quibus hæc habet. *Ministri Iudicis condemnantis innocentem, si sententia intolerabilem errorem vel injustitiam contineat, non debent obedire; aliàs excusarentur carnifices, qui occidunt martyres: Si verò injustitiam manifestam non contineat, non peccant præceptum exequendo.*

An licitè petere possit debitũ abluto maleficio, qui ob illud separatus à conjuge ordinem Sacrum suscepit?

Similiter *lib. 8. tit. 29. ex Rich. in 4. dist. 34. quæst. 3. art. 2.* tenet virum ob maleficium impotentem reddere debitum, si separetur ab uxore, & sumat ordinem sacrum, debere nihilominus reddi uxori ipsum repetenti, modò post ordinem susceptum illam cognoscat, quia constat maleficium fuisse ablatum. Tum contra alios tutiùs sentientes docet, maritum illum posse licitè non solùm reddere, sed etiam petere debitum conjugale; *quia*, ut ait, *ignorantia invincibilis, seu probabilis eum ab utroque excusavit præjudicio*, scilicet tam non petendi quàm non dandi debitum. Jam si probabilis conscientia excuset in his, in quibus, quæso, non excusabit.

Paludanus nobiscum est.

Confessarius debet se conformare opinioni pœnitentis.

140. Petrus Paludanus circa an. 1330. floruisse creditur; qui certè expressè subscribit benignæ sententiæ; nam *in 4. dist. 17. art. 1.* hæc habet. *Si Confessor dubitaret, utrum illud, de quo alius non pœniteret, esset mortale, & ille sibi diceret, quod de consilio peritorum illud faceret, de quibus ex vitâ & scientiâ probabile est, quòd non consulerent nisi benè, potest se illorum judicio conformare. secus autem si esset certus de opposito.* Ecce Paludanus determinat quæstionem in sensu reflexo, & apertè supponit tam pœnitentem, quàm Confessorem sequentem opinionem probabilem minùs tutam non peccare.

Herveus nobiscum sentit.

141. Herveus floruit circa an. 1320. Hic Author *quodl. 8. quæst. 18.* docet, quòd communicare in humanis cum excommunicato, si fiat absque contemptu, sit solùm peccatum veniale. Ibidem quæst. 24. tenet, eum, qui incepit horas cum intentione actuali, & postea advertenter distrahitur, non semper peccare. Audi verba ipsius. *Si autem advertat, quòd abstrahatur, hoc potest esse tripliciter; primò, dando operam rei licitæ, ut cogitando de sermone vel lectione; & tunc amittitur meritum horæ, sed non peccat aliquo modo. Secundò, dando operam rei illicitæ, ut cogitando de pulchrâ muliere cum complacentiâ quâdam, & advertens periculum, tunc amittit meritum horæ, & peccat mortaliter. Tertiò dando operam rei indifferenti, utpotè considerando pulchram imaginem, tunc amittit meritum horæ, & peccat venialiter non mortaliter.* Ecce Herveus non minùs laxè sentit in hac re, quàm qui hodie habentur laxissimi.

An voluntariè distractus recitans horas peccet?

An, & quas eleëmosynas dare possit uxor inscio marito?

142. Demum, ut omittam innumera istiusmodi, *quodl. 11. quæst. 8.* docet, uxorem licitè non posse facere eleëmosynas absque consensu mariti, nisi habeat bona parafrenalia, de quibus facere potest, quod vult, aut nisi proximus in extremâ necessitate sit constitutus. Tandem subjungit. *In hoc tamen uxor potest probabiliter supponere voluntatem mariti esse talem, ut secundùm facultatem quantitatum suarum, & necessitatem pauperum, & majorem communicationem eorum per cognationem, vel aliàs, possit facere eleëmosynas mediocres.* Ecce per Herveum sola præsumptio probabilis de consensu mariti, & consequenter de honestate talis largitionis, reddit illam honestam, quamvis illa sit pars minùs tuta. Et quidem hæc obligatio uxoris spectat ad jus naturæ. Ergo par probabilitas à fortiori excusabit sectantem minùs tuta in aliis materiis obligationis non tam strictæ. Ecce Herveus nobiscum est.

Durandus favet benignæ sententiæ.

143. Durandus *in 2. dist. 39. quæst. 5.* quærit, an conscientia erronea liget, & deobliget, & *num. 8.* distinguit conscientiam erroneam in imputabilem, & in non imputabilem; & mox subjungit hæc. *Si non sit imputabilis, non ligat, quin homo possit procedere secundùm*

Error non imputabilis excusat sectantem judicium erroneum. *secundùm conscientiam sic errantem, quia talis error excusat, ut visum est supra dist. 22. quæst. 4.* Porrò *distinct. illa 22. quæst. 4. num. 6.* hæc habet. *Ignorantia causalis* (id est antecedens) *eorum, quæ non tenemur, aut non possumus scire, quæ dicitur invincibilis, omninò excusat, si sit invincibilis secundùm se, & secundùm causam suam; quod dico propter ebrium ex ebrietate peccantem, cujus ignorantia est invincibilis secundùm se, quia tunc non potest judicare quid agendum sit, vel non agendum, tamen non est invincibilis secundùm causam suam, quia potuit se non inebriare, & ita non ignorare, & ideò omninò non est excusatus.* Ignorantia invincibilis excusat.

144. Ex his constat Durandum tenere conscientiam invincibiliter errantem, si tam error quàm causa erroris sit inimputabilis, excusare eum à peccato, qui secundùm illam operatur. Ergo qui post diligentem veritatis indagationem probabiliter credit aliquid esse honestum, aut etiam reflexè per summam probabilitatem invenit, & credit licitum sibi esse sequi quamcumque opinionem certò prácticè probabilem, ille, etsi erret, per Durandum excusatur, si sequatur dictamen suæ conscientiæ. ergo Durandus nobiscum est. Durandus tenet quidquid domus.

145. Quod autem Durandus putaverit, hanc doctrinam universalem in particulari locum habere, constat ex innumeris resolutionibus prácticis, quas ponit pro dirigendâ conscientiâ contra oppositas tutiores etiam probabiles. Sic *in 4. dist. 15. quæst. 11. num. 9.* probat & defendit sæpiùs comedentem in die jejunii non peccare contra præceptum Ecclesiæ, nisi in secundâ comestione; quamvis in terminis fateatur contrariam opinionem esse probabilem. Ibidem *quæst. 12.* tenet recitantem horas ex obligatione non peccare mortaliter, si postquam incæpit sponte divagetur in animo, dummodo absit contemptus, & exteriùs nil agat incompossibile cum attentione interiori. Similia innumera apud eum invenies. ergo Durandus & exercitè & signatè tenet benignam sententiam. Floruit autem Durandus circa an. Domini. 1320. Sæpiùs comedens in die jejunii an plus quàm semel peccet? An dicens horas distractè peccet?

146. Dices: Durandus *in 4. dist. 17. quæst. 13.* quærit, utrum qui confitetur sine dolore & proposito emendationis, oporteat iterum confiteri; & dicit duas esse sententias, quarum prima tenet, quòd illa confessio valeat ad remissionem culpæ, licèt pœnitens tunc non recipiat effectum Sacramenti, quia illum recipiet postea, recedente fictione; secunda verò asserit talem confessionem esse penitus inutilem, & non valere ad remissionem peccati, etiam recedente fictione. Tum propositis rationibus pro istâ parte sic concludit. *Qui sic confitetur, & de facto absolvitur, tenetur iterum eadem confiteri, & de eis absolvi. Nec est dubium quin hæc opinio sit securior, quia confitendo iteratò nullum periculum sequitur, sed maxima securitas; qui autem omittit iterum confiteri, committit se dubio, quod est valdè periculosum in his, quæ tangunt salutem vel damnationem animæ.* Tum ponit rationem, per quam putat primam sententiam posse probabiliter sustineri, & tamen sic concludit. *Illud tamen quod est tutius semper est tenendum.* Ergo Durandus docet partem tutiorem tenendam esse, nec probabilitatem partis minùs tutæ ad conscientiæ securitatem sufficere. Replica. Durandus videtur docere tutiora esse semper sectanda in materiâ Sacramentorum.

Resp. Durandum solùm docere, quòd nemo debeat prudenter stare primæ sententiæ, ita ut fidat se absolutum ab illis peccatis vi absolutionis præteritæ, si postea atteratur, & proponat emendationem; sic enim fieri posset, ut in eo statu moriens exponeret se periculo damnationis, propter probabilitatem opinionis, quæ speculativè loquendo verisimiliter persuadet peccata illa esse remissa. Hoc autem & ego, & omnes fermè authores benignæ sententiæ unanimiter docemus. In hoc ergo & similibus casibus tutiora sunt amplectenda, quia licèt opinio illa sit speculativè probabilis non tamen

tamen est probabilis practicè; non enim probabile est, quod liceat in extremo vitæ se tali discrimini exponere.

Durandus, ubi videtur nobis adversari, loquitur de opinione tantum speculativè probabili.

147. Quod hæc sit mens Durandi ex eo constat, quod similem locutionem non addiderit ad alias opiniones practicas, quas paulò ante sustinuerat ut sufficientes, cùm tamen illæ tam essent minùs tutæ, quàm istæ. Et tamen talis clausula illis adjecta non est. Itaque ne sibi intra paucas paginas apertè contradicat, dicendum est, quòd hîc loquatur de probabilitate tantùm speculativâ, sicut loqueretur si diceret, eum dubio se committere, qui baptizatus esset cum materiâ non certâ sed probabili relinquendo materiam certam, & propterea non debere omittere iterum baptizari cum materiâ certâ, ne se periculo exponat. Hoc autem omnes docemus. Cæterùm ut adversarii aliquid ad rem contra nos in hac re afferrent, deberent probare, Durandum tenere taliter confessum, etsi certò probabiliter & prudenter crederet se non obligari ad eadem peccata iterum confitenda, sed bonâ fide cum contritione universali alia postmodum confiteretur, hoc non obstante peccare de novo, & non recipere ne indirectè quidem absolutionem à suis peccatis. Si hoc doceret, teneret contra nos, si hoc non teneat, in nullo contrariatur nobis. At certum est, quod hoc nec hîc nec alibi doceat. Et quidem hîc solùm loquitur de utilitate prioris confessionis, an postea recedente fictione conferat gratiam, quæ est quæstio merè speculativa, & per umbram non loquitur de novo peccato, si quis bonâ fide prudenter crederet, se per eam excusari ab illis iterum confitendis. Quæ omnia ex eo manifestè confirmantur, quod in hac eadem quæstione *num. 5.* expressè doceat confessionem factam à non contrito valere, si eum pœnituit, etsi sufficienter eum non pœnituerit, quia positâ sufficiente contritione peccata illa postmodum remittuntur. Ergo non aliter hoc negat in priori casu, quàm quia confessio illa tam patenter invalida est in ratione confessionis sacramentalis, ut non sit probabile, verum in eo casu Sacramentum extitisse, quod possit postea, recedente fictione, reviviscere, & gratiam conferre. Itaque ex mente Durandi non est dubium quodcumque cui confitens se exponit, quod postulat novam confessionem eorundem peccatorum; nam tunc deberet peccata, de quibus insufficienter doluit, repetere; quia sæpè periculum est, ne pœnitentes sufficienter doleant, & non est nisi probabile, quòd tunc Sacramentum pœnitentiæ sit validum. ergo casus, de quo Durandus loquitur, est quando ita dubitatur de valore Sacramenti, ut non sit probabile illud esse validum; in quo casu numquam est practicè probabile, quòd sufficiat materiam non probabilem adhibere, quando probabilis aut certa potest haberi, uti potest in casu præsenti. Ecce Durandus nobiscum est.

148. Monaldus floruit an. 1320. scripsitque inter alia egregiam summam de jure Canonico, quæ *Aurea* dicitur. Hic Author apertè stat pro benignâ sententiâ; nam in prologo summæ hæc habet. *Opiniones antiquorum Doctorum, & etiam aliquorum modernorum prosecutus, quamvis plura diversimodè ab ipsis sint notata, quæ inter se varietatem ostendere videantur, non tamen ausus sum scripta tantorum virorum respuere, sed ea, licet diversa circa unam & eandem materiam, in præsenti opusculo conscribens, duxi hîc discretis lectoribus relinquendum, ut illam opinionem accipiant, quæ ipsis videtur magis consona rationi; quia non credo posse prejudicium aliquod erga veritatis sententiam generari, quæcumque accipiatur ex eis, cùm quælibet sit à Magistris & probatis Doctoribus in scriptis authenticis studiosiùs annotata.* Quis quæso nostrûm aliud aut prætendit, aut docet?

Monaldus nobiscum est.

149. Aureolus succinctè agit de practicis, & mora-

Aureolus favet benigna sententiæ.

& moralibus; nihilominus *in 4. dist. 17. quæst. un. art. 2.* apertè tenet homines non obligari ad confitenda venialia, nec ad statim confitendum post lapsum in peccatum. At utraque ex istis sententiis est solùm probabilis; & opposita tutior non caret probabilitate. Ergo per Aureolum qui bonâ fide sectatur opinionem probabilem minùs tutam, excusatur.

An contrahens matrimonium post votũ continẽtiæ emissum, possit licitè petere debitum conjugale?

150. Rursus *in 4. dist. 38. art. unico.* hæc habet. *Dubium est, an qui cum voto continentiæ prius emisso contrahit, possit petere debitum sine peccato mortali. Quidam negant, alii affirmant. Dico, quòd cùm illud sit verum matrimonium in ordine ad actum etiam carnalem, puto quòd possit licitè petere debitum in voto simplici; ideò totum peccatum fuit in contrahendo, quia non licebat, sed postquàm contraxit, matrimonium est verum, & ideò oportet servare regulas matrimonii.* Hæc Aureoli sententia nec probabilior est, nec tutior opinione contrariâ. Et tamen quia illi probabilior visa est, licitè eam proposuit pro praxi, & qui eam bonâ fide rationabiliter in verbo tanti viri secutus fuisset juxta mentem ipsius non peccasset mortaliter. Floruit Aureolus an. Dom 1317. qui certè in hac re longè laxiùs sensit, quàm qui ex Recentioribus habentur laxissimi, nam omnes unanimiter dicunt assertum hoc esse improbabile & nullatenus tolerandum. Hujusmodi ergo opiniones non ideò propono, quia judico eas esse probabiles, nam hanc aliasque similes ut improbabiles & falsas rejicio, sed solùm ut ostendam, quòd antiqui directè sequuti sint opinionem probabilem minùs tutam, & reflexè existimaverint eum excusari, qui bonâ fide ex rationabili judicio conceptâ illi se in operando conformabat.

Scotus nullibi expressè agit de quæst præsenti.

151. Scotus floruit circa an. Domini 1300. & à Mercoro citatur pro sententiâ rigidâ, sed immeritò. Certè Scotus nullibi expressè agit de controversiâ præsenti, alicubi tamen incidenter tangit nonnulla huc spectantia. Inprimis in fine *quæst. 2. in prologum lib. sentent.* ostendit sacram doctrinam esse sufficienter traditam, etsi plurima apud Authores remaneant dubia; v. g. utrùm hoc vel illud sit peccatum mortale, nec ne. In quo casu insinuat, *partem tutiorem in dubio esse sectandam.* Verùm hoc non obstat communi sententiæ, quia Scotus ibi expressè loquitur de conscientiâ dubiâ, ut & per se patet, si locus inspiciatur, & optimè advertit Joannes Poncius in Commentario illius loci. At omnes idem sentiunt de conscientiâ dubiâ.

Scotus nobiscũ sentit de obligatione Judicis, Medici, &c.

152. Rursus *in 2. quæst. 3. in fine*, satis apertè indicat Medicos teneri ad certiora atque probabiliora medicamenta præscribenda. Similiter *in 4. dist. 19. quæst. 1. & 2.* habet nonnulla de Ministro Sacramentorum; & *in 4. dist. 28.* ponit aliqua de Judice, ex quibus Vulpes à Monte Piloso *parte 2. disp. 72.* satis probabiliter asserit, Scotum tenere tam Judicem, quàm Medicum, & Ministrum Sacramentorum, per se loquendo, semper teneri ad sectandam partem tutiorem ac probabiliorem. Verùm in his omnibus ego Scoto subscribo, & potissimè benignæ sententiæ fautores cum illo consentiunt, quia exempla istiusmodi solùm procedunt de probabilitate speculativâ, cùm quæstio præsens procedat de probabilitate practicâ.

Tutiora sequẽda sunt in absolutè necessariis ad salutem, si sint faciliora.

153. Præterea *in 4. distinct. 17. quæst. unicâ*, Scotus hæc habet. *Ubi via facilior, id est, magis in potestate hominis, & certior ad recuperandam gratiam, tenetur homo ad illam, quia (adhibens difficiliorem & incertiorem) exponeret se periculo salutis suæ, & videretur contemptor propriæ salutis.* Unde arguo sic. Via tutior est certior; ergo qui eam omittit, per Scotum, est contemptor propriæ salutis. ergo peccat. Hunc locum objicit Fagnanus *num. 264. in cap. ne innitaris. de constit.*

Resp. Scotum hoc loco quærere, unde probari possit, quòd præceptum de con-

 fessione

Confessio unde probatur necessaria de jure divino?

fessione faciendâ sit de jure divino. tum, rejectis aliorum dictis, sic discurrit. Certum est ex sacrâ Scripturâ, confessionem esse medium efficax & opportunum ad recuperandam gratiam, difficile autem est habere contritionem perfectam. Cùm ergo non sint nisi illæ duæ viæ, homo ex charitate erga se tenetur confessionem adhibere, quia illa est facilior & certior via ad gratiam recuperandam. tandem concludit, rationem hanc, etsi relatè ad singulos non evincat intentum, esse tamen efficacem ad probandam hanc obligationem in universali, quia salus majoris partis peccatorum evaderet nimis incerta ac difficilis, si illis ad solam contritionis elicitionem pro peccatorum remedio recurrere liceret. Unde infert, universalem obligationem confitendi omnibus omninò dictam ob causam debuisse indici; quia leges, quæ necessariæ sunt pro majori parte, ad omnes universaliter extendi debent. Ita Scotus loco citato.

Scotus hoc loco nobis favet.

Hæc Scoti doctrina nobis non adversatur, nam inprimis loquitur de re necessariâ necessitate medii ad salutem, quæ nisi actu ponatur, infallibiliter sequitur damnatio, ad quam avertendam bona fides operantis non suffragatur. Jam in hoc casu dicit, quod charitas obliget unumquemque ad præeligendum medium facilius & securius ad talem finem obtinendum. Hoc verum est in electione unius medii præ alio, quando unum est multò facilius & certius altero; tunc enim non est certò probabile, quòd extra casum necessitatis liceat adhibere medium minùs certum, medio faciliori ac certiori rejecto. Unde nos & omnes fermè in casibus ejusmodi idem docemus. At hinc sic arguo; Scotus duo saltem requirit ad obligationem utendi re necessariâ etiam necessitate medii ad salutem; primum, ut facilius sit medium illud adhibere, quàm quodvis aliud; secundum, ut medii facilioris usus certiùs conectatur cum adeptione finis, quàm usus cujusvis alterius. At hæc nunquam concurrunt in usu opinionis practicè probabilis minùs tutæ; quia in illo aut rarò aut nunquam est sermo de re necessariâ necessitate medii ad salutem. Vel si sermo sit de illâ, ut de præmittendâ verâ contritione loco attritionis ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ certiùs consequendum, tunc medium certius est longè difficilius, & consequenter, tam ex mente Scoti, quàm etiam in rei veritate, nulla est obligatio utendi medio illo difficiliore. Deinde extra casus hujusmodi versamur in materiis, in quibus non solùm bona fides operantis suffragatur, quia impedit novum peccatum, ut patet, sed etiam longè difficilius est sequi partem tutiorem. Ergo ex mente Scoti in illis nulla esse posset obligatio sectandi tutiora. Ecce hic etiam locus Scoti nobis favet.

Expeditur locus, in quo Scotus videtur favere adversariis.

154. Potissimus, quod sciam, locus, in quo Scotus videri potest adversariis favere, sumitur *ex 3. dist. 25. quæst. 1. §. dico tunc ad propositum.* Ubi docet viro simplici tutius esse nulli parti fidem dare, quando Doctores altercantur de aliquo an sit credendum nec ne, donec constiterit, quid Ecclesia pro vero habeat. Ut autem hoc confirmet & explicet, utitur exemplo à moralibus ducto, & hæc habet. *Sicut in moralibus, quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primò est mortale, ut si unus peritus in scientia dicat, quòd non licet sic mercari; & alius dicat quod licet, tutius est non procedere sic, nec sic, sed expectare quousque pateat aliunde. Si enim ita esset, quòd unus Doctor diceret aliquem peccare mortaliter nisi sic faceret, & alius quod peccaret si sic faceret, tunc simplex foret perplexus. Ideò benè videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur.* Hactenus Scotus.

Hic locus convincit Scotum nobiscum stare; & si in quo su-

155. Verùm hoc loco Scotus solùm agit de simplici, qui altercationem diffidentium Doctorum percipit, sed de eorum rationibus judicare non potest; qui proinde, per

detur discrepare, loquitur de dubio.

per se loquendo, ex dictis illorum non habet, unde conscientiam formet, aut uni potiùs quàm alteri assensum præbeat. Hoc autem est simplicem illum hærere dubium, in quo casu omnes admittunt, eum ad tutiora teneri. Cæterùm hinc, arguendo à contrario, sequitur ex mente Scoti, peritum, qui auditis rationibus de illis judicare, & ex illis potest conscientiam formare, posse absque peccato, tam judicando in materiâ fidei, quàm operando in materiâ morum, sequi partem minùs tutam, modò de illius veritate absolutâ prudens judicium formet. Nam alioquin vir subtilissimus imperitè allegasset suam doctrinam ad simplicem, quæ æquè ad doctum extendi debebat. Præterea ex eo Scotus probat assertum, quòd simplex fieret perplexus. At hoc locum non habet in perito. ergo hæc Scoti doctrina ad peritos non pertinet. ergo Scotus tenet, peritos tam in materiâ fidei quàm morum posse sequi minùs tuta, modò prudenter ac probabiliter credant partem, quam amplectuntur, esse veram.

Idipsum efficaciter confirmatur.

156. Præterea Scotus hoc loco solùm dicit tutius esse simplici neutri parti fidem & assensum præstare. Nec tamen asserit aut insinuat, eum necessariò peccaturum, si ponderatâ alicujus ex litigantibus doctrinâ & probitate, illi crederet, & conscientiâ sic prudenter formatâ faceret quod licitum credit. Itaque locus iste benignæ sententiæ multùm favet, & in nullo opponitur.

Hoc ut clariùs appareat, ponamus illos Doctores solùm litigare de honestate illius contractûs ex vi rationum directè probantium, de quibus simplex ille nequit judicium ferre. Simul autem supponamus utrumque in hoc convenire, quòd contractus ille ex vi rationum reflexè probantium sufficienter convincatur esse licitus. Certè in hoc casu simplex ille ex mente Scoti posset prudenter conscientiam formare, & excusari non minùs quàm peritus. At hic est casus noster. Nam licet Doctores altercentur de honestate rerum directè tantùm consideratarum, omnes tamen fermè ex vi rationum reflexarum conveniunt, opinionem quamvis, etsi minùs tutam minusque probabilem, si tamen sit certò probabilis, posse pro conscientiæ regulâ prudenter assumi. Ergo simplex illis credens, juxta mentem Scoti, excusatur. At aliud nos non asserimus.

157. Cæterùm, quod Scotus nostrarum partium sit, apertè constat tum ex communi Scotistarum doctrinâ, tum ex indubitatis Scoti sententiis. Ex communi quidem Scotistarum doctrinâ, quia vix, aut ne vix quidem est ex Scotistis quæstionem hanc tractantibus, qui expressè benignæ sententiæ non subscribat: Scotistæ autem suo Scoto addictissimi sunt; nec quisquam meliùs mentem Scoti novit, quam ipsi. Ex indubitatis verò Scoti sententiis, quia ille multis in locis plures resolvit quæstiones morales pro praxi, in favorem partis minùs tutæ, easque non nisi probabiliter resolvit. Immò aliquando tam in materiâ fidei, quàm in materiâ juris etiam naturalis novam induxit opinionem, contra communem aliorum omnium ipsum præcedentium sententiam. Sic notorium est, quomodo opinionem de immaculatâ Beatissimæ Virginis Conceptione vel primus, vel ferè primus stabilivit; sic etiam *in 4. dist. 15. quæst. 2.* in materiâ restitutionis novam invexit opinionem, &, ut benè observat Angelus Vulpes à Monte Pilloso *parte 2. disp. 72. art. 2.* primus docuit neminem, etsi posteà ad pinguem fortunam pervenerit, teneri ad eorum restitutionem, quæ in extremâ necessitate de bonis alienis accepit. Ecce Scotus nobiscum est, quia judicat suam sententiam, id est opinionem singularem unius Doctoris, qui à fundamento rem examinavit, novisque rationibus probabilibus eam confirmavit, sufficere tam in materiâ fidei, quàm in ma-

Consensus Scotistarū arguit Scotum nobiscum sentire.

Scotus non solùm in materia fidei, sed etiam morali invexit novā opinionē probabilem, eamque minùs tutam oppositā.

Scotus certissime nobiscū sentire convincitur.

in materiâ juris etiam naturalis ad excusandum bonâ fide eam sectantem, non obstante communi aliorum omnium sententiâ. Ergo non potest non censere communem omniũ ferè consensum, docentiũ quamlibet opinionẽ directè probabilẽ esse sufficientem conscientiæ regulã, pro conscientiâ rectè formandâ abundè sufficere. Omitto alia quamplurima, in quibus Scotus sectatur partẽ minùs tutam, eamque ut sufficientẽ conscientiæ regulam proponit, quia multis in locis, maximè *in 4.* ubi agitur de Sacramentis, ubique fermè sunt obvia, ut celebre illud, sæpè citatum, quòd pœnitentia in peccato mortali peracta, non sit reiteranda, quòd liceat Principibus auferre parvulos a Judæis, illosque baptizare & in lege Christi educare, invitis parentibus; quod certè est minùs tutum, quàm oppositum à S. Thomâ & Thomistis traditum.

Doctorum labor in resolvendis quæstionibus dubiis utilis est, & locum habet ex mẽte Scoti.

158. Demum quod ad Scotum attinet, Philippus Faber Scotista insignis *tract. de pœnit. disp. 6. num. 46.* ostendit Scotum à communi sententiâ non discrepare, sed solùm tenere, quòd pars tutior sectanda sit, quamdiu intellectus dubitat de illius honestate; quia si dubium probabiliter deponatur, & operans, omnibus inspectis, feratur in honestatem operis ut in partem probabiliorem, & absolutè veram, talis juxta doctrinam Scoti & veritatem ipsam excusatur. Arguit autem sic. Scotus *quæst. 2. Prologi in respons. ad ult. arg. principale* advertit, *multas veritates necessarias virtualiter tantum contineri in sacrâ Scripturâ, sicut conclusiones in principiis, circa quarum investigationem non est inutilis labor expositorum & Doctorum. Vult ergo Scotus, quod in rebus dubiis locum habeat labor Doctorum & expositorum. Ergo quando Doctores docent aliquam opinionem esse probabiliorem alterâ, etsi sit minùs tuta, standum est illi definitioni absque ullo periculo peccandi. Alioquin si pars tutior semper esset amplexanda, non liceret umquam recurrere ad consiliũ peritorum, unusquisque enim per se cognoscit, quæ sit pars tutior, & quæ minùs tuta.* Ita Faber, qui hinc benè infert, neminem ex mẽte Scoti exponere se peccandi periculo, qui vel per rationes, vel authoritatẽ Doctorũ rationabiliter dubium deponit, *tunc enim*, inquit, *non adest dubitatio per quam exponamus nos periculo peccandi; illud enim periculum adest, quandò adest dubitatio, non quando ablata est.*

159 *Hoc ipsum*, pergit Faber, *apertè tradit Scotus in 4. distinct. 11. quæst 6. ubi ait, quod cùm dubium sit, an materia ex amido sit consecrabilis, & pars negativa sit probabilior, non sine peccato aliquis se exponit tali dubio. Vult ergo Scotus, quod probabilior opinio in dubiis habeat locum, & quòd possimus illam sequi, sicut faciendo contra illam quis peccat. Hoc autem verum est tam de litterato, quàm de illeterato, &c. Hactenus Faber.* ex quibus patet tam ex verbis, quàm ex præstantibus interpretibus Scoti, quòd Doctor subtilis in nullo à communi sententiâ discrepet. Unde miror, quòd Fagnanus *num. 340. in cap. ne innitaris, de constit.* hunc locum nobis objecerit; nam imprimis Scotus hic laxior est quàm nos; quia cùm sermo sit de materiâ necessariâ ad validè conficiendum Sacramentum, apertè indicat, quod liceret uti amido, si probabilius esset, amidum esse materiam sufficientem. At hoc nos negamus, nam probabilitas, etiam major, de valore Sacramenti ex amido est speculativa, quæ non infert practicam probabilitatem, quòd, ubi materia certa haberi potest, liceat uti materiâ incertâ, etsi probabilius sit, illam valere quàm non valere. Itaque Scotus laxiùs hic sentire videtur, quàm nos. Præterea Scotus hoc loco admittit majorem probabilitatem sufficere ad regulandam conscientiam etiam in materiis necessariis ad valorem Sacramentorum; ergo à fortiori in aliis idem tenet. At nos in aliis materiis majorem probabilitatem exigimus, si omnia spectentur, ergo Scotus nobiscum est.

Scotus laxiùs sentit, quàm nos.

Idem

Idem probatur authoritate eorum, qui scripserunt ante annum 1300.

Henricus Gandavensis tractat quæstionem præsentem.

160. Henricus Gandensis, floruit 1285. mortuus enim est senex an. 1293. & *in quodl. 4. quæst. 33.* expressè quærit, utrum, Doctoribus contrariantibus circa aliquod elegibilium, mortaliter peccet, qui agit illud, de quo est dubium, an sit peccatum mortale. Et casu proposito, sapienter respondet, ejus resolutionem pendere à qualitate Doctorum, ab efficaciâ rationum, quibus suam sententiam confirmant; & demum à qualitate auditorum, an sint periti, potentes comparare & discernere rationes Doctorum, an imperiti, qui eas nequeant discernere; & an Doctorum authoritates æqualiter vel inæqualiter sint illis perspectæ &c. Quibus positis, hæc subdit. *Et secundùm hoc, combinando prædicta, variè tenentur conscientias suas ipsi auditores informare. Et secundùm hoc est aliquando uni peccatum mortale exponere se illi dubio & periculo, & non alteri.* Tum juxta hanc præliminarem assertionem casum resolvit his verbis.

Henricus expressè resolvit quæstionē in favorem benignæ sententiæ.

162. *Si auditor peritus sit, & novit statum Doctoris, qui sententiat contra partem periculosam, habere omnes bonas conditiones prædictas, aut plures ex eis quàm alius; novit etiam rationes ejus esse efficaciores, & expressiores authoritates, quas adducit; iste proculdubio exponens se illi periculo mortaliter peccat, quia quod agit non est ex fide, sive conscientiâ, sed contra dictamen conscientiæ & rationis rectæ. Si verò auditor simplex sit; non potens discernere Doctorum determinationes, neque conditiones prædictas circa Doctorem; qui stat contra partem periculosam, sed novit probos esse illos, qui sententiant contrarium, aut præsumit eos magis esse fide dignos, iste exponendo se illi periculo, non peccat mortaliter, quia non reputat illud periculum, etsi sit in rei veritate.*

Et per omnia nobiscum sentit.

163. Hactenus Henricus, qui certè per omnia nobiscum sentit; nam inprimis resolvit casum merè ex vi rationum & authoritatum directè faventium quæstioni, de quâ in particulari sermo instituitur; quod ex eo evidens est, quia nullum argumentum reflexum ponit, sed nec de illo quidquam insinuat. Et in hoc sensu asserit eum, qui propter authoritates & rationes faventes parti minùs tutæ prudenter credit illam esse licitam, non se exponere periculo, nec peccare, etsi erret, modò præsumat eas esse præstantiores rationibus & authoritatibus, quæ afferuntur pro parte tutiore. At nos hoc ipsum docemus necessarium esse omni sectanti partem minùs probabilem minusque tutam, nisi enim hoc modo conscientiam formet, & ex vi rationum vel directè, vel saltem reflexè probantium dubium deponat, non excusatur, sed peccat.

Secundò. Quando condemnat peritum peccati, eò quòd se exponat periculo, supponit rationes & authoritates probantes opus esse inhonestum adeò apud illum prævalere, ut vel hæreat dubius an opus liceat, vel certè absolutè credat illud esse illicitum. At in hoc casu peccat secundùm omnes.

Tertiò. Si quæstio ab Henrico proposita sumatur in sensu reflexo, cùm evidens nobis sit rationes & authoritates pro sententiâ benignâ ingenti excessu prævalere oppositis juxta omnes & singulas conditiones ab Henrico positas, certum est ex mente Henrici, tam nos quàm omnes nobis prudenter assentientes excusari à peccato, quoties formatâ conscientiâ de honestate operis sectamur opinionem directè minùs probabilem minúsque tutam, quia omnibus inspectis evidens est honestatem talis operationis esse longè probabiliorem ejusdem inhonestate.

Replica.

163. Dices Henricus solùm asserit, taliter operantem non peccare contra conscientiam exponendo se periculo, non autem quòd nullo modo peccet ne quidem contra legem, nam statim post resolutionem citatam

 hæc

hæc subdit. *Quod si sit in rei veritate* (periculum scilicet, vel præceptum prohibens rem illam) *licèt non peccet exponendo se illi periculo, peccat tamen mortaliter, faciendo quod regula fidei prohibet, licèt occultum sit ei, quòd illud prohibet, quia hujusmodi ignorantia non est facti, sed juris, quæ neminem excusat.* Ecce Henricus supponit eum peccare contra legem, si erret in suo judicio, & quidem mortaliter. ergo è diametro contrariatur nobis.

Solutio. Resp. Henricum immediatè post verba objecta apponere hanc limitationem. *Nisi fortè distinguendum sit inter ea, quæ pertinent ad principia legis naturalis, ut sunt illa, quæ sunt expressa in præceptis decalogi, quæ neminem habentem liberum arbitrium ignorare licet, & inter ea, quæ sunt post illa principia, & ex illis ductu rationis elicienda, quæ fortè licet aliquos simpliciores ignorare, & maximè habentes ignorantiam invincibilem ex debilitate ingenii ad illa cognoscenda.* Atque hæc sunt omnia, quæ Henricus habet in corpore quæstionis ante solutionem objectorum. Ex his autem inprimis evidens est, eum quoad errorem facti per omnia nobiscum sentire. Secundò certum etiam est, eum nobiscum convenire quoad omnia comprehensa sub jure positivo, relatè ad eum, qui invincibiliter ignorat legem, & circa illam invincibiliter errat. Tertiò certum est, eum à nobis non discrepare in iis etiam, quæ spectant ad jus naturæ, quoties operans habet ignorantiam invincibilem talis juris. Ergo in omnibus nobiscum sentit, quia nos asserimus eum peccare, qui sequitur conscientiam vincibiliter errantem, quando illa proponit partem minùs tutam ut licitam. Sola ergo ea inter nos & Henricum quæstio superest, an detur ignorantia juris naturalis nec ne. In hoc ipse etiam nobiscum sentit, nam tenet neminem quoad capita juris naturalis posse habere ignorantiam invincibilem, quam tamen admittit quoad aliquas difficiliores conclusiones, idque frequentiùs in rudibus, quàm in peritis; quæ omnia à nobis quoque suis locis & tradita sunt, & ostensa.

Error probabilis facti, & error invincibilis juris excusat.

164. Unum autem est, quod addo ad clariorem solutionem quæstionis præsentis, & ad intelligendam mentem Henrici ac aliorū, distinguentium inter ignorantiam juris & facti, & est, quòd præsens nostra quæstio ferè numquam procedat de errore & ignorantiâ juris simpliciter dicti, seu in universali, sed solùm de ignorantia facti, seu juris in particulari. Ratio est duplex: prima, quia exprefsè excludimus opiniones, quæ repugnant aut determinationi Ecclesiæ, aut articulis fidei sufficienter expressis, aut claro sensui sacræ Scripturæ, aut evidenti lumini rationis; & solùm loquimur de iis, quæ dubiæ sunt apud viros sanctissimos, totiusque juris tam naturalis quàm positivi peritissimos. At tales opiniones non sunt errores circa jus in universali propositum, id est circa jus simpliciter dictum, quia omnes, qui illas tenent, optimè norunt non esse furandum, non mæchandum &c. cum tamen objecta, de quibus discurrunt, si in illis errent, ad jura istiusmodi debeant reduci. Secunda ratio est, quia semper litigatur de aliquo facto particulari, an hoc verbi gratiâ vel illud sit furtum, vel simonia &c. Pars affirmat, pars negat. Qui autem errat, non errat in jure. Sed solùm in facto particulari, & putat illud non esse furtum, quod est. Sicut ergo Jacob accedens ad Liam non peccavit, quia erravit in facto particulari, putans se ad suam accedere, cùm accederet ad alienam: quod est habere ignorantiam juris in particulari, seu ignorantiam facti; ita quivis celebrans contractum in hisce circumstantiis, quando probabiliter putat eum esse licitum, si erret, non errat in jure, sed solum in particulari & in facto; nec enim ullam habet ignorantiam juris; ideóque non peccat tam ex mente

Error, si quis sit, in usu sententiæ benignæ, est error facti, non juris.

Probabilis error facti excusat à peccato.

mente Henrici & aliorum omnium, quàm ex rei veritate, quia, probabilis error facti indubitanter excusat apud Henricum, aliosque omnes.

Richardus de Media Villa aperte nob.scũ sensit.

165. Richardus de Mediâ Villâ circa idem tempus cum Henrico Gandensi floruit. Hic Author innumeras ponit resolutiones practicas pro parte minùs tutâ, quarum aliquas hic attexam. *In quodl. 1. art. 6. quæst. 1.* docet sæcularem, omittentem audire sacrum die dominico non ex contemptu, neque ex consuetudine, aut fine malo, sed ex negligentiâ, non peccare mortaliter, sed solum venialiter, audi illum sic concludentē: *Tunc autem est sæculari peccatum veniale non audire missam die dominico, cùm hoc omiserit non ex aliquâ legitimâ causâ, sed ex aliquâ infirmitate mentis, sicut ex aliquâ passione, vel ex aliquâ pigritiâ, si tamen ad hoc consuetus non fuit.* Sed hanc opinionem nostri temporis Theologi, etiam laxissimi rejiciunt ut improbabilem, unde qui illam nunc sectaretur peccaret, licèt Richardus existimaverit eam sectantem suo tempore fuisse à peccato mortali immunem.

Rursus. *Quodl. 3. quæst. 25.* latè defendit judicem posse condemnare reum juxta allegata & probata, quem certò scit esse innocentem.

An restituendum sit, quod per ludos prohibitos quis lucratus est?

166. Juvat etiam ponderare, quæ Richardus habet *in 4. dist. 15. art. 5. quæst. 8.* ubi loquens de restituendis rebus, quas quis lucratur per ludos prohibitos, hæc habet. *Communis tamen opinio, quæ est securior, tenet, quòd eo modo quo ludus taxillorum est prohibitus, homo tenetur ipso jure ad restituendum illud, quod lucratus est per talem ludum; quia non tantùm prohibetur ille ludus, sed etiam acquisitio lucri per talem ludum. Quia tamen, ut aliquibus probabiliter videtur, talis restitutio non est præcepta per jus civile, non videtur quòd ad hanc restitutionem sint obligati de necessitate, nisi illi, qui de jure legibus subsunt imperialibus, nisi alibi sit talis restitutio per consuetudinem approbata.* Ecce quamvis tutius sit & probabilius, quòd lucra istiusmodi de jure sint restituenda, Richardus tamen censet eos, qui de jure non subsunt legibus imperialibus (si tamen consuetudo contraria non habeat vim legis) non teneri ad talem restitutionem, quamvis probabile sit, & ab eo ut probabile agnoscatur, quòd omnes omninò ex vi juris canonici dictis legibus imperialibus obligentur. Nam immediatè subjungit. *Videtur autem aliis, & probabiliter, quòd talis restitutio præcipitur implicitè in jure canonico, quia leges imperiales non contrarias juri divino, nec abrogatas per jus canonicum, nec per aliquam contrariam consuetudinem rationalem, jura canonica observanda decernunt. Dist. 10. cap. de capitulis. item cap. quis autem, & duobus capitibus immediatè sequentibus.* Jam unica ratio, quam affert, cur qui de jure non subsunt legibus imperialibus, non teneantur ad restitutionem talis lucri, etsi probabile sit quod ex vi juris canonici legibus illis imperialibus constringantur, est, quia probabile est, *quod talis restitutio non sit præcepta per jus civile.* Ergo probabilitas de exemptione à debito per Richardum excusat in foro conscientiæ à solvendo debito, etsi tutius sit debitum solvere, atque etiam probabile sit, quod solutio sit absolutè debita. At hoc ipsum est, quod benigna sententia docet.

Probabile est leges imperiales honestas & nō abrogatas esse confirmatas p. t jus canonicũ.

Ægidius Romanus favet benignæ sententiæ.

167. Ægidius Romanus *in 2. dist. 22. quæst. 2. art. 4.* fusè probat ignorantiam omnem invincibilem excusare à toto. Illam autem appellat invincibilem, *quam homo aut non potuit, aut non debuit expellere.* Idem porrò dicendum tenet de errore, seu conscientiâ erroneâ, quod de ignorantiâ, quæ involvitur in errore. Hoc autem continet totum quod dicimus, ut patebit quæst. sequenti. Floruit Ægidius circa an. 1290.

S. Bonaventura nobiscum est.

168. S. Bonaventura floruit circa an. 1265. & pluribus in locis probabiliter tantùm resolvit partem minùs tutam esse licitam; & practicè -

practicè loquitur pro formandâ conscientiâ, etsi pars opposita tutior à pluribus teneatur, Unum vel alterum tantùm pono exemplum ex innumeris, quæ coacervare possem. Itaque *in 3. distinct. 39. art. 3. quæst. 1.* quærit an juramentum dolosum obliget jurantem? Tum ponit duas sententias, alteram affirmativam, quæ utique est tutior, alteram negativam, quam ipsemet amplectitur, quamvis sit minùs tuta, cum quâ docet, jurantem cum animo non se obligandi esse quidem perjurum, & in foro exteriori præsumi obligatum, sed in foro conscientiæ esse liberum à tali obligatione.

Juramentum dolosum an obliget?

169. Ibidem *quæst. 2.* quærit an juramentum coactum obliget ad sui impletionem; tum ponit duas sententias; prima asserit, juramentum promissorium metu extortum non obligare, si metus fuerit gravis, qualis cadere solet in constantem virum, & hæc opinio est minùs tuta, ut patet. Secunda docet, tale juramentum in foro quidem externo præsumi nullum, sed obligare in foro conscientiæ. Huic sententiæ subscribit quidem Bonaventura, sed aliqua addit, quæ continent quidquid tenet benigna sententia, ideóque valdè notanda sunt. *In foro Dei*, inquit, *juramentum coactum obligatorium est, quia cùm Deus aspiciat voluntatem interiorem, & voluntas non possit cogi coactione sufficiente, sed inducente, & ita voluntas coacta, voluntas fit, judicat Deus talem hominem obligari, & ideò in foro conscientiæ secundùm Theologos consulendum est ei, qui sic juravit, nisi relaxationem inveniat, juramentum implere: Et hoc dico, si juramentum illud fuit respectu rei licitæ.* Ecce Bonaventura hoc loco cum aliis Theologis tenet partem tutiorem, contra alios tenentes partem minùs tutam; & tamen tam ipse, quàm Theologi illi non tenebant jurantem obligari ad partem tutiorem sectandam, sed solùm dicebant *hoc illi consulendum.* Supponebant ergo omnes unanimiter, quod sic jurans excusaretur à peccato, si bonâ fide conscientiam deponeret in opinione minùs tutâ, quam ipsi minùs probabilem reputabant, alioquin non dixissent *hoc consulendum esse ipsi*, sicut nos dicimus, sed *illud ei esse præcipiendum*, ut summo nisu contendunt adversarii. Ergo tam S. Bonaventura, quàm Theologi ipsi coævi unanimiter tenebant, licitum esse sequi opinionem minùs probabilem minúsque tutam, etiam in re spectante ad jus naturæ, modò operans bonâ fide formet suam conscientiam juxta assertum illius opinionis.

Utrùm juramentum coactum obliget?

Cōtrariantibus Doctoribus, consilii est non præcepti sequi partem tutiorem.

Benigna sententia semper habita fuit vera in omni ætate.

170. Demum S. Bonaventura *in 4. dist. 17. parte 3. art. 2. quæst. 3.* fatetur opinionem tutiorem, asserentem pœnitentes obligari ad confitendas circumstantias in eâdem specie aggravantes, esse probabilem; ipse tamen tenet oppositam, id est partem minùs tutam, & credit eos, qui illam sequuntur in praxi, esse tutos in conscientiâ. ergo per omnia nobiscum est.

Circūstantiæ aggravantes non sunt necessariò confitendæ.

171. Quod spectat ad S Thomam Bonaventuræ æqualem, illius sententia non hîc per transennam, sed proprio loco infra examinabitur. Interim persuasum habeat Lector, S. Thomam nullatenus à communi sententiâ discrepare, hoc enim infra *quæst. 29.* palam constabit.

S Thomas insignis patronus benignæ sententiæ.

172. Celebris est sententia Alberti magni supra relata ex S. Antonino, & Joanne Nyder; scilicet: *Quòd Frater simplex, vel quilibet homo cum salute potest sequi in consiliis quamcumque opinionem voluerit, dummodo alicujus magni Doctoris opinionem sequatur.* Hæc Alberti expressio indubitanter continet quidquid benigna sententia asserit; nam quamvis dicamus assertum Alberti subinde licere, tum scilicet, quando Doctor ille non loquitur contra communem opinionem; nihilominus quando Doctor singulariter opinatur contra communem aliorum sententiam, dictum Alberti non aliter admittimus, quàm si ille novis rationibus, aut authoritatibus, iisque validissimis, quas

Albertus Magnus apertè stat pro benigna sententiâ.

alii

alii non perpenderunt, opinionem suam stabiliat. &c. Et in hoc ipso casu non tam hoc ipsum asserimus propter authoritatem illius magni Doctoris singulariter opinantis, quàm propter rationes reflexas & authoritates communes non unius sed omnium fermè Doctorum, illud licitum esse unanimiter asserentium.

Replica. 173. Nec dicas S. Antoninum & Joannem Nyder solùm affirmare, quòd hoc responsum *ab Alberto datum fuisse videatur*. ergo Albertus non est certus patronus benignæ sententiæ. Nam contra, quia traditio illa usque ad Antonini tempora apud PP. Dominicanos continuata probabilissimè concludit, Albertum ipsum ea responsa edidisse, ita ut oppositum non sit probabile. Sed quidquid sit de hoc, illa traditio evincit, aut Albertum, aut magni nominis Theologum Alberto æqualem taliter respondisse. At hoc concesso, perinde nobis est sive Albertus, sive alius Doctor famosus illius temporis hoc responsum ediderit; quia æqualiter ex utroque constat, opinionem benignam tunc temporis in Ecclesiâ viguisse, rigidam verò penitus è scholis exulasse. At hoc est, quod hic stabiliendum assumpsimus.

Solutio.

Opinio benigna viguit tempore Alberti Magni.

Albertus proponit opinionem probabilè minùs tutam prore gulâ conscientiæ.

174. Præterea innumera sunt, in quibus Albertus practicè resolvit, quòd pars minùs tuta sit licita, contra alios probabiliter tenentes oppositum. Unum sufficiat exemplum; *in 4. dist. 16. art. 24.* quærit an pœnitens circumstantias aggravantes confiteri teneatur, & sic respondet. *Respondeo secundùm antiquos Doctores, quòd non oportet circumstantias confiteri, nisi quæ trahunt in aliud genus peccati. Tamen securum est etiam aliàs dicere, præcipuè si remordet aliquem conscientia: sed tamen dicunt, quòd non tenetur ex præcepto. Unde dicere circumstantias, quæ non trahunt in aliud genus peccati est de benè esse confessionis.* Ecce palam fatetur partem oppositam tutiorem esse, & omnibus consulendam; putat tamen neminem ad eam obligari, etiamsi propter rationes & authoritates contrarias (quas eo loco non dissimulat, nec quisquam negare potest esse valdè probabiles) conscientia eum mordeat, & sollicitet ad eas exprimendas, modò conscientiam suam deponat, & formet bonam credulitatem de honestate talis omissionis. At idem valet de omnibus aliis casibus ejusmodi. Ergo Albertus idem sensit de omnibus ejusmodi casibus; & quod plus è re nostrâ est, agnoscit antiquos Thelogos idipsum tenuisse. Ergo Albertus, & Theologi, qui respectu illius ævi erant antiqui, nobiscum sunt. Idem planè sentit Albertus in materiâ fidei *in 3. dist. 25. art. 4.*

Theologi Alberto antiquiores tenebant benignam sententiam.

175. Henricus Cardinalis Episcopus Hostiensis, qui floruit circa annum Domini 1260. præter summam celebrem scripsit accuratam expositionem in Epistolas decretales. Opera ejus non legi, cum tamen supra citatum habes à S. Antonino, Joanne Nyder, aliisque. Et sanè qui legerit Authores antiquos Hostiensi posteriores, neminem pro parte minùs tutâ illo sæpiùs citatum inveniet. Itaque dubium esse non potest, quin Hostiensis signatè tenuerit, & exercitè proposuerit sententiam probabilem minùs tutam pro sufficienti regulâ ad conscientiam ritè formandam, etsi pars tutior probabilis esset, & à gravibus Authoribus vera haberetur.

Ostiensis stat pro nostra sententia.

176. Humbertus, quem Joan. Nyder supra citavit, floruit circa an. 1245. & fuit quintus Generalis Ordinis Prædicatorum, cujus est solemnis illa sententia in expositione constitutionum sui Ordinis à Nyder notata. *Fructus animarum impediri solet per nimiam austeritatem in consiliis & opinionibus; terrentur enim ex hoc homines in tantum, ut salutem negligant. Idcircò relaxanda est, quantum fieri potest, austeritas, & agendum est benignè cum hominibus, quia sic meliùs trahuntur ad salutem, cùm sententiæ mitiores tenentur.*

Humbertus, V. Prædicatorum Generalis, expressè favet nobis.

Hæc Humbertus, quibus nil apertius pro benignâ sententiâ dici potest.

Halensis apertè favet nostræ sententiæ.

177. Alexander Halensis floruit circa an. Domini 1240. & multis in locis apertè favet benignæ sententiæ. Inprimis *parte 2. quæst. 121. membro 3. art. 2.* docet, omnes debere stare præcepto superioris in rebus indifferentibus, etiam contra propriam conscientiam. Et *in respons. ad 1.* hæc habet. *Conscientia subditi debet formari secundùm discretionem Prælati in dubiis, & non è contra.* Ergo si superior discretè & probabiliter imperet, obediendum est, etsi subditus putet oppositum & tutius esse, & probabilius, quia debet in verbo superioris conscientiam deponere.

Semper obediendũ quando superior præcipit probabiliter honesta.

178. Rursus *parte 4. quæst. 18. art. 3. §. 3.* dicit indoctos non teneri ad confitendas circumstantias aggravantes in eâdem specie peccatis ait enim: *Non enim tenentur omnes ad confessionem circumstantiarum, sed edocti & instructi, quorum dictat conscientia illas esse confitendas.* ergo qui habet dictamen conscientiæ probabiliter formatum, quo prudenter judicat se ad hoc non teneri, per Halensem ab istâ obligatione excusatur. ergo & ab aliis similibus, nam utrobique eadem ratio militat. Demum ibidem *art. 4.* docet, peccatorem non statim post peccatum obligari ad confessionem, etiam datâ opportunitate sacerdotis. ergo Halensis nobiscum est.

Antissiodorensis expressè stat pro sententia benigna.

179. His omnibus paulò antiquior est Gulielmus Antissiodorensis, qui floruit circa an. Domini 1235. ex quo celebre illud dictum, supra citavi ex Gersone *in tractatu de Pollutione nocturnâ.* ubi hæc habet. *Si quis opposuerit, quòd dubitans de aliquo an sit illicitum, & stante dubio illud agens peccat, quia discrimini se scienter objicit. Respondeo cum Altissiodorensi, regulam hanc magistralem intelligendam esse de dubio tali, quod est vehemens, & magis aut saltem æquè inducit mentem credere quod est mortaliter illicitum, sicut quod est licitum. Secus est, ubi mens plus inclinatur, & judicat quòd est licitum, quàm illicitum, quamvis non habeat usquequaque certitudinem evidentem aut fixam, quia nec hoc ipsum requiritur.* Hoc ipsum adæquatè coincidit cum nostrâ sententiâ, quia requirimus, ut dubio deposito, mens sectantis minùs tuta absolutè credat opus esse honestum, ideóque plus inclinetur ad credendum quod sit licitum, quàm illicitum. ergo Antissiodorensis per omnia nobiscum est.

180. Innocentium non legi, sed ille (ut refert Fagnanus *num. 419. in cap. ne innitaris*) *in cap. per tuas 2. de Simon.* docet quòd *non peccet mortaliter, qui sequitur intellectum alicujus gravis Authoris, etiamsi erret, dummodo tamen error hujusmodi versetur circa subtilitatem legum.* Hujus dictum, inquit Fagnanus, sequitur Baldus *in l. ab eo, num. 11. C. quomodo & quando judex.* Et dicit communiter receptum Navarrus *Conf. 10. N. tractabat. num. 5. de consang. & affinit.* Fuit autem Innocentius summus Pontifex ejus nominis IV. vir doctrinâ ac prudentiâ clarus. Floruit an. 1240.

Innocentius nobiscum est.

181. Pigebit fortassè lectorem tamdiu in his immorari, sed necesse fuit hæc tam operosè cumulare, tum quia non parvam horum Authorum partem Mercorus citavit pro adversâ sententiâ, tum quia res ipsa summi est momenti, utpotè quæ omnes omninò, omniumque conscientias concernit. Volupe ergo est videre quid antiqui in hac re senserint, cum in re morali, eâque summi momenti, nil esse possit certius, quàm id, in quo omnes omninò tam recentes, quàm antiqui conveniunt; conveniunt autem omnes in substantiâ rei, neque ullatenus discrepant nisi quoad modum loquendi; nam quamvis plures antiquorum, & recentiorum pauci aliqui dicant, operantem, ut sit tutus, debere sectari quod probabilius est, aut in quod fertur tamquam in partem probabiliorem, & nos dicamus sufficere si sectetur

Antiqui cur fuerint tam operosè citandi.

Antiqui omnes, & Recentiores penitus cōveniunt in substantiâ benignæ sententiæ.

si sectetur partem minùs probabilem, reipsâ tamen non discrepamus, nos enim loquimur de minore solùm probabilitate directâ, quæque tantummodo minor est remotè & in actu primo, nam operans proximè & in actu secundo debet ferri in opus, tamquam in rem licitam, & absolutè existimare illud esse honestum, alioquin peccaret, quia se discrimini committeret, ut sæpè dictum est.

Opinio rigida usque ad Jansenii tempora numquam audita fuit in Ecclesia.

Quòd si hoc modo intelligatur benigna sententia, in quo tantùm sensu à suis Authoribus sumitur, certum est, opinionem oppositam in scholis usque ad Jansenium fuisse inauditam; & audacter dico, nullum Theologum, nullúmve Casuistam ullius famæ in Ecclesiâ Catholicâ usque ad illa tempora viguisse, qui aut expresè & signatè, aut certè exercitè & in particulari non tradiderit benignam sententiam ut sufficientem conscientiæ regulam, ad eam à peccato & peccati formalis periculo liberandam.

Recentiores non docuerunt in quæst. præsenti, nisi quod legerunt in antiquis, & ex illis hauserunt.

182. Facessant ergo malè fundatæ adversariorum querelæ, quibus conantur simplicibus & rerum ignaris persuadere, Recentiores, qui expresè docuerunt benignam sententiam, à communi antiquorum opinione recessisse, & ideò periculosè opinatos esse; Recentiores enim nil docuerunt, quod in antiquis aut expresè non repererunt, aut ex eorum dictis legitimè non intulerunt. Antiqui unanimiter docuerunt, quemque securè sectari partem quamvis, quæ ipsi apparet probabilior alterâ; hoc nos docemus, & scimus inveniri in usu benignæ sententiæ, si rationes & authoritates reflexæ considerentur. Antiqui dixerunt, sequi partem tutiorem esse quidem consilium non præceptum; sic enim Sylvester, sic S. Antoninus, sic Nyder, sic Gerson expresè loquitur; & S. Bonaventura dicit usum partis tutioris esse consulendum. Idipsum & nos docemus. Antiqui, ut Viguerius, Sylvester, S. Antoninus, Joannes Nyder, & S. Bonaventura aut expresè asserunt, aut apertè supponunt in præsenti quæstione ac materiâ nullam fuisse opinionum diversitatem, sed omnes in eo convenire, quod cuique liceat sequi opinionem minùs tutam, si in ejus veritate animum firmet, & probabili judicio reputet oppositam esse falsam. Albertus magnus, Joannes Nyder, S. Antoninus, Sylvester, & Panormitanus in *cap. Capellanus de feriis* cum Glossâ, Angelus aliique dicunt, hominem excusabilem esse, & non peccare in materiâ fidei & morum, quando res est incerta, si adhæreat opinioni celebris Doctoris, modò illa nec sacræ Scripturæ, nec determinationi Ecclesiæ repugnet. Maximè verò si absoluto judicio se figat in illâ parte, eamque veram reputet. At hæc omnia conveniunt opinioni directè minùs probabili, si reflexè consideretur. ergo licet illam sequi juxta sensum Antiquorum. Demum Paludanus, Nyder, Antoninus, Sylvester, Adrianus Navarrus aliique complures docent, pœnitentem, qui in re incertâ de honestate alicujus contractûs sequutus est sententiam Doctorum, dicentium contractum illum esse licitum, licitè absolvi posse à Confessario contrarium tenente, quia pœnitens habet jus sectandi opinionem probabilem Doctorum. At ista sunt ipsissima, quæ nos tradimus. Ergo sententia benigna nova non est, sed antiqua, eamque Recentiores in antiquis gravissimisque scriptoribus invenerunt, atque per infallibilem consequentiam ex eorum principiis deduxerunt. Cæterùm nil simile ostendi potest ex antiquis pro sententiâ rigidâ. Itaque certum est, nostram sententiam in sæculis retroactis semper in scholis viguisse, oppositam verò ab illis exulasse, & numquam pro verâ communiter habitam fuisse.

Usum benignæ sententiæ semper in Ecclesiâ viguisse, certissimis exemplis comprobatur.

Opinio benigna semper habuit usum laudabilem in materia obedientiæ & justitiæ.

183. Novum non est, sed omni ævo creditum, & à sanctis Patribus inculcatum, quòd religiosus, si perfectus esse velit, debeat Prælato in omnibus obedire, quæ manifestè non repugnant Legi Divinæ, aut Ecclesiæ determinationi. Ergo si superior ordinet rem probabiliter licitam, subditus debet obedire, etsi oppositum ipsi probabilius appareat. Neque verò Authores, sancti Patres, & Mystici Theologi solùm hoc asserunt de expresso præcepto, sed illud æquè extendunt ad ordinationes strictè non obligantes in conscientiâ. Sed de hoc fusè quæst. sequente.

Possessor licitè sequitur partem minùs tutam, si sit probabilis.

184. Similiter in materiâ Justitiæ novum non est, sed omni ævo creditum, quòd *in dubiis melior fit conditio possidentis*; idque ita ut possidens tutus sit in conscientiâ, etsi retineat rem possessam probabiliter suam, quamvis æquè probabile sit illam ad alium pertinere. Ecce in materiâ justitiæ possessor tutus est in conscientiâ, & liber à peccato formali, etsi sectetur opinionem minùs tutam, contra oppositam tutiorem, seque patenter exponat periculo peccati materialis.

Summi Pontifices in maximis negotiis sæpè usi sunt benignâ sententiâ. Ex his soc.

185. Hæc duo exempla generalia sunt, quia omnibus conveniunt, & innumeros casus comprehendunt, quibus addam nonnulla particularia ex multis, quæ ipse partim addidi illis, quæ desumpsi ex Caramuele *in Apologemate*, ubi conatur ostendere, usum opinionis probabilis minùs tutæ, omni ævo, à summis Pontificibus, à viris sanctis & doctis ut tutam conscientiæ regulam ad praxim fuisse reductam. Acacius de Velasco *tom. 2. verbo opin. prob.* eleganter observat, *summos Pontifices in rebus nondum ab Ecclesiâ definitu Theologorum opinionibus probabilibus uti consuevisse, nec semper aut probabiliores, aut tutiores, sed minùs probabiles minùsque tutas in praxim sæpè deduxisse.* Juxta hāc Acacii doctrinam plura exempla coacervat Caramuel *in Apologemate à num. 139.* per plures sequentes.

Inprimis Alexander III. inquit Caramuel, Nicolao Justiniano Monacho professo indulsit, ut uxorem duceret. Sed erratum est in nomine Pontificis, quia Alexander III. diu præcessit tempora hujus Justiniani, cui tamen certum est, dispensationem hanc collatam fuisse, qui Bernardus Justinianus hujus Nicolai nepos, qui B. Laurentii Justiniani, ex matrimonio per dictam dispensationem contracto nati, vitam scripsit, id expresè testatur. Itaque Alexander V. qui circa ea tempora vixit, aut alius ejus temporis Pontifex cum Nicolao Monacho dispensavit. Honorius II. Ramiro Monacho in voto solemni etiam dispensavit, ut fratri sine liberis mortuo in Aragoniæ regnum succederet. Item Clemens II. (sed Baronius ad an. 1041. hoc refert ad Benedictum IX) Casimiro Monacho Cluniacensi & Diacono vota relaxavit, ut uxorem ducere, ac in Poloniâ regnare posset.

Alexander III. sed rectiùs Alexander V.

Honorius II.

Clemēs II. vel ut alii Benedictus IX.

An votum solemne sit etiam à Papâ indispēsabile?

186. Hinc arguo sic: Probabile erat, summum Pontificem in voto solemni non potuisse validè dispensare. Ita tenet S. Thomas *2. 2. quæst. 88. art. 11.* quem unanimiter sequuti sunt Thomistæ. Leander etiam, aliique viri doctissimi hanc S. Thomæ opinionem oppositâ probabiliorem esse judicant. Ergo vel Pontifices isti peccârunt, vel licitum eis erat sequi opinionem probabilem minùs tutam, contra tutiorem probabilem. At non peccarunt; quis enim eos in hac re audeat peccati accusare?

Pontifex in dispensando sequens unam opinionem, nō semper reddit oppositā improbabilē.

187. Nec dicas, quòd isti Pontifices facto suo sufficienter declaraverint opinionem, quam sequebantur, esse non solùm oppositâ probabiliorem, sed absolutè veram & certam; nam contra; quia certum est, Pontifices factis istiusmodi nil determinare aut contra aut in favorem Theologorum probabiliter opinantium, sed solùm in operando se illorum placitis conformare. Demonstratur hoc ipsum. S. Thomas natus est an. 1224. ergo non scripsit nisi multis annis

post

post aliquos istorum Pontificum. Ergo jam tùm Pontifices erant in possessione dispensandi in votis solemnibus. Neque credibile est hoc S. Thomæ ejusque asseclis fuisse ignotum. Hoc tamen non obstante, S. Thomas revocando sententiam priùs traditam *in commentariis in lib. sentent.* absolutè tradit *in summâ*, tales dispensationes esse invalidas, quod certè nec ille, nec Thomistæ posteriores docuissent, si priores illi Pontifices suis dispensationibus oppositam sententiam aut probabiliorem esse declarassent, aut certam.

An Pontifex dispensare possit in matrimonio rato?

188. S. Bonaventura, Scotus, & cum eo Scotistæ communiter docent, summum Pontificem in matrimonio rato dispensare non posse. Hi soli, cùm sint Doctores numero fermè innumerabiles, & in doctrinâ ac pietate nullis secundi, ingentem suæ sententiæ probabilitatem conciliant. Hisce accedit uterque Sotus cum 29. Authoribus, quos Sanchez citat *lib. 2. de matrim. disp. 14. num. 1.* quibus subscribunt Basilius Pontius, Corneius & Leander, uti videre est apud Caramuelem *num. 140.* Et quidem Leander & Corneius aiunt, hanc opinionem esse oppositâ probabiliorem. Nihilominus Pius V. quater in hac re dispensavit. Gregorius XIII. unâ die undecim ejusmodi dispensationes indulsit, teste Henriquez *lib. 11. cap. 8. num. 11.* Alia etiam exempla, quorum nonnulla Scoto, sanctoque Bonaventurâ priora fuerunt, citat Caramuel ex Brancatio, qui similes dispensationes à Gregorio VII. Martino V. & Eugenio IV. emanasse tradit, & in testes Baronium, S. Antoninum, aliosque allegat.

Dispẽsarũt Pius V. Gregorius XIII.

Gregorius VII. Martinus V. Eugenius IV.

Adrianus VI. etiam cõtra propriam sententiam.

189. Hisce addo ego, ejusmodi dispensationem ab Adriano VI. contra propriam opinionem concessam, cujus meminit Sotus *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 4.* ubi hæc habet. *Adrianus VI. vir tum utriusque juris peritissimus, tum & rei Theologicæ non infimè doctus, cùm ab illo hujusmodi dispensatio* (agit de dispensatione matrimonii rati) *fuisset postulata, oblataque fautrix Caietani sententia, demiratus est virum Theologum hoc sibi in animum inducere potuisse; & ideò improbis precibus succumbens, respondit se dare quod posset, sed tamen credere nil posse.*

An Papa dispensare possit in omnibus gradibus consanguinitatis?

190. Idem valet de dispensatione contrahendi matrimonium in gradibus consanguinitatis, de quibus probabiles opiniones docent, quod contractus matrimonialis, inter personas tali nexu colligatas jure naturæ sit irritus. Sylvester *in summâ Verbo Papa. num. 17.* asserit omnes fermè gradus Mosaicâ lege prohibitos, esse etiam prohibitos lege naturali; atque adeò probabilius esse, quod in illis Papa dispensare non possit, & jubet legi Archiepiscopum, id est S. Antoninum. Jam constat Pontifices tam in matrimonio rato, quàm in istis consanguinitatis gradibus dispensare. Immò apud Sylvestrum loco citato hæc habentur, inquit Caramuel, *reperitur Martinus V. ut Archidiaconus refert, dispensasse cum eo, qui cum suâ germanâ contraxerat, & consummaverat, habito consilio cum peritis Theologis & Canonistis, propter mala & scandala aliàs inde ventura, licèt aliqui dicerent, eum hoc non posse.* Ita hæc citat Caramuel loco citato. Verùm erravit Caramuel in legendo Sylvestro, qui citat Archiepiscopum, id est S. Antoninum, non Archidiaconum, quippè qui ducentis fermè annis præcessit Martinum V. Antoninus autem solùm asserit Martinum V. dispensasse cum quodam, qui antea fornicariè noverat sororem ejus, cum quâ contraxerat. Legatur Antoninus *part. 3. tit. 1. cap. 11.* ubi habet, quæ Sylvester ex eo citat. Itaque in his dispensationibus, quæ sunt de rebus ad mores spectantibus, & quidem gravissimis, Pontifices secuti sunt sententiam probabilem, oppositâ tutiore probabili, aut etiam probabiliore relictâ.

Caramuel dupliciter erravit citando Sylvestrum.

191. Aliud exemplum, inquit Caramuel, sumitur à dispensationibus Pontificum ad ordinationem

ordinationem Episcopi per unum tantum Episcopum, absque duorum aliorum præsentiâ. Pius V. teste Machado *tom. 1. lib. 4. parte 6. tract. 2. docum. 6. num. 4. & 5.* dispensavit, ut unus Episcopus in Indiis cum duabus Dignitatibus vel Canonicis possit novum Episcopum ordinare. Gregorius XIII. concessit Patriarchæ Æthiopiæ, ut ab uno Episcopo ordinaretur, uti tradit Henriquez *lib. 10. de ordinatione cap. 24.* Caramuel ultra hæc addit duo alia exempla, in quibus Alexander VII. similiter dispensavit; semel ut Illustrissimus Dominus Josephus Contr ab uno Episcopo & duobus Abbatibus consecraretur. Iterum, ut electus Episcopus de Assumptâ ad Paraquay Provinciam pertinens ab uno posset Episcopo consecrari. Verùm ille antequam licentia obtenta ad suam pervenisset notitiam, ab uno Episcopo cum duobus Canonicis ordinatus est. Quæ ordinatio cùm in dubium vocata esset, sacra Cardinalium congregatio die 15. Decemb. an. 1657. declaravit *supradictam consecrationem Episcopi Paraquariensis, quantum spectat ad Sacramentum & impressionem characteris fuisse validam. Quantum verò spectat ad licitum &c.* & Alexander VII. declarationem hanc per litteras Apostolicas in formâ Brevis confirmavit.

An Episcopus per unum tantum Episcopum ordinari possit?

192. Nihilominus ex alterâ parte certum est, plurimos Doctores, eosque gravissimos tenere, Pontificem in hac re dispensare non posse. Et sanè sententiam hanc Diana *parte 10. resolut. 29.* esse oppositâ communiorem fatetur. Videatur Castro-Palao *tom. 4. tract. 27. puncto 14.* ubi hanc sententiam validissimis argumentis & authoritatibus roborat, eamque tamquam longè veriorem supponit. Ecce iterum, inquit Caramuel, Pontifices in re summi momenti sequuntur opinionem minùs tutam, etsi solùm æquè, aut fortassè minùs probabilem oppositâ. Minùs, inquam, tutam, quia agitur de necessitate medii, in quo, si erretur bona fides non suffragatur, ille enim non erit verus Episcopus, nec ab eo ordinati erunt veri sacerdotes; sine veris autem sacerdotibus Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ & extremæ Unctionis nulla sunt; ideóque populus ille Christianus mediis ad salutem valdè necessariis destitueretur.

Plures tamen tenēt ordinationē ab uno tantū Episcopo factam esse nullam.

193. Ex his Pontificum exemplis tria priora apertè demonstant intentum. Si enim Pontifices illi, in rebus tanti momenti ad jus tam naturale quàm divinum spectantibus, licitè secuti sint opinionem probabilem minùs tutam, probabili aut etiam probabiliore ac tutiore relictâ, quomodo nos in rebus similibus, aut etiam minoris momenti, puta de jure positivo humano, quomodo, inquam, non poterimus sequi opinionem probabilem, tutiore relictâ? Hanc illationem acutè intulit Acacius de Velasco loco citato, sic arguendo. *Videmus*, inquit, *summos Pontifices in rebus nondum ab Ecclesiâ definitis sequi opiniones probabiles, & non semper probabiliores ac tutiores; nec tamen quisquam eos audet peccati condemnare. Ergo nec alii sceleris condemnandi sunt, qui similes opiniones probabiles sive in materiâ restitutionis, sive aliâ quâcumque sectantur.*

Dispensationes istæ Pontificum probant usum partis minùs tutæ esse licitum.

194. Quod autem ad ultimum exemplum attinet, ego aliter omninò discurrendum censeo. Nam sermo est de rationibus arguentibus ordinationem Episcopi ab uno tantùm Episcopo peractam esse invalidam. Vel ergo loquimur de istis rationibus, prout considerantur independenter à dispensatione, vel prout accipiuntur simul cum dispensatione à Pontifice obtentâ. Si sermo sit de rationibus respicientibus ordinationem hujusmodi absque Pontificis dispensatione confectam, fateor nullas esse nisi probabiles pro alterutrâ parte, & non gravatè admittam eas, quæ arguunt illam esse invalidam, & potiores esse, & probabiliores. At si loquamur de ordinatione cum dispensatione factâ, & consequenter de rationibus

Ordinatio Episcopi ab uno tantùm Episcopo cum dispensatione facta est certò valida.

in satis frequenti Pontificum dispensatione fundatis, omninò sentiendum est, eas non solùm prævalere oppositis, sed reddere validitatem talis ordinationis ad minimum moraliter certam; ita nimirum, ut non sit probabile ordinatum ex dispensatione obtentâ non esse verum Episcopum. Ratio est, quia peculiaris assistentia Spiritûs S. Vicario Christi promissa est, per quam inducitur in omnem veritatem; omnem, in quam, veritatem, quæ aut necessaria est, aut certè valdè utilis ad rectam Ecclesiæ gubernationem. Quocirca cum Pontifices post maturam deliberationem viderent necessitatem dispensandi pro Indiis, eò quòd Ecclesia illa, propter incommoda eò mittendi Episcopos consecratos, non posset commodè administrari, nisi daretur facultas consecrandi novum Episcopum absque trium Episcoporum præsentiâ; cumque re maturè consideratâ, opportunum judicarint dispensare, atque etiam actu dispensaverint, dubium non est, quin singulari assistentiâ Spiritûs sancti eos in omnem veritatem ducentis hanc dispensationem validè indulserint; alioquin Christus ita instituisset Ecclesiam, ut illa humano modo gubernari non posset; quia necesse foret, fideles neophitos illarum regionum longo tempore Episcopis carere &c.

Confirmatur exemplo Canonizationis.

195. Rem exemplo declaro. Ante canonizationem vel beatificationem sancti alicujus non est absolutè certum, sed solùm valdè probabile, virum illum in verâ sanctitate obiisse. At, accedente post maturam deliberationem Pontificis sententiâ, per ipsum beatificationis vel canonizationis actum viri sanctitas evadit certa & indubitata. Ita pariter contingit in casu nostro.

Pontifex aliquando moraliter certus est de validitate suæ dispensationis.

196. Et sanè, si omnia inspiciantur, Pontifex ipse tam ante hujusmodi dispensationem, quàm ante sancti canonizationem est moraliter certus de veritate & validitate operis, ad quod se accingit. Nam cùm ipse firmiter credat Spiritum sanctum in rectâ Ecclesiæ gubernatione sibi assistere, & paratum esse ad se in omnem veritatem inducendam, eo ipso quòd post maturam deliberationem talem dispensationem, aut canonizationem pro rectâ Ecclesiæ gubernatione, omnibus consideratis, necessariam, vel valdè utilem esse judicaverit, jam ad minimum moraliter certus est, se posse validè talem dispensationem indulgere. Conflatum enim ex officio Pastoris supremi, ex præsenti judicio prudenti de rei validitate, & de ejusdem necessitate, unà cum certitudine de peculiari S. Spiritûs assistentiâ, est indicium & argumentum veritatis moraliter certum. Jam certum est, Pontifices, quando, uti decet, maturam deliberationem præmittunt, non aliter quàm per tale conflatum dirigi ad ejusmodi deliberationes ac determinationes faciendas, per quod ipsi certificantur de valore talium determinationum; factum autem ipsorum fideles de operis validitate certificat. Ratio est, quia sine absolutâ earum validitate insufficienter provisum esset pro opportunâ & humanâ ratione benè gubernandi Ecclesiam.

nis, antequam dispensat.

Episcopus validè ordinatur ab uno Episcopo, etsi notitia licentiæ obtentæ ad eum non pervenerit.

197. Eodem modo discurro de validitate ordinationis Episcopi Paraquariensis, nam ille ordinatus fuit post dispensationem quidem à Pontifice verè obtentam, sed antequam facultatis cupitæ notitia ad ipsum pervenisset. In hoc casu, si loquamur consequenter ad Cardinalium declarationem, & multò magis consequenter ad Breve Alexandri VII. in quo dicta declaratio per litteras Apostolicas confirmata est, moraliter certum est, dictam ordinationem esse validam. Immò loquendo de ipso Pontifice, dico illum ante Brevis editionem habuisse motivum moraliter ipsum certificans de ejusdem ordinationis validitate. Quamvis enim, rationibus directè rem illam probantibus tantummodò inspectis, fortassè

nec-

nec Pontifex, nec quivis alius fuerit moraliter certus de dictæ ordinationis validitate, quia illa probabilibus solùm rationibus defendebatur, nihilominus ex judicio probabili de ejus validitate, unà cum interno judicio ac stimulo, quo Pontifex post maturam deliberationem se ad ejus validitatem declarandam coram Deo incitatum sensit &c. aderat conflatum illum certificans de dictæ ordinationis validitate, de quâ nos etiam per ipsam ejus declarationem moraliter certificamur. Nullatenus ergo audiendus est Brancatius *tom. 3. disp. 8. art. 4. num. 89.* ubi etsi dicat standum esse Pontificum decretis, subjungit tamen, *neque pro Episcopo haberem sic ordinatum.* Quomodo ergo stat Pontificis decreto? Sed quidquid senserit Brancatius, rationes allatæ eum pro Episcopo indubitanter habendum esse convincunt.

Brancatius non est audiendus.

198. Ultimum ergo illud exemplum, cum bonâ Caramuelis veniâ, non est solidum argumentum pro intento stabiliendo; quia ipsa Pontificum facta, sententiam, quam sequuti sunt, moraliter certam reddunt, si omnes omninò circumstantiæ perpendantur; ideóque oppositam in suâ probabilitate non relinquunt; quia, illa in suâ probabilitate relictâ, tota respublica Christiana turbaretur. Quis enim à tali Episcopo ordinari vellet? Nonne Episcopus ille sacerdotes ordinando evidentiùs peccaret, quàm si in dubiâ materiâ consecraret, quia majori periculo nullitatis rem summi momenti exponeret? Quis confessionem apud sacerdotem taliter ordinatum institueret? Quis Eucharistiam ab eo confectam in Sacramentum admitteret? Nonne vides totam rempublicam per talem probabilitatem, si illa daretur, fore turbandam? & cur? quia sicut invaliditas ordinationis fideles mediis ad salutem necessariis absolutè privaret, ita probabilitas de ejus invaliditate omnes meritò suspensos, perplexos, ac rationabiliter anxios redderet. At in prioribus exemplis facta Pontificum non tollunt probabilitatem à sententiâ oppositâ, nec ipsi ante dispensationem habent moralem certitudinem de materiali suæ dispensationis validitate, quia tali certitudine non indigent. Ratio est, quia sive eorum authoritas verè se extendat, vel non extendat ad validam dispensationem in hoc objecto materiali, nil interest Ecclesiæ, quia non agitur de necessitate medii; nam dummodo probabile sit, matrimonium ratum esse dispensabile, Pontifex juxta rerum exigentiam potest prudenter dispensare, ipsaque dispensatio Pontifici evadit licita, & quoad formalia omnia fit valida pro contractuum dissolutionibus. *Quoad formalia*, inquam, quia stante dispensatione, illi, quibuscum dispensatum est, prudenter credunt omne prioris voti aut contractûs ligamen esse solutum, idcóque prudenter se gerunt operando, ac si nullum tale ligamen præcessisset. Neque per hoc salus eorum ulli subest periculo, quia bona fides prudenter formata eos ab omni malitiâ, seu imputabilitate peccati excusat.

Facta Pontificū quādo nam reddant certam validitatem ejus, quod agunt.

199. Neque dicas tam Pontifices istos in dispensando, quàm alios eâ dispensatione utentes, semper secutos fuisse opinionem, quæ illis probabilior videbatur. Nam contra, quia si loquamur de probabilitate reflexâ, ultimò pronunciante de honestate operationis directè probabilis, quod dicitur, verissimum est, & est ipsissima nostra sententia; at si sermo fit de directâ tantùm probabilitate operis, quod dicitur, omni caret fundamento, & in totâ illâ rerum multitudine idipsum videtur incredibile. Non enim ad hanc comparationem attenderunt. Deinde Authores tradunt oppositum, ut patet ex Acacio jam citato. Rursus exemplum illud Clementis V. ex Sylvestro, & S. Antonino relatum, & illud potissimè Adriani VI. manifestè convincit oppositum.

Pontifices in dispensando non semper sequuntur partē probabiliorem.

200. Ad

Exempla aliqua ex sacra Scriptura.

200. Ad rem præsentem multùm facit illud Machabæorum exemplum, quod cum multis aliis ex veteri testamento desumptis Caramuel ponderat in Apologemate. Judæi tantâ religione sabbathum tunc temporis sanctificabant, ut occidi mallent, quàm eo die armis se defendere. Unde constat opinionem communem apud eos invaluisse, omnem conflictum die sabbathi esse illicitum. Lege *lib. 1. Mach. cap. 2.* Nihilominus cùm inimici eos die sabbati aggressi fuissent, pluresque interfecissent, quidam vir gravis novam & singularem sententiam in materiâ morum & fidei proposuit dicens, rationabile esse, quòd se defenderent etiam in die sabbati, quam sententiam alii amplexi sunt. Consonum enim rationi videbatur, tertium Decalogi præceptum non ita rigidè & ad litteram obligare, ut illi antea putabant. Talis autem interpretatio spectat ad materiam fidei & morum, ut patet. Neque tamen peccârunt, qui novam hanc interpretationem sequuti sunt; neque enim aut sacra Scriptura, aut ullus Sanctorum PP. eos hac de causâ reprehendunt; sed omnes potiùs apertè supponunt, eos laudabiliter fecisse. Ergo tutâ conscientiâ licet sequi opinionem virorum prudentium, etsi illa singularis sit & nova, atque quod plus est, inducatur contra antiquam & communem omnium persuasionem, modò illi afferant rationes prudentes & verè probabiles ad suam sententiam stabiliendam. Ita fermè Caramuel, qui citat *lib. 2. Mach. cap. 15.* Verùm resolutio hæc longè priùs facta est sub Mathathiâ, ut constat ex loco à me citato.

Item Machabæi pugnâtes die sabbati sequuti sunt opinionem benignam.

Probabilitas excusavit B. Virginem & S. Josephà peccato, quando amiserunt Christum.

201. Aliud exemplum ego desumo à Beatissimâ Virgine, ejusque Sponso S. Joseph, quos magna Christum servandi & alendi obligatio urgebat; hos tamen sola probabilitas à peccato excusavit, quando, ipsis Hierosolymâ redeuntibus, Puer Jesus remansit in Hierusalem; nam, ut habetur Lucæ 2. versu 44. *existimantes eum esse in comitatu venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos, & non invenientes regressi sunt &c.* Ecce integrum diem progressi sunt absque amatissimo Jesu; nec dubium quin sæpè de illo cogitaverint, cùm sine illo tamdiu esse non assueverant, maximè in tali itinere. Peto jam, quid eos excusavit, quo minùs illum citiùs quærerent? non aliud, quàm probabilitas, quòd esset in comitatu. Præsentia enim illius in comitatu certa illis esse non poterat, tum quia nil falsum potest esse certum; tum vel maximè, quia illi tantâ prudentiâ præditi erant, atque adeò à passionibus mentem excæcantibus erant liberi, ut objecto obscuro ultra ejus meritum non adhærerent, ergo cùm falsum esset Christum esse in comitatu, non certò & absque formidine crediderunt illum ibi esse. ergo solùm probabiliter & cum aliquâ oppositi formidine hoc existimarunt. Hæc probabilitas fundabat judicium bonâ fide prudenter conceptum, quòd eum quærere non obligarentur, atque ita eos excusabat. Eodem modo in aliis rebus par probabilitas omnes excusat.

Probabilitas excusat à peccato cultum latriæ creaturæ impensum.

202. Sed ad tempora Ecclesiæ accedamus. Quid magis ad mores, & ad severitatem legis naturalis pertinet, quàm cultum Deo debitum creaturæ non impendere. Et tamen sæpè ex opinione tantùm probabili cultum divinum Eucharistiæ impendere, Deumque ibi probabiliter tantùm latentem adorare licet; nulla enim est certitudo vera, sed tantùm probabilitas, quod hæc numero hostia sit legitimè consecrata. Inprimis non est certum consecrantem fuisse sacerdotem, tum quia non est certum, quòd fuerit baptizatus, tum quia non est certum, quòd validè ordinatus sit ab Episcopo vero, eoque habente intentionem requisitam &c. Secundò, certum non est, eum pronunciasse verba consecrationis. Tertiò, si ea ritè protulerit, fortasè non habuit debitam

 intentionem.

intentionem. Quartò, etsi hæc omnia ponantur adesse, non est certum materiam debitam fuisse adhibitam, quia panis potest esse non triticeus. Quintò, licèt omnia hæc ritè processissent, non est indubitatum, quòd æditutus, ad quem venerabilis Sacramenti custodia pertinet, hostiam verè consecratam, & non potiùs aliam non consecratam adorandam exposuerit. Hæc omnia generalia sunt, quibus addi debet malitia cordis humani, quæ in aliquibus nimium viget. Ex hisce enim capitibus fraudes plures hâc in re nimis frequenter ortas novimus, & meliùs norunt, qui in Tribunali sacræ inquisitionis judicia exercent. Nec tamen omnes casus, qui in hac materiâ contingunt, ad eorum aures perveniunt. Ecce solùm probabile est, quòd hæc hostia sit consecrata; semper tamen in Ecclesiâ omnes absoluto cultu adorant hostiam in templis expositam, aut inter missarum solemnia à sacerdote elevatam. *Nemo*, inquit Aug. *in Psal. 98.* circa medium, *carnem Christi manducat, nisi priùs adoraverit.* Et sanctus Thomas *in 3. dist. 9. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 6. ad 2.* hæc habet. *Qui adorat hostiam non consecratam, adorare eam oportet cum conditione si est consecrata; non tamen oportet, quod hæc conditio semper sit actu explicita, sed sufficit, quod habitu teneat illam. Unde non peccat adorans eam, quia non adorat puram creaturam, sed Christum secundùm intentionem suam.* Et *quodl. 5. art. 12.* dicit hostiam non consecratam non debere dari peccatori petenti communionem, *quia sacerdos, quantum in se est, fieret alteri idololatrandi occasio, qui quamvis peccatum idololatriæ non incurreret æstimans probabiliter hostiam esse consecratam; tamen sacerdos in hoc idololatriæ crimen incurreret.* Ecce cultus fundatus in probabilitate validæ consecrationis est absolutus, & communiter fideles non apponunt conditionem saltem explicitam, nec expedit eam apponere, nisi in casu magni & probabilis

Eucharistia communiter adoratur cultu absoluto.

dubii, an hostia sit consecrata nec ne. Itaque fideles primò credunt Christum esse sub illâ hostiâ, fide tamen humanâ, & probabili, non divinâ & certâ, & tunc procedunt ad cultum absolutum. Et quamvis non desit formido aliqua de honestate objectivâ, seu de dignitate objecti, an mereatur cultum latriæ nec ne, nullum tamen est dubium de honestate formali actûs adorationis, nam illa certa est, & fundatur in principio synderesis reflexo, ex quo & reflexione supra statum objecti in mente operantis formatur hic syllogismus. *Quando probabile est hostiam esse validè consecratam, & Christus absoluto & prudenti judicio creditur esse sub speciebus sensibilibus, licitum est & conveniens absoluto cultu hostiam adorare. At probabile est hostiam esse consecratam, & absoluto ac prudenti judicio credo Christum in illâ latere. Ergo licitum mihi est atque conveniens cultu absolutô hostiam adorare.* Porrò in omni casu practicæ probabilitatis talis syllogismus, aut alius illi æquivalens formari potest, qui operantem de honestate formali suæ operationis certificat. Quid autem dices? Hic modus adorandi Eucharistiam, incæpit ne nuper? Nonne ille Ecclesiæ coævus esse dignoscitur?

203. Jam verò si quæ sacra familia religiosa, celebris in Ecclesia Catholica inveniatur, ea inprimis est sacerrima PP. Prædicatorum Religio, in qua sanctitas & doctrina cum insigni animarum zelo mirâ claritate ab ipso nascentis Ordinis initio usque ad præsens floruerunt, & florent. Itaque inspiciamus, quis antiquissimæ & sacerrimæ hujus familiæ sensus fuerit circa usum opinionum. Constitutiones S. Dominici in glossâ Prologi ad litteram I. sic habent. *Declaramus quod tria sint præcipuè, quæ salutem animarum impediunt.* Omitto duo priora. *Tertium est austeritas in consiliis & opinionibus, terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut salutem propriam negligant, quapropter & relaxanda*

Constitutiones Dominicanorum laudant usum benignæ sententiæ, eamque à suis tenendam sudent.

relaxanda est quantum fieri potest rigiditas & austeritas in consiliis, ac homines benignè tractandi sunt. Mercorus ita citat hunc locum *in par. 3. suæ praxis limitatæ.* Quique hanc Glossam addidit, videtur fuisse Humbertus quintus hujus Ordinis Generalis, nam Joannes Nyder hanc illi sententiam adscribit, ut supra vidimus.

Dominicani complures fatentur se in benignè opinando velle sequi suas constitutiones.

204. Et sanè Dominicani præstantiores expresse profitentur, se in opinando sectari velle glossam hanc suarum constitutionum; Nam ideò eam Joannes Nyder posuit ut regulam pro formandâ conscientiâ; & Barnabas Gallego *in resolut. moral. circa tractatum conscientiæ*, uti refert Amadæus Guimenius, expressè profitetur se sequi, quod in glossâ Prologi suarum constitutionum adnotatum est, nempè opiniones benigniores, atque ita concludit. *Iudicanda ergo est benigna opinio illa, quæ conscientiam solvit, quàm quæ illam ligat.* Hos imitati sunt innumerabiles sacri Ordinis Authores, qui reipsâ & exercitè fecerunt, quod Nyder & Gallegus signatè & explicitè profitentur se facere velle, ac aliquo modo debere.

Benigna sententia semper in Ecclesiâ floruit.

205. Hinc sic arguo. Opinionem tutiorem in omnibus sequi; probabilitate non esse contentum, sed certitudinem directam de honestate objectivâ operis pro conscientiæ regulâ exigere; denique probabilitatem quidem directam, sed non nisi majorem pro formandâ conscientiâ admittere, est summa austeritas in consiliis & opinionibus. Austeritatem hanc ab exordio celeberrimi Ordinis Dominicanorum non fuisse approbatam, sed à doctissimâ, sanctissimâ, ac zelantissimâ totius Ecclesiæ familiâ rejectam, ut salutis animarum grande impedimentum certissimè constat. Ergo jam tum laudabilis probabilium, & minùs tutarum opinionum usus in Ecclesiâ vigebat; & congruum erat animas pœnitentium, pro rei opportunitate, per talium opinionum effata dirigere. Ergo idem usus antea in Ecclesiâ viguit; nam S. Dominicus, & sacra ejus Familia è Patrum collationibus, & communi Antiquorum usu atque doctrinâ suas sanctiones elaborârunt.

ASSERTIO TERTIA.

Assertio tertia.

Sententia benigna ab extrinseco seu authenticè quoad nos est multò probabilior rigidâ.

Benigna sententia est multò probabilior opposità, saltem extrinsecè.

206. DEmonstratur. Illa opinio est probabilior ab extrinseco, pro quâ stant Authores & numero longè plures, & doctrinâ præstantiores, & pietatis famâ celebriores, quàm pro oppositâ; maximè quando plures illi sunt omnes indubitati dictæ doctrinæ patroni, eamque à fundamentis examinarunt; quique certò pro oppositâ stant pauci sunt, illique aut non tantâ, aut certò non majori doctrinæ & pietatis laude conspicui; sed qui tradunt benignam sententiam, eamque à fundamentis examinârunt, sunt numero plurimi, iique doctrinæ ac probitatis laude celeberrimi. Qui verò stant pro rigidâ paucissimi sunt, illique non majoris probitatis ac doctrinæ laude conspicui, quàm Authores qui certò stant pro opinione benigna; an autem tantæ sint, judicent alii. Ergo opinio benigna ab extrinseco quoad nos est longè probabilior rigidâ.

Major probabilitas opinionis quomodo cognoscatur?

207. Major & evidens est ex terminis, & probatur; quia illa opinio est quoad nos probabilior extrinsecè, quæ authoritate quoad nos majore fulcitur, ut constat ex definitione majoris probabilitatis. At authoritas in majori proposita, quæ fulcit opinionem aliquam, cui Authores plures dictis encomiis ornati stipulantur, major est quoad nos, quàm authoritas pro alterâ parte expressa. ergo major est evidenter vera. In cujus confirmationem facit, quod traditur *in Codice Theodosiano tit. de responsis*, ubi hæc habentur. *Vbi diversæ sententiæ proferuntur,*

potiùs vincit numerus Doctorum; vel si numerus æqualis sit, ejus partis præcedat authoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus eminet, qui ut singulos vicit, ita cedit duobus. Hoc ipsum traditur *distinct. 19. cap. in canonicis.* ergo utrumque jus supponit majorem esse veram, ac lumine naturæ notam. Minor etiam evidens est ex hactenus dictis in duabus assertionibus præcedentibus, idque non solùm quoad hoc ultimum sæculum, sed etiam quoad tempora priora, & universalem Ecclesiæ praxim ab ejus exordio usque ad præsens. conclusio autem sequitur in formâ.

Assertio 4.

ASSERTIO QUARTA.

Benigna sententia præsumenda est intrinsecè probabilior oppositâ.

Benigna sententia ab omnibus, qui rationes utriusque partis non examinârunt, præsumenda est esse intrinsecè probabilior, quàm opinio rigida.

208. Demonstratur à posteriori hoc modo. Major probabilitas intrinseca, seu rationalis, consistit in majori vi, seu præponderantiâ rationum uni quàm alteri contradictionis parti faventium. Jam hæc præponderantia aliundè nobis non innotescit, quàm ex effectu, scilicet ex assensu prudentium, quem causat; præponderantia enim in effectu primario & unico arguit majorem vim, seu præponderantiam virtutis in causâ. At hic evidenter datur incredibilis præponderantia in effectu primario & unico, scilicet in assensu, quem motiva benignæ sententiæ faventia causant in animis prudentum; cùm multò plures, iique doctrinæ famâ clariores ex illorum consideratione in benignam sententiam consenserint, quàm in oppositam. Ergo motiva & rationes benignæ sententiæ faventes multùm præponderant, saltem quoad eos qui rationes illas non expendunt, motivis sententiæ rigidæ. Ergo sententia benigna præsumenda est esse intrinsecè probabilior oppositâ, maximè ab iis, qui rationes utriusque partis non examinârunt.

Majoritas effectûs arguit majorem vim in causâ.

209. Declaratur hæc ratio exemplis manifestis. Dulcedo seu gratia saporis consistit in aptitudine ad delectandum palatum non malè affectum; sicut etiam suavitas harmoniæ in aptitudine ad delectandum auditum benè constitutum. Ergo major harmoniæ suavitas, & major saporis gratia consistit in vi magis delectandi auditum, & palatum æquè benè constitutum. At unde dignosci potest hæc majoritas? certè non aliundè quàm ex multitudine effectuum.. Si enim unus sapor pluribus palatis, & unus concentus pluribus longè auribus æquè aut magis saporis ac musicæ capacibus gratior accidat, quàm alius, ille sapor dulcior, & ille concentus suavior est quæ pluribus, quàm quæ tot palatis, totque auribus non tam gratè accidunt. At hic est casus noster, nam evidens est, Authores, qui pro benignâ stant sententiâ, & numero plures esse, & non esse minùs doctos, minúsque probos, & communiter haberi longè doctiores illis, qui certò tradunt opinionem rigidam. Hoc autem est aurem intellectûs meliùs temperatam, & palatum cordis non minùs benè dispositum habere. ergo sententia nostra præsumenda est esse intrinsecè probabilior rigidâ.

Unde innotescat, quis cibus dulcior, quæ musica suavior?

Assertio 5.

ASSERTIO QUINTA.

Benigna sententia autoritate inspectâ est moraliter certa.

Authoritate inspectâ, benigna sententia non solùm est multò probabilior oppositâ, sed simpliciter loquendo est humano modo moraliter certa.

210. Demonstratur. In omni tribunali quoties pro unâ parte sunt decem aut plures testes omni exceptione majores, contra unum pro parte oppositâ, cumque non majoris sed potiùs minoris existimationis, quàm quivis priorum, toties quod

Probatur à paritate judicii in foro externo.

quod à decem illis affirmatur, habet plenam probationem, & est humano modo moraliter certum, præbetque regulam judicandi moraliter certam. At hic est casus noster. Evidens enim est ex dictis, quòd ad minimum decem stant pro nostrâ sententiâ contra unum pro oppositâ; illique non minoris, sed potiùs majoris doctrinæ ac probitatis laude conspicui sunt, quàm isti. Quæritur jam, quæ pars præsumenda sit verum dicere? Respondetur, quòd, si authoritas tantùm spectetur, præsumendum sit, plures hosce omni exceptione majores verum dicere præ illis paucioribus; & qui aliter ferret sententiam, aut imprudenter, aut certè multò minùs prudenter judicaret. At hic excessus probabilitatis fundat moralem certitudinem humano modo loquendo, quia fundat tam firmam persuasionem de veritate rei, ut in rebus humanis eâ contenti esse soleamus, uti contingere solet, quando authoritas testium pro unâ parte longè excedit authoritatem testium pro parte opposita. Prætereа Antiqui, nempè Caietanus, Gabriel, Angelus, S. Antoninus, Nyder, Gerson, aliique expresſè docent, majorem probabilitatem esse certitudinem moralem. At opinio benigna certò est multò probabilior rigidâ, ergo humano modo est moraliter certa. Et hæc quidem imperfecta & humana certitudo directa, si reflexè consideretur, perfectissimè certificat operantem de honestate suæ operationis. Evidens enim est, quòd qui advertenter conformat se authoritati gravissimæ, quæ omnem authoritatem in oppositum longè superat, prudenter operetur. Ergo reflexè certus est, se eam sectando benè & laudabiliter operari. Jam qui sequitur opinionem directè minùs probabilem tutiore ac probabiliore relictâ, conformat se hujusmodi authoritati. Quòd si noverit hunc excessum authoritatis, quam sequitur, jam reflexè & advertenter se illi conformat, ergo moraliter certus est de honestate suæ operationis.

211. Et sanè Adversarii quoad præsentem quæstionem in alio graviùs non peccant, quàm quòd non advertant ad securitatem moralem, in reflexâ opinionum consideratione fundatam. Conjiciant ergo oculos in possessorem non reddentem rem, quæ probabiliter ad alium pertinet. ille non est directè certus, se non commissurum furtum materiale, contrectando rem verè alienam invito domino, quia oppositum est valdè probabile; reflexè tamen certò novit se non peccare rem retinendo sibi, quia probabile est rem illam ad se pertinere. Idem proportionaliter valet de omni opinione probabili, quia omnis probabilitas directâ de honestate operis fundat certitudinem reflexam de honestate formali operationis, ut fusè dicetur *quæst. seq.* Adversarii non distinguunt certitudinem directam à reflexa.

212. Quod si ulteriùs addatur, sententiam benignam omni ævo in Ecclesiâ viguisse, eamque à sacrorum Ordinum constitutionibus ut saluti animarum apprimè utilem propositam fuisse, à summis etiam, sanctissimisque ac prudentissimis Pontificibus in praxi usitatam, à mysticis Theologis & vitæ spiritualis directoribus commendatam, tamquam necessariam illi, qui ad obedientiæ perfectionem vult pervenire, simulque consideretur, quod nil simile afferri possit pro sententiâ rigidâ, de cujus laude & veritate nullum in antiquitate argumentum existit, tanta est authoritas pro benignâ sententiâ, ut illa, etiam directè sumpta, sit humano modo moraliter certa, nec propter paucissimorum oppositionem nuper enatam a tali gradu certitudinis directæ deturbari aut debeat, aut possit. Quod maximè ex eo confirmatur, quòd pauci isti sententiam benignam in alieno tantum & non in proprio, & ab Authoribus intento sensu impugnârint. Jam his omnibus ritè inspectis, si sola authoritas inspiciatur, imprudens Confirmatur assertio.

prudens est, qui propter paucissimorum, taliter errantium in statu quæstionis, dissensam eam in dubium revocat. At humano modo certum est illud, de cujus veritate non nisi imprudenter dubitatur. Ergo authoritate præcisè inspectâ benigna sententia etiam directè sumpta est humano modo moraliter certa.

Solvuntur objectiones contra assertiones & rationes positas.

Prima objectio. 213. OBjicies 1. ex Mercoro. Omnes casuum scriptores sæculorum antecedentium asseruerunt, usum opinionis minùs probabilis minúsque tutæ in concursu probabilioris ac tutioris esse illicitum. At illi fuêre plurimi. Nam Joannes Tabiena *in proæmio suæ summæ* ait innumeros pænè, eosque diffusos extitisse libros in materiâ morali: Et Antonius Possevinus *in suo apparatu sacro lib. 3. cap. 22.* plusquam sexaginta ex antiquis enumerat, qui summas conscientiæ ediderunt. Ergo plures Authores stant pro sententiâ rigidâ, quàm pro benignâ. Majorem non probat aut allegando textus, aut citando loca, in quibus hoc tradunt, sed quod mirêre, conatur id probare per rationem, quasi diceret: debuerunt ita sentire. ergo ita senserunt. Argumentatur autem hoc modo. Resolutio hujus quæstionis est res magni momenti. Ergo decisa fuit ab Apostolis, qui similia dubia exorientia decidebant; obibant enim, & prædicabant fidelibus juxta verbum Christi, *Matt. 28. docentes eos servare omnia quacumque mandavi vobis.* Itaque dubia, quæ in materiâ conscientiæ oriebantur, ad illos deferebantur, & ab eisdem determinabantur. Præsens autem dubium est ex obviis, & quotidie occurrentibus. ergo non potuit ab Apostolis non determinari. ergo illi determinârunt alterutram partem, scilicet vel usum partis tutioris pro conscientuæ sceu-

In prioribus sæculis plurimi erant casuum collectores.

ritate esse necessarium, vel partem minùs tutam minúsque probabilem pro conscientiâ ritè formandâ sufficere. At non docuerunt hoc secundum, quia S. Thomas, Scotus, S. Antoninus, Gerson, Joannes Major, Adrianus, & alii ultimis 4. sæculis docuerunt oppositum, quod non fecissent, si benigna sententia ab Apôstolis tradita, ad eorum usque tempora in Ecclesiâ usum obtinuisset. Nam erant viri prudentes & pii, qui Deum timebant & Sanctos reverebantur. Præterea si eorum doctrina nova fuisset, cùm illa in se minùs plausibilis esset oppositâ, & ex alia parte contrariaretur Apostolicæ traditioni, quam in Ecclesia radicatam fuisse supponimus, mille adversarii contra eam insurrexissent, eamque condemnassent. At evidens est hoc factum non fuisse. ex quibus Mercorus *part. 2. art. 26.* eum hoc epiphonemate concludit. *Supponendum est ergo doctrinam ipsorum fuisse & esse conformem traditioni Ecclesiæ & Apostolorum; Magistrosque casuum conscientiæ sæculorum præcedentium absque controversiâ ita communiter sensisse.* Ita Mercorus, qui opinionem suam & fuisse & esse traditionem Apostolicam dictâ ratione se sufficienter probasse existimat.

214. Resp. argumentum hoc ubique infirmum esse. Inprimis major propositio argumenti continet quæstionem facti, quid scilicet Authores senserint de præsenti quæstione. Quæstio autem facti unicè probanda est vel testimonio eorum, qui opera antiquorum legerunt, vel adductis & citatis locis, vel certè authoritatibus ex ipso fonte de verbo ad verbum recitatis. At hoc nec præstitit, nec præstare potest Mercorus. Quid enim refert plurimos olim summas casuum scripsisse? Anne ideò tractarunt quæstionem præsentem? aut si illam tractarunt, ideone rigidam potiùs quàm benignam tradidisse censendi sunt? Nequaquam. nemo ejus in propriis terminis meminit. Multi

Responsio.

Res facti quomodo sit probanda?

qui

qui de illâ loqui videntur, non agunt de illa in sensu præsenti, qui solùm procedit, ex suppositione, quòd liceat sequi opinionem minùs tutam sed æquè probabilem, aut probabiliorem oppositâ tutiore, quo supposito, quærimus an idem liceat, quando opinio minùs tuta directè loquendo est etiam minùs probabilis, quæ quæstio reflexis tantùm argumentis determinari potest. Certum autem est, neminem antiquorum explicitè instituisse hanc quæstionem, illamque argumentis reflexis discussisse. Non pauci solùm loquuntur pro casu conscientiæ dubiæ, solùmque docent sectantem minùs tuta non excusari, si dubio non deposito ad opus se extendat. Quidam loquuntur de opinione temeraria & improbabili, ut de sectatoribus Arii, & aliorum hæreticorum contra expressam sacræ Scripturæ, & Ecclesiæ authoritatem, dicuntque discipulos, talium magistrorum sententias sectantes, à peccato non excusari, quæ omnia in nullo nobis adversantur.

Antiqui postulant pro securitate conscientiæ, ut operans sectetur partem, omnibus inspectis, probabiliorem.

215. Sunt etiam plures ex antiquis, qui expressè dicunt, mentem operantis debere magis inclinari ad honestatem quàm ad inhonestatem suæ operationis, ut excusetur à peccato. Alii exigunt ut feratur in eam tamquam in partem probabiliorem, alii alia istis similia postulant, quæ omnia & singula eò solùm collimant, ut operans non maneat dubius, sed absolutè bonâ fide credat opus suum esse honestum; eo ipso enim quod hoc faciat, magis inclinatur ad credendum quod opus sit honestum, quàm inhonestum, & fertur in honestatem operis tamquam in partem probabiliorem, quia suum cuique opinatum probabilius est opposito. At hæc omnia à nobis etiam exiguntur: nam nisi sequens opinionem directè minùs probabilem, vel ex rationibus reflexis, vel certè in actu secundo ex vi rationum directarum absolutè, bonâ fide, judicioque prudenti credat operationem suam esse licitam, ideóque magis propendeat ad honestatem quàm ad inhonestatem illius, feraturque in illam ut in partem probabiliorem, non excusatur, sed peccat. Præterea ex antiquis non desunt, qui expresè dicunt, operantem sectando minùs tuta non excusari, si honestas operis illi appareat minùs probabilis ejusdem inhonestate, unde ansam videntur aliqui arripuisse putandi antiquos à nobis discrepare. Verùm non ideò vel minimum à nobis dissentiunt, nam & nos idem requirimus; illi enim loquuntur de ultima apparentia, quam operans habet, antequam se operi accingat. Illa autem etiam per nos debet esse probabilior operanti de honestate quàm de inhonestate suæ operationis. Id autem quod nos in hac materia docemus est, quod opinio directè minùs probabilis, ex vi authoritatum & rationum reflexarum evadat absolutè probabilior oppositâ, quodque ideò operans excusetur, à peccato, si sectetur partem minùs tutam, quia omnibus inspectis fertur in honestatem suæ operationis tamquam in partem probabiliorem ejusdem inhonestate. Antiqui autem contra hoc nil per umbram locuti sunt.

Antiqui tamen in hoc cum modernis conveniunt.

216. Sed ut Mercorus, omnesque alii videant, an antiqui casistæ contra benignam sententiam senserint, provoco ut ostendatur vel unus, qui dicat nemini licere sequi ullam ex opinionibus, quas ille suâ in summâ coacervat, nisi tutiorem teneat. Si hoc ostenderint, fatebor sic loquentem contra nos sentire; si autem neminem sic loquentem invenerint, (certum autem est, quod neminem ita pronunciantem invenient) desinant jactare summistas antiquos esse contra nos; quomodo enim sunt contra nos, cùm supponant opiniones probabiles etiam minùs tutas, quas pro regulanda conscientia proponunt, sufficere ut qui eas in eorum verbo bonâ fide sectatur, à peccato immunis sit. Jam peto duo; primum, utrùm Casistæ antiqui non putaverint homines excusari,

Casistæ omnes antiqui tenuerunt benignam sententiam.

excusari, qui bonâ fide sectarentur resolutiones practicas, quas illi in suis summis coacervarunt? secundum, utrum singuli non proposuerint innumeras opiniones minùs tutas, ut eligibiles, etsi oppositæ tutiores essent etiam ipsæ probabiles, & à multis etiam probabiliores reputarentur? Primum negari non potest, nam alioquin apertè peccassent, idque gravissimè, etiam in suâ conscientiâ, edendo tales summas, quia per illas aliis ansam dedissent sectandi opiniones in eis contentas, cùm casuum editio alium finem non habeat, quàm directio hominum ad operandum. Ergo si non putassent sic operantes excusari, ipsi se in peccatum, & in damnationem præcipites apertis oculis dedissent, quia scandalo & ruinæ manifestæ proximos exposuissent. At certum est, Casistas antiquos non ita existimasse, nec ita se gessisse. ergo existimarunt tutos esse homines, qui bonâ fide eorum resolutiones in praxim reducerent. Secundum qui negat, aut malitiosus est & mentitur, aut affectatè & supinè ignorans, cùm certum sit & omnium oculis obvium, antiquorum, non minùs quàm modernorum, summas resolutionibus minùs tutis solumque probabilibus contra oppositas tutiores, etiam probabiles, plenas esse. Ergo antiqui omnes, nemine dempto, crediderunt hominem tutum esse in conscientia, si bonâ fide sectaretur opinionem probabilem etiam minùs tutam, non obstante probabilitate partis oppositæ tutioris. At nos aliud non docemus; solùm enim dicimus, opiniones eas, quæ sunt apud summistas antiquos & modernos, non tamen omnes, sed eas tantum, quæ nunc etiam sunt certò probabiles, sufficienter eos excusare, qui bonâ fide juxta illas operantur. At antiqui indubitanter hoc senserunt. Certum proinde est, nos per omnia cum antiquis convenire.

217 Sed ad argumentum Mercori veniamus. Quæstio hæc, inquit, est magni momenti & obvia. Ergo delata fuit ad Apostolos & ab iis decisa. *Argumentum Mercori* [...] *orietpi durat.*

Resp. non esse credibile, quæstionem hanc reflexam & universalem delatam fuisse ad Apostolos, illa enim obvia non est, nec quisquam, præter Doctores in scholis, de eâ cogitat. Dubia quidem singularia de honestate directâ hujus & illius rei ad Apostolos deferebantur, & ab illis decidebantur. Secus de quæstionibus istis & subtilitatibus universalibus & reflexis dicendum est. Sed esto: quæstio præsens reflexa supponatur fuisse delata ad Apostolos, & ab iis resoluta. quid inde? *Quæstio præsens ad Apostolos delata non fuit.*

Decisio Apostolorum, inquit Mercorus, non favebat benignæ sententiæ; quia S. Thomas, Scotus, S. Antoninus, Gerson, Major & Adrianus quatuor elapsis sæculis docuerunt oppositum, quòd non fecissent, si oppositum ab Apostolis definitum fuisset, & usque ad eorum tempora in fidelium opinione perseverasset, quia erant viri probi, qui timebant Deum, & Sanctos reverebantur. Præterea si contra traditionem Apostolicam novam opinionem induxissent, innumeri contra eos insurrexissent, qui de victoriâ certi eos impugnassent. At hoc non contigit. ergo illi sectati sunt opinionem communem, quæ tunc vigebat in Ecclesiâ, & quæ ab Apostolis per continuam traditionem ad ea usque tempora perseverabat. At hæc opposita erat nostræ sententiæ; quæ proinde falsa est, traditionique Apostolicæ repugnat.

Resp. Authores illos omnes & singulos in nullo contrariari communi sententiæ, sed omnes aut expressè illam tradere, aut apertè eam supponere, ut notoriè veram. Quod dico evidens est ex dictis, si S. Thomam dempseris, de quo infra in peculiari quæstione idipsum demonstrabitur.

218. Cæterùm argumentum hoc verè miserum est, quia patitur instantiam ab ipso *Argumentũ Mercori evidẽter retorquetur.*

arguente

arguente solvendam. Nam juxta Mercorum hæc propositio, *non licet sequi opinionem minùs probabilem minúsque tutam*, instar traditionis Apostolicæ universaliter recepta erat ab Ecclesiâ, in quâ omnes Authores unanimiter conveniebant. Hoc posito sic arguo. Authores hujus sæculi fuerunt viri pii, qui Deum timebant & Sanctos reverebantur, fuerunt etiam sapientes valdè; qui optimè norant quid Ecclesia in numero traditionum Apostolicarum retineret. Quomodo ergo fieri potuit, ut omnes unanimiter per integrum sæculum ante hos ultimos 30. annos traditionem talem, tamque manifestam, nemine reclamante, impugnarent? Quomodo nullus in eos insurrexit, eùm, citatâ Apostolicâ traditione contrariâ, certus fuisset de victoriâ? Certè si Mercoro à 5. vel 6. Authoribus, (quos, sed falsò, dicit nemine reclamante tenuisse sententiam rigidam) liceat arguere, quòd hoc non fecissent, si opposita doctrina ab Apostolis ad eorum usque tempora perseverasset, atque ita inferre rigidam sententiam esse traditionem Apostolicam, quomodo mihi eodem modo à plusquam 150. Authoribus, qui hoc sæculo, nemine reclamante, sed omnibus unanimiter approbantibus tradiderunt benignam sententiam, non licebit arguere, quod hoc non fecissent, si opposita doctrina ab Apostolis usque ad eorum tempora universaliter in Ecclesiâ perseverasset, & instar traditionis Apostolicæ habita fuisset. Unde iterum inferre licebit. Ergo Apostoli deciderunt quæstionem præsentem in favorem sententiæ benignæ, quæ sola, & non rigida ab Apostolorum tempore ad nos usque semper perseveravit. Ergo benigna sententia ad traditionem Apostolicam aliquo modo pertinere videtur.

Sententia benigna, etsi semper viguerit,

219. Nec tamen adeò mihi gratulor, aut adeò benignæ sententiæ blandior, ut quasi plausu triumphali asseram illam esse traditionem Apostolicam. Scio enim inter Apostolicas traditiones nullam ejusmodi propositionem contineri; & quæstio præsens ad jus naturale pertinet, quæ proinde eundem ab orbe condito locum habuit, quem nunc obtinet. Si ergo Apostoli de eâ umquam sententiam suam dixerint, utique responderunt, quod semper à Doctoribus Ecclesiæ traditum est, & à nobis quoque affirmatur; scilicet melius esse, & majoris perfectionis per se loquendo sectari partem tutiorem, sed id numquam ad præceptum pertinere, quando verè probabile est partem minùs tutam esse licitam, quamvis pars tutior ipsa etiam sit probabilis, modò operans, ex vi rationum directarum, vel reflexarum dubium deponat, & absoluto judicio, eoque prudenti absolutè existimet operationem suam esse licitam, atque animo paratus sit ad eam omittendam, si aut sciret, aut crederet, vel dubitaret opus illud esse prohibitum; qui enim cum hac dispositione operatur non peccat; quia sectatur judicium prudens, quo magis propendet in honestatem, quàm in inhonestatem suæ operationis, quoque fertur in honestatem non solùm ut in partem probabiliorem, sed etiam se figit in illâ, ut in re unicè verâ, & prudenter respuit oppositum, illudque contemnit ut falsum. Immò quod plus est, responderunt Apostoli, hoc semper ad consilium non spectare; sed obediendum esse superiori suadenti, & sine præcepto ordinanti, & consulenti, etsi proponat quod subdito minùs probabile minúsque tutum videtur. Tunc enim, etsi non sit præceptum, consilium tamen est, ut obedias in omnibus, quæ post diligens examen inveniuntur apertè non repugnare legi divinæ; atque ita subditus suum judicium per humilitatem & obedientiam Deo sacrificabit. Scriptum enim est. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Et Christus Dominus, etiam de Scribis & Pharisæis mirabilem illam sententiam ad nostram

non est tamen traditio Apostolica.

Apostoli, si de quæstione præsenti interrogati sint, eodem modo respondeunt, quo nos.

nostram institutionem pronunciavit. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi; quodcumque ergo dixerint vobis servate & facite &c.* Hoc tradiderunt Apostoli; hoc Ecclesia semper retinuit. Hac doctrinâ summi Pontifices in rebus gravissimis, virique sanctique in obedientiæ praxi usi sunt. Hanc omnes Magistri vitæ spiritualis ut necessariam ad obedientiæ perfectionem proposuerunt; hanc constitutiones Dominicanorum ut animarum saluti perutilem deprædicant. hanc omnes omninò Doctores, qui de eâ scripserunt, unanimiter tenuerunt, præter pauculos valdè, qui post ortum Jansenismi nuper scripserunt.

Objectio secunda.

220. Objicies 2. Conformitas eorum, qui stant pro sententiâ rigidâ, multùm auget ejusdem probabilitatem. E contra discrepantia eorum, qui benignæ sententiæ favent, ejus probabilitatem multùm imminuit, cùm arguat nil stabile esse & fixum, in quo mens judicium figat. Inprimis, quidam eorum docent, solùm licitum esse sequi opinionem probabilem, quando ejus probabilitas certa est, uti Bresserus & Merula; secundò, alii volunt, ut licitum sit sequi minimam probabilitatem, quando aliter grave damnum vitari non potest. Ita Salas & Valentia; 3. alii tradunt usum opinionis minùs probabilis locum habere in foro conscientiæ, non in foro judiciali. ita Sanchez & Layman; 4. alii volunt, ut antequam quis licitè sequatur opinionem minùs probabilem, debeat diligentiam adhibere, an certificari possit de probabiliore. Ita Baldellus; 5. alii non admittunt usum opinionis minùs probabilis in materiâ Sacramentorum, ut Vasquez, Suarez, Filliucius. 6. alii casus ad materiam fidei spectantes ab hac regulâ excipiunt, ut Bannez & Bardi. Oppositum tenet Spinula. 7. alii nolunt suam sententiam habere locum, quando agitur de interesse proximi in materiâ justitiæ commutativæ. ut Val. & Bardi. 8. alii probabiliorem de consilio sequendam esse tradunt, ut Sanchez; alii ut Joannes Sancius & Caramuel nec de consilio nec de præcepto id esse contendunt. 9. Pasqualigus tenet, minimam probabilitatem ex præcepto sequendam esse ad vitandam infamiam, aut quodvis grave damnum, quod tamen Sanchez & Villalobos negant. 10. Sanchez tenet regulam de sequendâ opinione minùs probabili esse tantùm probabilem, Pasqualigus verò asserit eam esse certissimam. Hæc opinionum discordia circa principale quæsitum multùm imminuit probabilitatem authoritatis faventis benignæ sententiæ. Ita fermè Mercorus *parte 2. art. 27.* & ex eo Fagnanus *in cap. ne innitaris.*

Fautores benignæ sententiæ videntur discrepare.

Responsio.

Resp. hoc Mercori argumentum esse instar illius, quò quis contenderet Thomistas, Scotistas, aliosque non convenire circa quæstionem, *an detur materia prima*, eò quòd Thomistæ eam asserant existere per existentiam formæ, quod Scotistæ negant. E contra Scotistæ illi affingunt formam corporeitatis coævam, quam Thomistæ inficiantur. Alii demum contendunt existentiam materiæ esse solùm probabilem, alii evidentem. Quid diceret Mercorus, si aliquem ita arguentem audiret? Subrideret, ni fallor, & diceret, has esse quæstiones diversissimas, in quibus Authores discrepant, cùm tamen certum sit, eos unanimiter convenire in quæstione principali, *quòd detur materia prima.* Convertat ergo oculos ad argumentum suum, & consideret quæ dicuntur in 8. 9. & 10. instantiâ, quibus annumerari potest prima, & evidenter videbit, eas esse quæstiones diversissimas, & inter se non magis connexas, quàm quas attuli in exemplo de materiâ primâ. Immò sub eisdem fermè terminis quæritur, an usus partis minùs probabilis, supposito quod ejus usus sit licitus, sit evidenter an probabiliter verus? an sit usus aliquando inducens obligationem conformandi se illi, an verò

Authores nostræ sententiæ nullo modo discrepant quoad substantiam quæstionis, sed solùm quoad circumstantias adjacentes.

an verò semper sit quædam permissio absque ulla obligatione? utrum usus ejus omitti debeat ex consilio, nec ne? quæ omnes sunt quæstiones adjectæ quæsito principali, & ab eo diversissimæ. Similiter reliquæ instantiæ, nullâ demptâ, procedunt aut de probabilitate tantùm speculativâ, ut in judice & materiâ Sacramentorum, aut certè de circumstantiis annexis, non de substantiâ quæsiti principalis, in qua omnes omninò conveniunt, licèt nonnulli in circumstantiis ad eam pertinentibus aliquando discrepent. Stat ergo authoritatem nostræ sententiæ faventem esse incomparabiliter majorem eâ, quæ favet sententiæ rigidæ.

Authores sententiæ rigidæ, etsi numero paucissimi, discrepent quoad substantiam quæsiti principalis.

221. Demum argumentum hoc evidenter retorquetur contra Mereorum, hoc modo. Pauci illi qui stant pro sententia rigida non quoad circumstantias principali quæsito annexas, sed quoad ipsam substantiam rei quæsitæ ab invicem discrepant. Nam Comitolus & Philalethus expresè aiunt minùs tuta esse licitè eligibilia, quoties operanti sunt probabiliora parte tutiore. Mereorus, Fagnanus, Wendrockius, & Baronius nulla probabilitate nequidem majori contenti sunt, sed certitudinem directam pro conscientia formanda postulant. Et hi quidem ideò minorem probabilitatem excludunt, quia majorem etiam insufficientem agnoscunt; quòd si majorem probabilitatem directam sufficere crederent, eandem prærogativam minori probabilitati non negarent, quia fundantur in ratione, quæ æquè omni probabilitati repugnat. Mereorus ex una parte pro regulanda conscientia certitudinem postulat, ex altera verò parte in casibus particularibus admittit rationes ut sufficienter tranquillantes animum, quæ revera non sunt nisi probabiles, & quidem sæpè non probabiliores oppositis, quod est unâ manu destruere, quod alterâ ædificas. Præterea nemo impugnat sententiam nostram in sensu, in quo à nobis asseritur, immò nemo eorum est, qui reipsâ illi non subscribat, ut fusè ostensum est. Substantialis hæc tam paucorum inter se varietas & à seipsis dissensio in re tam gravi magnopere imminuit, nisi etiam penitus evacuat eorum in hac particulari assertione authoritatem. Ecce rationes Mereori nos non urgent, sed efficaciter militant contra ipsum.

222. Objicies 3. ex Wendrockio *in dissertat. de probabilitate sect. 6.* Authoritas extrinseca mensuranda non est à multitudine, sed à gravitate Authorum. At Authores rigidæ sententiæ faventes sunt longè graviores, quàm qui nostram defendunt opinionem; quia potissimi Casuistæ, puta Caramuel, Escobar, Mascarenha, Baunius, Joannes Sancius, & Thomas Sanchez id solùm studio suo consecuti sunt, ut nativum in se rationis lumen extinxerint. Certè Casuistæ isti in tot horrenda opinionum portenta inciderunt, in quibus manifesta rationis depravatio apparet, ut in aliis minùs manifestis corrupti judicii censendi sint. Inde ergo eorum authoritas vilescit. Porrò opinio, quam Wendrockius maximè nocivam reputat, est præsens assertio, quod usus opinionis directè minùs probabilis minusque tutæ sit licitus. Tandem *parag. 2.* sic concludit. *Quamobrem si contentio facienda esset, & alterutrius judicio standum in aliquâ morali quæstione vel hominis indocti, at cordati, vel Dianæ cujusdam, aut Escobarii, sexcenties malim indocti illius sententiæ acquiescere, quàm istorum retorridorum Casuistarum. Pii verò & eruditi cujusdam Parochi, quales vulgò sunt Parisienses, authoritatem ne cum illis quidem velim contendere &c.* & paulò post. *Pro decem Casuistis producant si velint decem millia. At ego hominibus illis nullam in Ecclesiâ authoritatem habentibus oppono omnem bonorum cætum aliter viventem &c.* Ecce quàm parva est authoritas benignæ sententiæ, si Wendrockio credimus.

Objectio tertia.

Wendrockius alios parvi facit.

Ridicula ejus persuasio.

Resp. Wendrockium ea hic scripsisse, quæ

Respon. 3.

quæ legere cordatos pudet, quæque apertè convincunt illum ineptum esse judicem pro determinandâ lite præsenti. Quid? ergo numerus testium, & Authorum nullius ponderis est pro confirmatione asserti, in quo conveniunt? nugæ. Sed quem quæso bonorum cætum inveniet Wendrockius in Ecclesiâ, quorum vita juxta consilia & resolutiones practicas Casuistarum, quos Parochi semper habent præ manibus, non instituatur? Nonne Pastores & Confessarii alios dirigunt per doctrinam è casuistis haustam? nil certius. ergo boni in Ecclesiâ ea facere non detrectant, quæ constans Casuistarum sententia affirmat esse licita. Sed pergamus. Ergòne Wendrockius in dubio morali potiùs staret decisioni viri probi sed indocti, quàm Dianæ & Escobarii, aut sexcentorum hisce similium? sed quâ prudentiâ? nonne indocti pro ejus solutione ad alios debent accedere? Næ Wendrockius, si sic eligeret, malus esset procurator pro conscientiarum directore ac judice deligendo; talem enim eligeret, de quo nemo prudenter sperare posset, se sui judicis ductu veritatem esse assecuturum. Sed cur à Wendrockio Casuistis præfertur vir ille imperitus? quia, inquit, probus est, & lumen naturæ adhuc in eo viget, quia perverso discursu nondum est obrutum. Sed quid? Nonne Diana, aliique Casuistæ fuêre viri probi, qui Deum seriò colebant, & ab ipso lumen assiduè petebant, ne aut ipsi deciperentur, aut alios deciperent? Fuerunt proculdubio omnes viri probi, majoremque cum Deo communicationem habuêre, quàm quivis quomodocumque vir simplex sed cordatus, aut etiam (absit verbo invidia) quàm quivis vulgaris Parochus Parisiensis. Existimo Parochos Parisienses esse viros probos, pluresque eorum magnâ doctrinæ ac pietatis laude florere non dubito. At quod in utroque communiter usque adeò excellant, ut nemo inter Casuistas hujus sæculi,

Wendrockius arguitur magnæ cæcitatis & imprudentiæ in opinando.

Casuistæ moderni fuêre viri prudentes & pii.

sed nec ingens eorum collectio ulli istorum comparari possit, dicit Wendrockius, sed apud cordatum neminem fidem inveniet. Est fateor in aliquibus Casuistis, quod meritò carpatur, & *optimus est*, juxta adagium, *qui minimis urgetur.* Sancti ipsi sæpè condemnant quæ priùs docuerant. Et si Wendrockius suum librum, & legitimè damnatum, & manu carnificis justè flammis datum, absque nævo compositum fuisse arbitratur, mirum quantum à veritate aberrat. Sed quid inde? Si quis in uno aut altero ex miseriâ conditionis humanæ non usque adeò irreprehensibiliter discurrit, quin fortassè spongiam mereatur, non ideò lumen rationis in eo obliteratum, pravoque discursu ac tenebris obrutum jacere putandum est.

223. Porrò quod dicit, Authores benignæ sententiæ nullam in Ecclesia authoritatem habuisse vel habere; nec verum est, nec ad rem. Non est verum, quia omnes fermè fuerunt publici Doctores magnâ doctrinæ famâ illustres. Alii, ut Diana, Episcoporum examinatores à Sede Apostolicâ deputati. Innumerabiles sacræ inquisitionis qualificatores. Omnes sacerdotes pii & docti. Plurimi eorum in conscientiis tractandis usum plurimum habuêre. Non pauci superiores in suis Ordinibus. Quamplures Episcopi, illique sanctitatis ac doctrinæ laude conspicui. Quidam sanctæ R. Ecclesiæ Cardinales non magis dignitate, quàm Canonum & Theologiæ peritiâ eminentissimi. Nonnemo supremi ac universalis Ecclesiæ Pastoris dignitate conspicuus. Quid dicis Wendrocki? Hi nullam in Ecclesiâ authoritatem habuere? Quam ergo te ipsum habere prætendis? Sed neque est ad rem; quia si nomine authoritatis intelligat Pastoratum, aut Præsulatum, plurimi, fateor, Casuistarum nec Præsules fuerunt, nec Parochi. Nihilominus in dubiis resolvendis Casuistarum potiùs, quàm Parochorum decisionibus standum est; quia Casuistæ majori

Quod objicit Wendrockius nec verum est, nec ad rem.

majori doctrinæ ac probitatis laude conspicui fuêre, quàm soleant esse Parochi. Atque utinam Episcopi tantum doctrinæ haberent, ut aliorum ope non indigerent. Certè gradus isti dubiis privatim decidendis non deserviunt, sed probitas vitæ, studium indefessum, vis ingenii, ac sedulitas in veritate indagandâ; quæ omnia in singulis fermè Casuistis fuerunt eximia, sed rarò admodum in Episcopis & Parochis, ad innumera ex officio necessariò distractis, unitim reperta eminent. Ecce firmum est & fixum, benignam sententiam esse longè probabiliorem oppositâ, & absolutè loquendo modo humano moraliter certam, quidquid Wendrockius in contrarium clamet, ut Casuistarum authoritatem elevet.

Objectio quarta.

224. Objicies 4. Dictum est, sententiam benignam juxta humanum loquendi modum esse moraliter certam. Hoc defendi non potest, nisi opposita ad minimum dicatur improbabilis: At quis quæso eam illi censuram audet inurere? Quod si eam ut probabilem admittamus, nostra sententia, utpotè contradictoriè opposita, ut moraliter certa admitti non potest; quia hæc duo sibi manifestè adversantur.

Responsio.

Resp. nos in ultimâ thesi solùm asserere, quod benigna sententia, authoritate præcisè inspectâ, sit humano modo moraliter certa, ad quod sufficit, quod pars longè major & melior Doctorum in eam consentiat, ut ibi ostensum est. Sed quia jam quæritur, quâ ratione sententia rigida censurari possit, aut debeat ut improbabilis, dicam, quid sentiam. Omitto Pasqualigum *decis. 5. num. 4.* qui docet opinionem benignam esse certissimam, & Caramuelem in Apologemate, ubi asserit sententiam rigidam esse opinationem improbabilem, & ne quid temerè dicam, sic cum distinctione discurro. Vel sermo est de probabilitate intrinsecâ vel de extrinsecâ dictæ sententiæ. Similiter vel loquimur de sententiâ Mercori, & aliorum postulantium certitudinem, & negantium probabilitatem ullam etiam majorem sufficere; vel loquimur de sententiâ Comitoli & Philalethi, ac aliorum dicentium probabilitatem quidem sufficere ad securitatem conscientiæ, non tamen quamvis, sed solùm majorem excusare. Quod ad sententiam Mercori attinet dico, eam esse non solùm improbabilem, sed evidenter falsam. Est improbabilis, quia omnes tam antiqui, quàm recentiores Theologi unanimiter illam rejiciunt; & pauci illi, qui nuper eam invexerunt, non sunt tantæ authoritatis, ut in re singulari, pro qua probandâ novas rationes validas non attulerunt, suæ possint sententiæ probabilitatem conciliare. Est evidenter falsa, quia rationes demonstrativæ, & authoritates irrefragabiles evidenter evincunt oppositum, ut supra visum est *quæst. 19. & 20.* Quòd si loquamur de sententiâ Comitoli, illa in vero sensu Authoris est nòn solùm probabilis, sed certa; nam si sermo sit de ultimâ apparentiâ, quâ operans fertur in honestatem suæ operationis, illa debet esse non solùm probabilior, seu vehementior apparentiâ contrariâ, sed etiam debet esse fixa in honestate operis, & contemptiva oppositi ut absolutè falsi, ut omnes antiqui pariter & moderni concorditer docent. At Comitolus loquitur de ultimâ hâc apparentiâ probabili, ideóque à nobis non discrepat, qui idipsum indubitanter postulamus. Sed si loquamur de illâ sententiâ in sensu, quem primo aspectu præ se fert, quatenus dicit parem aut minorem probabilitatem directam non sufficere, & non posse per argumenta reflexa & indirecta evadere probabiliorem, & ad conscientiæ securitatem sufficere, dico sententiam illam universaliter sumptam esse penitus improbabilem, quia evidens est, quòd homo multis in casibus possit tutâ conscientiâ sequi partem minùs tutam, & directè minùs probabilem, uti fusè

Opinio rigida à multis censetur improbabilis.

Sententia Mercori est improbabilis.

Sententia Comitoli in sensu ab illo intento est vera.

Sed in sensu communiter ad-misso est improbabilis, si sumatur in universali.

fusè demonstrabitur *quæst. sequenti*, quia rationes reflexæ reddunt illius usum probabiliorem parte oppositâ. Præterea evidens est, quod præponderans authoritas pro sententiâ benignâ abundè sufficiat ad conciliandam illi majorem probabilitatem extrinsecam, quàm quæ faveat oppositæ. Itaque dicere illam non sufficere, saltem iis, qui non tenentur rationes ponderare, ad prudenter formandam conscientiam excusantem, est evidenter improbabile & falsum.

Sententia Comitoli in particulari admitti potest ut minùs probabilis, saltem aliquando.

225. Sed si sermo sit de illâ sententia prout in particulari fertur ad hanc vel illam particularem materiam, non dico eam esse intrinsecè improbabilem; nihilominus si certò constiterit, partem minùs tutam esse practicè probabilem, dico minimam tantùm illi probabilitatem intrinsecam ad summum concedi posse; cum opposita sententia in summo probabilitatis intrinsecæ gradu evidenter præemineat. Idemque judicium formo de extrinsecâ ejusdem probabilitate. Quæ omnia sufficienter constant ex dictis, & quoad probabilitatem intrinsecam ex dicendis *quæstione sequenti* evidenter constabunt.

Benigna sententia est moraliter certa.

226. Hæc longè major probabilitas tam intrinseca, quàm extrinseca benignæ sententiæ reddit illam in sensu directo non quidem omnimodè, sed tamen humano modo moraliter certam tam juxta rei veritatem, quàm etiam juxta unanimem antiquorum phrasim & consensum. Quòd si loquamur de actibus, qui regulantur per hanc majorem benignæ sententiæ probabilitatem reflexè cognitam, & cum minore illâ partis oppositæ comparatam, improbabile omninò est, quòd illa major probabilitas benignæ sententiæ non fundet absolutam certitudinem, saltem moralem, de honestate operationis per ipsam regulatæ. Oppositum enim evidenter constat ex dictis, & fusè demonstrabitur *quæst. sequenti*. Atque in hoc sensu absolutè loquendo nostra sententia est moraliter certa; & rigida, si sumatur in sensu contrario, est prorsus improbabilis.

Solvuntur objectiones contra exempla summorum Pontificum.

227. Objicies 1. Non omnes dispensationes summorum Pontificum concessæ sunt absque peccato; plures enim in historiis factæ leguntur, quas Authores gravissimi, sanctissimique reprehendunt. Nec mirum, quia Papatus neminem reddit impeccabilem. Ergo ex allatis Pontificum exemplis non ritè infertur, licitum illis fuisse sequi opinionem minùs tutam, quia fortasse in hoc ipso peccarunt. Ita objiciunt quidam in sanctam sedem quantò audaciores, tantò minùs reverentes. Objectio prima.

Resp. aliqua quidem cum scandolo & indecentiâ satis manifestâ ab aliquibus Pontificibus fuisse concessa, quæ Authores meritò reprehendunt. Nec ego omnium Pontificum actiones, aut dispensationes irreprehensibiles esse aut existimo, aut defendo. Verùm tales non sunt dispensationes, de quibus sermo est in præsenti; eæ enim factæ perhibentur à Pontificibus sanctitatis ac prudentiæ laude eximiis, nec quisquam ausus est eas reprehendere, ut illicitas. Itaque moraliter certum est, aut omnes, aut plerosque istorum Pontificum in hisce dispensationibus concedendis non peccasse, sed honestè operatos esse. At hoc ad intentum nostrum abundè sufficit; constat enim primò benignam sententiam omni tempore viguisse in Ecclesiâ, quod hic unicè quæritur; constat secundò ejusdem usum & licitum esse & laudabilem, quòd *quæstione sequenti* fusiùs demonstrabitur. Responsio. Non omnia à Pontificibus gesta sunt laudanda.

228. Objicies 2. Quod egerunt isti Pontifices non à probabilitate, sed à certitudine Objectio secunda.

directionem

directionem habuit. Quod enim uni probabile est, id alteri certum esse potest. Adde eos assistente Spiritûs Sancti gratiâ, quæ operantem dubium ac formidantem non relinquit sed certificat, operatos fuisse. ergo nil ex eorum factis pro nostrâ sententiâ deduci potest.

Responsio. Resp. incredibile omninò esse, Pontifices hosce habuisse certitudinem directam de absolutâ rei veritate; illa enim, utpotè difficilis & valdè recondita, ne quidem certa est illis, qui eam omni conatu indagant. Præterea Pontifices in hujusmodi deliberationibus Theologos & Canonistas consulunt, & juxta illorum resolutiones judicium suum formant. At resolutiones illæ non sunt certæ, sed solùm probabiles, quia pars opposita validis etiam rationibus confirmatur, multique illis potiùs inhærent, quàm oppositis. Quòd autem per principia synderesis reflexa de suæ operationis honestate certitudinem habuerint, atque ètiam ex lumine fidei per dictamen prudentiæ infusæ, quæ omnem peccandi formidinem excludit, operati sint, libens admitto. Verùm hæc omnia fundantur in sola directâ probabilitate de honestate objecti secundùm se considerati. Siquidem ineptum est existimare, Pontifices illos habuisse privatas revelationes supernaturales de absolutâ veritate talium objectorum materialium; neque enim Deus hæc dubia revelare solet, neque talis revelatio illis est necessaria ad suum munus implendum. Jam verò omnes alii, stante pari probabilitate, eodem modo indirectè surgunt ad certificandam suam conscientiam de honestate electionis hic & nunc exercendæ; & si sint fideles, id facere possunt ex principiis honestatis per fidem & prudentiam infusam propositæ.

Pontifices dispẽsanones hasce indulgentes non habebãt certitudinem directã de honestate sui operis.

Objectio 3. ex Vincentio Baronio 229. Objicies 3. ex Vincentio Baronio *disp. 2. sec. 5. art. 3.* Argumentum ab exemplis Pontificum dispensantium in voto solemni & matrimonio rato non tantùm non est validum, sed è contrà est summis viris maximè injuriosum, cùm arguat, eos, sectando partem minùs tutam, ex solâ probabilitate dispensasse contra regulas certas à se stabilitas in jure, per quas se regulârunt. subjungitque eos peccaturos fuisse, si ex minori probabilitate se regulassent. Præterea Pontifices, inquit, si hæc exempla sint ad rem, debuissent hujusmodi conscientiam & dictamen formare. *Licèt probabiliùs opiner, votum solemne, & matrimonium ratum esse jure divino indissolubilia, ego tamen minùs probabilem sententiam secutus dispenso super his, quia licitum cuique est sectari quamcumque opinionem probabilem, quo jure ipse nolo privari.* At quem non puderet ita mentem suam declarare? aut quis taliter dispensantem auderet à peccato excusare? Tertiò contendit certum esse, Pontifices istos non diremisse matrimonia rata, sed solùm declarasse illa fuisse nulla ob vitium aliquod occultum. Idem insinuat sentiendum de voto solemni, quando Pontifex in eo dicitur dispensasse. Quartò demum addit, Pium V. numquam credidisse sibi tutum esse dare dispensationes à voto solemni, quia fertur eas noluisse concedere, causatus doctrinam oppositam S. Thomæ, cui à puero adhæsit. Ergo ille non adhæsit sententiæ minùs probabili, & alienæ, sed suæ, utpotè probabiliori. Idem dicendum de reliquis Pontificibus, quia quod uni probabilius est, est alteri minùs probabile. Hæc sunt quibus Baronius putat se evertere quidquid ex istis exemplis ad rem nostram confirmandam deduci potest.

Resp. ad primum, Baronium debuisse inferre Pontifices illos peccaturos fuisse, etiamsi probabiliorem sententiam secuti fuissent contra tutiorem minùs probabilem; quia per ipsum illicitum est sequi probabiliorem contra tutiorem. Quod ergo hoc omiserit, solúmque adduxerit exemplum minoris probabilitatis, invidiosum est, ut sub specie minoris verisimilitudinis detrahat nostræ

Responsio ad primam partem objectionis.

nostræ sententiæ. Verùm sicut non peccant sectando opinionem, quam putant probabiliorem, ita neque peccant sectando opinionem, quam putant directè minùs probabilem; nec nuda assertio Baronii, nisi aliundè probetur vera, potest obstare.

Regulæ jutis potiùs causant timorem de peccato in dispensando, quàm securitatem à peccato.

230. Quod attinet ad regulas illas certas in legibus statutas, Baronius hoc loco nullas affert; sed alludit, ni fallor, ad eas, *ex duobus malis minus est eligendum. In dubio tutior pars est eligenda*, aliasque ejusmodi, de quibus antea fecerat mentionem. Verùm hæ regulæ probant contrarium; scilicet Pontifices non fuisse certos de validitate & directâ honestate suarum dispensationum. Nam malum quod timebatur non dispensando, plerumque erat solùm temporale, ut desitio familiæ nobilis, carentia amicitiæ inter Principes viros &c. & semper erat malum alienum. At quod timetur ex dispensatione est peccatum proprium, & aliena etiam transgressio. Peccatum quidem proprium, quia dispensans sequitur partem minùs tutam, & fortè agit contra legem. Transgressio verò aliena; quia positâ dispensatione, adhuc probabile est voventem esse proprietarium & sacrilegum, & matrimonium contractum tam post votum solemne, quàm post præcedens matrimonium ratum probabiliter est nullum, & consequenter commercium conjugale probabiliter est continuum peccatum. At hæc mala sunt incomparabiliter majora oppositis.

Idipsum ulterius expenditur.

231. Præterea regula illa, *in dubio tutior pars est eligenda*; non certificat, sed angit conscientias Pontificum. Non enim tenentur dispensationes hujusmodi concedere, ergo non dispensando certissimè sequuntur partem sibi tutiorem. Dispensando autem adhærent parti minùs tutæ. Unde ergo oritur certitudo à Baronio conficta? Ipse viderit.

Baronius fingit secu-

232. Rursus *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*: ergo Pontifices non possunt dispensare in rebus tanti momenti, ad quas dubium est an eorum potestas extendatur nec ne, quia si verè non extenditur ad illos casus, ii, quibuscum dispensant, conjiciuntur in statum peccati, & continuæ transgressionis divinæ. Itaque peccatum timetur ex parte dispensantis; bonum autem quod sequitur, aut malum quod imminet, si non dispenset, ad alios pertinet, & ex alienâ malitiâ dependet. At malum & peccatum proprium numquam evadit licitum, eò quòd per illud alii aut arceantur à malo, aut ad bonum inducantur. Fictitiæ ergo sunt regulæ, quibus Baronius dicit Pontifices in ejusmodi dispensationibus certos esse se nil agere, quod vel materialiter repugnet legi, vel ullatenus gravet eorum conscientias.

ritatem, ubi ex ejus principiis omnia sunt periculo plenissima

Responsio ad 2. argumentum.

253. Ad 2. dico, si absit invidia, & voluntas Pontificum dispensantium paulò aliter efferatur, illa rationabilis est, & aliis optima norma operandi, & sequendi quamcumque opinionem practicè certò probabilem. Voluntas enim Pontificis dispensantis est hujusmodi. *Licèt probabile sit votum solemne, & matrimonium ratum esse penitus indissolubilia, ego tamen certò prudenter existimo facultatem meam (quæ est suprema in terris potestas gubernandi fideles) extendi ad validè dispensandum in istis casibus, & insuper certò prudenter judico me, dispensando, licitè coram Deo operari; ideóque super his dispenso, quia quod unicuique in obscuris licitum est, scilicet sequi dictamen propriæ conscientiæ certò prudenter aut probabiliter constitutum, id etiam in hac re mihi licitū est. Neque enim debeo pati supremam in terris potestatem dispensandi & operādi in obscuris minui propter timorem, ne facultatem excedam (uti contingeret, si in similibus casibus non liceret dispensationem concedere) modò prudenter præsumam, & credam facultatem à Christo acceptam ad tales dispensationes validè, & multò magis licitè peragendas extendi.* Ita dicunt Pontifices dum in hisce casibus dispensant,

Voluntas dispensandi Pontificum explicatur.

pensant, qui proinde factis suis, suoque sensu ac judicio sententiæ nostræ subscribunt; non juxta apertè falsam definitionem probabilium à Baronio confictam, sed juxta legitimam probabilitatis notionem à nobis evidenter stabilitam. Nec puderet quemquam Pontificum talem declarationem facere, ut constat ex facto Adriani VI. & ex communi modo, quo Principes etiam temporales utuntur in impositione vectigalium &c. Neque enim Pontifices exempti sunt à communi regulâ formandi conscientiam in rebus obscuris, sed in hoc, sicut alii, prudentum consilio se regunt.

Quomodo Pontifices in dubiis dispensantes formant conscientiam?

234. Sed nec ipsa expressio, quam Baronius, absque alio argumento quàm quia ipse dixit, absurdissimam reputat, meritò reprehendi potest; quia etsi validitas dispensationis sit & credatur minùs probabilis, (quæ probabilitas est solùm speculativa) honestas tamen ejusdem, omnibus inspectis, semper apparet probabilior illius inhonestate; & hæc est probabilitas practica, quâ solâ immediatè dirigimur ad operandum. Jam qui tali probabilitate practicâ ad operandum dirigitur, reprehendi non potest, etsi probabilitas speculativa invaliditatis aut erroris materialis excedat probabilitatem partis oppositæ, ut videre est in innumeris exemplis. Hac ratione subditus Religiosus licitè obedit suo superiori illud imperanti, cujus honestas videtur subdito minùs probabilis ejusdem inhonestate. Sed hoc exemplum vulgare est, ideò juvat aliud similius casui à Baronio proposito adjungere. Sit aliquis in Indiis, qui vel ob communionem in Paschate, aut ob probabile periculum vitæ petat à sacerdote Eucharistiam; ponamus autem sacerdotem non posse hic & nunc habere materiam certam pro consecratione hostiæ, supponamus etiam circumstantias istas esse tales, ut omnibus inspectis sit solùm probabilius, quòd illi liceat hîc & nunc uti materiâ incertâ, eò quòd oppositum maneat probabile. In hoc casu ille licitè potest celebrare cum materiâ incertâ, etiam minùs probabili, & hoc modo formare suam conscientiam; *licèt probabiliùs sit consecrationem in hac materiâ esse invalidam, nihilominus quia, omnibus inspectis, probabilius est, quòd in hisce circumstantiis licitè possim consecrare, volo Eucharistiam conficere, illamque huic homini ministrare, etsi probabilius sit, quòd ille non sit sumpturus Sacramentum, sed idololatriam materialem commissurus, dum hostiam quam sumpturus est, adorabit.* Quid peccati, quid absurdi in hoc actu inveniet Baronius? At nil magis absurdi continetur in simili dictamine conscientiæ, quàm summi Pontifices sectantes benignam sententiam formârunt, quia in omnibus ubique est paritas, neque res ipsæ majoris momenti sunt in uno quàm in alio casu. Dico ergo, quòd Pontifex non peccaret, etsi in aliquâ dispensatione gravibus de causis concedendâ, formaret conscientiam hoc modo. *Quamvis directè probabilius sit, hanc dispensationem esse invalidam, quia tamen certò probabile etiam est, quòd mea potestas ad eam validè cōcedendam extendatur, & ex alterâ parte, omnibus inspectis, probabilius est, quòd liceat, quàm quòd non mihi liceat eam concedere, ideò illam concedam, quia sic faciendo nec ego pecco, quia prudenter ago, nec illi, quibuscum dispenso, post conscientiam certò probabiliter formatam peccabunt, qui tamen absque hac dispensatione probabiliter in peccato sorduissent, &c. neque enim ego deterioris conditionis sum quàm alii, quibus licitum est formare conscientiam permittentem, quoties omnibus inspectis probabiliter ac certò prudenter credunt talem operationē esse omnibus universaliter permissam.* Ratio est quia sic faciens prudenter operatur, idque ex bono fine Dei cultum & conscientiarum securitatem respiciente. ergo non peccat. Nec est quòd quemquam pudeat suam mentem hoc modo aperire, sicut non pudet innumerabiles viros probos

hoc de seipsis dicere, quando sectantur opinionem minùs tutam directè minùs probabilem. Neque terret me illa Baronii interrogatio, *quis taliter dispensantem auderet à peccato excusare?* Nam respondeo, Authores omnes tam Antiquos quàm Recentiores uno ore eum à peccato liberum pronunciare, si tres aut quatuor modernos excipias, à quibus audacter interrogo, an ipsi audeant sanctissimos ac prudentissimos Pontifices sic operantes peccati condemnare? certum enim est, eos alterutro ex modis dictis suam conscientiam formasse. Verùm viri probi os suum in cælum ponere non audebunt.

Responsio ad tertium argumentum.

235. Ad 3. certitudo, quam Baronius allegat, fictitia est, quid enim magis remotum à ratione quàm dicere, certum esse quod Pontifices declararint votum & matrimonium, super quo dispensationem largiti sunt, fuisse nullum propter vitium occultum? Si enim occultum est, & ignotum, stultè declaratur ut verum, & certum. Præterea quomodo certum est, quod nullo certo argumento comprobatur, sed validissimis rationibus impetitur, & communi Doctorum suffragio falsum censetur? Præterea hoc non est dispensare, sed declarare contractum irritum. At certum est Pontifices super hisce dispensasse, cùm Historici & Theologi gravissimi id testentur; qui certè non adeò bardi erant, ut declarationem nullitatis cum dispensatione confunderent, cùm vel rudes horum distinctionem probè cognoscant.

Pontifices dispensantes in matrimonio rato non declarant illud esse nullum propter vitium occultum.

Responsio ad quartũ argumentum.

236. Ad 4. Quod dicit de Pio V. duabus de causis labitur. Primò, quia jam apertè sibi contradicit. Nam si Pius noluit dispensare in voto solemni, quia opinio S. Thomæ, cui à puero assueverat, obstabat; quomodo poterant alii Pontifices ex aliis regulis esse certi de validitate & honestate suæ dispensationis? Nonne omnes illæ regulæ æquè communes erant Pio, ac aliis Pontificibus? Secundò, quia hoc solùm probat Pium ex unâ parte noluisse agere contra propriam sententiam, quia noluit eam deponere, sed in hoc voluisse sequi partem tutiorem; reliquosque Pontifices ex aliâ parte suam quoque sententiam fuisse secutos, atque ita probabiliori parti inhæsisse. Verùm hoc secundum efficaciter convincit intentum; quia jam cuique licebit suam sequi sententiam, ac conscientiam; sicut licet Pontifici sequi suam. At aliud non contendimus. Neque quisquam negat majorem probabilitatem in hoc sensu simpliciter loquendo requiri ad honestatem, quia suum cuique opinatum probabilius est. Jam contendimus rationes directè probantes valorem dispensationis sæpè fuisse minùs probabiles, quo tamen non obstante Pontifices dispensarunt, quia omnibus inspectis longè probabilius putabant talem dispensationem esse licitam; quod adeò verum est, ut rationabiliter negari non possit.

Baronius sibi contradicit.

237. Quod si dicas, ut alicubi videtur insinuare Baronius, unumquemque Pontificem habuisse summam probabilitatem de parte, quam secutus est, adeò ut pars opposita vel nullam apud illum, vel solùm minimam probabilitatem habuerit; contra est primò, quia hoc gratis dicitur. contra 2. quia idipsum & incredibile est, & apertè falsum, cùm repugnet historiis, quæ referunt gravem dissensionem inter Doctores, quos Pontifices illi consuluerunt. Unde ergo haberi poterat talis certitudo? contra 3. quia talis excessus probabilitatis non poterat esse rationabilis, quia validissimæ rationes & authoritates militabant in contrarium. ergo excessus ille erat voluntarius & temerè conceptus. Talis autem apparentia non juvat ad excusandum operantem. Demum apparentia illa, si fuit rationalis, aliundè sumi non poterat, quàm quia consequens erat ad judicium illi parti alligatum, de quâ concesserunt dispensationem. At eâdem

Pontifices dispensantes non habuerunt summam probabilitatem directam de honestate suæ dispensationis.

de causâ

de causâ omnes parem habent apparentiam de sua opinione, quam absolutè veram reputant. Ergo omnibus proportionaliter licet, quod isti Pontifices fecerunt.

Exempla Pontificum certissimè & validissimè confirmant nostram sententiam.

238. Sic ergo frequentissima Pontificum Romanorum exempla validissimè confirmare nostram sententiam, ejusque veritatem negari non posse nisi ab eo, qui audet os suum in cælum ponere, & facta Pontificum sapientiâ & probitate clarissimorum condemnare. Prætereà certum est, plures dispensationes à voto solemni indultas fuisse ante tempora S. Thomæ; nec est credibile idipsum latuisse S. Doctorem, utpotè in omnibus eruditissimum. Nimis enim famosum erat illud de Casimiro Monacho, de quo Longinus Canonicus Cracoviensis sincerissimus Scriptor refert; quòd cum Legati Polonorum ad S. Odilonem Abbatem Cluniacensem, sub cujus obedientiâ Casimirus tunc vivebat, pervenissent, suaque illa mandata retulissent, respondit Odilo, sibi integrum non esse solvere vinculum professionis religiosæ, adirent propterea Sedem Apostolicam, apud quam solam facultas dispensandi in hujusmodi rebus resideret, quam cùm adiissent, dispensationem à Pontifice obtinuerunt. Ecce & opinio Odilonis, & facta Pontificum arguebant dispensationes ejusmodi esse validas, quo non obstante S. Thomas jam senex docuit *in summâ* eas esse nullas, etsi opinio etiam contraria tunc vigeret in scholis, illique ipsemet junior *in 4. distinct. 38.* subscripsisset. Similiter Thomistæ suum hodie magistrum sequuntur, etsi sciant dispensationes istiusmodi esse satis frequentes. Nihilominus Pontifices, quibus Thomistarum authoritas, & argumenta nota sunt, dispensationes concedunt.

Canones non probant quod votum solemne sit indispensabile.

239. Nec dicas S. Thomam, ejusque asseclas magis moveri ab expresâ declaratione Innocentii III. in decretali *cum ad monasterium* de statu monachorum, quàm à factis aliorum; in decretali enim illâ, ad finem hæc habentur. *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Nam contra est, quia S. Thomas & Thomistæ optimè norunt Canonem hunc non convincere intentum, quia ipse S. Thomas *in 4. distinct. 38.* locum hunc interpretatur, juxta communem hodie opinionem, nempè quòd intelligi debeat in sensu composito non in sensu diviso. At posteà in summâ expresè negat S. Thomas sensum divisum contineri sub potestate summi Pontificis. Ergo opinio Thomistarum solùm est probabilis, & si velis probabilior oppositâ, contra quam etsi unicè tutam Pontifices prudentes & probi sæpè dispensant, suoque exemplo nostram sententiam confirmant, ejusque usum perpetuò in Ecclesia viguisse, & pro licito in omni materiâ, tam juris divini positivi, quàm naturalis habitum fuisse evidenter demonstrant. Atque hic peto à Baronio, an putet opinionem S. Thomæ & Thomistarum esse adeò parum probabilem, ut, eorum rationibus & authoritatibus non obstantibus, Pontifices dispensantes in voto solemni summam probabilitatem habuerint de opposito? Si hoc concedat, cur S. Thomas & Thomistæ inhæserunt opinioni tam parum probabili, rejectâ contrariâ probabilissimâ? Si hoc neget, ut proculdubio omni nisu negat, desinat dicere Pontifices non nisi summâ probabilitate, contra tenuissimam in oppositum, semper directos fuisse, ac veritate convictus fateatur, summos Pontifices & credidisse benignam sententiam esse veram, suamque conscientiam in eâ tamquam in regulâ tutâ deposuisse; & quòd consequens est, fateatur, sententiam nostram & semper in Ecclesiâ floruisse, & ab omnibus pro verâ semper habitam fuisse.

QUÆSTIO VIGESIMA-TERTIA.

Vtrùm in praxi liceat sequi opinionem minùs probabilem, minùs tutam?

Status Quæstionis.

Limitationes pro statu quæstionis intelligendo.

1. UÆSTIO hæc inprimis restringitur ad probabilitatem certam quoad nos, nam probabilitas solùm probabilis ad securitatem conscientiæ non sufficit. Deinde restringitur ad probabilitatem practicam, quæ scilicet enunciat, aliquod objectum esse licitum. Tertiò restringitur ad probabilitatem directam, & quæritur; utrum certa probabilitas practica partis minùs tutæ, etsi illa sit & credatur esse directè loquendo minor probabilitate partis oppositæ, ad fundandam conscientiæ securitatem sufficiat. Cæterùm quia præsens quæstio est reflexa, ideò controversia in hoc devolvitur, utrum minor probabilitas directa, considerata in ratione objecti, fundet argumenta reflexa, per quæ, omnibus inspectis, intellectus prudenter flectatur ad credendum, quòd objectum illud absolutè sit honestum; hoc enim est objectum directè minùs probabile evadere, omnibus inspectis, probabilius opposito. si quævis directa probabilitas, etiam minor, fundet hujusmodi argumenta reflexa, benigna sententia ad minimum erit probabilior opinione rigidâ; secus quoad hanc comparationem illi præferri non merebitur.

Casus hujus quæstionis rarò occurrit.

2. Cæterùm præsens quæstio, quantùm spectat ad minorem probabilitatem directam, non est tanti momenti, quanti plures putant; quia rarò est necessaria pro praxi; siquidem plurimi nequeunt discernere, quænam ex contrariis opinionibus sit probabilior. Deinde ipsi etiam docti, dum putant unam opinionem esse alterâ probabiliorem, plerumque solùm probabiliter ita judicant; quia quod uni probabilius est, id alteri minùs probabile apparet; quod certè non contingeret, si probabilitatis excessus esset evidens; tunc enim illa omnibus eam debitè considerantibus certò innotesceret. Itaque in præsenti hypothesi excessus probabilitatis intrinsecæ aut semper aut ferè semper est incertus, ideóque judicium de majori probabilitate partis tutioris potest suspendi, & consequenter operans pro suo arbitratu reducere se potest ad statum *quæstionis 23.* quando constat utramque partem esse probabilem, sed nescitur quænam sit alterâ probabilior. Hæc observatio locum etiam habet, quando scitur, quænam ex contrariis opinionibus sit quoad nos extrinsecè probabilior; quia adhuc non constat, quòd illa, quæ majori fulcitur authoritate, melioribus rationibus confirmetur, cùm non desint, qui has illis præferant, & è contra. Parum ergo interesset pro praxi, etsi concederemus, quòd nulli liceat sequi opinionem quam actu reputat directè minùs probabilem, modò ex partibus æquè probabilibus licitum sit quamcumque amplecti; quia unusquisque ferè semper potest suspendere judicium de majore probabilitate ullius partis, & utramque ut æquè probabilem considerare, atque ita sectari nunc, quod paulò antè

minùs

minùs probabile reputabat.

Occurrit tamen aliquando.

3. Nihilominus quia præsens quæstio locum habet, quando docti, post sententias oppositas invicem comparatas, absolutè credunt partem minùs tutam esse etiam minùs probabilem, ideò juvat illam in propriis terminis examinare, & quærere, utrum homo pro eo instanti licitè possit partem minùs tutam in praxim deducere, pro quo arbitratur, eam esse directè minùs probabilem parte oppositâ tutiore. Porrò quia sententia benigna majorem in hoc quàm in ullo alio sensu difficultatem præ se fert, ideò potissimas rationes, quibus illa stabilitur huc rejecimus, ut unusquisque veritatem videat, & à fortiori concludat, priores comparationes esse verissimas, cùm non desint argumenta, quæ efficacissimè concludunt, strictissimam nostræ sententiæ acceptionem esse rationi maximè consentaneam.

Wendrockius erroris arguitur.

4. Cæterùm notandum est, aliud esse judicium probabile de re aliquâ, aliud judicium de rei probabilitate; hoc enim sæpè est evidens, illud semper est obscurum. Erravit proinde Wendrockius *in dissertat. de probab. sec. 4. § 9.* ubi dicit, intellectum necessariò assentiri opinioni, quam probabiliorem reputat. Erravit, inquam, quia judicium de majori probabilitate sæpè est evidens, ut ipse ibidem fatetur; ergo illud per voluntatis imperium suspendi non potest. At omne judicium probabile obscurum est, ideóque elici non potest nisi dependenter à libero imperio voluntatis. ergo necessarium non est assentiri parti, quam quis probabiliorē judicat. Sicut ergo Wendrockius apertè erravit in hoc antecedente, ita nulla est consequentia, quâ ex hoc ipso probare contendit, usum opinionis minùs probabilis minúsque tutæ esse illicitum; quasi verò qui putaret opinionem aliquam esse minùs probabilem, eo ipso crederet illam esse falsam, & oppositam veram; ideóque non posset sequi partem minùs probabilem minúsque tutam, nisi contra conscientiam ageret; hoc enim ex falso illo antecedente non sequitur. Itaque in præsenti non quæritur, an licitè possim operari contra propriam sententiam, dictantem aliquid esse illicitum; sed solùm an possim aliquid facere, quando, omisso illo judicio, solùm judico inhonestatem illius objecti esse directè probabiliorem ejusdem honestate.

Mercorus errat in explicando statu quæstionis.

5. Mercorus *part. 2. art. 8.* pro ritè determinando statu quæstionis supponit, concursum istum majoris & minoris probabilitatis debere contingere extra statum necessitatis. Verùm peto, utrum ista necessitas immutet ordinem majoris & minoris probabilitatis antea expressum, vel illum intactum relinquat? Si immutet, quæstio non stabilitur, sed tollitur; quia, stante illâ necessitate, aut certum est, aut certè est probabilius objectum illud licere, quàm non esse licitum. Si non immutet, est conditio impertinenter adjecta; quia, sive adsit sive absit, versamur in eâdem quæstione sub iisdem terminis propositâ. Itaque nil aliud requiritur ad genuinum quæstionis sensum, quàm quod à nobis est propositum. Sit ergo

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio prima.

Minor probabilitas ad conscientiæ securitatem sufficit.

Universaliter tam in materiâ fidei quàm morum unicuique licitum est sequi quamcumque opinionem directè minùs probabilem minúsque tutam, etsi opposita sit & credatur probabilior ac tutior. Sed sermo restringitur ad opinionem cujus practica probabilitas est certa operanti.

Prima probatio.

6. Conradus *de contract. quæst. 100.* ut probet, cuique licitum esse sequi partem

Si non liceret sectari minùs tuta, sancti peccassent.

partem minùs tutam, modò omnibus inspectis eam reputet oppositâ probabiliorem, atque prudenti judicio eam credat esse veram, sic arguit. Si hæc assertio non esset vera, *aliquis ex sanctis Ecclesiæ Doctoribus decessisset in peccato mortali*, quia S. Thomas in 4. dist. 17. & cum eo Richardus tenet, *quòd lapsus in mortale non teneatur statim confiteri habitâ copiâ Confessarii.* Contra hos est S. Bonaventura & Henricus Gandensis. Jam altera harum opinionum est falsa; si illa S. Thomæ falsa sit, *ipse eam docendo alios (qui etiam hodie communiter sequuntur eam in opere & observantiâ) & non revocando peccasset mortaliter, quia seduxisset homines ad mortalem omissionem per suam doctrinam, nec excusaretur, nisi prædicta conclusio esset vera; qui enim solverit unum de mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5.* Si autem opinio S. Bonaventuræ sit falsa; *similiter ipse decedendo in illâ opinione & doctrinâ, & non revocando eam, decessisset in peccato mortali, quia alligasset onus grave in humeris hominum, & clausisset regnum Dei ante homines faciendo viam Dei arctiorem, quàm sit, & jugum Domini suave, & onus ejus leve grave reddidisset suâ doctrinâ falsâ, nec ob hoc per ignorantiam excusaretur, si non esset prædicta conclusio vera.* Ita Conradus solidè & subtiliter probat, usum partis minùs tutæ sed absolutè probabilioris esse licitum.

Si benigna sententia esset falsa, omnes Ecclesiæ Doctores gravissimè peccassent.

7. Ego etiam simili ratione sic arguo. Si non excusaretur à peccato mortali ratione sui imputabili, qui bonâ fide sequitur opinionem directè minùs probabilem, omnes Doctores totius Ecclesiæ (certum enim est omnes omninò, præter unum Comitolum, qui in re ab aliis non discrepat, jam à centum & ampliùs annis in terminis expressis benignam tradidisse sententiam) gravissimè peccassent, quia doctrinâ falsâ proximos suos in peccatum & damnationem duxissent; nec quidquam posset eos excusare, quia si bona fides non excuset sequentes eorum dogmata, quid talia docentes excusare poterit? De illis certè verificaretur illud *Matthæi 5. qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* At moraliter certum est aliquos saltem in eâ sententiâ tradendâ nec graviter peccasse, nec intolerabiliter errasse. Ergo pariter moraliter certum est, eam non esse errorem intolerabilem, sed è contra, si ex motivo gravi directo vel reflexo habeatur vera, esse securam conscientiæ regulam, omnesque eam bonâ fide docentes & amplectentes à peccato formali esse securissimos. At aliud non contendimus.

Deus deseruisset Ecclesiam si benigna sententia esset falsa.

8 Argumentum hoc ulteriùs ponderatur hoc modo. Qui benignam sententiam in expressis terminis tradiderunt, non clanculum, sed in omnibus mundi Universitatibus eam publicè sustinuerunt; nec unus aut alter id præstitit, sed omnes, nemine discrepante, eam defenderunt. Libri eorum ubique gentium, ab iis, ad quos spectabat, approbati sunt tamquam nil continentes contra fidem aut bonos mores; nec quisquam per sæculum integrum suspicatus est, eam aut falsam esse aut periculosam. Quòd si opinio hæc eam sectantes à peccato formaliter imputabili non excusaret, Deus per sæculum integrum Ecclesiam deseruisset, illamque in pessimo ac periculosissimo errore cæcutire permisisset. At hoc est incredibile. Deus enim nonminùs etiamnum diligit Ecclesiam, quàm olim. At semper providit Ecclesiæ de viris probis & doctis, qui erroribus nascentibus sese opposuerunt, ut ex Historiis Ecclesiasticis constat. Quis ergo credet, Deum per sæculum integrum ita deseruisse Ecclesiam in errore perniciosissimo, ut nullius summi Pontificis, nullius Episcopi, immò Doctoris nullius spiritum excitarit, qui errorem detegeret, murumque se pro domo Dei opponeret? Nemo certè probus & cordatus Catholicus ita de Ecclesiâ, Deique in eâ gubernandâ providentiâ

providentiâ sentire potest, ideóque consequens est, omnes debere fateri benignam sententiam esse sufficientem conscientiæ regulam, eamque suos sequaces à peccato ac peccandi periculo immunes reddere.

Practica sententia, quæ licitè docetur, est sufficiens regula conscientiæ.

9. Rursus sic arguo. Omnis opinio ad praxim ordinata, quæ licitè docetur, est sufficiens regula conscientiæ ad eam sectantes, à peccato excusandos. Sed opinio docens, usum partis minùs tutæ & directè minùs probabilis esse licitum, & ordinatur ad praxim, & licitè docetur. Ergo hæc opinio est regula sufficiens ad eos saltem à peccato excusandos, qui illam sectantur, modò eam veram reputent. Major est evidens, quia si illa eam sectantes non excusaret, quicumque eam doceret ut praxi utilem, manifestè peccaret. Minor certa est ex dictis. Consequentia legitimè deducitur; ideóque & illa certa est.

Talis est opinio directè minùs probabilis.

10. Huc accedit argumentum Medinæ & aliorum post ipsum, quod sic proponitur. Sententia directè minùs probabilis licitè docetur in scholis, quia in concursu oppositæ probabilioris censurari non potest ut temeraria, imprudens, præcipitata, irrationabilis vel scandalosa, quia certum est, quòd etiam in comparatione opinionis contrariæ prudenti motivo nitatur. Vide dicta *quæst. 10.* ubi fusè hoc ostenditur. ergo talis opinio sufficit ad regulandam praxim. Tenet consequentia, quia proponitur ut regula. ergo si non esset regula sufficiens, peccarent qui eam pro tali proponerent. At non peccant. ergo illa est sufficiens regula. Hæc ratio efficax est, & locum habet, etsi motiva solùm directè probantia habeantur præ oculis, in quo differt à ponderatione præcedente, quæ fundatur in argumentis reflexis, atque ideò clariùs & efficaciùs intentum concludit.

Secunda probatio.

In materia fidei licet sectari minùs tuta.

11. Secundum argumentum deducitur à materiâ fidei, in quâ, quando utraque pars est certò probabilis, unicuique licet quamcumque voluerit tenere, modò illam absolutè veram reputet. Sic in materiâ de Immaculatâ B. Virginis conceptione certum est, tenentes piam sententiam in eo non peccare; sed neque qui tenent oppositam condemnari possunt, ut constat non solùm ex antiquis Pontificum decretis, sed vel maximè ex nuperâ Alexandri VII. de hac re constitutione. Atque hinc sic arguo. In materiâ fidei certum est, quòd liceat sequi partem minùs tutam, relictâ tutiore, quia absque dubio alicui ex partibus contrariis licet assensum præbere; cùm tamen pars unicè tuta sit omnem de re ipsâ assensum suspendere, ac de solâ probabilitate judicium ferre, ut ex se patet, & supra dictum est *quæst. 21.* Et sanè, quòd liceat eam partem sectari, quæ omnibus inspectis probabilior apparet, est indubitatum apud omnes. Sed & idipsum certum etiam est, quando certò constat utramque esse probabilem, & nescitur quænam sit probabilior; tunc enim unusquisque eligere potest quamcumque voluerit, ut eam teneat, atque etiam in scholis tradat, nisi peculiaris lex idipsum prohibeat, sicut lex lata est, ne quis publicè doceat B. Virginem peccato originali fuisse maculatam. Neque enim ideò quis reprehendi potest, quòd talem opinionem doceat, aliisque, ut eam teneant, persuadeat, quia certum est, eos probabiliter eam tenendo non peccaturos; ideóque pariter certum est, persuadentem eos ad taliter opinandum in hoc non peccare. Idem valet de parte minùs probabili. Ponamus, aliquem Doctorem, cui probabilius apparet, quòd Diva Virgo sit maculatè concepta, eligi in publicum universitatis magistrum, qui ex officio debeat quæstionem

Non solùm probabiliora,

Sed etiam minùs probabilia.

cam-

eam tractare. Hic licitè potest docere communem piamque sententiam suosque Auditores ad eam tenendam incitare, etsi illa ipsi appareat minùs probabilis, quàm opposita: propter hoc enim reprehendi non potest, dummodo sincerè argumenta illi faventia proponat, illaque, quantum veraciter potest, magni faciat. Ratio est, quia ille persuadet & docet rem honestam, nempè assensum prudentem, motivo certò probabili innixum. Ergo sic faciendo non peccat. Et sanè quis post Pontificum decreta, maximè verò post nuperam Alexandri VII. constitutionem talem magistrum peccati audebit accusare vel condemnare? Vide dicta *quest. 21. num. 16. & 4. seqq. item num. 37. & seqq.* quibus adde, quòd si hæc vera sint in materiâ fidei, quando mysterium est certò probabiliter verum, eadem à fortiori verissima erunt, quando insuper certò probabile est, quod liceat taliter opinari. At nobis abundè sufficit, si hoc secundùm concedatur esse verum; quia assertio in hoc solùm sensu procedit.

In materiâ morum licet minùs tuta sectari.

12. Ex hoc antecedente certo sic arguo. Tam licet sectari minùs tuta in materiâ morum, quàm in materiâ fidei. Sed in materiâ fidei certum est, quòd liceat sectari partem minùs tutam, dummodo illa omnibus inspectis appareat probabilior, & habeatur vera. Immò certum est, quòd liceat sequi ac docere quamcumque ex partibus sive æqualiter sive inæqualiter probabilibus minùs tutis, aliisque, ut eam sectentur, justis de causis persuadere. Ergo etiam in materiâ morum licet minùs tuta sectari juxta triplicem progressum hîc explicatum; ergo sententia benigna quoad omnia est vera, quia quidquid illa affirmat, est quale ab illâ affirmatur. Major ex eo constat, quòd opinio probabilis in materiâ fidei sit res moralis ad conscientiam pertinens, quia est objectum eligibile, & dependet à libero imperio voluntatis ut eliciatur; sic fides est honesta, hæresis, & omnis opinio temeraria in materiâ fidei est inhonesta. Deinde non magis vitandus est, nec minùs nocet error in materiâ fidei, quàm in materiâ morum; quia error contra fidem non est minùs peccatum, quàm error contra mores. ergo si in materiâ fidei liceat sequi minùs tuta, à pari, imò ab identate rationis, idipsum licebit in materiâ morum. Minor certa est ex dictis, consequentiæ omnes legitimè deducuntur; ac proinde certum est, quòd unicuique liceat sequi opinionem directè minùs probabilem, modò ex argumentis reflexis aut ex authoritate probabiliter credat, id sibi licere. Immò certum est, quòd liceat Confessariis aliisque, pro rationabili rerum exigentiâ, eam aliis opinionem suadere, quam ipsi minùs probabilem reputant. Qui enim eam eorum suasu ex motivis probabilibus veram habent, taliter judicando non peccant, & per illud judicium liberantur à peccato, etsi eam opere compleant. ergo qui eam suadent, per hoc non peccant. Immò hinc sequitur, quòd sicut in materiâ fidei unusquisque licitè pro suo arbitratu flectit intellectum in eam ex partibus certò probabilibus, quæ ipsi magis arridet, quia est ipsi utilior, quamvis non habeat argumenta reflexa, quibus veritas partis, cui præbet assensum, magis stabiliatur; ita pariter in materiâ morum homo licitè flectit intellectum ad absolutè credendum illud esse verum, quod antecedenter & in actu primo remoto apparebat minùs probabile. Et hoc verum est, etsi nulla argumenta reflexa adhibeantur; quòd si illa etiam adhibeantur, veritas hæc evadit longè apertior, ut clariùs patefiet ex sequentibus.

Non solùm probabiliora, sed etiam minùs probabilia.

Argumentum à fide ad mores ab omnibus admittitur ut efficax.

13. Interim argumentum hoc à materiâ fidei ad mores deductum, & in se solidissimum est, & in sæculis retroactis ab omnibus universaliter ut efficax est agnitum. Sylvester *V. opinio, quest. 1.* Major *quest. 2. in Prologum 4. sent. conclus. 4.* Pelbartus *in* *aurea*

aureo S. Theologiæ Rosario V. opinio, Conradus *de contract. quæst. 100.* Angelus *V. opinio.* S. Antoninus *1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10.* Joannes Nyder *in consolatorio animæ timoratæ*, & Joannes Gerson, hoc argumento usi sunt, omnesque præter Conradum, non à pari, sed à fortiori ex illo inferunt, idem licere in materiâ morum, quod in materiâ fidei constat licere. Argumentantur autem *ex cap. damnamus de summâ Trin.* in quo doctrina Abbatis Joachim ut hæretica damnatur; & dicunt, si Joachim in re tanti momenti (quanta erat ejus sententia repugnans veritati sanctissimæ Trinitatis) non erat hæreticus, nec peccavit, quia sua scripta Ecclesiæ judicio submisit: ergo non peccant, qui in materiâ morum probabiliter errant, & errore decepti agunt, quæ verè agenda non sunt; modò parati sint aliter facere, cùm veritas sufficienter constiterit. At nos alia non docemus. Vide *quæst. superiorem*, in quâ Authores hosce de verbo ad verbum citatos habes.

Probatio tertia.

Tertia ratio principalis,

Nulla lex obligat, nisi sufficienter promulgetur.

14. Nulla lex obligat, nisi sufficienter promulgetur. At quoties rationes adsunt probabiliter arguentes partem minùs tutam esse licitam, impossibile est legem præcipientem partem tutiorem esse sufficienter promulgatam. ergo impossibile est illam legem obligare quemquam, quamdiu probabile est, partem oppositam non esse prohibitam. Major ab omnibus admittitur, imò S. Tho. *1. 2. quæst. 90. art. 4.* expressè tradit promulgationem esse de ipsâ legis essentiâ; eamque propterea in legis definitione explicitè ponendam esse censuit. Sic enim ibidem legem in genere definit: *est quædam rationis ordinatio ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Jam verò quidquid sit, utrum promulgatio sit de essentiâ non solùm legis positivæ (in quo omnes conveniunt) sed etiam naturalis (in quo aliqui discrepant) omnes tamen fatentur nullam legem, ne naturalem quidem, posse proximè obligare, suamque virtutem exercere, nisi sufficienter promulgetur. Ratio autem est, quia lex ita ponitur tamquam regula humanarum actionum; at voluntas & imperium superioris, seu lex, non potest esse regula directiva humanarum actionum, nisi applicetur; nec applicari, nisi per promulgationem innotescat; nulla enim regula directiva creaturæ rationalis, quâ talis, aliter applicari potest, quàm mediante cognitione, per quam regula illa innotescat; & lex sufficienter promulgetur. Unde Gratianus *in cap. in istis, dist. 4.* rectè dixit: *leges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Major ergo est certissima.

Lex est voluntas superioris directiva subditi.

15. Jam verò ut constet, nullam legem esse sufficienter promulgatam circa quidquam, quamdiu probabile est illud non esse prohibitum, adverto quæstionem dupliciter fieri posse: primò, si utrimque detur probabilitas de substantiâ, seu existentiâ legis; si nempè ita probabile sit legem existere, ut oppositum etiam sit probabile. Sic probabile esse potest alicui, quod Episcopus jejunium præceperit, eò quòd ipse audiverit Episcopum jurantem, velle se tali die jejunium indicere: oppositum etiam esse potest probabile, eò quòd in illo ipso die nuntius nullus eâ de re ad illius loci Parochum pervenerit. Secundò si certò constet de lege, sed dubium sit de aliquibus, an involvantur in lege; quod aliqui volunt esse dubium de modo legem servandi; v. g. certum est, opera servilia esse prohibita die festo; sed dubium est, utrùm hoc, vel illud opus sit servile. Hic secundus modus loquendi re ipsâ coincidit cum primo; quia omne ejusmodi dubium semper procedit de substantiâ legis, scilicet de voluntate, & imperio

Lex non sufficienter promulgatur, quàdo probabile est, quòd numquam lata fuerit.

Dubium aliud de lege, aliud de modo servandi legem.

Utrumque dubium in idem recidit.

imperio superioris, in quibus essentia legis consistit. Dubium enim est, utrum superior imperaverit omissionem talis determinati operis, nec ne? Et quamvis quoad hoc in humanis sit aliqua confusio, quia legislator humanus, v. g. Episcopus instituens festum, & consequenter vetans opera servilia, sæpè non callet perfectè, quid lateat sub terminis universalibus, quibus legem conscribit. Si enim interrogetur, an comprehendere voluerit exercitium pingendi v. g. illudque prohibere, plerumque respondebit, se nescire; quia alia comprehendere non volebat, quàm opera servilia.

Legislator humanus sæpè nescit perfectè, quid impetet.

Nihilominùs respectu Dei nulla est confusio; Deus enim, quando imperat aliquid sub terminis universalibus, non habet conceptus abstractivos & confusos, sed explicitè ac determinatè fertur in hæc tantùm & non in illa objecta. Itaque respectu legis divinæ idem est quærere, an liceat pingere in die festo, ac quærere, an detur substantia legis, seu voluntas Dei determinatè votans tale exercitium in die festivo? Idem valet de quocumque modo servandi legem, quia nisi modus ille sit præceptus, omitti potest. Interim si dubitetur, an ille modus sit præceptus, dubium in hoc resolvitur, utrum detur substantia legis terminatæ ad talem modum nec ne? Itaque quæstiones istæ coincidunt; & utcumque hoc se habeat, promulgatio æquè requiritur ut lex obliget quoad modum, ac quoad substantiam. His positis,

Lex Dei quoad omnia clara est & determinata.

16. Probatur minor. Quoties, post omnia considerata, utrum lex aliqua quoad substantiam lata fuerit, manet probabile apud omnes subditos, quòd legislator numquam intenderit talem legem condere, lex illa non est sufficienter promulgata, licèt sint rationes aliquæ incertæ, sed probabiles, ad existimandum, quòd legem tulerit. Promulgatio enim debet esse ceremonia tam manifesta subditis, ut aliqui saltem eorum, evidenter sciant & legem latam, & tali ceremoniâ fuisse manifestatam. Immò debet esse adeò manifesta & solemnis ceremonia, tamque liquidò divulgata, & certa ejus notitia, ut magnam subditorum partem latere non possit, nisi ipsi culpabiliter ad ea quæ fiunt nolint advertere. At in casu nostro nemo subditorum certò novit, quòd detur ulla ejusmodi lex, aut existiterit solemnis illa ceremonia, per quam ulli fuerit sufficienter proposita; quia doctissimi quique sciunt probabile esse, quod legislator numquam talem legem ediderit. ergo talis lex non est sufficienter promulgata. Nec fieri potest, ut quis magis obligetur ex vi talis propositionis, quàm obligatur homo ille per legem fortasse latam ab Episcopo, de quâ nulla notitia ad pagum, in quo habitat, pervenit. Id est, fieri nequit, ut ullatenus obliget.

Promulgatio legis qualis esse debeat?

17. Jam quod spectat ad modum legis divinæ, eadem ratio valet non solùm quantum ad peculiare objectum, de quo probabile est quod non comprehendatur in lege latâ, sed etiam quoad quemvis modum operandi, quia quandiu probabile est, Deum non exigere talem modum operandi, lex exigens talem modum in opere illo non est sufficienter promulgata.

Eadem ratio valet de modo legis.

18. Porrò hæc omnia clariùs adhuc patent in lege humanâ, quia sæpè Episcopus v. g. prohibens opera servilia, nescit an intendat prohibere exercitium pingendi. ergo impossibile est, quòd voluntas illa prohibens opera servilia sit lex vetans exercitium pingendi. Patet, quia lex essentialiter est regula directiva subditi. At voluntas superioris non potest meliùs regulare subditum, quàm innotescat ipsi superiori. At hæc voluntas non ita innotescit superiori, ut dicere posset se voluisse per illam impedire talem actionem. ergo nemo ex vi talis legis regulari potest, & obligari ad tale opus omittendum. Itaque talis lex non potest obligare,

Legislator humanus sæpè non novit omnia, quæ verba legis comprehendunt.

nisi

nisi ad abstinendum ab operibus certò servilibus, aut certè ab eis, quæ non nisi imprudenter credi possunt non servilia. Quid clarius?

Legislator humanus non vult obligare subditos ad rigorosissimum sensum legum.

19. Confirmantur hæc omnia. Legislator humanus si sit prudens, benè novit sensum suarum legum esse in multis dubium, multosque se doctiores prudenter existimare, talem expressionem ad talia objecta non extendi. Unde manifesta præsumptio est, eum nolle sub lege suâ talia sub obligatione comprehendere. Si enim voluisset ea comprehendere, id expressisset. At sciens & volens hæc non expressit. Ergo censenda sunt pro non inclusis in lege; maximè verò id valet, quia favores sunt ampliandi, & odiosa restringenda. Idem valet de lege æternâ, quâ Deus leges humanas corroborat, quia illa ad alia non extenditur, quàm ad ipsa, quæ legislator humanus efficaciter intendebat præcipere. ergo eadem de utrâque lege ratio procedit. Imò idem valet de lege divinâ, quam Deus ipse signis talibus promulgat, quorum sensum homines perfectè non intelligunt. Hinc enim evidens præsumptio oritur, Deum nolle nos ad ea obligare, de quibus habemus motiva prudentia ad existimandum ea ab ipso non fuisse per legem intenta. Deus enim, qui omnia comprehendit, si aliter voluisset idipsum expressisset, cùm hoc ipsum æquè facile ipsi fuisset ac oppositum. At Deus hoc non expressit. ergo ea sub obligationem cadere noluit. Hoc autem est totum quod intendimus, illudque manifestissimè sequitur ex defectu promulgationis sufficientis, in quo fundatur dicta præsumptio. Et sanè in præsumptione hac manifestâ, quòd legislator nolit per legem suam exigere tanquam præcepta, quæ certò probabiliter non includuntur in lege, fundatur unanimis doctrina tam antiquorum quàm recentiorum, quâ dicunt in præceptis tam divinis quàm humanis toties locum dari Epikeiæ, quoties prudenter præsumi potest, quòd legislator non voluerit aliquid sub præcepto exigere. At hoc semper evenit, quoties pars minùs tuta est certò probabilis practicè, ut patet. Itaque omnes, qui dictam regulam pro formandâ Epikeia approbât, illi nobiscum sunt. Scilicet Navarrus *in manuali cap. 27. n. 283.* Viguerius *in instit. Theolog. cap. 15. §. 1. num. 2.* Gabriel *in 4. dist. 16. qu. 3. art. 1. not. 3.* Sylvester *verbo scrupulosus.* S. Antoninus *1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10.* Nyder *in consolatorio timoratæ conscientiæ parte tertiâ*, aliique, quibus addi debent præstantissimi Canonistæ. Panormitanus *in cap. Capellanus de Feriis*, & diu ante illum Innocentius *in cap. per tuas 2. de Simonia*, ubi hæc habet. *Non peccat mortaliter, qui sequitur intellectum alicujus gravis Authoris, etiamsi erret, dummodo tamen error hujusmodi versetur circa subtilitatem legum.* Quod dictum Innocentii approbatur à Baldo, & ab aliis communiter recipitur, ut dictum est *quæst. 22. num. 197.*

Epikeia fundatur in probabilitate, quòd res non sit præcepta.

20. Jam qui sectatur partem minùs probabilem minúsque tutam sic format conscientiam ex discursu allato. *Lex non sufficienter promulgata non obligat: sed lex vetans pingere in die festo non est sufficienter promulgata, quia probabile est, quòd pingere in die festo sit licitum. ergo exercitium pingendi non est prohibitum. ergo est licitum.* Vel sic. *Quoties est prudens præsumptio, quòd legislator nolit nos ad aliquid obligare, toties per virtutem Epikeiæ illud licitè fit: sed quoties est certò probabile quòd aliquid liceat, toties ista manifesta præsumptio, quod legislator noluerit illud prohibere. ergo quidquid est certò probabile illud per Epikeiam licitè fit. Hoc est tale. ergo.*

Modus, quo sectans minùs probabilis format conscientiam, exponitur.

21. Et sanè quis non videt me (cul directè loquendo probabilius est, quòd circumstantiæ notabiliter aggravantes in eadem specie sint necessariò confitendæ, tum quia illis non expressis Confessarius non potest rectè fungi officio suo, tum vel maximè quia hominibus graviter post baptismum lapsis

lapsis non est aliud remedium per se institutum præter confessionem sacramentalem. At indigent remedio pro notabili illâ malitiâ contentâ in circumstantiâ aggravante, & tenentur de eâ pœnitere. ergo tenentur eam exprimere in confessione) quis, inquam, non videt me, hoc non obstante posse sic formare conscientiam. *Si lex explicandi has circumstantias esset sufficienter promulgata, fieri non potuisset ut S. Thomas, majorque Theologorum pars negarent talem legem existere. At illi negant eam dari. Imò Concilium Tridentinum omnem hujusmodi obligationem tacuit. ergo vel nulla ejusmodi lex existit, vel certè illa non est sufficienter promulgata; maximè cùm leges ejusmodi sint universales, debeantque ex se omnes æqualiter afficere. ergo non teneor exprimere tales circumstantias.* Nil clarius aut rationabilius tali dictamine fieri potest. At simile dictamen eodem modo fieri potest, quoties pars minùs tuta est certò probabilis; quia unanimis Thologorum consensus est, quòd liceat eam sectari, etiam contra partem tutiorem ac probabiliorem.

Objectio prima.

Solvuntur Objectiones.

Lex quomodo debeat observari?

22. OBjicies 1. ex Mercoro *part. 2. art. 28.* lex vel est antiqua, vel nova. Si antiqua, communis Doctorum interpretatio, vel consuetudo omnem legis ambiguitatem tollit; nec ullatenus admitti potest nova interpretatio, etsi probabilis, si sit praxi contraria: alioquin tres vel quatuor Doctores possent pro libito omnem legum vim evertere; cùm nulla sit falsitas in moralibus, quæ aliqua probabilitatis apparentiâ vestiri non possit Si nova, ejus observatio vel patitur, vel non patitur moram. Si patiatur moram, legislator consulendus est. Si non patiatur moram, lex illa observanda est sectando interpretationem probabilem, quæ caret periculo faciendi contra legem. Ita S.Tho, *1. 2. qu. 96. art. 6.*

Resp. communem Doctorum expositionem, & uniformem consuetudinem esse optimam legum interpretationem; ad illam ergo recurrendum est, si habeatur, quia, si detur, omnem tollit ambiguitatem. Verùm nos non loquimur pro tali casu, sed solùm quando diversæ hinc inde sunt Doctorum sententiæ, & tunc dicimus legem ad illa non obligare ex defectu sufficientis promulgationis. Huic respondere debebat Mercorus, sed ad hoc verbum non haber. Cæterùm in casu nostro sensus communis Doctorum favet benignæ sententiæ, quia omnes fermè unanimiter, fatentibus etiam adversariis, docent, cuique licitum esse sectari opinionem minùs tutam etiam minùs probabilem, & praxis communis Ecclesiæ confirmat legem probabiliter non obligantem verè non obligare. Unde jam arguo non solùm ex defectu promulgationis, sed multò magis ex promulgatione certò limitante legem; communis enim Doctorum interpretatio, communisque subditorum praxis æquivalet promulgationi limitanti universalitatem legis. At utraque evidenter favet benignæ sententiæ; quæ proinde ex hoc ipso validissimè confirmatur. Atque hinc ad hominem arguo contra Mercorum; si nova, ut ipse vult, interpretatio, etsi probabilis, non debeat admitti contra communem sententiam & praxim; Mercorus, paucique ejus socii nullatenus audiendi sunt, quia nuper incæperunt docere, illicitum esse sequi partem minùs tutam etsi certò probabilem, aut etiam, ut vult Mercorus, probabiliorem, idque contra communem opinionem, & praxim ad minimum centum annorum spatio stabilitam, & etiamnum perseverantem. Itaque sententia Mercori ex propriis ipsius principiis penitus rejicienda est.

Consuetudo optima legum interpres.

Mercorus sibi contrarius.

23. Cæterùm interpretatio rationabilis legis, etiam antiquæ, non ideò rejicienda est, quia nova; alioquin non liceret novam ullam

Rationabilis interpretatio etsi nova.

mitigat rigorè legis, nisi praxis contraria vim legis obtineat. ullam opinionem contra communem aliorum sententiam invehere, quod certissimè falsum est; quia fieri potest, ut novæ rationes aut probabiliores aut tam probabiles inveniantur pro sententiâ novâ, quàm quæ militant pro opinione antiquâ; tunc autem nova sententia licitè inducitur, & priorem obligationem tollit, nisi contraria praxis & consuetudo vim legis obtineat. At si praxis ipsa & consuetudo vim legis non habeat, tunc nova ratio probabilis, suadens legislatorem non tulisse legem, aut non comprehendisse in suâ lege tale determinatum objectum, efficit, ne lex priùs eredita locum habeat, & munus legis exerceat; quia cessat præsumptio, quòd legislator eam in eo sensu servari voluerit. Immò manifestum est, legem illam non posse amplius subditos dirigere per modum legis, seu absoluti imperii, cùm detur prudens præsumptio, quòd superior nullam talem voluntatem habeat. Neque hinc sequitur observantiam legum à tribus vel quatuor Doctoribus posse everti, quia raro contingit, rationes verè probabiles contra communem omnium sententiam reperiri; neque enim illas invenire situm est in quorumvis potestate, ut patet. Quòd si illæ reperiantur, nil mirum, si rigor legis desinat, cùm jam ex rationabili causâ mens legislatoris aliter innotescat, quàm ante innotesceret.

In dubio de lege novâ quando recurrendum est ad Legislatorem? 24. Idem dico de lege novâ, modò operatio moram non patiatur, quòd certè plerumque contingit; nimis enim durum esset obligari ad observantiam in verbis legis probabiliter non inclusam, donec legislator conveniri posset, ut legem interpretaretur. Immò ex dictis præsumendum est, legislatores nolle suos subditos cum tanto onere ad res probabiliter non contentas in lege obligare. Quòd si operatio moram patiatur, & recursus ad legislatorem sit facilis, raro probabile est, quòd inconsulto superiore liceat contra expressa verba legis agere; ideóque talia exempla non sunt ad rem, cùm non procedant de probabilitate practicâ. Quòd si probabiliter liceat hoc vel illud agere inconsulto legislatore, dico id licitè fieri posse absque dicto recursu. Cur enim ad eum recurrendum est? an ut novam legem condat? an ut antiquam voluntatem declaret? Non ut novam legem condat; quia ad hoc nemo tenetur. Non ut mentem priorem declaret, quia in similibus casibus raro aut numquam legislator scit quid absolutè intenderit, ut patet in Episcopo vetante opera servilia, quia nescit an exercitium pingendi comprehendatur sub illis verbis vel non.

Porrò locus ex S. Thomâ citatus expressè loquitur de Epikeiâ, interpretante legem contra expressa verba ipsius legis. Talis autem Epikeia tunc solùm est licita, quando certò constat legislatorem noluisse comprehendere tale objectum in suâ lege. Extra hunc casum, quoties operatio moram patitur, & legislator facilè conveniri potest, numquam probabile est, quòd liceat contra expressa verba legis facere, illamque propriâ authoritate corrigere. Itaque casus iste aliique ejusmodi non tangunt præsentem difficultatem, quæ solùm procedit de certâ probabilitate practicâ; ut sæpè dictum est. Qui plura de mente S. Thomæ in hoc loco velit, legat Vasquez *1. 2. disp. 176.* ubi totum illum articulum pulcherrimè exponit. *S. Thomas loquitur de probabilitate speculativâ.*

25. Objicies 2. Pius IV. statuit, ne quis absque Sedis Apostolicæ licentiâ ullas interpretationes in decreta Concilii Tridentini edat. Similia alii summi Pontifices in suarum constitutionum observatione exigunt. Signum ergo est, legislatores nolle suas leges secundùm aliorum interpretationes, sed juxta sensum verborum observari. *Objectio secunda.*

Resp. hæc esse verissima, sed non ostendere, quomodo lex sufficienter promulgetur quoad aliquid, quando probabile est, illud non contineri sub verbis legis. Prohibent

Legislatores summi putant, probabilem Doctorum glossam esse sufficientem conscientiæ regulam.

hibent quidem legislatores, ne quisquam pro libito glossas edat in suas leges, ne fortè multi interpretationes improbabiles affingant, atque ita vim legum enervent. Cæterùm hinc apertè constat, summos Pontifices existimasse, probabilem interpretationem ad mitigandum legis rigorem sufficere, alioquin frustra prohibuissent tales interpretationes, quia illicitum esset illas sequi, si non obstante tali interpretatione in omnibus tutior pars esset tenenda. Præterea Pontifices non vetuerunt interpretationes & glossas scribi (illæ enim propter dubia occurrentia sæpè sunt necessariæ) sed solùm ne sine licentiâ scribantur; hanc autem licentiam viris tantùm peritis & probis committunt. Eo ipso autem, quod hanc facultatem concedant, supponendi sunt scire, & tacitè saltem approbare, quod cuique tutâ conscientiâ liceat ejusmodi interpretationes sequi, quia illæ præsumendæ sunt esse prudentes; alioquin frustra talem facultatem concessissent. At quid aliud, quæso, docet benigna sententia? Ecce quæ objiciuntur contra nos, maximè nobis favent. Verum quidem est, legislatores velle suas leges observari juxta sensum verborum, sed hoc non controvertitur: solùm enim quæritur, an præsumendi sint velle illa, ut certò inclusa in sensu verborum, strictè observari, ad quæ probabile est & verba legis, & mentem legislatoris non extendi. Certè non hoc sed oppositum præsumi debet, ut constat ex dictis, & fieri non potest, ut lex in ordine ad talia sit sufficienter promulgata. In his ergo tribuant sibi legislatores, si sua imperia aliquando violari videant, cùm sufficienter non explicârint voluntatem suam, cui sufficienter explicatæ subditi paratissimi erant obedire.

Præsumendum est, legislatores nolle obligare subditos ad sectum

26. Objicies 3. In dubio semper præsumendum est, legislatorem velle obligare subditos ad sectandam partem tutiorem.

Resp. objectionem hanc, æquè ac præcedentes, impugnare usum partis minùs tutæ etsi probabilioris. At indubitanter licet sectari probabiliora. ergo certum est objectiones hasce esse nullas. Imò certum est præsumi debere, quòd legislatores nolint subditos ad tutiora obligare, quando probabile est partem minùs tutam esse licitam. Legislatores enim si tam strictè voluissent procedere, idipsum, quod factu est facile, clarè expressissent. Non expresserunt: ergo noluerunt tam rigidè suos subditos dirigere. Immò quamdiu id non exprimunt est impossibile, quòd ad ea subditos obligent, quia lex sufficienter non promulgata non obligat.

Strictissimum legum.

Probatio quarta.

Ratio quarta.

Præceptum, quod post omnē inquisitionem manet dubium, nec obligat, nec fundat obligationem.

27. CEleberrimum est illud dictum Lactantii Firmiani *lib. 3. instit. cap. 27. Stultissimi est hominis, præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera sint, an falsa, dubitatur; & ideò nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare.* Scio Lactantium loqui de præceptionibus Philosophorum, potiùs quàm de præceptis legislatorum; sed quoad hoc de utrisque eadem est ratio; quia lex, de quâ dubitatur, an sit nec ne, si, post omnem conatum adhibitum pro veritate inveniendâ, non appareat, sed maneat incertum, an lata fuerit, neminem obligare potest; *nam stultissimum est tali præcepto, ut præcepto, velle parere, cùm an sit verum, vel fictum præceptum dubitatur; & ideò nemo paret, quia nemo vult ad incertum quasi ad certum se obligatum reputare.* At hic est casus noster; nam post omnem conatum adhibitum, adhuc incertum est, an aliquid sit vetitum nec ne, imò supponitur manere probabile quòd liceat. Ergo eo ipso legitimè infertur, quòd nulla ejusmodi obligatio urgeat. Formatur autem hic discursus. *Obligatio non supponitur sed probatur. sed hæc obligatio post omnem industriam probari non potuit. ergo non debet præsumi,*

præsumi, sed præsumendum est, quòd nulla detur. Similiter iste alius syllogismus hoc modo deducitur. *Si lex aliqua actionem hanc prohiberet, illa post debitam diligentiam patuisset; at post omnem industriam non patet, quia res semper manet incerta. ergo nulla lex prohibet hanc actionem.* Et in hoc fundantur Authores innumerabiles, qui tenent præceptum, seu jus dubium non obligare; non quòd teneant licitum esse operari, stante dubio an res sit prohibita, hoc enim omnes negant, sed quòd doceant, si pòst omnem conatum adhibitum jus maneat incertum, posse nos prudenter formare judicium, quòd nulla ejusmodi lex urgeat, adeóque quòd liberè possimus pro arbitratu agere, ac si nulla ejusmodi lex esset condita. Specificant autem se plurimi ex istis Authoribus in voto, & dicunt, quod votum dubium non obliget, quia est dubium legis, quæ per ipsum votum formalissimè imponitur. Proinde Vasquez malè arguit eos, qui dicunt dubium de voto esse dubium juris, eò quòd sit dubium facti, nempè voti emissi; nam hoc modo dubium legis semper connectitur cum dubio facti indistincti à lege; scilicet an lex lata & promulgata fuerit. Idem valet de voto, quod proinde consideratur ut lex, non ut factum à lege distinctum.

Lex post diligentem inquisitionem remanens dubia non obligat.

28. Jam quòd lex hoc modo dubia nec obliget, nec obligare possit instar legis habentis & exercentis vim suam, probatur multipliciter. 1. ex defectu promulgationis sufficientis, de quo proximè dictum est. 2. ex essentiâ legis, quippè quæ est regula & mensura operationum subditi à superiore imposita. Atqui voluntas dubia superioris, quæ fortè existit fortè non existit, non potest præcedere, dirigere ac gubernare ac regulare operationes subditorum, quia dubium est an actio sit conformis necne voluntati & imperio superioris. ergo lex dubia non potest obligare & regulare, instar legis & regulæ arctantis & exercentis vim suam. 3. ex opposito, si lex dubia obligaret, perinde deberemus nos gerere in dubio manente post legem investigatam, ac in certâ cognitione legis. At hoc est falsum, quia post legem non inventam prudenter præsumitur, legem illam non existere. At talis præsumptio sicut contraria est certæ notitiæ legis, ita fundat contrarios effectus. Certitudo enim legis obligat, at prudens illa præsumptio de non existentiâ legis deobligat. 4. quia, ipsis adversariis fatentibus, in dubio de sensu legis, si omnes communiter de eo dubitent, lex non arctat ad servandum illum sensum. ergo à fortiori dubium de ipsâ lege ejus vim enervat, quia plus est dubitare de substantiâ legis, quàm, suppositâ ejus existentiâ, solùm dubitare de ejusdem sensu. Sicut ergo favorabilis præsumptio locum habet quando sensus legis est dubius, ita à fortiori locum habet, quando ipsa legis substantia est dubia. 5. demum, quia lex dubia non aliter arctat si existat, quàm si non existat, nam utcumque se habeat, iidem omninò sunt actus intellectûs & voluntatis in operante, quamdiu eodem modo dubitatur de lege. ergo eodem modo peccat vel non peccat, sive existat lex illa, sive non existat; quia, actibus intellectûs & voluntatis invariatis, eodem semper modo se habet homo ad peccandum & non peccandum, ut notum est. Sed lex dubia, si non existat, non habet vim arctandi & obligandi; ut patet, quia voluntas superioris non existens non potest quemquam obligare, vel dirigere. ergo neque si existat potest obligare & arctare quemquam, aut ullam malitiam in actum refundere, alioquin graviùs peccaret, qui legem dubiam existentem, quàm qui non existentem violaret, quod est absurdum. Ergo lex, quæ post omnem investigationem manet dubia neminem obligat. At quoties omnibus consideratis, probabile est, nullam

ejusmodi

ejusmodi jus existere, existentia legis post diligentiam omnem incerta est & dubia. ergo neminem ligare potest. Unde intellectus consurgit ad deponendum dubium, & rationabilissimè concludit, neminem ex vi talis legis obligari ad sectanda tutiora; sed cuique licitum esse in tali casu sectari minùs tuta, cùm dirigatur per prudentem præsumptionem, quod tale opus sit licitum.

Lex, ut obliget, debet certò innotescere.

29. Ex dictis sequitur, quòd nulla lex verè obliget aut vim legis exerceat, nisi aut certò innotescat, aut saltem absolutè credatur existere, quia sic tantùm & non aliter potest munus legis implere, ac subditos dirigere; unde qui operatur in dubio non idcò peccat, quia legem dubiam, sed quia certam legem certò cognitam violat, ut ostensum est *quæst. 18.*

Qui sequitur opinionem minùs probabilē nullam legem obligantem violat.

30. Atque hinc efficacissimè probo, unicuique licitum esse in omni materiâ sequi quamcumque opinionem certò practicè probabilem; & sic arguo. Sectans opinionem probabilem non potest peccare, nisi violet aliquam legem vel certò existentem, atque inevitabiliter obligantem, vel saltem absolutè creditam ut existentem & obligantem. At nulla datur lex aut certò existens & inevitabiliter obligans, aut saltem credita ut existens, quæ vetet usum partis minùs tutæ & directè minùs probabilis. Ergo non peccat, qui sequitur opinionem minùs probabilem minúsque tutam. Major efficaciter constat ex dictis. Minor sic evincitur; si ulla daretur ejusmodi lex præcipiens partem tutiorem, vel esset lex directa per se tendens ad exigendum obsequium in tali materiâ, vel certè lex reflexa generaliter præcipiens usum partis tutioris, aut certè peculiariter eum præcipiens, quando pars minùs tuta est & creditur minùs probabilis; alia enim lex ad præsens institutum est impertinens. At nulla datur ejusmodi lex. Non directa, quia illa nec certò existit, nec creditur existere, quia probabile est quod non detur. Non reflexa, quia benigna sententia negans talem legem est ad minimum certò probabilis, ideóque omne judicium de ejus existentiâ suspendi potest. Ecce utraque præmissa vera est, & efficaciter stabilita. Consequentia autem legitimè deducitur.

Porrò judicium, quo dubium deponitur & conscientia constituitur ex vi rationis hic positæ, sic formatur. *Quando nulla adest lex certò obligans, nec creditur obligare ad sectandam partem tutiorem, licet minùs tutam sectari. Sed quamdiu pars minùs tuta est certò probabilis practicè, nulla lex nec directa nec reflexa certò obligat nec creditur obligare ad sectandam partem tutiorem. ergo quamdiu pars minùs tuta est certò practicè probabilis, licet illam sectari.*

Solvuntur objectiones.

31. OBjicies 1. Peccat, qui operatur in dubio. ergo lex dubia obligat; illa enim lex obligat, quâ ablatâ tollitur peccatum. At ablatâ lege dubiâ tollitur peccatum, quia certitudo honestatis ponitur. Objectio prima.

Resp. legem dubiam auferri dupliciter, primò per certitudinem de honestate, secundò per certitudinem de inhonestate objecti. In primo casu tollitur peccatum, in secundo aggravatur. Jam operans in dubio non deposito peccat, quia contemnit periculum cui se committit, ideóque lex, quamdiu repræsentatur sub dubio, aliquo modo inducit obligationem, non quidem per modum legis, seu imperii arctantis & regulæ dirigentis subditos, sed solùm tamquam circumstantia afficiens objectum, illudque constituens dignum prohibitione reflexâ. Porrò hæc duo ita ad invicem comparantur, ut unum eorum tolli non possit, quin alterum tollatur, quod universaliter verum est in omni objecto intrinsecè inhonesto relatè ad legem æternam, per quam

Dubium de honestate operationis est circumstantia inhonestās objectum, de quo procedit.

quàm prohibetur. Sic si circumstantia, reddens occisionem hominis malam, aufeatur, statim intelligitur auferri lex necessariò vetans homicidium; neque tamen malum intrinsecum homicidio constituit legem, per quam prohibetur. Idem valet in casu nostro. Itaque illa sola lex obligat, quæ, cùm sit instar regulæ dirigentis & imperii arctantis subditos, si auferatur, tollitur peccatum, at lex dubia non est ejusmodi, ut patet. Itaque in eo decipiuntur adversarii, quòd non distinguant inter legem obligantem, & legem dubiam seu dubium legis obligantis, quod dubium se habet per modum circumstantiæ absolutè inhonestantis objectum, de cujus honestate dubitatur, quodque constituit conflatum intrinsecè malum, adæquatè distinctum à lege, per quam prohibetur. Unde quia peccatum est operari in dubio, intulerunt legem dubiam obligare; cùm tamen illa non obliget, sed lex reflexa, essentialiter fundata in actuali dubio legis vetantis. Unde quoties actualis dubitatio prudenter tollitur, lex illa reflexa, & consequenter omnis lex obligans cessat. At eo ipso, quòd post omnem diligentiam adhibitam lex quæsita non invenitur existere, per hoc ipsum dicta dubitatio cessat, quia habetur prudens præsumptio, seu judicium, quòd nulla ejusmodi lex existat; & cõsequenter omnis obligatio tollitur.

Objectio secunda.

32. Objicies 2. Lex prohibens homicidium certum, certò prohibet homicidium dubium, & multò magis prohibet homicidium probabile. Ergo lex prohibens opus servile certum, certò prohibet opus servile dubium, & à fortiori opus probabiliter servile. Ergo universaliter idem dicendum est in omni casu ejusmodi.

Responsio 1. per instantiam.

Resp. inprimis, argumentum nimis probare, quia probat, quòd numquam liceat sectare partem minùs tutam; etsi probabiliorem, quando pars tutior est probabilis; siquidem lex vetans homicidiũ certũ, certò vetat emissionẽ sagittæ ad interficiendam ferã, quandiu probabile est hominem esse interficiendũ, etsi oppositũ sit probabilius.

Responsio 2. directa.

Resp. 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia lex vetans opus servile, non tollit quò minùs probabile sit, & quòd pingere non sit opus servile, & quòd liceat pingere in die festo, ut nunc supponitur, undecumque tandem hæc probabilitas practica inferatur. At lex vetans homicidium certum propter intrinsecum malum homicidii, extenditur ad prohibendum periculum materialis homicidii; tantum enim malum est in homicidio quomodocumque patrato, ut rationabile ejus periculum ita postulet illud prohiberi, ut non sit probabile, quòd in tali periculo liceat operari. Itaque tam hoc exemplum, quàm alia ejusmodi non sunt ad rem, quia non relinquunt legem vetantem tale periculum esse dubiam. At nos loquimur de dubio omnis legis, quomodocumque urgentis, adhuc post omnem investigationem remanente; sicut etiam loquimur de probabilitate practicâ perseverante post debitam diligentiam præmissam. Certum autem est, nullum exemplum posse contra nos in hoc sensu afferri; nam si certò probabile esset, quòd liceret jaculum emittere, non obstante aliquâ remotissimâ formidine homicidii, utique liceret illud emittere, nec lex prohibens homicidium certum extenderetur ad prohibendum illud periculum. At hic est casus noster.

Lex vetans homicidiũ certum, certò extenditur ad vetandũ homicidiũ dubium.

Quæres: unde contingit, ut una lex vetans aliquid, simul certò vetet ejus periculum, ut dictum est de lege prohibente homicidium; & alia prohibens aliud, non certò prohibeat ipsius periculum?

Aliquæ leges æque vetant opus dubium ac certum; aliæ non item. & cur?

Resp. meum non esse hoc investigare, quia ut locus detur quæstioni reflexæ, oportet supponere honestatem rei esse directè probabilem, undecumque tandem probabilitas illa directa provenerit. Pro meo

ergo intento sufficit, quod sciam, opus probabiliter non servile esse probabiliter licitum, & homicidium probabiliter imminens non esse probabiliter licitum. Cæterùm ne videar difficultatem fugere, ex multis disparitatibus alibi sparsim dictis & dicendis, ea est non contemnenda, quòd in periculo homicidii bona fides non suffragetur ad arcendum malum, quod timetur; si enim homo lateat sub vepribus, idem malum eveniet si occidatur, sive res ibi delitescens bonâ fide credatur fera, sive malâ putetur homo; atque ideò bona fides seu probabilis persuasio, quod non sit homo sed fera, non reddit emissionem sagittæ ad illam interficiendam probabiliter licitam. E contra in observatione diei festi, aliud non requiritur quàm Dei cultus; Deus autem per bonam fidem prudenter conceptam ritè colitur; nec ullum aut Deo aut aliis malum sequitur ex eo, quod homo erret in suo judicio. Non Deo, quia Deus damni incapax est, & solùm dehonorari potest. At non dehonoratur, sed honoratur per opus ex bonâ fide rationabiliter conceptâ procedens. Non aliis, quia per hoc nemo aut læditur, aut vituperatur. Atque hinc est, quod in hoc casu aliisque similibus probabilitas, quòd opus non sit servile, efficaciter arguat, quòd sit probabiliter licitum. Atque hoc occasione hujus objectionis dictum sufficiat, plura enim huc facientia alibi dicuntur.

Objectio tertia.

33. Objicies 3. Hactenus allata, esto vera sint in lege positivâ, certè locum non habent in lege naturali; quia quæ lex naturalis prohibet, non sunt mala quia prohibita, sed ideò prohibentur, quia sunt mala. ergo qui non implet legem naturalem, ponit objectum essentialiter malum. ergo peccat. Nec eum excusat ignorantia. Certè qui talia agunt, de quibus probabilius est, quòd sint essentialiter mala, à peccato excusari non possunt; quia lumen rationis dictat, talia objecta in talibus circumstantiis non posse licitè poni.

Responsio.

Resp. doctrinam allatam esse universalem. Verùm hoc interest inter legem positivam & naturalem, quòd rarò contingat, malum lege naturali vetitum, post diligens examen, non apparere esse certò prohibitum; cùm tamen in lege positivâ contrarium sæpè eveniat. Hoc posito, certum est, invincibilem legis naturalis ignorantiam excusare à peccato novo, quia malitia objecti positi, utpotè invincibiliter ignorata, non est voluntaria. Deinde objectum lege naturali vetitum non est intrinsecè malum malitiâ Theologicâ, quæ totaliter derivatur & dependet à lege æternâ illud vetante. Malum autem illi objecto intrinsecum est tantummodò physicum, quod fundat legem vetantem illud omni sufficienter conscio talis mali: accedente autem divinâ prohibitione, objectum illud formaliter constituitur malum malitiâ Theologicâ, ideóque evadit aptum ad refundendam malitiam Theologicam in prosecutionem talis objecti, modò quis prosequatur illud objectum cum contemptu dictæ legis sufficienter intimatæ. Cæterùm si objectum lege naturæ prohibitum appareat probabiliter licitum, eadem est ratio de illo ac de quovis alio objecto lege positivâ prohibito; quia utrobique ex apparentiâ probabili contrariâ par est periculum contemnendi legem divinam, quæ non minùs arctat, quando est positiva, quàm quando est naturalis. Imò est cur minùs arctet, cæteris paribus, in jure naturali; si enim sit directè certò probabile, aliquid esse licitum jure naturæ, eo ipso reflexè est fermè moraliter certum, quòd lege naturæ non prohibeatur, ut infra fusiùs dicetur. Hoc autem verum non est de lege positivâ. ergo est cur directa probabilitas honestatis potiùs excuset in lege naturali, quàm in positivâ.

Malitia Theologica non est minor in peccato contra legem positivam, quàm contra naturalem.

Objectio quarta.

34. Objicies 4. plura capita Juris, ut cap.

cap. ad audientiam, & *cap. significasti 2. de homicidio*, item *cap. inquisitioni de sentent. excom.* & alia ejusmodi, in quibus Pontifices declarant, partem tutiorem esse tenendam in dubio. Ergo hæc nostra ratio contrariatur Pontificum decretis, & regulis, quas ipsi sequuti sunt.

Responsio. *Resp.* textus istos infra suo loco fusè examinandos esse. Interim hîc adverto, nec hos nec ullos ejusmodi textus tangere præsentem difficultatem; quia vel procedunt de dubio facti non juris; vel si procedant aliquo modo de dubio juris, dubium erit v. g. an incurrerit quis irregularitatem, an validè cōtraxerit matrimonium &c. quo dubio stante, non manet dubium an liceat celebrare, aut an liceat petere debitum in tali dubio, nam re investigatâ, & juribus contemplatis, invenietur esse certum, quòd nec celebrare liceat, nec debitum petere. Itaque dubia hujusmodi sunt dubia speculativa. At nos loquimur de dubio formaliter practico, seu de dubio legis proximè obligantis, & dicimus, quòd si, post omnia ritè considerata, dubium directum, an operatio sit prohibita, perseveret, eo ipso omnis obligatio cesset, & à quovis prudenter præsumi possit, quòd nulla existat lex ejusmodi, atque adeò quòd lex illa nec obliget, nec possit obligare. & consequenter dicimus, quòd dubio prudenter deposito liceat partem minùs tutam sectari; idque à fortiori affirmamus, quando est directè certò probabile, quòd pars minùs tuta sit licita. Sed textus isti, aliique similes infra *quæst. 26.* ex professo examinabuntur.

Dubium juris, aliud speculativum aliud practicum; sermo præsens est de dubio practico.

Ratio 4.

Probatio quinta.

Honestè ponitur quod prudenter creditur esse licitum.

35. INtellectus ex imperio voluntatis absoluto judicio ac prudenter assentiri potest objecto propter motivum, quod in actu primo remoto erat & putabatur minùs probabile, quàm objectum contradictoriè oppositum, ut fusè & efficaciter ostensum est *quæst. 9. & 10.* Hoc judicium fundat hunc syllogismum. *Licitum est unicuique facere, quod omnibus pensatis prudenter judicat esse universaliter licitum. Sed ego hîc & nunc omnibus pensatis prudenter judico hoc objectum esse universaliter licitum. ergo hîc & nunc licet mihi hoc facere.* Major est principium synderesis reflexum certum & evidens, ut & per se patet, & efficaciter colligitur ex dictis *quæst. 13. num. 26. & seqq.* item *quæst. 19. num. 6. & seqq. & quæst. 20. num. 3. & seqq.* Minor est actus experimentalis evidens. consequentia est in formâ; est autem dictamen conscientiæ certificans operantem de honestate suæ actionis, quidquid sit de inhonestate objecti, in quod fertur, si secundùm se consideretur independenter à præsentibus circumstantiis.

36. Et sanè hæc ratio evidenter convincit, licitum cuique esse sequi partem minùs tutam, quoties ex vi motivi certò probabilis flectimus intellectum ad absolutè credendum, illud esse universaliter omnibus licitum; tum quia opus illud est conforme judicio certò prudenti essentialiter exclusivo conscientiæ peccati; tum quia conformatur regulæ proximæ à Deo constitutæ, illique certò prudenter elicitæ. At opus positum cum respectu ad tales circumstantias non potest esse inhonestum, ut patet. At quotiescumque pars minùs tuta est directè probabilis, ejusmodi judicium verè elici potest non solùm ex vi authoritatum & rationum reflexarum hactenus expensarum, & in sequentibus expendendarum, de quo nullum est dubium, sed etiam ex vi rationum solùm directè minùs probabilium, ut constat ex dictis *quæst. 9. & 10.* Ergo tam probabile est, quod liceat sequi partem minùs probabilem, quàm est probabile, quòd intellectus assentiri possit motivo minùs probabili. At hoc est probabilissimum: ergo & illud; atque ita major probabilitas

Judicium probabile de honestate operis est regula sufficiens ad honestè operandum.

benignæ sententiæ reflexè infertur ex consideratione imperii voluntatis supra intellectum, ad assentiendum motivo minùs probabili.

Ratio 6.

Probatio sexta.

Omne judiciũ certò probabile est ratio recta.

37. OMne opus conforme rationi rectæ est licitum. Sed omne judicium certò probabile de universali honestate alicujus objecti, si post debitam diligentiam eliciatur, est ratio recta. Ergo opus conforme ejusmodi judicio certò probabili est licitum. Major certa est, & ab omnibus admittitur. Eam ex professo tradit S. Thomas *1. 2. quæst. 19. art. 3.* & cum eo ibidem Interpretes conveniunt. Minor efficaciter probata est *quæst. 12. à num. 14. usque ad finem.* quæ omninò relegenda sunt, quia continent doctrinam summi momenti. Consequentia legitimè deducitur; ex quâ habemus unumquemque licitè sequi partem minùs tutam, quotiescumque omnibus inspectis certò probabiliter judicat illam esse universaliter licitam. At aliud non requirimus.

Ratio 7.

Probatio septima.

Confessarius licitè se conformat probabili opinioni pœnitentis.

38. IN foro pœnitentiali licet Confessario conformare se cuicumque opinioni certò probabili, quam pœnitens sequitur; etsi Confessarius ipse oppositam tutiorem & veram esse credat, & probabiliorem. In hoc conveniunt omnes tam Recentiores (si pauculos modernos excipias) quàm Antiqui. Non opus est elenchum texere, quia rem testatissimam loquor, eamque notoriè veram. Præterea in *quæst. 22.* Recentiores quamplurimos, & ex antiquis non paucos, eosque magni nominis, de verbo ad verbum pro hac sententiâ citatos habes. Ratio autem est clarissima. Quia persuasio Confessarii non dirigit pœnitentem, sed unusquisque à propriâ tantùm conscientiâ proximè dirigitur. Si ergo pœnitens formet conscientiam certò probabilem ac prudentem de honestate objecti, quod ponit, eo ipso licitè operatur; nec Confessarius meritò potest aliter judicare, aut pœnitentem obligare ad sectandam partem tutiorem. Ponamus jam pœnitentem, ratione & authoritate benignæ sententiæ permotum, non solùm credere sibi licitum esse sequi, sed etiam in praxim reducere opinionem directè minùs probabilem; in hoc casu Confessarius licitè potest eum absolvere, tum quia pœnitens habet jus sectandi quamcumque opinionem certò probabilem, quam veram reputat, nec eo jure à Confessario privari potest; tum quia Confessarius debet præsumere, hominem sic operantem, honestè & laudabiliter operari. ergo benigna sententia est tuta regula omnibus, qui eam certò probabiliter veram reputant. At aliud nec docemus, nec persuadere intendimus.

Probatio octava.

Ratio 8.

Sectari probabilia minùs tuta nulli legi repugnat, nec naturali, nec positivæ.

39. QUæstio hæc spectat ad jus naturæ, cùm locum habeat independenter ab omni lege positivâ. Ergo nulla datur obligatio sectandi partem aut tutiorem, aut probabiliorem, vel certè æquè probabilem. Ratio convincens consequentiam est, quia quæ spectant ad jus naturæ, maximè si generalia sint, vix quemquam latent. At obligatio sectandi tutiora latet omnes. Similiter omnes fermè Authores, illique probi pariter ac periti unanimiter tenent, quòd cuique liceat sectari partem minùs tutam, etiam directè minùs probabilem; si tamen sit certò practicè probabilis. Ergo obligatio sectandi aut tutiora, aut probabiliora vel æquè probabilia, etsi sit in materiâ maximè universali, omnes latet, cùm à nemine probari possit. Ergo locus est prudentissimæ

dentissimæ præsumptioni, quòd ad hoc non obligemur jure naturæ. At certum est, quòd lege positivâ ad illud non obligemur. Ergo datur evidens ac prudens præsumptio, quod nemo obligetur ad sectandam partem tutiorem, aut probabiliorem vel æquè probabilem. Vide dicta *quæst. 21. num. 15.* ex quibus, quod hic dicitur, corroborari potest.

Dictamen cõscientiæ quomodo consurgat ex hac ratione? Ex præsumptione fundatâ in istâ ratione conscientia certa consurgit hoc modo. *Quod fit ex præsumptione certò prudenti, quòd illud omnibus liceat nullâque lege prohibeatur, honestè fit. Sed habeo præsumptionem certò prudentem & evidenter rationabilissimam, quòd electio partis minùs tutæ directéque minus probabilis sit omnibus licita nullâque lege prohibeatur. Ergo si pars illa ex hac præsumptione eligatur, honestè eligitur.* Præmissæ sunt evidentes. Consequentia est in formâ. ergo est evidens. est autem ipsa conscientia. Ergo quævis certa probabilitas practica & directa, etsi minor partique minùs tutæ favens, fundat reflexam certitudinem conscientiæ, quod unicè probare intendimus.

Solvuntur objectiones.

Objectio. An lex violari possit absq; peccato? 40. Objicies ex doctrinâ hactenus explicatâ sequitur, legem tam naturalem quàm positivam sæpissimè violari absque peccato. Patet sequela, quia quod est minùs probabile frequenter est falsum. ergo qui sequitur minùs tuta, quando probabiliùs est, quòd sint illicita, frequenter errat, sive versetur in jure positivo sive in naturali. Atqui per nos non peccat. ergo frequenter violans jus positivum & naturale non peccat. At sequela est absurda, nam qui violat legem, peccat, quia *peccatum est dictum, factum, concupitum contra legem æternam.* Præterea si non violaret legem & peccaret, non erraret, dum credit opus illud esse licitum; at errat. ergo peccat.

Responsio. Resp. 1. Argumentum æquè valere contra usum opinionis probabilioris. ergo nimis, ergo nil probat. Resp. 2. intervenire quidem aliquando materialem legis violationem absque peccato, numquam autem formalem: Numquam enim formaliter peccat, nec ullam legem obligantem violat, qui dubio deposito sectatur partem minùs tutam certò practicè probabilem. Nihilominus errat aliquando in judicio illo probabili, per quod negat adesse ullam materialem legis violationem, quia illa subinde intervenit. Cæterùm hæc materialis violatio rarissimè contingit in lege naturali ut dictum est, & non valdè frequenter in lege positivâ, quia voluntas legislatoris rarò extenditur ad ea, quæ sunt probabiliter licita. Ratio à priori doctrinæ hîc traditæ est, quia nullum objectum, cujus honestas est certò probabilis, est ita intrinsecè malum, ut indispensabiliter fundet legem æternam illud sub pœnâ damnationis universaliter prohibentem. Ejusmodi enim objectum subesse potest diversis circumstantiis ipsum honestantibus, vel inhonestantibus. Exemplum sumo à reddente debitum conjugale, quando utrimque probabile est, matrimonium initum fuisse validum & nullum. Hic licitè reddit debitum, etsi erret in judicio, quo putat se suæ legitimæ uxori debitum reddere. Ergo realis fornicatio, etsi lege naturæ prohibita, non est ita indispensabiliter mala, quin si aliquibus circumstantiis vestiatur, evadat honesta. Idem dico de sectante conscientiam probabilem; sicut enim reddens debitum in illis circumstantiis certus est, se nullam legem violare, etsi formidet an fornicetur nec ne; ita qui sequitur opinionem probabilem, semper respicit objectum ut substans circumstantiæ certò illud honestanti; quia fertur in illud prout certò prudenter præsumitur à nullâ lege prohiberi &c. At qui fertur in illud sub tali consideratione, certus est se hîc &

Nil est indispensabiliter prohibitum, quod est probabiliter licitum.

nunc nullam legem violare, etsi formidet, utrum erret in judicio probabili, quo universaliter affirmat illud objectum esse omnibus licitum.

Replica. 41. Dices lex æterna vetans fornicationem violatur, quoties fornicatio ponitur.

Solutio. Resp. legem æternam vetantem fornicationem, utpotè actum divinum omni confusione abstractione ac præcisione carentem, non ferri in omnem materialem fornicationem, sed solùm in illam, cujus electio nullâ circumstantiâ honestatur; alioquin qui dicto modo redderet debitum, necessariò peccaret. Nam non reddendo peccaret contra legem matrimonii; reddendo autem violaret legem non mœchandi. Ergo homo ille non posset non peccare. At sequela est hæresis Janseniana. ergo lex vetans fornicationem non violatur, quoties fornicatio ponitur. *Lex æterna in materialem tantùm transgressionem non fertur.*

Probatio nona.

Ratio 9. principalis. 42. Celebre est illud effatum apud Juris-peritos, *in dubio melior est conditio possidentis*, ex quo apud omnes certum est, quòd in materiâ saltem justitiæ sæpè liceat sequi opinionem æquè probabilem minùs tutam, relicta probabili tutiore. Oriatur exempli gratiâ controversia, utrùm prædium sit meum an alienum? tum omnibus in utramque partem consideratis, tandem possessori appareat probabile, quòd prædium sit suum, sed simul appareat æquè probabile, quòd sit alienum. Quæritur, utrum possessor, cui rationes æquè probabiles favent, teneatur prædium abdicare, eò quòd hoc sit tutius, & æquè probabile sit, prædium ad alium pertinere. Omnes respondent eum non teneri, ne quidem in conscientiâ, quia *in dubio melior est conditio possidentis*. Hinc autem ostendo, eâdem de causâ usum cujuscunque opinionis practicè probabilis omni personarũ generi esse licitũ. *In dubio melior est conditio possidentis.*

43. Inprimis certum est, præceptum illud decalogi, *non furtum facies*, indiscriminatim obligare omnes ne capiant, retineant, aut consumant quæ alieno juri subsunt. Nihilominus ideò præcisè quia Petro est probabile, illud prædium esse suum, non tenetur illud abdicare; nulla quippè alia ratio suppetit ad illud licitè retinendum. demptâ enim hac probabilitate, & stantibus rationibus quas alter habet, possessor tenetur in conscientiâ prædium alteri resignare: ergo sola illa probabilitas retinentem prædium à peccato excusat. At eadem ratio æquè valet in omnibus aliis materiis, neque enim urgentior est obligatio aliarum virtutum, quàm justitiæ; nec ulla est excogitabilis ratio, quæ ostendat, cur certa probabilitas, in contradictione paris probabilitatis oppositæ parti tutiori faventis, à peccato excuset in materiâ justitiæ, & similis probabilitas in aliis materiis non excuset contra probabilitatem faventem parti tutiori. Neque enim disparitas desumi potest aut ex parte Dei, erga quem obligamur, aut ex parte proximi urgentis jus suum contra nos. Non ex parte Dei, quia in materiâ justitiæ magis obligamur Deo, quàm proximo. Non ex parte proximi, quia in aliis virtutibus, v. g. in materiâ misericordiæ, obedientiæ, charitatis &c. non minùs obligamur proximo quàm in materiâ justitiæ. *Ratio ubique vel tota expenditur.*

44. Dices: effatum illud, *in dubio melior est conditio possidentis*, desumitur *ex lege 171. ff. de reg. juris.* ubi hæc habentur. *In pari causâ possessor potior haberi debet.* Hæc lex in materiâ justitiæ tribuit jus possessori ad retinendum, quod possidet. At in aliis materiis nulla ejusmodi lex favet possessori. Ergo dispar est ratio in materiâ justitiæ, ac in aliis materiis. Replica.

Resp. Hujusmodi effata Corpori juris inserta propriè loquendo non sunt leges, sed solùm axiomata quædam certa in re morali, quibus in discussione & resolutione dubiorum Solutio. *Regulæ juris non tam sunt leges.*

quàm axiomata lumine naturæ nota.

dubiorum de legibus ac juribus utendum est tamquam certis & stabilitis fundamentis. Hoc certum est apud omnes; hoc enim effatum locum habebat, antequam inclusum esset in Corpore juris, cóque ut axiòmate certo utebantur homines ad lites dirimendas. Ergo non est, cur titulus possessionis non æquè faveat in unâ ac in aliâ materiâ.

Regula dicta locum habet in omni materiâ.

45. Præterea, etsi dicta regula juris habeatur inter leges civiles, ponitur tamen in jure etiam Canonico, in quo sermo est tam de materiâ aliarum virtutum, quàm justitiæ. Et quidem *65. regula juris in 6.* ita se habet: *In pari delicto vel causâ, potior est conditio possidentis.* Præterea, possessio est titulus communis ad alia etiam, quàm quæ præcisè spectant ad justitiam, adeóque non est potior ratio, cur hæc regula, quæ præcisè fundatur in titulo possessionis, non æquè valeat in aliis materiis, in quibus ratio possessionis invenitur, ac in materiâ justitiæ. Rursus *in cap. quid culpatur, 23. quæst. 1.* habetur, quòd miles subditus, in dubio de justitiâ belli, suo regi eum ad bellum evocanti obedire possit; & tamen hæc est materia obedientiæ, ut patet. ergo constat hanc regulam ad alias virtutes præter justitiam pertinere.

Voluntas habet naturale dominium in omnia, nisi lege prohibeantur.

46. Sed pergo ulteriùs, & sic discurro cum Esparzâ *quæst. 23. art. 3. de act. hum.* Evidens est, voluntatem esse sui juris, cæterásque potentias ipsi naturaliter esse ita subjectas, ut omnia, tam intra quàm extra hominem, tam quoad rerum usum, quàm quoad potentiarum actus naturali voluntatis dominio subjecta sint. Ratione hujus dominii voluntas ex naturali suæ conditionis excellentiâ est in plenissimâ possessione dominii circa ista omnia, nec ab eâ deturbari debet, nisi pari evidentiâ constet, usum hujus dominii aliquâ lege sibi restringi, quatenus aliquis subjectarum potentiarum actus legitimè prohibetur. Neque enim quisquam incertas juris certi limitationes seu exceptiones tenetur admittere. Porrò leges omnes, non solùm naturales, sed etiam positivæ, sunt quædam limitationes, & exceptiones juris, ac dominii, quod naturaliter competit homini circa inferiora omnia tam intra quàm extra hominem. Ergo donec pari certitudine constet, legem aliquam restringentem dominium naturale ejusque usum, existere, non tenetur homo talem legem admittere. Ecce regula illa juris, *in dubio melior est conditio possidentis*, non solùm ad æqualitatem, sed cum manifesto excessu potiorem locum tenet in voluntate relatè ad omnem omninò materiam, quàm habet in materiâ justitiæ, quando nullum certum jus ad illam rem præcessit.

Incertæ limitationes contra jus certum admitti non debent.

Confirmatur ratio 4.

47. Atque hinc efficacissimè confirmatur ratio quarta, in quâ diximus, legem dubiam non obligare; hoc enim multò magis valet, quando dubitans est in possessione suæ libertatis, quia *in dubio melior est conditio possidentis.* At quoties dubito de lege, v. g. de voto, toties sum in possessione meæ libertatis, nam præscindendo à voto liberum mihi erat omittere actionem illam. Ergo quamdiu lex & votum est dubium, libertas arctanda non est, quia *in dubio melior est conditio possidentis.*

Regula allata locum habet in omni materiâ.

48. Porrò quòd dicit Vasq. *in 1. 2. disp. 66.* regulam illã *in dubio &c.* non habere locum nisi in materiâ justitiæ, quando litigatur inter duos, quorum neuter habet jus clarum, id enimverò gratis dicitur. Ponamus enim, me vovisse dare librum Petro. In hoc casu est quædam lis inter me & Petrum, an tenear illi dare librum ob dubium voti, an possim illum mihi retinere, quia dubito an voverim. Certè cùm votum sit dubium, ego habeo tantum jus ad retinendum, quantum ille ad postulandum librum: ergo in hoc pares sumus. At aliunde ego possideo libertatem meam. ergo mea conditio melior est. Idem dico de voto facto Deo, quamdiu

quamdiu jus Dei ex vi voti est dubium; Deus enim ex hoc capite præferri non debet. Ex aliâ parte ego sum in possessione libertatis. ergo quoad hoc mea conditio est melior. Jam quòd obligatio dandi rem sit ex justitiâ commutativâ aut aliâ virtute, per accidens est ad præsentem quæstionem. Fingamus, votum dare illi titulum justitiæ, in cujus favorem emittitur. Certè hoc non obstante, in casu dubii mihi suffragaretur possessio. Ergo à fortiori nunc suffragatur, quia nunc tribuit alteri jus minus, quàm tunc tribueret. Stet ergo fixum, *quod quamdiu post omnia considerata lex manet dubia, melior sit conditio possidentis.* Et sanè in materiis à justitiâ distinctis, ut in voto, non magis exponimur periculo negandi Deo, quod materialiter illi debetur, quàm in materiâ justitiæ exponamur periculo materialiter privandi proximum re suâ. Ergo sicut Petrus non potest esse rationabiliter invitus, si mihi reservem rem possessam, non obstante dubio quòd ad illum pertineat, ita ille, cui vovi, non potest esse rationabiliter invitus, si in simili dubio mihi reservem rem quam vovi, quia in utroque casu æquè sum in possessione meæ libertatis.

Replica. Dices: hæc ponderatio locum habet erga proximum, quia si hæc regula in hac causâ mihi faveat contra alium; in aliâ æquè favebit alteri contra me. At hoc non videtur habere locum, si titulus possessionis nostræ referatur ad Deum urgentem jus suum contra nos.

Solutio. Resp. eandem regulam æquè favere Deo contra nos, ac nobis contra Deum. Favet nobis, quamdiu sumus in possessione libertatis. Favet Deo, quando lex est in possessione. Unde si lex certò existat, & dubium sit, an solverim debitum, æquè teneor in illo dubio ad solvendum, ac si certò non solvissem debitum. Cùm ergo regula hæc faveat Deo, quando possessio stat pro lege, ita favet nobis, quando possessio stat pro libertate, & dubium est de lege.

49. Ratio hæc hactenus explicata planè evincit benignam sententiam esse veram, quamdiu aut probabilius est aut æquè probabile, possessorem habere quàm non habere jus in re possessâ; quia tamdiu certum est, quòd in materiâ justitiæ possessio meliorem reddat conditionem possidentis. At eadem est ratio in aliis materiis, in quibus possessio favet alicui. Ergo illa in pari probabilitate directâ universaliter fundat præsumptionem reflexam moraliter certam, quòd possessori liceat sectari partem minùs tutam, modò pars tutior non sit probabilior.

50. Porrò quod spectat ad minorem probabilitatem eadem est ratio; nam etsi possessor putet, rationes alteri faventes esse paulo meliores (quod tamen rarò evenit quando pro se habet rationes certò probabiles, quia unusquisque ex affectu inclinat intellectum ad favorabiliter judicandum in causâ propriâ) tamen licitè retinet rem possessam, quia excessus ille probabilitatis non præponderat titulo possessionis, nec facit conditionem actoris meliorem conditione possessoris, ut communiter tenent Authores. Videatur Lugo. *disp. 17. de just. & jure. sec. 4.* propè finem, ubi eruditè tractat rem hanc, eamque tum ex propriâ tum aliorum opinione defendit. Eandem opinionem apud ipsum antea defenderant Vasquez *1. 2. disp. 66. cap. 7.* Salas *1. 2. tract. 8. disp. unicâ num. 231.* Bonacina *de restit. disp. 1. quæst. 2.* Aragonius *quæst. 62. art. 1.* Sanchez *lib. 1. in decal. cap. 13. num. 9. & lib. 2. cap. 12.* Castrus Palaus *tom. 1. tract 1. disp. 3. puncto 2.*

Possessio favet possessori etiā in casu minoris probabilitatis.

51. Ejusdem rei ratio ulterior est, quia cùm possessor non sit judex in causâ propriâ, non tenetur abdicare rem possessam propter quemvis excessum probabilitatis ipsi apparentem, sed licitè potest de jure suo apud judicem contendere, cui fortassè probabilius

Confirmatur idipsū.

bilius aut saltem æquè probabile apparebit, quod ipsi videtur minùs probabile. ergo certa probabilitas proprii juris, etsi videatur minor, juncta titulo possessionis tamdiu saltem meliorem reddit conditionem possidentis, quamdiu spes rationabilis est, quòd jus ipsius rite expositum à perito judice habendum sit saltem æquè probabile, ac jus alterius. At spes hæc semper adest, quando ratio favens juri alicujus est certò probabilis, quia quod pluribus videtur minùs probabile, ab aliis sæpè reputatur longè probabilius.

Confirmatio 2. ejusdem rei. 52. Confirmatur hæc ratio, quia si constiterit, rem possessam tali tempore certo jure ad me spectasse, meque eam hactenus semper bonâ fide possedisse, tunc certa probabilitas, etsi minor, quòd ea res ab illo tempore alienata non fuerit, juncta juri certo antiquo & continuatæ possessioni, meliorem reddit conditionem possidentis, saltem donec Judex sententiam tulerit, si spes prudens affulgeat, quod Judex, si conveniatur, sit illum in possessione retenturus. ergo idem dicendum in aliis materiis. ergo cuique licet sectari quamvis opinionem practicè probabilem, etsi opposita ipsi videatur directè probabilior; quia minor illa probabilitas directa jungitur titulo possessionis rei, quæ certo jure suberat libero ejus dominio, ut patet in voto. Idem valet de quavis aliâ lege, quia omnia primitus certissimè subsunt dominio voluntatis, donec lege prohibeantur. Ergo certa probabilitas, quòd lex talis numquam lata fuerit, juncta possessioni libertatis hactenus continuatæ meliorem reddit conditionem possidentis, quamdiu spes rationabilis affulget, quod Ecclesia aut respublica (quas Deus in rebus istiusmodi constituit Judices) in favorem possessoris sententiam sit latura, saltem ut conservetur in suâ possessione. At hæc spes semper adest, quamdiu certa probabilitas practica favet possessori. Sic possum prudenter credere Ecclesiam numquam fortassè prolaturam esse sententiam contra S. Thomam ejusque sequaces, quòd circumstantiæ in eadem specie notabiliter aggravantes sint necessariò confitendæ, etsi rationes illorum mihi videantur multò inferiores rationibus partis oppositæ tutioris. Idem valet in omnibus aliis casibus, quando directa probabilitas partis minùs tutæ est certa. Ergo semper licet sectari partem minùs tutam, si ejus honestas sit certò probabilis, quia *in tali casu melior est conditio possidentis.*

53. Porrò ex vi hujus rationis intellectus toties consurgit ad formandam conscientiam certam de honestate suæ operationis, quoties objectum, quod eligitur, est probabiliter honestum, licet rationes etiam probabiles directè suadeant illud esse inhonestum. Intellectus enim sic discurrit *In omni dubio probabili melior est conditio possidentis, quia incerta juris exceptiones neminem gravant contra jus alioqui certum. Sed hîc & nunc post diligens veritatis examen adhuc sum in dubio probabili an hoc objectum sit exemptum à jure mihi naturaliter competente, in cujus possessione sum, & hactenus fui; ergo melior est conditio libertatis, quæ proinde licitè potest uti hoc objecto pro suo arbitratu.* Præmissæ sunt ad minimum moraliter certæ, eandem autem certitudinem habet consequentia, utpotè ab illis legitimè deducta. Quomodo ex hac regulâ juris intellectus formet cōscientiam certam?

Solvuntur objectiones Mercori.

54. Objicies 1. ex Mercoro *part. 2. praxis limitatæ. art. 29.* Illa regula juris, Objectio prima. in dubiis melior est conditio possidentis ideò locum habet in materiâ justitiæ, quia possessio facit præsumptionem, quòd possessor sit dominus rei possessæ; nam qui tradit alteri rem, simul solet ejusdem dominium tradere. Ergo qui possidet rem,

præsumitur simul possidere jus in re. neque enim possessor censendus est jus alienasse, cùm apud se rem retineat. At possessio in aliis materiis non facit præsumptionem veritatis pro Parte, quæ possidet. Ergo possessio ei favere non debet. Probatur minor: dubius an emiserit votum, non tenetur illud observare, non quia possessio, ut multi contendunt, stat pro libertate dubitantis; nam possessio hæc nullam fundat præsumptionem, quòd ille votum non emiserit. Ergo possessio illa impertinenter se habet ad excusandum dubitantem. Dubitans ergo ideò excusatur, quia votum non solet emitti nisi ex maturâ deliberatione; quæ autem non perfunctoriè, sed cum maturâ deliberatione perficiuntur, memoriæ infixa inhærere solent; atque adeo cùm nulla sit certa memoria voti, præsumendum est, quòd votum non sit emissum. Hæc tantùm præsumptio, non autem dicta possessio libertatis, dubitantem de voto liberat ab onere implendi votum dubium.

Votum dubium non obligat; & cur?

Responsio.

Resp. possessionem tunc solùm facere præsumptionem, quòd res sit possidentis, quando nil affertur in contrarium. At nos in casu præsenti supponimus dari præsumptiones, & rationes æquales, aut etiam validiores, quòd, non obstante possessione, res illa ad alium pertineat: quâ ergo conscientiâ potest possessor rem tenere, si non liceat sequi opinionem probabilem minùs tutam in contradictione oppositæ probabilis magisque tutæ? Difficultas hæc à Mercoro solvenda erat, sed eam non tangit. Quomodo enim par aut major præsumptio partis tutioris non tollit parem aut minorem præsumptionem circa partem minùs tutam, sicut per ipsum par aut major probabilitas partis tutioris penitùs extinguit probabilitatem parem aut minorem parti minùs tutæ faventem? Certum tamen est, possessorem talem licitè retinere rem possessam, non obstante majore probabilitate, & potiori præsumptione pro parte tutiore. Hujus rei una, præter alias, & efficax ratio est, quia *ipsa possessio, in dubio meliorem reddit conditionem possidentis.* Præterea si verum diceret Mercorus, judex non posset ferre sententiam contra possessorem, etsi competitor plurimas afferret rationes, & alter meram possessionem allegaret; quia possidens rem per hoc ipsum præsumitur habere jus in re, ut contendit Mercorus. At sequela est falsa. Fallitur ergo Mercorus, dum dicit, rationem hujus effati esse validam præsumptionem juris à rei possessione inseparabilem. certum enim est, talem juris præsumptionem non semper connecti cum actuali rerum possessione.

Possessio an, & quando faciat præsumptionem juris?

55. Præterea falsum est, possessionem in aliis materiis non facere præsumptionem, quòd res possessa legitimo jure teneatur. Nam quòd hactenus possederim libertatem meam absque onere mihi repræsentato, præsumptionem facit, quòd illam non abdicaverim; nam si abdicassem illam per votum, eam hucusque non possedissem, sed conscius fuissem alienationis antea factæ; quocirca quòd nunc incipiam dubitare de voto emisso, non habet vim dejiciendi me à pristinâ libertatis possessione; ad hoc enim, non minùs quàm in materiâ justitiæ, necesse est, ut abdicatio libertatis talibus argumentis probetur, quæ reddant negationem abdicationis aut evidenter falsam, aut penitùs improbabilem.

Possessio æquè favet possessori in materiâ religionis, aliisque, ac in materiâ justitiæ.

56. Nec tamen nego Mercoro, defectum memoriæ certæ in re tam seriâ facere præsumptionem de voto non emisso; verùm hoc ipsum probat oppositum ejus, quod intendit; nam præsumptio, quòd votum non sit emissum, est formalissima præsumptio, quòd homo ille sit in connaturali possessione libertatis, quam hîc & nunc aliter quàm per votum constat alienatam non fuisse. Jam ergo quæro, cur hæc præsumptio prævaleat argumentis & præsumptionibus

Votum dubium non obligat, quia melior est conditio possidentis.

pulonibus non minoribus parti tutiori faventibus? Certè ratio lumine naturæ nota est: quòd *in dubio melior sit conditio possidentis.* Cùm enim constet, me jure naturæ dominum esse meæ libertatis, illamque jure naturæ possidere, profectò quamdiu datur prudens præsumptio quòd libertatem non alienaverim, non teneor me illa privare, etsi detur par præsumptio in oppositum, idque ex eo capite præcisè, quia *in dubio potior est conditio possidentis.*

Objectio secunda.

57. Objicies 2. ex eodem Mercoro. Possessio à juris-peritis definitur esse detentio rei corporalis, corporis, animi, jurisque adminiculo; ergo dicta regula nisi per abusum extendi non potest ad alias materias, quarum, cùm non sint corporales, nulla esse potest possessio. Rursus, illa extensio regulæ nullum habet fundamentum in jure scripto. Ergo transferri non debet ad alias materias.

Possessio quid? & quarum rerum?

Responsio.

Resp. etsi apud juris-peritos sola corporalia dicerentur propriè possideri, incorporalia verò, uti beneficia, & jura, v. g. jus præsentandi, jus patronatus &c. solùm dicerentur quasi possideri, nihilominùs jam communis Doctorum sententia rebus etiam incorporalibus veram possessionem tribuit, ut docent Covatruvias, Lessius, Molina, Rebellus, aliique. Sed esto, non dicantur ista propriè possideri, an ideò ad materiam justitiæ non spectant? Spectant, inquies, indubitanter. Quid ergo? an in illis locum non habet regula illa juris, *melior est conditio possidentis?* nonnè regula illa in tota materiâ justitiæ æqualem vim obtinet? utique respondebis, obtinet. Ergo obtinet vim ubi non est propria possessio. Cur ergo eam non obtinet in aliis materiis, in quibus non minùs impropria possessio datur, quàm sæpè detur in materiâ justitiæ, in quâ tamen regula illa universalem locum obtinet? Jam verò quod additur, nullum in jure scripto esse fundamentum extendendi hanc regulam ad alias virtutes, falsum est, tum quia regula illa invenitur in jure canonico, in quo multa traduntur ad alias virtutes spectantia; tum quia, cùm non sit lex, sed axioma quoddam quasi per se notum, eo ipso quòd sit in jure expressum, æquè regulat discursum pro omni materiâ, ubi par est ratio; tum demum, quia semper evidens paritas, seu potiùs manifesta identitas rationis ubique valet. At in tali evidente paritate & identitate rationis vis præsentis argumenti consistit.

Non solùm corporalia, sed etiam incorporalia, propriè possidentur.

58. Objicies 3. Plures Authores docent, regulam hanc non habere locum nisi in materiâ justitiæ. Et quidem Suarez *tom. 5. in 3. partem. disp. 40. sec. 5.* expresè docet oppositam sententiam carere fundamento, & esse omninò falsam. Ergo hæc regula sine fundamento ad alias materias transfertur. Ita Mercorus loco citato. Objectio tertia.

Resp. plures etiam Authores, ipso Mercoro fatente, expresè docere, quòd ista regula justitiæ non sit ita propria justitiæ, quin ad materias aliarum etiam virtutum extendi possit, & debeat. nec mirum; quia sententia est communissima. Ecce par in hac re, immò major authoritas nobis favet, quàm adversariis. Præterea rationes allatæ efficaciter evincunt, regulam illam ad omnem materiam debere extendi. Cæterùm Mercorus (pace ipsius dictum sit) falsò citat Saurez, qui loco ab ipso citato expresè habet contrarium ejus, quod Mercorus asserit eum docere. Verba ipsius Suarez *dicto tomo 5. in 3. part. disp. 40. sec. 5. num. 14. propè finem, & initio num. 15.* sunt ista. *Qui possidet rem, de quâ dubitat, an sit aliena, etsi vitaret omne periculum peccati tam formalis quàm materialis, ut sic dicam, non tamen ad hoc obligatur, quia in dubio nemo cogitur rem, quam possidet, alteri dare; tunc enim, cùm melior sit conditio possidentis, potest seipsum alteri præferre, satisque est, quòd in particulari sit certus, hanc actionem sibi non esse injustam, nec peccaminosam.* Responsio.

Suarez expresè tenet oppositum ejus, pro quo citatur à Mercoro.

caminosam. *Quòd verò dicunt aliqui, hoc solùm habere locum in materiâ justitiæ, non verò aliarum virtutum, falsum est, & sine fundamento dictum, quia non minùs est vitandum peccatum in materiâ justitiæ, quàm aliarum virtutum &c.* Crediderim ergo Mercorum (neque enim pietas viri tam religiosi vel minimam admittit præsumptionem fraudis ab ipso intentæ) apud aliquem invenisse Suarez falsò citatum, cui ille absque ulteriori examine fidem præbuit. Verùm hoc ipsum eundem minùs accuratæ diligentiæ arguit. Cæterùm regulam hanc, utpotè in jure canonico traditam, ad alias etiam materias pertinere certum est ex dictis in probatione.

Qui citantur contra nos sunt pro nobis. 59. Mercorus itidem in ejusdem rei confirmationem citat Vasquez *disp. 65. in 1. 2.* cui addit Perez, Salas, Turrianum, Azorium, Comitolum, & Sairum. Verùm ex istis certum est, Vasquez, Azorium, Salas, Turrianum & Sairum expressè tenere, quòd in dubio probabili cuique liceat in omni materiâ sectari partem minùs tutam, minùsque probabilem; adeóque dubium non est, quin illi quinque in sensu præsentis quæstionis, id est in dubio probabili, teneant, *quòd melior sit conditio possidentis in omni materiâ.* Ergo in præsenti argumento nobis favent, etsi in casu puri dubii fortassè censeant regulam illam non nisi in materiâ justitiæ locum habere. Quid de Perez & Comitolo dicendum sit, in medio relinquo, quia eos non vidi.

Objectio quarta. 60. Objicies 4. ex eodem. Possessio libertatis humanæ non fundat præsumptionem, quòd in casu dubii non adsit divinum vel humanum præceptum, quia relinquit utramque partem dubiam.

Responsio. Resp. dubium juris, post debitam inquisitionem perseverans, fundare validam præsumptionem, quòd lex non sit lata, ut constat ex dictis *num. 27.* Sed esto, non faciat talem præsumptionem, adhuc relinquit rem dubiam, *in quo casu melior est conditio possidentis*; nam sicut in materiâ justitiæ, tam in dubio puro, quàm in dubio probabili, melior est conditio possidentis, etsi rationes probabiles, aut etiam probabiliores faveant actori, ita dicendum in aliis materiis. Porrò errat Mercorus, dum dicit regulam hanc favere potiùs nobis in dubio facti quàm in dubio juris, quia sicut hoc non est verum in materiâ justitiæ, sic nec in aliis. Et ratio est, quia in dubio facti sæpè possessio favet præcepto, atque ideò tenemur ad implendum præceptum. At omnia è contrario se habent in dubio juris.

61. Objicies 5. *Regula illa 65. juris. in 6.* ita se habet: *in pari delicto vel causâ potior est conditio possidentis.* Atqui sumus in casu disparitatis, nam in præsente quæstione major probabilitas supponitur favere uni parti quàm alteri. Ergo hæc regula juris impertinens est ad probandam assertionem positam. Objectio quinta.

Resp. regulam hanc apertiùs favere benignæ sententiæ, tam quando æqualis est ratio dubitandi de jure utriusque, quàm quando probabilitas favens possessori est par aut etiam major probabilitate favente actori. Verùm illa etiam locum habet quando rationes actoris videntur possessori paulò meliores, quia adhuc vel est paritas causæ, cùm adhuc incertum sit quæ ratio & reipsâ prævaleat, & multò magis quæ apud judicem sit prævalitura, (hæc enim incertitudo, seu potiùs hic incertitudinis status videtur reddere causam utriusque parem) vel si sit aliqua disparitas in causâ, illa tanta non est, ut æquet excessum favoris, quem possessio præbet possidenti. Quare sicut in materiâ justitiæ directa probabilitas, etsi minor, juncta possessioni facit conditionem possessoris meliorem, ita idem in aliis materiis propter eandem rationem dicendum est. Responsio. Minor probabilitas directa cohæret cum paritate causæ.

62 Præterea quoties pars minùs tuta est directè probabilis practicè, toties illa omnibus

Conditio libertatis est melior, quam conditio præcepti, quoties probabile est opus esse licitum.

omnibus inspectis est multò probabilior opposita, quia evidens est, quòd nostra sententia, tam authoritate quàm ratione inspectâ, idque independenter à titulo possessionis, de quo nunc agimus, sit longè probabilior, quàm opposita, ut constat ex dictis, & ex dicendis magis confirmabitur. Itaque in dubio practicè probabili, de quo solo nunc agimus, si omnia spectentur, semper melior est conditio possidentis; quia præsumptiones de non existentiâ legis arctantis sunt validiores, quàm præsumptiones de ejusdem existentiâ; ideóque causa favens libertati aut par est, aut potior causâ favente præcepto. Unde in tali casu manifestum est, quòd potior sit conditio libertatis possidentis quàm legis dubiæ, & quòd jus libertatis non debeat pati præjudicium propter dubias & incertas juris restrictiones.

Objectio sexta.

63 Objicies 6. Ex possessione usûs benignæ sententiæ ab annis 30. non oritur præsumptio, quòd usus ille sit licitus, cùm potiùs ex legitimo usu probari debeat præsumptio legitimæ potestatis. Præterea legitima tantùm possessio facit justum titulum. jam illa sola possessio est legitima, quæ est pacifica, & non habuit contradictores. At sententia benigna ab initio contradictores habuit. Ergo possessio in casu præsenti non facit justum titulum. Ita Mercorus.

Responsio ad primum

Possessio quando arguit justum titulum?

Resp. possessionem usûs (si tamen ita loquendum sit, cùm usus ipse, seu possessio, non possideatur nisi ut quo) bonâ fide continuatam per annos 30. tanquam possessionem rei nostræ, facere præsumptionem, quòd usus sit licitus in posterum, quàmdiu oppositum non evincitur; quod verum est, quamvis res postea vocetur in dubium, modò independenter ab usu probabile sit, nos habere legitimam potestatem ad usum, & ad rem quâ utimur, *quia in probabili dubio melior est conditio possidentis.* Hoc modo ex usu pacifico, & possessione bonâ fide initâ & continuatâ efficaciter probatur legitima potestas ad similem usum continuandum. Præterea talis usus & possessio verè est legitima, ideóque ex illâ rectè probatur præsumptio legitimæ potestatis seu juris. Quòd si Mercorus nomine *usûs legitimi* non solùm intelligat usum bonâ fide continuatum, sed usum procedentem ex jure seu legitimâ potestate, falsum est, legitimam potestatem probari ex usu legitimo, quia è contrario legitima potestas præsupponitur ad usum legitimum, & hic ex illâ probatur, non è contrà. At possessio bonæ fidei, qualem descripsimus, non à 30. sed ab 130. annis, immò ab immemorabili, & in omni ævo favet humanæ libertati circa usum opinionis directè minùs probabilis, ut certò constat ex quæst. superiore. Ergo illa rectè probat similem usum in posterum fore licitum, simulque efficaciter arguit, usum illum ab initio à legitimâ potestate fuisse initum.

64. Ad secundum, quod dicit, nulla est difficultas, quia ante annos 30. nulla erat lis de possessione libertatis circa usum opinionis cujusvis certò probabilis. ergo libertas nostra tunc erat in possessione pacificâ hujus potestatis; imò centum annis anterioribus nulla erat contestatio, nulla contradictio, ut certum est. ergo possessio erat legitima. ergo arguit & arguebat justum titulum, à quo certè nemo deturbari debet propter non convincentes, ac in nullo probabiliores quorundam clamores in oppositum, *quia in dubio melior est conditio possidentis.* Responsio ad 2.

Solvuntur aliorum objectiones.

65. Objicies 1. In *cap. Dominus, de secundis nuptiis*, & in *cap. inquisitioni de sententiâ excom.* dicitur, conjugem dubitantem de valore matrimonii, posse quidem & Objectio prima.

debere reddere debitum, non tamen posse petere. Quod certè verum est, etsi ab initio nullum fuerit dubium de matrimonii valore, sed conjux ille possessionem habuerit petendi debitum. Ergo dubium superveniens elidit vim pristinæ possessionis, & in posterum illicitum reddit usum similem, idque in materiâ justitiæ; nam conjux ex justitiâ exigit debitum sibi reddi. Ergo multò magis in aliis materiis possessio non suffragatur in dubio.

Responsio. Resp. difficultatem nullam esse in *cap. Dominus*, quia in eo sermo est de iis, qui dubii de morte priorum conjugum secundas nuptias inierunt; illi autem numquam fuerunt bonæ fidei possessores, adeóque illis possessio non suffragatur. ergo tenentur non petere debitum, uti Pontifex *in eo cap.* declarat. Major difficultas est *in cap. inquisitioni*, ubi sermo est de formidine ortâ post matrimonium bonâ fide initum, & possessionem petendi debitũ continuatam. Verùm caput hoc nõ obstat, nam inprimis Sanchez *tom. 1. de matrim. lib. 2. disp. 41.* solidissimè probat, conjugem dubium de valore matrimonii, si post debitam diligentiam adhibitam dubium perseveret, licitè posse non solùm reddere sed etiam petere debitum. Pro eâ sententiâ *num. 46.* citat Sotum, Ledesmam, Veracruz, Victoriam, Enriquez, Bannez, Tabienam, aliosque, quibus addi possunt Lugo *de just. disp. 17. sec. 4. num. 85.* & Diana *part. 3. tract. 4. resol. 295.* qui pro eadem sententiâ citat etiam Coninch, Valentiam, Reginaldum, & Villalobos, qui omnes in eo potissimùm fundantur, quòd in dubio melior sit conditio possidentis. Sicut enim orto dubio an res sit mea, teneor rem examinare, & si post debitam diligentiam res maneat dubia, licitè utor re illâ, *quia in dubio melior est conditio possidentis*, ita similiter dicendum in dubio de validitate matrimonii, quia eadem utrobique militat ratio. Unde dicunt caput illud *inquisitioni* solùm prohibere, ne petatur debitum donec adhibita fuerit diligentia.

Exponuntur duo canones.

Utrum conjux dubius de valore matrimonii possit debitum petere?

66. Arriaga *tract. de act. hum. disp. 25. sec. 4. num. 33. & seqq.* dicit, dubium modo dicto perseverans ex naturâ rei sufficere, ut conscientia permittens licitè formetur ex eo principio, quòd *in dubio melior sit conditio possidentis*, ideóque docet, conjugem ante dictatum illud caput potuisse in tali dubio non solùm reddere sed etiam petere debitum. censet tamen id de facto non licere, eò quòd Pontifex *illo cap.* hoc ipsum prohibuerit. Si sententia Sanchez sit vera, sicut est probabilissima, *caput hoc* in nullo opponitur regulæ propositæ; si verò opinio Arriagæ admittatur, eo ipso sumus extra casum, nam non est amplius dubium, an liceat petere in dubio de valore matrimonii, quia talis petitio debiti in *hoc cap.* expressè prohibetur.

Sententia Arriagæ.

67. Cæterùm ego censeo sententiam Sanchez esse verissimam, tum quia *in dubio melior est conditio possidentis*, tum quia si uterque conjux, quod factu est facile, sic dubitaret, ambo, etsi culpæ immunes, tenerentur vitam cælebem ducere, quod est onus durissimum, nulli nisi ob argumenta longè convincentissima imponendum. Vide alias rationes apud Authores citatos. cæterùm quod attinet ad caput *inquisitioni*, dico cum Lugo *loc. cit.* quòd nullo modo tangat quæstionem de veritate regulæ propositæ, quia non loquitur de dubio negativo, pro quo solo dicta regula procedit, sed solùm de credulitate & opinione positivâ, ut apertè constat ex verbis *capituli*; stante autem opinione discretâ & probabili, quâ conjux agnoscit illud impedimentum existere, licitè nequit debitum exigere, quia ipse agnoscendo impedimentum seipsum condemnat. Sicut ergo nemo licitè utitur re, quam absolutè credit ad alium pertinere, quia concedit titulum illum existere, propter quem res alteri debetur. ita pariter idem evenit in casu

Caput inquisitioni non loquitur de dubio.

casu præsenti, atque ideò possessio contra talem titulum neutri suffragatur. At omnia è contra se habent in dubio, ut patet.

Hisce ego adjungo Pontificem *in hoc cap.* ita loqui de conscientiâ & credulitate probabili impedimenti, ac si illa certam de opposito probabilitatem non admitteret, cùm nullam de oppositâ probabilitate mentionem faciat. Prætorea casus, quem Glossa ponit, ut exprimat sensum canonis, supponit, conjugem, ante matrimonium initum, visam fuisse cum consanguineo mariti, nudam cum nudo in loco & tempore suspecto. At in tali casu ita probabile est, eos se cognovisse, ut oppositum non sit probabile. Quid ergo mirum, si possessio contra tam validam præsumptionem locum non habeat? Quis quæso, in pari casu non teneretur equum alteri restituere, etsi eum antea bonâ fide possedisset? Nil ergo mirum, si in tali casu non liceat debitum petere. At canon iste procedit in casu hujusmodi. Cæterum si velis, canonem amplecti casum, in quo utraque pars post diligens examen invenitur esse certò probabilis; tunc dico, si conjux aut formet judicium probabile, quod nullum sit impedimentum, uti potest si velit, vel certè non formet oppositum, sed maneat suspensus uti solemus manere in dubio negativo, dico, inquam, quòd licitè possit petere debitum, quia titulus, & favor possessionis in tali casu prævalet. Quòd si contendas cum Arriagâ, petitionem debiti pro eo casu (nam de eo procedit canon, & non de mero dubio) esse prohibitam, non sum qui velim de eo nunc contendere, etsi illud non approbem, quia eo concesso habeo intentum; ex eo enim sequitur, quòd ante hunc canonem licitum esset in tali casu debitum petere, quodque idem nunc quoque liceret, si præceptum hujus Canonis non obstaret. Itaque ubi præceptum ejusmodi directè non obstat, semper melior est conditio possidentis. At aliud non contendimus.

Solum loquitur quando impedimentum creditur existere.

68. Objicies 2. ex Fagnano *in cap. ne innitaris num. 205.* Judex esset ridiculus, qui accusatum criminis pronunciaret esse manutenendum in possessione non committendi tale crimen. Ecce ubi agitur de crimine, ineptè allegatur possessio, etiam in materiâ justitiæ. ergo multò ineptiùs allegatur in materiâ aliarum virtutum, & in foro conscientiæ. ergo titulus possessionis non extenditur ultra materiam justitiæ, imò in illâ restringitur ad causas civiles, cùm ad criminales non extendatur.

Objectio secunda.

In criminalibus possessio innocentiæ an allegetur?

Resp. unumquemque esse in possessione bonæ famæ, quamdiu non probatur malus, nec posse licitè illâ privari, nisi convincatur reus, quia delictum non præsumitur nisi probetur. Jam quod hæc possessio non allegetur explicitè non est ad rem, quia nullâ opus est allegatione, cùm constet illam universaliter favere omnibus. Itaque implicitè allegatur, & ex vi illius Judex movetur ad declarandum illum esse innocentem, atque adeò implicitè decernit, ut quasi manuteneatur in possessione bonæ famæ, quam eousque possederat. Hæc quoad substantiam vera sunt, licèt fortasse quoad modum loquendi non sint tam propria. Verùm nos Theologi veritatis substantiam quærimus. Itaque certum est, possessionem metaphoricè sumptam universalem locum habere in omni materiâ justitiæ; atque etiam consequenter in materiâ aliarum virtutum.

Responsio.

Possessio innocentiæ implicite allegatur etiam in criminalibus.

69. Objicies 3. ex eodem *ibidem num. 194. regula illa, in dubiis paribus melior est conditio possidentis, habet locum dumtaxat in materiâ justitiæ, quæ est in ordine ad alium; non autem in aliis virtutibus, quæ sunt in ordine ad seipsum: quia nemo in suâ possessione à seipso perturbatur, nec de illâ secum contendit, aut litigat. Nec, ut ait Vasquez. 1. 2. disp. 65. cap. 3. vers. Quò verò priorem, potest quis contra Deum opponere, quòd melior sit conditio possidentis. Et sanè,* quis

Objectio tertia.

quis imaginari unquam poterit, Deum litigare, & contendere nobiscum de anterioritate, & potioritate possessionis, quin & succumbere in causâ, si nostra possessio sit anterior?

Solutio. Resp. plures virtutes præter justitiam esse ad alium, uti tradit S. Tho. *2. 2. quæst. 80. art. unico*, & notum est vel leviter Theologiâ tinctis, in quarum multis possessio locum habet, non minùs quàm in justitiâ. Tales sunt Religio, Pietas, Obedientia, Observantia, Veracitas, aliæque complures. Præterea quidquid sit de hoc, omne peccatum est inuria Dei, & omnis virtus, saltem relatè ad Deum ut ad finem ultimum, aliquo modo spectat & refertur ad alium, idcóque licèt nemo à seipso turbetur in possessione, turbatur tamen à rationibus faventibus Deo, & legi libertati nostræ limites statuenti. Jam possessio libertatis, in quâ nascimur, ex naturâ rei nobis favet, quamdiu non probatur amissa, aut coarctata, quia lex positiva imminuens terminos libertatis nativæ non habet possessionem, nisi probetur. Possessio ergo libertatis, homini favens, est titulus universalis, qui ad omnis virtutis materiam extenditur.

Plures virtutes præter justitiam sunt ad alium.

Possessio extenditur ad omnem materiam.

70. Porrò ad id, quod dicitur de Deo. Nos non contendimus propriè cum Deo, nec quidquam volumus, quod ille certò prætendit, & vult nos non habere, hoc enim esset manifestum peccatum; sed solùm dicimus Deum sæpè agere indirectè contra nos, & permittere scrupulos, & rationes tendentes ad arctandam libertatem nostram, viamque salutis multò difficiliorem reddendam, quàm Deus ipse intendat. In quo casu aliisque similibus Deus conscientiam nostram hîc & nunc non aliter quàm in materiâ justitiæ judicem privatum constituit, coram quo libertas contendit, ne privetur possessione suâ certâ & præviâ ob apparentes & dubias rationes legi faventes. Itaque litigantes sunt libertas ex unâ parte, & lex apparens ex alterâ, conscientia autem media instar privati Judicis. Unde sicut conscientia in materiâ justitiæ judicat libertatem esse manutenendam in pleno possessorio, non obstante alterius petitorio, donec aut probationes petentis longissimè prævaleant rationibus possessoris, aut Judex publicus oppositum statuerit. Ita pariter ratio, seu conscientia debet pronunciare, libertatem manutenendam esse in suâ possessione sibi certò competente, quamdiu aut non evincitur quòd lex eam illâ possessione privarit, aut Ecclesia vel respublica in favorem legis non protulerit sententiam. Nec dicas periculum violandi apparentem Dei legem obstare, Deumque ipsum aliquo modo contendere nobiscum de hac re, ideóque nobis esse præferendum; nam Deus non minùs contendit contra nos in materiâ justitiæ distributivæ, quàm in aliis materiis, cùm æquè sollicitet ad non furandum &c. quàm ad non transgredienda alia præcepta. Et tamen certum est, quod possessio certa in materiâ justitiæ non solùm reddat immunes in foro exteriori contra petitorem non evincentem causam, sed etiam in foro conscientiæ contra Deum stimulantem, ne aliena invito Domino contractemus. Sicut ergo absurdum non est Deum aliquo modo, ut ita dicam, ob titulum certæ possessionis cedere nobis in materiâ justitiæ, (non quod Deus causâ cadat, *vincit enim, etiam cùm judicatur*, nam ejus voluntas impletur, quia præmisso hoc judicio homo non operatur nisi juxta dictamen rationis rectæ, quod Deus in hoc litigio unicè contendit) ita pariter absurdum non est, quòd ex vi ejusdem tituli cedat nobis in aliis materiis, non quasi victus, sed ut victor, quatenus obtinet, quod unicè contendebat, scilicet hominem prudenter & juxta rectam rationem operari, se & omnia sua Deo sufficienter præcipienti subjiciendo, & in reliquis congenitâ libertate rationabiliter utendo.

Impropriè homo contendit cum Deo, quando quærit, an Deus præceperit aliquid nec ne?

In hoc casu cōscientia, seu ratio est judex.

Quando cōscientia rationabiliter judicat legem nō arctare, Deus est victor, qui numquam cadit causâ.

71. Objicies 4. seu potiùs petes cum

Fagnano,

Objectio quarta. Fagnano, *dicto num. 211.* Quomodo est homo in certâ possessione suæ libertatis ante legem? Nonne lex antecedit nos, qui dum nascimur, mundum legibus undique septum ingredimur? certè possessio legis est anterior, Deique possessio præcedit nostram. Ergo ex titulo possessionis infertur, nos debere sequi tutiora in dubiis, & pronunciandum est pro lege contra libertatem, & non è contra.

Responsio. Resp. Inprimis per instantiam evidentem in materiâ justitiæ, in quâ ex titulo possessionis certificamur, nos non offendere Deum vetantem aliena retineri, etsi dubium sit, an aliena retineamus.

Lex ut promulgata, est posterior creaturâ, quam obligat. 72. Deinde respondeo directè. Lex quidem, ut ita dicam, cusa in mente Dei à Deo possidetur ab æterno; at lex cusa nos non afficit, nisi promulgetur. Lex autem ut sufficienter promulgata, seu ut obligans, non potest antecedere creaturam rationalem, quam obligat, & cui intimatur, sed necessariò præsupponit ejus existentiam ut priorem, saltem prioritate naturæ; idque verum est etiam respectu præceptorum juris naturæ, quæ omnibus lumine naturæ nota sunt. Nec obstat legem divinam Parentibus nostris fuisse sufficienter promulgatam, nam illa promulgatio nos non afficit, nec lex ulla potest quemquam in conscientiâ obligare, nisi illi in particulari sufficienter promulgetur. At si sermo sit de præceptis positivis, sive humanis sive divinis, certum est, ea nobis à primo usu rationis non esse sufficienter promulgata, sed nos satis longo tempore vivere cum invincibili eorum ignorantiâ, idcóque vivere cum plenâ actuali possessione libertatis nostræ, non solùm naturâ sed etiam tempore priore ad hujusmodi leges obligantes. Ergo possessio libertatis certa est, & certò anterior lege promulgatâ. Præterea non solùm agimus de certâ & anteriore possessione libertatis, sed eam comparamus cum lege dubiâ, quæ etiam post debitum examen adhibitum invenitur probabiliter non esse lata, quæque certò non est sufficienter promulgata. Et quidem plerumque sermo est de lege, quæ numquam nec nobis nec Majoribus nostris sufficienter promulgata fuit, aut certè de cujus promulgatione & existentiâ hactenus post omnem diligentiam adhibitam nobis constare non potuit. Quis autem dubitare potest, an possessio hujusmodi certa, justa, & antecedens fundet titulum sufficientis præsumptionis contra legem dubiæ existentiæ, & promulgationis magis incertæ, quæ numquam habuit possessionem contra libertatem operantis? certè lex tam dubia, & post diligens examen invincibiliter ignorata, non potest elidere titulum justæ possessionis, certóque antecedentis, ut lumine naturæ patet, & evidenter constat in materiâ justitiæ. Fixum ergo maneat, quòd in dubiis istiusmodi melior sit conditio libertatis humanæ, eo quod ratio naturalis dictet, possessionem libertatis nostræ, justam, ac anteriorem omni lege obligante, non posse tolli per legem dubiam, probabiliter non existentem, ac post diligens examen invincibiliter ignoratam, ne jus certum per incertum, ac invincibiliter ignoratum tollatur, quod est apertè absurdum.

Possessio libertatis certa, justa & anterior non potest tolli per legem dubiam, quæ numquam habuit possessionem contra libertatem.

Objectio quinta. 73. Objicies 5. cum Candido Philalethο *in disp. de opinionum praxi*, prætensa hæc libertatis possessio est solùm physica possessio, non moralis & legitima. Ergo non sufficit ad excusandum à peccato; quia sola physica possessio non excusat fures ab obligatione restituendi ea, quæ possident.

Solutio. Resp. homines ante legem promulgatam evidenter versari in possessione morali suæ libertatis, non solùm quia bonâ fide illam possident, sed quia manifestè possunt licitè ponere talia objecta absque peccato, cùm invincibiliter legem ignorent. Possessio ergo libertatis moralis est, & sufficiens ad excusandum peccatum, ut patet. Non sufficit

Sumus in possessione non solùm physica, sed etiam morali libertatis contra legem dubiam.

ſufficit ergo Philalethum dixiſſe oppoſitum, cùm ad illud probandum nil attulerit, nec quiſquam quidquam ſolidi afferre poſſit, ut patet.

Probatio decima.

Ratio 10.

Operationes ſecundùm magis & minùs probabilia ſolùm differunt ſecundùm magis & minùs.

74. EVidens eſt, non omne periculum peccati materialis, etiam probabiliter apparentis, eſſe ſufficientem cauſam ad fundandam obligationem abſtinendi ab opere, in quo dictum periculum apparet, uti demonſtratum eſt *quæſt. 20. & 21.* hoc poſito ſic: quæ ſolùm differunt ſecundùm magis & minùs, non differunt ſpecie. At operari juxta opinionem probabilem in contradictione opinionis minùs aut æquè probabilis magiſque tutæ, & operari ſecundùm opinionem minùs probabilem minuſque tutam in contradictione probabilioris ac tutioris, ſolùm differunt ſecundùm magis & minùs quacumque tandem ratione conſiderentur. Ergo illi duo modi operandi non differunt ſpecie. Sed certum eſt, quòd ſequi opinionem probabiliorem, etſi minùs tutam, ſit honeſtum. ergo honeſtum quoque eſt ſequi partem minùs tutam, quando illa eſt æquè tantùm, aut etiam minùs probabilis parte tutiore. Tota ergo diverſitas eſt, quòd in uno caſu periculum peccati materialis ſit paulò majus quàm in alio, cùm in neutro ullum ſit periculum peccati formalis. Adde rarò conſtare, an opinio, quæ probabilior apparet, ſit reipsâ probabilior. Apparentia autem, de cujus qualitate non conſtat, nullius momenti eſt ad regulandam conſcientiam. Ergo ſi probabilior apparentia veritatis excuſet, utique omnis opinio certò probabilis excuſabit, quia ratio excuſationis non eſt incertus gradus probabilioritatis, ſed gradus certæ probabilitatis, qui æquè reperitur in opinione minùs probabili, ac in probabiliore. Ergo omnis opinio certò probabilis æquè excuſat.

Probatio undecima.

Ratio 11.

Magis & minùs probabile ſunt in eâdem lineâ honeſti.

75. NEmo tenetur ad amplectendum perfectius & honeſtius, ſed ſufficit ſi ſequatur perfectum & honeſtum. ergo nemo tenetur ſequi opinionem probabiliorem, ſed ſufficit ſequi æquè aut minùs probabilem: quia ſequi opinionem probabiliorem, & ſequi opinionem æquè aut minùs probabilem in contradictione opinionis tutioris certò probabilis, ſe habent ut excedens & exceſſum, ut magis & minùs bonum in eodem genere. At certum eſt, quòd liceat ſequi probabiliorem minùs tutam contra tutiorem minùs probabilem; ergo licet etiam ſequi minùs tutam certò probabilem, contra tutiorem æquè aut magis probabilem, quia uterque modus procedendi eſt in eodem ordine, qui aliam comparationem non admittit, quàm minùs honeſti ad magis honeſtum. Vide dicta *quæſt. 21. num. 22.* quæ huc applicata convincunt, quòd liceat ſectari minùs tuta minúsque probabilia.

Solvuntur objectiones.

Objectio prima.

75. OBjicies 1. ex Mercoro *2. parte, art. 28.* Probabilius & minùs probabile contra opinionem tutiorem non ſe habent ſicut perfectius & minùs perfectum, quia neutrum eſt licitum, neutrum poſitum in lineâ honeſti. Negat proinde ſuppoſitum, ſcilicet quòd liceat ſequi probabiliora, quâ reſponſione vir doctus ac ingenuus implicitè ſaltem fatetur, quod ſi unum eorum ſit honeſtum, neceſſe ſit & alterum quoque honeſtatem participare, quia aliud non urget, quàm minorem eſſe probandam. Fatetur ergo quòd reliqua ſequantur, ſi illa probetur.

Reſp. minorem fusè demonſtratam eſſe *quæſt. 20. & 22.* per totam, neque de ejus Reſponſio.

veritate

veritate posse quemquam rationabiliter dubitare. Ergo consequentia admittenda est.

Objectio secunda. 77. Objicies 2. Certum est, intellectum flecti posse ad assentiendum parti probabiliori. Non est autem certum, quòd assentiri possit parti minùs probabili. Ergo non est certum, eandem specie dispositionem intellectûs & voluntatis reperiri in usu opinionis magis & minùs probabilis. Ergo ex eo quòd sequens probabiliora excusetur, non sequitur licitum esse sectari minùs probabilia.

Responsio. Resp. argumentum evincere, non esse omni viâ tam certum, quòd liceat sequi probabiliora quàm minùs probabilia, si argumenta solùm directa habeantur præ oculis, quia in hac hypothesi non est omninò certum, quod intellectus assentiri possit parti minùs probabili, quamvis negari nequeat, quin hoc ipsum sit probabilius opposito. Verùm si aliæ viæ considerentur, per quæ sectans opinionem probabiliorem excusatur ex vi rationum indirectè probantium, illæ æquè conveniunt omni opinioni probabili, quales sunt, quòd licitè doceatur in scholis, quòd sit quæstio spectans ad jus naturæ, quòd lex non sit sufficienter promulgata, quòd in dubio melior sit conditio possidentis &c. ex quibus argumentis intellectus consurgit ad formandam conscientiam, quòd æquè liceat sequi minùs ac magis probabilia. Itaque in omnibus istiusmodi casibus, absque dubio eadem specie est dispositio intellectûs & voluntatis in sectante probabiliora & minùs probabilia. Ergo tam certum est unum non peccare ac alterum; quia ubi actus intellectûs & voluntatis duorum sunt similes & in eadem specie, impossibile est unum illorum laudabiliter agere, & alterum peccare; quia effectus formales tam diversi nequeunt provenire à causis formalibus tam similibus.

Consciẽtia eodẽ modo formatur in casu minoris ac majoris probabilitatis.

Rationes allatæ confirmantur à priori. 78. Ratio à priori omnium horum est, quia quomodocumque minùs tuta considerentur in comparatione, quam nunc habemus præ manibus, semper contrariatur illis argumentum certò probabile, quòd committatur peccatum materiale. Similiter quomodocumque tutiora considerentur, semper ex opposito datur locus motivo certò prudenti ad existimandum, quòd nulla, ne quidem materialis, transgressio sit in parte minùs tutâ. Jam quidquid diversitatis reperiri potest inter istos terminos, solùm variatur secundùm magis & minùs, totumque manifestè continetur in eodem ordine. Sic si spes non errandi sit paulò major in uno, quàm in alio casu, ita hoc verum est, ut semper sit prudens motivum ad credendum, aliquem in eo opere errorem committi. Similiter si timor errandi sit paulò major, adhuc spes certò prudens datur, quòd nullus futurus sit error. Jam quis non videt has dispositiones esse similes, & solùm differre secundum plus & minus in eodem ordine? Quòd si ex parte minùs tutâ apparentia veritatis ita paulatim decresceret, ut illa non esset amplius certò probabilis, permanente probabilitate partis oppositæ, tunc illæ dispositiones manifestè differrent specie quoad considerationem moralem, ac proinde peccaret, qui sectaret minùs tuta, quia temerè se periculo exponeret. At quamdiu utraque pars est certò probabilis, dispositiones sunt similes, ideóque differunt solùm secundùm magis & minùs. Cùm ergo certò constet alteram illarum fundare honestatem, ritè infertur eandem vim alteri quoque convenire.

Probatio duodecima principalis.

Ratio 12.

79. Omnis subditus, maximè Religiosus, licitè obtemperat Prælato in omnibus, quæ sunt certò probabiliter honesta; quod locum habet etsi probabilius subdito

Obediendum est in omnibus, quæ sunt probabiliter honesta.

ſubdito appareat, quòd res præcepta ſit materialiter illicita. Hic eſt Theologorum omnium tam Recentiorum, quàm Antiquorum ſenſus & conſenſus. De Recentioribus nil attinet dicere, apud quos notorium eſt, quòd etiam extra materiam obedientiæ licitum cuique ſit ſectari minùs tuta, etſi minùs probabilia. Quod ad Antiquos attinet, Halenſis *parte 2. quæſt. 121. memb. 3. art. 2.* docet, ſubditum in obſcuris debere obedire Prælato, & quòd præceptum ſuperioris plus obliget, quàm conſcientia ſubditi præcipiens oppoſitum. Idem docet S. Bonaventura *in 2. diſt. 39. art. 1. qu. 3.* Aſteſanus. *lib. 2. tit. 3. art. 2* Gerſon *de pollutione nocturnâ, conſiderat. 3.* Nyder in conſolatorio *par. 3. cap. 17.* ibique pro ſe citat Raymundum & Henricum Gandenſem. S. Bernardinus Senenſis *in dialogo de obedientiâ.* Dionyſius Carthuſianus *in 2. diſt. 39. & 44. qu. ultimâ*, aliique omnes qui de hac re tractârunt.

Ita docent oēs Theologi & vitæ ſpiritualis Magiſtri.

80. Idipſum ab omnibus Myſticæ Theologiæ Magiſtris, & vitæ ſpiritualis Ducibus traditum, à ſanctiſſimis viris uſitatum eſt, aliiſque ut axioma certiſſimum ab iis propoſitum, ſine cujus praxi nemo ad obedientiæ perfectionem pervenire poteſt. S. Ignatius Loyola *in epiſtolâ de virtute obedientiæ* fusè probat, omnem verè obedientem debere non ſolùm conformare ſuam voluntatem voluntati ſuperioris, ſed etiam judicium ſuum, in quantum poteſt, ſuperioris judicio in omnibus, quæ manifeſtum peccatum non involvunt, ſubmittere. Tandem poſt multa in hanc rem congeſta ſic concludit. *Eſt igitur hæc ratio ſubjiciendi proprii judicii, ac ſine ullâ quæſtione ſanciendi, & collaudandi apud ſe, quodcumque ſuperior juſſerit, non ſolùm ſanctis viris uſitata, ſed etiam perfectæ obedientiæ ſtudioſis imitanda omnibus in rebus, quæ cum peccato manifeſto conjuncta non ſunt.* Audiatur etiam Caſſianus *in collatione Abbatis Moyſi*, ubi hæc habet. *Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cuum eum, neglectis conſiliis ſeniorum, ſuo judicio perſuaſerit definitioni ſuæ conſiſtere.*

S. Ignatius.

Caſſianus.

81. Sed ſuper omnes mirabiliter de hac re loquitur Bernardus *tract. de præcepto & diſpenſ. Cap. 12.* *Quidquid* inquit, *vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecus omninò accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus.* & paulò poſt cùm ſibi objeciſſet; *ſed homines*, inquis, *facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipiendâ, & in præcipienda fallere poſſunt.* ſtatim reſpondet, *ſed enim quid hoc refert tuâ, qui conſcius non es, præſertim cùm teneas de Scripturis, quia labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem ex ore ejus requirunt, quia angelus Domini exercituum eſt? requirunt, dixerim, legem, non quam vel authentica ulla Scriptura tradiderit, vel ratio manifeſta probaverit; de hujuſmodi quippè nec præceptor expectandus, nec probibitor auſcultandus eſt; ſed quòd ita latere, aut obſcurum eſſe cognoſcitur, ut in dubium venire poſſit, utrumnam Deus ſic aut aliter fortè velit, ſi non de labiis cuſtodientibus ſcientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur &c. ipſum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ non ſunt apertè contra Deum, audire debemus.* tum aſſerit hanc ſuam reſolutionem non contrariari effato Heli. *1. Reg. cap. 2.* dicentis *ſi peccaverit vir in virum placari poteſt ei Deus, ſi autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?* concludit autem ſic, *ſiquidem quod nos aſſerimus de dubiis, hoc ille negat de manifeſtis* Ecce Bernardus agitatâ quæſtione, & rationibus hinc inde allatis, expreſsè tradit, quod aſſerimus. Sed & Leo X. ut refert Caſarubius *verbo declarare. n. 4. & 5.* authoritate Apoſtolicâ conceſſit FF. Minoribus, qui ſcrupulis vexantur, *ut poſſint in omnibus dubiis ſecurâ conſcientiâ ſtare determinationi ſuorum ſuperiorum.*

S. Bernardus.

Obediendum eſt in dubio.

82. Præterea tam Theologi, quàm vitæ ſpiritualis

Obediendum est in dubio, etsi res strictè non præcipiatur.

spiritualis Magistri doctrinam hanc extendunt ad casum meræ ordinationis, absque præcepto obligante in conscientiâ. unde sic arguo. Jubeat vel ordinet superior, quod subdito religioso, utpotè viro docto, probabiliùs appareat inhonestum quàm honestum. Ponamus tamen, rem præceptam esse certò probabiliter licitam. Peto jam an subditus ille possit licitè obedire superiori sic præcipienti? Si neges, omnes uno ore te condemnant. Si concedas, habeo intentum, quia licet subdito sequi partem minùs tutam, etsi directè minùs probabilem. Ergo benigna sententia universalem locum habet in materiâ obedientiæ, quia subditus juxta eam licitè obedit. Quid dico licitè obedit? non solùm licitè obedit per conformationem voluntatis, sed prudenter credit id sibi licere, suumque judicium prudenter abnegat, atque ad idem cum superiore sentiendum laudabiliter intellectum impellit. Hic est, hic fuit sensus atque consensus totius Ecclesiæ; hæc omnium sæculorum praxis à sanctissimis viris usitata, omnibusque commendata, tanquam ad perfectionem obedientiæ acquirendam utilis & necessaria.

Cur præceptum superioris excuset in dubio?

83. Jam si quæramus causam, cur præceptum aut ordinatio superioris excuset subditum sectantem partem minùs tutam minusque probabilem, invenio eam esse duplicem; prima est reflexa, eo quòd status & bonum obedientiæ ita cohonestent omnia probabiliter honesta à superiore injuncta, ut illa, quæ directè sunt solùm minùs probabiliter honesta eo ipso evadant reflexè certò honesta, quòd præcipiantur, aut ordinentur à superiore. Quod enim est solùm probabiliter honestum si secundùm se consideretur, illud ipsum ut substans ordinationi superioris, & ut consideratum sub hac circumstantiâ certissimè honestum evadit. Nec mirum, nam qui vovet obedientiam init statum, per quem se plenè subdit alienæ prudentiæ. Hic status, omnibus tam commodis quàm incommodis ad quæ indivisibiliter extenditur consideratis, bonus est, ideóque certissimè honestat omnia, quæ superior potest prudenter imperare. Potest autem prudenter imperare quæ sibi videntur certò probabiliter honesta, etsi illa subdito appareant minùs probabilia. ergo status obedientiæ certissimè honestat quæcumque ordinata sunt à superiore, modò illa sint probabiliter licita.

Ejusdem rei ratio ulterior.

84. Secunda causa, quæ probat licitum esse subdito sectari minùs probabilia, est directa, & desumitur ex ipsa naturâ honestatis certò probabilis. Ideò enim licitè obedit, quia datur motivum certò prudens ad præsumendum, quòd res præcepta sit licita. At quoties datur ejusmodi motivum potest prudenter præsumere rem illam esse licitam, ideóque tenetur superiori obedire, atque conscientiam formare, per quam credat sibi integrum esse obedire prælato sic præcipienti. Jam quòd hæc sit causa cur licitè possit obedire, ex eo colligitur, quòd illâ ablatâ turpiter obediret. Verum enim est, quod S. Bernardinus Senensis observat *in dialogo de obedientiâ*, scilicet, *quod ubi subditus rationabiliter dubitat, an quod præcipitur sit peccatum an non, tunc profectò obedire debet.* Unde infert, quòd si subtilitas materiæ, vel sanctitas prælati, aut subditi simplicitas fundet rationabilem præsumptionem de honestate rei præceptæ, utique sit obediendum. *Quod si*, inquit, *dubium sit irrationabile, ut si dubitetur de eo, quod apud omnes constat esse mortale vel veniale peccatum, hujusmodi dubietas cùm ex ignorantiâ juris proveniat, non excusat ad minùs à toto.*

Præceptum superioris ad ea tantùm extendi potest, quæ votum subditi complectitur.

85. Hujus rei ratio à priori est, quam tetigit Cardinalis de Lugo *in respons. moralibus lib. 3. dub. 19.* quia obligatio præcepti, respectu subditi religiosi, oritur ex obligatione voti obedientiæ, quo subditus ad ea facienda se obligat, quæ Prælatus mandabit.

Ergo ea obligatio ad illa solùm se extendit, ad quæ se poterat vovens obligare. Nemo autem potest se obligare ad faciendum id, quod non est honestum. Ergo subditus non transtulit in superiorem facultatem præcipiendi, nisi quæ sunt honesta. Ergo Prælatus alia præcipiens apertè transgreditur limites suæ facultatis; ideóque illi non est obediendum.

Non licet obedire, si res præcepta non sit probabiliter licita.

86. Confirmatur idipsum 1. quia de jure naturæ illicitum est facere illud, cujus inhonestas est certò probabilis, & honestas nullo argumento probabili confirmatur. Deus enim præcepto reflexo, eoque certo, non minùs hoc vetat, quàm operari in dubio. ergo si superior præcipiat aliquid ejusmodi, non illi sed Deo contrarium jubenti obtemperandum est; quia duobus superioribus contraria jubentibus, illi tantum obediendum est, cujus potestas est amplior, ut patet.

Votùs obedientiam quid intendat?

87. Confirmatur secundò, quia votum obedientiæ emittitur non in odium propriæ felicitatis, sed ut subditus securiùs ad eam perveniat; non enim transfert jus proprietatis, sed solùm jus jurisdictionis in prælatum. Jurisdictio autem deservit bono subditi, sicut proprietas bono domini. Subditus ergo solùm intendit se alienæ prudentiæ submittere, in ordine ad ea præstanda, quæ superior prudenter credet ad bonum subditi pertinere. Nec vult subesse absoluto ejus arbitrio, ac si esset mancipium solius domini commodo venundatum. Itaque tunc solùm tenetur obedire, quando superior ea jubet quæ honesta sunt, & utilia bono subditi. At quæ sunt probabiliter illicita, omnique honestatis probabilitate carent, non sunt honesta, nec utilitati subditi deserviunt; ergo à superiore præcipi non possunt.

Præceptum superioris non facit licitum de illicito.

88. Ex his omnibus infertur, quod præceptum superioris religiosi non faciat licitum de illicito, quod enim antecedenter ad præceptum erat ex se illicitum, per præceptum superioris honestari non potest. Dixi *quòd ex se erat illicitum*, nam quæ per accidens erant illicita, accedente præcepto fiunt aliquando licita. Sic si vovissem tali horâ flexis genibus meditationi incumbere, certum est, quòd licitè omittam tale opus, ut impleam quæ Prælatus eo tempore injungit, quia privatum votum subditi non tollit à superiore facultatem illum exercendi in aliis operibus. Verùm in hoc casu præceptum simpliciter non reddit licitum quod erat illicitum, sed solùm ponit conditionem, per quam obligatio tollitur, quæ alioquin remansisset. Votum enim subditi non erat absolutum, sed implicitè conditionatum, *si superiori aliter visum non fuerit.* Quoties ergo aliquid est malum sive jure naturæ sive jure positivo independenter à superioris voluntate, toties illud per ejus præceptum honestari non potest.

Sæpè licet obedire quando res præcepta nō est probabiliter licita ante præceptū.

89. Nec tamen dico subditum non licitè obedire, quoties ipsi non est directè probabile, rem præceptam esse licitam, hoc enim apertè falsum est, ut omnes Theologi, & Magistri spirituales testantur; sed quod dico est, subditum, si nec directè nec indirectè formare possit prudens dictamen de honestate suæ obedientiæ, non posse licitè obedire, quia temerè obediret, seque manifesto peccandi periculo exponeret; nec in hoc est ulla difficultas. Cæterùm etsi subditus, secluso præcepto, nullam habeat rationem probabilem ad existimandum rem aliquam esse licitam, sæpissimè tamen, accedente præcepto, datur locus præsumptioni, quòd res præcepta sit licita. Aliquando enim superior tacitè dispensat, ut quando jubet rem cæteroquin præceptam, cùm facultatem habeat in tali præcepto dispensandi. Sæpissimè & ferè semper prudentia & sanctitas Prælati fundat præsumptionem prudentem, quòd honesta præcipiat; ideóque in similibus casibus sicut subditus potest, si velit,

si velit, talem præsumptionem facere, ita tenetur eam elicere & obedire, suamque voluntatem ac etiam judicium Deo sacrificare. Cæterùm si de imprudentiâ & improbitate superioris talia essent indicia, ut subditus non posset nec directè nec indirectè formare dictamen prudens de honestate suæ obedientiæ, utique peccaret obediendo, quia operaretur contra conscientiam, & in dubio, quod est intrinsecè malum.

Minùs probabilia sunt certò licita in materia obediētiæ.

90. His præjactis redeo ad rationes, ob quas subditus, ex superioris mandato faciens quod sibi videtur directè minùs probabile, excusatur. Prima ratio aut magnâ ex parte, aut totaliter resolvitur in secundam. Si tamen in illam non resolvatur, adhuc favet omnibus in materiâ obedientiæ, sive superior strictè præcipiat, sive solùm ordinet aliquid faciendum. Deinde extenditur ad omnes pias animas, quæ suo judicio diffisæ, perito & probo Confessario se gubernandas relinquunt. Sine dubio enim illi obedire possunt, quoties ordinat certò probabiliter licita. At omnes hoc modo respiciunt aliquem ut suum superiorem. ergo prima ratio ostendit minorem probabilitatem directam abundè sufficere, quoties illi adjungitur consilium aut ordinatio pii & periti Confessarii. Inutilis proinde est omnis adversariorum conatus, quia etsi suis rationibus persuaderent alicui sententiam rigidam esse probabiliorem benignâ, adhuc iste si petat à suo superiore, vel Confessario, an liceat sequi quamcumque opinionem directè minùs probabilem, & ille affirmet id ipsi licere, prudenter acquiescit consilio ejus, nudamque ejus authoritatem practicè pluris facit, quàm omnem adversariorum authoritatem in unum collectam, quod aliâ ratione prudenter non fit, quàm quia licitè peragitur, quidquid juxta certò probabile superioris aut directoris judicium perficitur, quidquid alii in contrarium dicant. Totum autem hoc oritur, non quòd talis viri judicium reddat suum assertum directè magis probabile, quia hoc non evenit, sed solùm quia quævis probabilitas directa vel directè tollit omnem obligationem, vel certè reflexè adimit omnem dubitationem, redditque conscientiam securam contra omnem majorem probabilitatem directam, saltem quoties electio talis objecti ordinatur, vel consulitur à superiore vel directore.

Quodcumque est directè certò probabiliter honestū, illud reflexè est certò licitum.

91. Secunda verò ratio æquè favet omnibus in omni materiâ, quia probat usum partis minùs tutæ esse licitum, quotiescumque honestas ejus est directè probabilis. Hoc autem reflexè cognoscitur, dum tale objectum comparatur cum præcepto vel ordinatione superioris. Inprimis enim constat præceptum superioris non reddere licita, quæ sunt ex se illicita, atque idipsum multò magis valet de simplici ejus ordinatione. Secundò constat partem minùs tutam directéque minùs probabilem esse objectum quod superior licitè & prudenter potest subdito præcipere vel injungere. Atque inde ritè deducitur omne tale objectum esse licitum. Atque hac ratione conscientia moraliter certificatur de honestate electionis, ad tale objectum ex vi solius probabilitatis, etiam minoris, terminatæ, quamvis operans ex vi rationum directè probantium non credat illud esse honestum.

Si minùs probabilia non essent licita, respublica turbaretur.

92. Et sanè si non liceret operari juxta opinionem directè certò probabilem tota respublica turbaretur. Superiores enim non possent secundùm opinionem probabilem præcipere, nec subditi obedire. Ergo pleraque superiorum præcepta essent illicita, quia non sunt de rebus quarum honestas est directè certò probabilis. Idem valet de opinione directè minùs probabili, nam si subditus dicat oppositum sibi videri probabilius, adeóque rem præceptam esse illicitam, quid faciet superior? Ecce nisi liceat sequi quamcumque opinionem certò probabilem,

bilem, respublica rectè gubernari non potest.

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima. 93. Objicies 1. subditus debet rationes investigare, quibus cognoscat rem à superiore præceptam esse probabiliorem, & tum demum obedire.

Responsio. Sed contra 1. ergo subditus sibi suoque judicio, non superiori obtemperat. Contra 2. Ponamus quòd non inveniat tales rationes. quid tum faciet? Non poterit obedire? Nugæ. oppositum enim certum est, idque negare, est Ecclesiæ traditionem respuere, & praxim condemnare. Ergo licitè poterit sequi opinionem directè minùs probabilem. Contra 3. Superior veram reputet benignam sententiam, & declaret se secundùm illam imperare. In hoc casu obediendum est, etsi imperium non reddat rem præceptam directè probabiliorem, ut patet.

Objectio secunda. 94. Objicies 2. Superiores regulares habent facultatem dispensandi cum subditis in legibus positivis, quando adsunt motiva probabilia libertati faventia. Ergo cum suo imperio auferant obligationem, subditus certus est se posse licitè obtemperare.

Responsio. Contra 1. Superiores in multis dispensare non possunt, in quibus difficultas redit. Contra 2. Confessarii, aliique directores non habent facultatem dispensandi, quorum tamen directioni subditis stare licet. Contra 3. Hæc doctrina in usu erat apud antiquos Monachos in primitivâ Ecclesiâ, quando facultas dispensandi Religiosis Prælatis nondum collata fuerat.

Objectio tertia. 95. Objicies 3. Non est probabilitas quæ excusat obedientem, nam etsi res præcepta non sit probabilis, licet obedire. Ergo ex titulo obedientiæ nil concluditur pro benignâ sententiâ. Consequentia tenet. Probatur antecedens. Quia obediendum est ubi non apparet manifestè peccatum. At peccatum non apparet manifestè in casu dubii, quando neutra pars est probabilis. Ergo licet obedire quando neutra pars est probabilis.

Resp. quando quæstio est non de jure sed de facto, item in quæstionibus de jure, sed ex se ignotis subdito, ideoque dubiis, subditus licitè obedit superiori prudenti & probo, (quia ipsum præceptum facit præsumptionem, quod objecta illa sint licita; ideoque subditus propter extrinsecam superioris authoritatem habet probabilitatem saltem authenticam de honestate operis, & nisi hanc haberet, utique obediendo in dubiis peccaret. cæterùm si improbabilitas rei præceptæ constaret subdito, ut si superior juberet illum non audire sacrum die festo, non ex ullâ necessitate, sed quia ita vult, eò quòd non defuerint, qui docerent non esse peccatum semel aut iterum absque contemptu non audire sacrum die festo. In hoc casu sicut constaret, superiorem abuti suâ potestate, & peccare non solùm propter modum præcipiendi, sed etiam propter rem præceptam; ita subditus non teneretur obedire. Idem dico pro omni alio casu, pro quo nec authoritas præcipientis, nec ulla alia ratio prudens suppeteret subdito ad dubium deponendum. Et ratio est, quia etsi in dubiis semper sit obediendum, in hoc tamen casu non deberet obedire, quia non est dubium an sectari partem minùs tutam sit peccatum, sed ex principiis reflexis certum est hoc esse peccatum, sicut certum est quod operari in dubio numquam liceat. At quando honestas rei evadit directè probabilis, nec directè nec reflexè constat rem præceptam esse illicitam. Ergo tunc absque dubio obediendum est. Ergo quando versamur in obscuris & incertis, sola probabilitas partis minùs tutæ reflexè considerata certificat subditum, se obediendo non peccare. Illa enim sicut reddit objectum suum

Responsio. *Sola probabilitas excusat obedientem in incertis.* *Semper obediendum est in dubio rationabili.*

materiam obedientiæ, itá reddit illud honestum; nisi enim illud honestaret, illud utique præcipi non posset, quia præceptum non honestat rem præceptam, sed supponit illam esse honestam. Ergo certa probabilitas practica, etsi directè minor, reflexè considerata universaliter certificat operantem de honestate suæ operationis.

Objectio quarta.

96. Objicies 4. Argumentum hoc in eo fundatur, quòd subditus teneatur obedire in dubio probabili de honestate rei præceptæ. At hoc non est certum, nam gravissimi Authores tenent oppositum. Adrianus *quodlibeto 2.* expresè id negat. Et Cardinalis de Lugo *lib. 3. responsorum moral. dub. 19.* tradit subditum peccare, si in dubio superiori obediat.

An sit obediendum, quando subditus dubitat, an licitè obediat?

Responsio.

Resp. Authores istos in nullo discrepare ab eo quod hactenus dictum est; & quidem Lugo loco citato expresè ait se non loqui de dubio probabili, in hoc enim casu, *potest*, inquit, *proculdubio subditus amplecti opinionem probabilem affirmantem; atque adeò tenetur eam amplecti, & obedire.* Lugo ergo solùm asserit, subditum peccare si obediat in dubio, quando nullam habet rationem deponendi dubium, adeóque non format dictamen probabile, quòd liceat obedire. At hoc est verissimum, quia operari in dubio practico, seu non deposito est intrinsecè malum, & repugnat juri naturæ. Similiter Adrianus solùm asserit licitum non esse obedire superiori præcipienti, quamdiu subditus dubitat de actu suæ obedientiæ, an sit mortalis nec ne. Ait enim: *Dico quòd nullus dubitans de actu, an sit mortalis an non, licitè obedit ipso sic dubitante.* Hanc thesim sic probat. Præceptum superioris non liberat subditum ab observatione juris naturalis. Sed agere contra dubitationem peccati mortalis est jure naturæ prohibitum. ergo &c. Totum quod hîc dicit Adrianus verum est, & in nullo differt ab eo quod tradit Lugo loco citato. Quod si Adrianus contendat, honestatem probabilem rei præceptæ non sufficere, ut subditus directè aut indirectè deponat dubium, singularis est, & contra communem certamque sententiam loquitur, & consequenter audiendus non est. Verùm ille nullibi sufficienter ostendit se ita sentire; sed continet se intra terminos in thesi expressos, solúmque asserit subditum peccare, si obediat in dubio utrimque probabili, dummodo dubio manente operetur, quod ego quoque admitto.

Semper obediendum est in dubio probabili.

Non tamen licet obedire dubio practico remanēte.

Mēs Adriani exponditur.

97. Fateor Adrianum contendere, uxorem non posse debitum reddere, nisi dubium deponat de impedimento annullante matrimonium. Verùm ultro fatetur se in hoc opinari contra communem sententiam. Nominatim contra Hostiensem, S. Thomam *in 4. dist. 38. in fine*, Petrum de Tarantasiâ *in eadem dist.* & Paludanum *dist. 36.* Verùm Adrianus solùm materialiter discrepat ab illis, nam dubium de honestate operationis, ut redditionis debiti, in omnium sententiâ deponi debet. Jam communis sententia tenet, hoc dubium deponi posse, saltem nunc ex vi declarationis Ecclesiæ *in cap. Dominus de secundis nuptiis, & cap. inquisitioni de sententiâ excom.* etsi dubium de invaliditate matrimonii non deponatur, quod verissimum est. Jam Adrianus in tantùm videtur hoc negare, in quantùm non distinxit inter dubium de honestate redditionis debiti, & dubium de impedimento matrimonii; hinc enim intulit præceptum Ecclesiæ non sufficere ad deponendum dubium, quia non sufficit, ut uxor prudenter credat matrimonium esse validum. Quòd si Adrianus ritè distinxisset hæc duo, in nullo discrepasset à communi certâque sententiâ, à quâ non quoad substantiam, sed solùm quoad modum loquendi discrepat, quatenus videtur asserere, id ad deponēdum dubium de honestate operationis non sufficere, quod certè abundè sufficit, licèt non

Adrianus solùm materialiter dissentit à communi sententiâ.

 sufficiat

sufficiat ad deponendum dubium de absolutâ honestate operis. Sed ne quis putet rationes Adriani posse invalidare argumentum ab obedientiâ hîc deductum, ideò eorum inefficaciam ostendere visum est.

Solvuntur rationes Adriani.

Ratio 1. Adriani. 98. Prima ratio Adriani. Votum vel juramentum non obligat in probabili dubio peccati mortalis. ergo nec superioris præceptum. Probatur antecedens; Qui ad habendam successionem pro bono patriæ voveret singulis mensibus debitum exigere, donec uxor conciperet, non teneretur hoc voto, sed abstinere deberet, si dubium probabile oriretur de validitate matrimonii, aut si propter morbum absque gravi vitæ discrimine coire non posset. Tenet consequentia, quia votum & juramentum fortiùs ligant, quàm præceptum superioris.

An & quando votum fortiùs obliget, quã præceptũ?

Responsio. Resp. exempla Adriani ad confirmandum antecedens allata esse absona; nam certò illicitum est reddere debitum in dubio de valore matrimonii, quamdiu dubium prudenter non deponitur. Ergo redditio debiti pro tali casu non est materia voti. Ergo votum ad talem redditionem validè non extenditur. Sed quoad doctrinam contentam in argumento dico, latam esse disparitatem inter votum soli Deo factum, & inter contractum seu votum factum homini locum Dei tenenti. In primo casu votum solùm obligat ad id quod melius est, & quod à Deo acceptatur. Quia autem per se perfectius est abstinere ab omni periculo peccati, etiam materialis, ideò certum est Deum pro tali casu non acceptare votum ejusmodi. Ecôtra, qui homini vovet obedientiam, tenetur ad omne quod licitè fieri potest, sive illud sit perfectius, sive minùs perfectum, dummodo ille, cujus prudentiæ se submisit, id postulet. Itaque etsi votum fortiùs liget quàm præceptum, si sermo sit de re ad quam votum extenditur, & ille, in cujus favorem votum est emissum, postulat voti impletionem; idipsum tamen falsum est, quando votum aut non involvit aliquid, aut ad illud non acceptatur, vel certè non exigitur ab eo, cui votum oblatum fuit; tunc enim præceptum & contractus magis obligat quàm votum, quia impletio præcepti exigitur, cùm voti impletio non exigatur ab eo, ad quem pertinet illam exigere.

99. Arguit 2. Adrianus. ad cujus præceptum non licet scienter se morti exponere, ad ejusdem præceptum non licet se periculo mortis exponere. Ergo ad nullius præceptum licet se exponere periculo peccati mortalis, quia ad nullius præceptum licet se peccato mortali seu morti animæ scienter exponere. Probatur antecedens. Ideò solùm uxor non semper tenetur debitum reddere consorti furioso, quia aliquando id non potest sine corporis periculo. Secus teneretur ut docet Rich. in 4. dist. 4. art. 4. & Scotus in 4. dist. 32. pro regulâ ponit, uxorem excusari à lege reddendi debitum, quando est probabile periculum ne fœtus moriatur, aut abortus fiat, vel proles nascatur leprosa, cùm aliter posset sana prodire. Ratio 2. Adriani. Multa excusant ab obligatione reddẽdi debitum.

Responsio. Resp. negando antecedens; multi enim suasu parentum probabili mortis periculo se exponunt, militiam sectando, aut ad Indias navigando; quos tamen audire non deberent, si certò scirent in illa expeditione se morituros. Sed & consequentia nulla, nam vel loquitur de periculo peccati formalis, aut materialis. Si de primo, consequens verum est de proximâ occasione peccandi, sed universaliter verum non est de omni occasione formaliter peccandi, ut per se patet. Si de secundo, falsum est consequens, & contra mentem Adriani, qui expressè docet, quod depositâ conscientiâ dubiâ

Sæpè licet se exponere periculo peccati materialis.

dubiâ conjux possit non solùm reddere, sed etiam exigere debitum conjugale; cùm tamen certum sit, talem conscientiæ depositionem non tollere periculum fornicationis materialis. Itaque sensus Adriani solùm est, quòd non liceat in dubio operari, & se exponere illi peccandi periculo, quòd à tali modo operandi separari non potest. Hoc verissimum est, & longè notius, quàm antecedens, quo utitur ad id probandum. Itaque quoties dubium deponitur, & conscientia prudenter formatur, periculum peccati, de quo hîc agitur, ex mente Adriani, & in rei veritate tollitur. At dubium prudenter deponi potest, quotiescumque superior jubet id quod est certò probabiliter licitum. Nec Adrianus ullatenus probavit oppositum.

Uxor an. & quãdo non teneatur debitum reddere?

100. Ad confirmationem antecedentis, fateor uxorem non teneri reddere debitum, quando aut ob furorem mariti grave corporis periculum imminet, aut aliam ob causam mors prolis vel abortus probabiliter timetur. Ratio est, quia matrimonium institutum est ad concordiam conjugum, & ad bonum prolis. Ergo non potest esse titulus ad ea exigenda, quæ proprio ejus fini opponuntur, qualia sunt quæ ponuntur in objectione. Cæterùm status matrimonii exigit redditionem debiti, etsi uxor dubitet de ejus valore; quia copula negata & bono prolis, & conjugum concordiæ obstaret.

Ratio 3. Adriani.

102. Arguit 3. Adrianus. Non est obediendum Prophetæ in eo, quod independenter ab ejus præcepto esset peccatum mortale, nisi certissimè ostendat se missum à Deo; nec sufficit probabilitas, quòd à Deo sit missus. Legatur *3. Reg. cap. 13.* Ergo non est licitum obedire superiori præcipienti, quod illicitum est, illo non præcipiente.

Responsio.

Resp. me fusè infra acturum de casu hujus Prophetæ. interim dico illum, si peccavit, vel in dubio operatum fuisse, vel imprudenter & vincibiliter sibi persuasisse, quod licitè posset redire cum sene, qui se Prophetam simulaverat. Cæterùm si ille supponatur prudenter & invincibiliter formasse suam conscientiam, quod reditus esset licitus, vel à Deo præceptus, nec Adrianus nec quisquam probabit eum peccasse. Cæterùm quod spectat ad consequens, illud tunc solùm est verum, quando ipsum præceptum, ob probitatem & peritiam prælati, non fundat rationabilem præsumptionem de honestate rei præceptæ in circumstantiis pro quibus præcipitur. Nam sæpè ante præceptum subditus dubitat an res sit honesta; tunc autem peccat si illam ponat; & hoc solùm intendit Adrianus. At accedente præcepto amplius non dubitat; ideóque licitè ponit rem præceptam, quia ipsum præceptum abstergit omnem dubitationem de honestate operationis. Ecce argumenta Adriani nil probant contra doctrinam in præsenti ponderatione expensam, quæ certè universalis est, & ab omnibus semper fuit admissa ut sufficiens regula rectè operandi.

Sæpè fit licitum per præceptum quod sine illo erat illicitum.

Probatio decima-tertia.

Ratio 2.

102. SI certa probabilitas practica non esset tuta regula honestatis, sed Deus præciperet hominibus, ne alias quàm certas sententias pro directione suæ conscientiæ admitterent, per hoc ipsum onus legis servandæ gravissimum evaderet; quia in rebus moralibus, quarum usus semper obvius est & necessarius, paucæ sententiæ certæ sunt, & ferè semper utraque pars contradictionis est probabilis; unde homo semper esset expositus peccandi periculo; à quo liberari non posset, nisi semper sequeretur partem tutiorem; quam semper sequi est onus intolerabile, & ultra vires fragilitatis humanæ, uti pluribus efficaciter

Si probabilitas non esset sufficiens regula, lex Dei esset onus importabile.

ostensum est *quæstionibus 19. 20. & 21.* Ergo lex Dei non esset *onus leve & jugum suave.* At consequens est falsum. Ergo licet sectari minùs tuta si sint certò probabilia.

Idem sequitur si non liceret sequi opinionem minùs probabilem.

103. Jam verò ulteriùs sic arguo: si minor probabilitas directa pro regulandâ conscientiâ non sufficeret, sed in omnibus teneremur vel partem tutiorem amplecti, vel directè probabiliorem, hoc ipsum esset onus intolerabile; tum quia difficillimum est discernere, quænam opinio sit probabilior; tum quia idipsum indagare quamplurimis est penitus impossibile, & ipsis Doctoribus sæpè adeò difficile, ut nisi post longam considerationem de hac quæstione judicium ferre non possint. Quocirca ipsimet Doctores, donec omnes opiniones examinassent, in omnibus tenerentur sequi partem tutiorem; & alii omnes, qui de majori & minore probabilitate judicium ferre non possent, tutiora sectari tenerentur. At hoc est onus intolerabile.

Hoc ipsum exemplis declaratur.

104. Sed ut res clariùs exemplis manifestetur, sic discurro cum Esparza *quæst. 23. art. 4.* In adversariorum sententiâ unusquisque post peccatum commissum statim teneretur sub mortali vel ad eliciendum contritionem perfectam, vel ad sacramentalem confessionem; singulisque vicibus, quibus peccati remedium liberè differret, de novo peccaret. Rursus singulis diebus festis teneretur dolorem de peccatis excitare. Circumstantia peccati in die festo commissi esset explicanda in confessione; quibus alia innumera in quavis summâ inveniri possunt; quia in omni ejusmodi opinione pars altera tutior est. Jam verò si dicas oppositas opiniones esse istis probabiliores, contra est; quia saltem non sunt tales apud eorum asseclas. Deinde à plerisque nescitur quænam earum sit probabilior. 3. cùm difficile sit majorem probabilitatem discernere, locus esset scrupulis in discernendâ probabiliore; adeóque aut omnes aut plerique tenerentur ad partem tutiorem in omnibus sectandam; quod est onus intolerabile, uti dictum est.

Lex vetans usum opinionis minùs probabilis esset nociva.

105. Præterea sic arguo; lex obligans omnes ad sectanda tutiora aut certè probabiliora, ob difficultatem eam observandi, morali necessitate incredibilem peccatorum copiam secum adduceret, quæ tamen facilè vitaretur, si probabilitas quævis ad tranquillandam conscientiam sufficeret; vitaretur, inquam, idque absque alio inconvenienti, quàm quod aliquando poneretur opus, quod fortè esset transgressio materialis; certum enim est, quòd sæpissimè nulla esset nec materialis, nec formalis transgressio. At istiusmodi lex nociva esset, quia longè plura incommoda secum ferret, quàm commoda; nam si lata non fuisset, aut parum aut nil mali sequeretur in republicâ. Si verò ponatur esse lata, eo ipso innumera peccata ex morali quadam necessitate oriuntur. Præterea finis omnis legis est vitare mala alioquin oritura, per quæ ordo naturæ rationalis turbaretur. At lex istiusmodi non conduceret ad hunc finem, sed mala multiplicaret. Ergo sibi ipsi repugnaret. ergo Deo adscribenda non est. ergo quævis probabilitas ad conscientiæ securitatem sufficit.

Possibilitas & utilitas sunt de essentiâ legis.

106. Hæc ratio fundatur in naturâ & essentiâ legis; nam ut lex positiva humana existat, illa omnibus fatentibus, debet esse observatu possibilis, & utilis. Observatu quidem possibilis, ne superet vires subditorum, qui nimio onere gravandi non sunt. Utilis verò, ut per eam bonum reipublicæ promoveatur; ita scilicet, ut expediat reipublicæ legem illam condi; eò quòd plura incommoda sequerentur, si lata non esset, quàm sequutura sint, si feratur. Jam quod dictum est de lege positivâ humanâ, à fortiori valet de lege divinâ, tam positivâ, quàm naturali; quæ, utpotè perfectissimæ in ratione legis, necessariò continent quid-

quid

quid laudabile, aut rationabile est in lege humanâ. Hoc posito sic: nulla lex vetare potest usum opinionis minùs probabilis minúsque tutæ; quia eo ipso esset lex nimis onerosa & nociva. ergo non esset lex. ergo licet sequi minùs probabilia. Qui plura de hoc cupit, legat Vasq *in 1. 2. disp. 155.* ubi has legis conditiones præclarè exponit.

Solvuntur objectiones

Objectio prima.

107. OBjicies 1. Non est supra humanam facultatem habere moralem certitudinem in omnibus agibilibus. Ita contendit Fagnanus *num. 112. in cap. ne innitaris.*

Responsio.

Resp. sensum replicæ esse posse duplicem, 1. ut certitudo & securitas haberi possit, si quis semper partem tutiorem sectetur. 2. ut certitudo & securitas haberi possit, idque facile, etsi pars tutior non reducatur in opus. Si primum dicatur, replica non est ad rem, quia tale tutamen conscientiæ est lex nociva & moraliter observatu impossibilis; quia secum fert plura incommoda, quàm commoda, ut ostensum est. Si secundum, contra, quia certitudo illa, quam Fagnanus dicit hominem facilè posse habere, vel est directa, vel reflexa. Si directa, evidenter fallitur; nam quod hactenus tot Doctorum indefessum studium nec ratione nec authoritate ad certitudinem perducere potuit, nec Fagnano, nec ulli mortalium est facile. Immò è contra, universaliter loquendo manifestè falsum est, & evidenter impossibile, quòd humani ingenii debilitas in omnibus materiis moralibus ad certitudinem pervenire possit. Alioquin, ut benè urget Caramuel, dignetur Fagnanus moralium certitudinum librum scribere, & plus gloriæ apud omnes acquiret, quàm hactenus ullus sui ingenii vi potuit obtinere; imò totam Ecclesiam sibi obstrictam habebit; atque opus Deo inprimis gloriosum, mundoque apprimè utile exhibebit. Si secundum, id quidem verissimum est, quia quodvis judicium probabile necessariò fundat syllogismum ejusmodi, uti ostensum est. Verùm si probabilitas ad eum fundandum non sufficiat; nec Fagnanus, nec alius quisquam aut facilè aut difficilè inveniet certitudinem in moralibus, etiamsi syllogismis reflexis utatur. Alioquin aliquis hoc præstet, & eum laudabimus.

Universalis certitudo thesium moralium est homini impossibilis.

Objectio secunda.

108. Objicies 2. Tenenda quidem esset benigna sententia, si tenerentur homines ad exquirendas opiniones probabiliores; verùm hoc non sequitur ex sententiâ rigidâ, quæ non docet probabiliorem sententiam in omnibus materiis investigandam esse, sed solùm asserit, quòd quando minùs probabilis in concursu probabilioris ac tutioris occurrit, non illa, sed ista sit amplectenda. At hoc non est onus intolerabile. Ita Mercorus *parte 2. art. 27.*

Responsio.

Resp. Mercorum suam sinceritatem ubique ostendere; non enim inficiatur absurdum esse, quod est absurdum; sed negat illud sequi. Verùm dictum inconveniens indubitanter sequitur; nam ideò non possum sequi minùs probabilem in concursu probabilioris, quia teneor sequi vel partem tutiorem, vel probabiliorem; alioquin liceret sequi minùs probabilem; utpotè quæ in contradictione alterius est verè probabilis. Ergo nisi sciam, quòd opinio sit probabilior, non licebit eam sequi, sed in omnibus tenebor sequi tutiorem. At in omnibus sequi tutiorem est onus intolerabile, uti ostensum est. Rursus nemo ab hoc onere liberari posset, nisi sequendo probabiliorem. ergo antequam posset sequi opinionem minùs tutam, deberet inquirere an esset probabilior; alioquin evidenter exponeret se periculo peccandi; quod est peccatum. Et sanè si malum sit sequi opinionem minùs probabilem minúsque tutam, quando

Si non esset licitum sequi opinionem minùs probabile, teneremur aut ad tutiora, aut ad investiganda probabiliora.

quando illa apparet, qualis est; malitia debet esse inseparabilis ab usu talis opinionis, sicut malitia est inseparabilis ab homicidio, &c. Ergo sicut non solùm peccat qui sciens patrat homicidium; sed etiam qui homicidii periculo se exponit; ita non solùm peccaret, qui sciens & volens sequeretur opinionem minùs probabilem, sed etiam qui se exponeret periculo illam sectandi. Sed qui sequeretur opinionem probabilem, nesciens an esset magis vel minùs probabilis, exponeret se periculo sectandi opinionem minùs probabilem. ergo eam sectando peccaret. Nec excusari posset, nisi post diligens examen inveniret illam esse oppositâ probabiliorem. Ergo sequela absque dubio vera est. Est autem absurda. Ergo absurda est sententia rigida, ex quâ tale consequens sequitur. Stet ergo verificari non posse *jugum Christi esse onus leve*, nisi usus opinionis directè minùs probabilis minusque tutæ sit licitus.

Probatio decima-quarta.

Ratio 14.

109. Evidens est, invincibilem ignorantiam legis divinæ in omni materiâ à peccato excusare. At omnis probabilitas quòd objectum aliquod non sit prohibitum, etiam in contradictione probabilitatis directè majoris pro parte contrariâ, necessariò connectitur cum invincibili ignorantiâ legis divinæ prohibentis tale objectum. Ergo quævis probabilitas excusat à peccato, & sufficit ad securitatem conscientiæ. Major certa est, & supra *quæst. 16.* demonstrativè probata. Minor etiam mihi certa est: sumo enim ullam materiam moralem, de quâ Theologi disputant, ita tamen ut post longam disputationem & studium diuturnum semper maneat probabile, objectum illud non esse à Deo prohibitum. In hoc casu assero homines de tali objecto invincibilem ignorantiam habere. Nonne illa ignorantia invincibilis est, quæ post studium tot annorum, totque ingeniorum desudantium acutissimas investigationes vinci non potuit? Stultum enim est existimare, illam solùm ignorantiam esse invincibilem, quæ procedit ex totali incogitantiâ alicujus objecti; illa enim est materialis & mortua, ut ita dicam, ignorantia, quæ merè per accidens est invincibilis. At illa, quæ post propositionem objecti per diligens studium, imò per totam naturæ humanæ industriam superari & vinci non potest, illa enimverò est ignorantia formaliter, & per se invincibilis. Talis est ignorantia legis divinæ, contra cujus existentiam motiva probabilia militant. ergo in omni materiâ apud Theologos discussâ & propter argumenta hinc inde probabilia adhuc dubiâ, datur formalissima ignorantia talis legis, illaque est planè invincibilis.

Minor probabilitas honestatis cónectitur cum invincibili ignorantia inhonestatis cujusvis objecti.

110. Jam verò si sermo sit de aliquo objecto, de quo Theologi & Canonistæ nondum tractarunt, illudque sit scitu difficile, dico unumquemque, qui ad probabilitatem de honestate illius objecti pervenerit, constitutum esse in ignorantiâ invincibili legis divinæ vetantis objectum ejusmodi. Ille enim invincibiliter ignorat, qui post omnem diligentiam, quam adhibere tenebatur, non potuit ad veritatem rei pervenire. At homo, qui post debitam diligentiam invenit rationes probabiliter suadentes Deum tale objectum non prohibuisse, non tenetur ulteriùs investigare & quærere veritatem, quia teneretur ad impossibile; impossibile enim est, quod homo de talibus objectis certitudinem & scientiam habere possit. Quòd si fortasse aliquando contingeret, posse hominem ad rei veritatem certò pervenire per studium ulterius protractum, id tamen rarissimum erit, & hîc & nunc vix umquam prudenter sperari poterit. At de talibus rarò contingentibus, de quorum morali possibilitate non datur præsumptio, nulla

Qui post diligens examen pervenit ad rationes probabiles pro unâ parte, nō tenetur ulteriùs investigare veritatem in rebus scitu difficilibus.

nulla datur lex, divina enim Sapientia, quæ omnia suaviter disponit, non exigit ab homine, quod hominis conditionem superat. At superat hominis conditionem invenire certitudinem in rebus ejusmodi, quippè quæ aut semper, aut plerumque humani ingenii debilitati est impossibilis. Similiter sæpè impossibile est, ut quis ad majorem probabilitatem perveniat. Ergo neque ad illam investigandam obligatur. Præterea frustra ad majorem probabilitatem quærendam obligaretur homo, quia illa inventa adhuc maneret in invincibili ignorantiâ divinæ legis; adeóque excusaretur ab obligatione coarctandi libertatem, non secus ac si de legis non existentiâ certus esset; ergo frustra ad majorem probabilitatem investigandam cogeretur.

Huc collimant Authores, qui communiter docent, dubium legis, post debitam diligentiam perseverans, posse prudenter deponi, & hominem non teneri ad abstinendum ab opere prius dubio, quia in tali casu lex invincibiliter ignoratur; non est opus Authores citare, quia ratio hæc ab omnibus communiter affertur. Hæc autem ratio multò magis valet, quando dantur præsumptiones probabiles, quòd objectum liceat, & multo maximè quando objectum absoluto judicio probabiliter creditur esse licitum; tunc enim omnes fermè benignæ sententiæ subscribentes expressè agnoscunt, ignorantiam invincibilem in tali judicio contineri. Non est opus Recentiores recensere, quia res est nimis certa, sed eadem veritas ab antiquis agnita & unanimiter tradita fuit. Juvat breviter recensere aliquos, quos *quæst. superiore* latiùs explicavi. Qui expressè agnoscunt ignorantiam invincibilem in opinione hi sunt, Franciscus Victoria, Conradus *de contract. quæst. 100.* Sylvester. *V. opinio.* Adrianus *tract. de rest. §. circa hæc occurrit dubium.* Major *in 4. dist. 12.* Corduba *lib. 2. de ignorantiâ quæst. 3.* Angelus *verbo opinio, num. 2.* Idem docet S. Antoninus ex Guillielmo *in glossa Raymundi.* Panormitanus *in cap. Capellanus de feriis, num 6.* Joannes Nyder, & Ulricus apud eundem. Ecce principium, quo utimur & lumine naturæ notum est, & ab omnibus tam antiquis quàm modernis communiter pro vero habitum. Consequentia autem est legitima, & ritè deducitur.

Antiqui & moderni agnoscunt ignorantiam invincibilē legis in opinione probabili.

Solvuntur objectiones.

111. Objicies 1. si invincibilis ignorantia legis connecteretur cum probabilitate de ejus non existentiâ, eadem etiam connecteretur cum dubio. ergo dubium excusaret. At hoc est falsum, nam qui in dubio eligit objectum, de cujus inhonestate dubitatur, indubitanter peccat. *Objectio prima.*

Resp. dubium semper quidem connectitur cum ignorantiâ legis, sed sæpè separatur ab invincibili ignorantiâ ejusdem; nam qui dubitat, tenetur aut tutiorem partem sequi, aut veritatem investigare; atque ita prudenter dubium deponere. Si hoc non agat, ignorat quidem legem, sed vincibiliter, ut patet. At si dubium etiam post diligens examen veritatis permaneat, ignorantia legis censetur, & est invincibilis; adeoque lex non obligat; quia & dubium deponi, & pars minùs tuta licitè eligi potest, idque per se loquendo universaliter verum est in omni dubio juris, quamvis aliquando in dubio facti non liceat sequi nisi partem tutiorem, ut communiter tenent Theologi. *Responsio.*

112. Objicies 2. quando aliquis non solùm dubitat de lege, sed etiam invenit rationes probabiles, quæ legis existentiam suadent, perperam dicitur ignorare legem; nam suo modo scit illam. Ergo multò minùs eam invincibiliter ignorat. At hic est casus præsens; ponitur enim homo rationes graves habere ad credendum, quod lex illa existat. *Objectio secunda.*

existat. Ergo homo ille, si eligat partem minùs tutam, non potest excusari propter invincibilem ignorantiam præcepti.

Responsio. Resp. homo ille ita ponitur habere rationes probabiles aut probabiliores pro existentiâ legis, ut etiam habeat rationes probabiles, & motiva magna ad credendum oppositum. Ergo si non præbeat assensum affirmantem legem existere, sed vel credat oppositum, aut suspendat omne judicium, verè ignorat legis existentiam, idque invincibiliter; cùm illa ignorantia superari non possit. Non enim superatur ignorantia legis aut per apprehensiones aut per motiva probabilia, aut etiam per judicium incertum de illius existentiâ, sed solùm per hoc, quòd certò moraliter innotescat. Ergo quamdiu non ita innotescit, non tenetur homo ita ex vi illius se gerere, ac se gereret si sciret legem illam existere; sed hoc illius arbitrio relinquitur tamquam consilium, non imponitur, nec imponi potest ut præceptum, quia invincibilis ignorantia legis excusat.

Objectio 3. ex Frãcisco Bonæ-spei. 113. Objicies 3. ex Francisco Bonæ-spei *in Apologemate retorto dub. 5. num. 12.* In nullâ opinione probabili præcisè sumptâ datur ignorantia invincibilis veritatis, aut bonitatis; quia ignorantia invincibilis fundat certitudinem moralem, quòd ex eâ operando non peccetur, quam certè nulla opinio probabilis, præcisè quà talis, potest fundare; idque multis de causis evincitur: primò quia opinio probabilis, præcisè quà talis, habet rationes suasibiles pro utrâque parte, quæ dubitationem fundant pro quâ parte stet veritas. Unde in *cap. Nervi. dist. 13. in cap. illud de præsumptione, de frigidis & maleficiatis, in cap. inquisitioni de sent. excom. aliisque multis* probabile sumitur pro dubio. Ergo opinio probabilis non fundat illam certitudinem moralem. Secundò. Nec dubium nec scrupulus fundant talem certitudinem, ergo multò minus opinio probabilis, quia opinio probabilis admittit vehementiores rationes in oppositum, quàm dubium aut scrupulus. Tertiò opinio falli potest & fallere, quia indifferens est ad verum & falsum. At quod est ita indifferens ad verum & falsum, non est certum. ergo &c. Quartò: Nemo prudenter dubitat de eo, quod est certum. At nemo non dubitat de opinione probabili quà tali. Quintò: Opinio probabilis dicit, *probabile est rem esse, & probabile est rem non esse.* At talis actus non habet moralem certitudinem de rei veritate. Sextò: qui certus est, nulli discrimini se committit. At qui sequitur opinionem probabilem præcisè, committit se discrimini, quia sequitur judicium dictans *probabile est hoc esse licitum, probabile est hoc esse illicitum.* ergo opinio probabilis, præcisè quà talis, non involvit dictam certitudinem; ergo nec ignorantiam invincibilem.

Responsio. Omnis opinio probabilis, quà talis, necessariò involvit invincibilem ignorãtiam oppositi. Resp. opinionem omnem certò probabilem, quam homo prudens in rebus incertis post debitum examen elicit propter rationes magni momenti, evidenter involvere in se rationem ignorantiæ, & erroris (si tamen sit erronea) invincibilis. Ratio est, quia in rebus ejusmodi incertis, quoties quis assensum præbet juxta prædicta, toties non peccat sic judicando, sed prudenter judicat. Ergo si erret, invincibiliter errat, cùm error vitio verti non possit. At aliud non est errorem esse invincibilem, quia per hoc ipsum errans excusatur à peccato erroris Itaque quoties in rebus multùm discussis, venitur ad certam hinc inde probabilitatem, toties non datur obligatio ulteriùs inquirendi veritatem, eò quòd non detur spes prudens eam detegendi, ideóque illa probabilitas necessariò conjuncta est cum invincibili ignorantiâ; qui enim debitâ diligentiâ præmissâ ex motivo certò probabili elicit judicium, si fallatur, inculpabiliter & invincibiliter errat. At judicium, ut sit

ut sit certò probabile in re morali, essentialiter postulat omnia prædicta præcessisse; illis enim non præmissis temerè & imprudenter fertur sententia. Ergo omnis opinio probabilis in re morali necessariò annexam habet ignorantiam invincibilem. His positis.

Ignorantia invincibilis non formaliter sed solùm argutivè certificat actum esse honestum.

114. Ad argumentum dico, ignorantiam invincibilem solùm reflexè cognitam fundare certitudinem, quòd actus ex illâ causatus non sit peccatum. nam ipsa ignorantia invincibilis potissimè dicta est absoluta incogitantia, & remotio omnis apprehensionis de malo quod patratur. At talis incogitantia directè & formaliter non certificat de remotione peccati. Nec enim homo per eam, utpotè non vitalem, magis de eo certificari potest, quàm de eodem certificetur, quando dormit, & de nullâ re cogitat. Jam quod attinet ad opinionem probabilem, illa quidem directè ac vitaliter non omnimodè certificat opinantem; & hoc solùm probant sex illæ rationes in objectione positæ. At quòd opinio probabilis, etiam præcisè sumpta quà talis, reflexè cognita non sit objectum certificans operantem, se non peccare illam sequendo, rationes illæ nec probant, nec tangunt; imò oppositum ab ipso Bonæ-spei supponitur; quia supponit, quòd per nova principia reflexa certificari quis possit, quòd, si erret, invincibiliter erret, & ad ulteriora non teneatur. At hæc nova principia reflexa fundantur in opinione probabili præcisè secundùm se consideratâ; nisi enim dicta diligentia præcessisset, & judicium probabile formatum, aut certè certa probabilitas inventa fuisset, nullus fuisset locus illis principiis reflexis, per quæ mens consurgit ad certò sciendum, se invincibiliter errare, si erret, ideóque & à formali malitiâ per se imputabili excusari, licèt fortè materialiter peccet; si enim aut diligentia fuisset omissa, aut intellectus ad probabilitatem non pervenisset, utique vincibiliter errasset concludendo, contra motiva probabilia legi faventia, se taliter operando non peccare. Itaque in ordine ad removendum peccatum, omnia conveniunt opinioni probabili, quæ ignorantiæ invincibili conveniunt. Nulla proinde est hæc Bonæ-spei objectio.

Bonæ-spei sibi ipsi contrariatur.

Prima ratio Bonæ spei confundit judicium probabile cum motivo ipsius.

115. Præterea, Bonæ-spei in primâ ex sex rationibus allatis confundit opinionem probabilem, id est judicium absolutum probabiliter judicans rem esse licitam, cum ipsâ ejus probabilitate, immò cum probabilitate oppositi; nam rationes utrique parti faventes sunt, quæ suadent, seu alliciunt in actu primo ad utramque partem. Per accidens autem est opinioni probabili quâ tali, quod habeat rationes in oppositum. Sed esto eas habeat, illa tamen est absolutum judicium, per quod omnis dubitatio formaliter tollitur, & mens in unâ parte firmatur tamquam in absolutâ rei veritate, oppositumque contemnit, ut absolutè falsum; quod certè non convenit rationibus hinc inde apparentibus secundùm se consideratis, illæ enim, si nullum judicium probabile eliciatur, cohærent cum dubio de veritate rei, ideóque aliquando, ut fortassè in dictis capitibus juris, sumuntur pro dubio positivo. At oppositum valet de ipso judicio probabili, quod essentialiter excludit dubium.

In secunda ostendit se immemorem ejus quod erat probandum.

116. Rursus in secundâ ratione factus est immemor asserti. quod probandum assumpserat; scilicet, *nullam opinionem probabilem includere certitudinem moralem.* Quid enim si dubium & scrupulus talem certitudinem non fundet? An ideò nullum judicium probabile eam fundat? Nonne multa sunt judicia probabilia, quæ nullam contra se probabilitatem admittunt? Qui viæ ignarus à rustico iter quærit, solùm probabiliter credit illi viam monstranti, quam tamen absque dubio tenet, & humano modo moraliter certus est, se non errare viam illam terendo,

Multa judicia probabilia formaliter continent certitudinem moralem. terendo. Ecce aliqua saltem opinio probabilis directè & vitaliter continet moralem certitudinem. Idem valet de longè majore probabilitate unius quàm alterius partis; homines enim in eâ cum humanâ & morali quadam securitate quiescunt. Demum in omni opinione probabili, etiam contra quam rationes æquè potentes in actu primo militant, adsunt rationes adeò validæ, ut illæ sufficiant ad prudenter deponendum dubium, quod certè locum non habet in scrupulo & puro dubio. Itaque licèt dubium & scrupulus moralem certitudinem non afferant, illam tamen opinio probabilis semper secum trahit. Semper quidem directam certitudinem imperfectam, quatenus tollit omnem dubitationem, & intellectum fluctuantem non relinquit, sed eum in unâ determinatâ contradictionis parte figit. Sæpè etiam directè affert moralem certitudinem humano modo perfectam, & nunquam non reflexè fundat absolutissimam certitudinem de honestate operationis.

Tertia ratio Bonæspei æquè urget cum, ac non. 117. Tertia ratio æquè urget contra errorem & ignorantiam invincibilem, ac contra opinionem probabilem. Inprimis ignorantia fallit non minùs quàm opinio probabilis. Deinde error semper alligatur parti falsæ; non sic opinio probabilis. Ergo si tam error quàm ignorantia invincibilis, hoc non obstante, certificat de honestate operationis; quidni opinio probabilis, licèt indifferens sit ex se ad verum & falsum, & quamvis fallere possit & falli, eandem certitudinem possit inducere? Sed hîc latet æquivocatio. Opinio probabilis ex se quidem est aliquo modo indifferens ad verum & falsum; nihilominus prout mentem vitaliter informat, eamque figit in unâ parte, ut in absolutâ veritate, & alteram ut absolutè falsam respuit, si in ratione objecti reflexè cognoscatur, semper absolutè certificat operantem de honestate suæ operationis, idque ex multis capitibus, nominatim autem quia certificat errorem, si tamen errorem contineat, esse invincibilem.

118. Quarta ratio probat quidem plura judicia probabilia nec directè nec reflexè absolutè certificare nos de objecto, quod ab ipsis asseritur; sed non probat, judicium probabile in ratione objecti reflexè cogniti non certificare opinantem de existentiâ judicii probabilis à se prudenter eliciti, & non afferre circumstantiam pro novo discursu formando, ex vi cujus operans certificatur de honestate suæ operationis. Quarta ratio non probat Iudicium non fundare certitudinem reflexam.

119. Quinta ratio per omnia falsum supponit. Opinio enim probabilis non dicit, *probabile est rem esse, & probabile est rem non esse*, hoc enim non opinativè & probabiliter, sed scientificè & evidenter affirmatur. Sed è contra absolutè dicit *res est licita, & oppositum est falsum*; & hic actus semper directè & formaliter excludit omne dubium proprium, ideóque semper affert certitudinem humanam imperfectam; sæpè directè reddit hominem moraliter quietum, & nunquam non reflexè cognita sufficit ad mentem perfectè tranquillandam & certificandam, etiam ex hoc capite, quòd veritas invincibiliter ignoretur. Quinta ratio supponit manifestè falsum.

120. Sexta ratio eodem laborat æquivoco. Nam qui sequitur opinionem probabilem, non regulatur à dictamine dicente *probabile est rem esse licitam, & probabile est rem esse illicitam*: sed à judicio dictante *rem esse licitam, & oppositum esse absolutè falsum*. Tale autem judicium aut directè, ut sæpè, aut reflexè cognitum semper multis viis certificat operantem de honestate suæ operationis; & inter reliquas ex eo, quòd invinciliter legem ignoret. Itaque fixum est omnem opinionem practicè probabilem necessariò involvere invincibilem legis ignorantiam, ac proinde non æquè, sed modo magis rationabili excusare operantem, quàm ignorantiâ invincibilê consistentê in omnimodâ inconsideratione & incogitantiâ rei. Sexta ratio eodem vitio laborat.

121. Obji-

Objectio quarta.

121. Objicies 4. Ignorantia consistens in insuperabili incogitantiâ inhonestatis ideò excusat, quia reddit malitiam absolutè involuntariam; si enim operans scivisset malitiam, non posuisset actum; & ideò ignorantia illa, utpotè antecedens & causa actus, reddit malitiam illius penitus involuntariam. At contrarium evenit in casu nostro, quia operans cogitat de malitiâ objecti, in quod fertur, & videt illam esse valdè probabilem. Ergo opinio probabilis non involvit ignorantiam invincibilem, nec excusat; non enim reddit malitiam involuntariam, sed potiùs imputabilem, quia stimulat ne actus ponatur. ergo si ponitur, voluntariè ponitur, ideóque ejus malitia non est involuntaria, sed voluntaria & imputabilis.

Responsio.

Ignorantia concomitans, si sit invincibilis, excusat à peccato per se imputabili.

Resp. ignorantiam invincibilem non solùm antecedentem, quæ causat actum, sed etiam concomitantem excusare à peccato, quia reddit malitiam penitus involuntariam. De antecedente non est difficultas, quia omnes id fatentur, & constat ex dictis. De concomitante probatur. Ponamus aliquem invincibiliter putare hominem tectum pelle ferina esse feram, illumque pro ferâ interficere. Hic homo dupliciter potest ita disponi, ut eum interfecisset, si scivisset illum esse sibi aversum. Primo ex odio præconcepto & habituali intentione cum interficiendi ubicumque datur occasio; & in hoc casu occisio inimici meritò imputatur occisori, non quidem imputabilitate propriâ, sed solùm communi illâ cum habituali intentione illum occidendi, in quâ occisio inimici est habitualiter voluntaria, & à quâ solâ denominatur peccatum, nam intrinsecè non est peccatum, cùm malitia homicidii nullo modo sit voluntaria per illum actum, ut patet. Secundò ita ut absque illâ prævia dispositione pravâ, solùm ex fragilitate per novam tentationem cecidisset in homicidium, si novisset inimicum suum ibi latere. Et in hoc casu occisio illa nullam habet imputabilitatem, ne quidem extrinsecam, & ratione alterius, adeóque nullo modo est peccatum, quia nullo modo est voluntaria. Ergo ignorantia invincibilis concomitans semper excusat à peccato ratione sui imputabili, seu à peccato continente novam malitiam, & sæpè à peccato quomodolibet imputabili etiam ratione alterius. Nec tamen nego, quòd ignorantia antecedens ex peculiari ratione excuset operantem, quia talis ignorantia est causa actûs positi, ut patet. Jam ad casum nostrum; etsi adsit apprehensio aliqua de directâ malitiâ objecti, illa tamen superatur, & rationabiliter rejicitur ut merè apparens, & ut absolutè falsa per positivum judicium, quo per errorem invincibilem omnis malitia creditur abesse ab illo objecto; & ex alterâ parte animus operantis ita dispositus est, ut si aut crederet objectum esse malum, aut de hoc dubitaret, nullatenus illud eligeret; in quo casu manifestum est ignorantiam illam malitiæ post diligens examen veritatis insuperabilem, & in errore invincibili contentam esse ignorantiam antecedentem & causam actûs, ideóque reddere malitiam illam non minùs involuntariam, quàm fuisset, si de illâ nulla cogitatio præcessisset. Non minùs, inquam, quia, volitio libera non dirigitur & regulatur immediatè per apprehensiones prævias, sed solùm per judicium; & fertur in objectum ut per judicium proponitur. Ergo si incogitantia omnimoda excuset à peccato per se imputabili, etsi illa sit merè concomitans, & conjungatur cum habituali intentione ponendi illud malum, si daretur occasio. multò magis ignorantia & error excusabit in casu nostro; quia stimulus retrahens prudenter contemnitur ut falsus, & bonitas absolutè credita, juncta ignorantiæ invincibili mali latentis, causat actum.

122. Objicies 5. In perfectâ incogitantiâ peccati malitia nullo modo apparet, quæ tamen Objectio quinta.

tamen in casu nostro apparet ut valdè credibilis. Ergo fieri non potest ut dubium probabile ex vi ignorantiæ æquè excuset ac omnimoda incogitantia.

Responsio. Resp. apparentiam probabilem malitiæ per probabilem honestatis apparentiam refelli; ideóque mentem æquè insuperabiliter ignorare legem in dubio probabili, ac in perfectâ incogitantiâ; nec obstat motivum probabile persuadere, legem existere; quia aliud motivum certò probabile arguit illam non existere; quod perinde est in ordine ad sciendam legem, ac si nulla de lege mentio facta fuisset, dummodo intellectus aut suspendat judicium, aut absolutè credat legem non existere. Itaque sicut, cùm nil cogitamus de lege, excusamur, quia intellectus reflexè cognoscit ignorantiam, & dicit nil apparere quo impediatur ab electione talis objecti; ita in dubio probabili excusamur, quia intellectus post omnem industriam impensam certificatur, nil afferri pro lege, quod non refellatur argumento certò prudenti, ideóque certificatur, legem invincibiliter ignorari, cùm ejus notitia per debitam industriam obtineri non potuerit, adeóque scit nil afferri, quod magis possit urgere instar legis, quàm si nulla legis apprehensio adesset. Et quidem de hoc ipso, per rationabilem discursum certificatur; quod certè, in ordine ad excusandum à peccato, æquivalet perfectæ incogitantiæ.

Ratio 15.

Probatio decima-quinta.

Multa pericula probabilia peccandi formaliter non sunt prohibita.

123. Certum est plura non esse præcepta, sed solùm sub consilio proposita, quibus omissis homines peccandi periculo subjacent, cui non exponerentur, si eadem amplecterentur. Talia sunt Religionem ingredi, continuis jejuniis & orationibus vacare, quæ si fiant, innumera Deum offendendi pericula præciduntur, quibus mundani homines necessariò subjacent. Nemo tamen tenetur Religionem ingredi, ut hæc pericula vitet. Unde infertur, non omne periculum, non dico materialiter, sed formaliter peccandi esse prohibitum; quam qui vocatus ad religionem, vocantem non sequitur, sed statum sæcularem innumeris negotiis implexum prælegit, eo ipso evidenter conjicit se in periculum sæpiùs graviter peccandi. Immò adeò evidens est, quòd in hoc periculum se conjiciat, ut oppositum non sit probabile, sed evidenter falsum. Hoc tamen periculum per seriam status religiosi exercitationem tolleretur. Nihilominus nemo tenetur ad ingrediendam religionem, ut vitet hoc universale periculum peccandi, quod à statu sæculari mille peccandi occasionibus implexo separari non potest. hoc posito, sic arguo.

124. Si ulla esset ratio, cur Deus præciperet usum opinionis tutioris, aut saltem probabilioris, ea esset, quia in usu opinionis minùs tutæ, & multò magis in usu opinionis minùs tutæ minúsque probabilis inveniretur periculum, seu dubium peccandi. At in dubiis tutior pars eligenda est; *nam qui amat periculum peribit in illo.* Hoc est potissimum adversariorum fundamentum. Juvat autem considerare, quale sit hoc periculum. Inprimis est periculum conjunctum cum probabilitate, quod actio illa non sit, ne quidem materialiter, mala. Ergo totum periculum est de peccato materiali. nam directè nullum est periculum peccati formalis, quod utique nunquam separari potest à transgressione præcepti certi. Dixi à transgressione præcepti certi, nam qui dubius de honestate operis illud exequitur, non ideò peccat, quia violat legem, de qua dubitat, sed quia violat legem certam, quæ reflexè prohibet, ne quis in dubio operetur, nisi vel sequatur partem tutiorem, vel aliquo modo dubium deponat.

Peccatum formale est inseparabile à transgressione præcepti certi.

Hæc

Hæc lex certa est, ejusque transgressio certa. Itaque totum periculum est, ne homo sic operans materialiter peccet.

Periculum mali contentum in usu opinionis minùs probabilis minúsque tutæ non meretur prohiberi.

125. Hoc posito sic arguo. Periculum materialiter violandi legem, quæ per indicia probabilia apparet non dari, non est malum, quod mereatur prohiberi. Ergo non prohibetur. Consequentia est evidens; tum quia nulla est ratio ponendi talem legem, nisi ad vitanda incommoda necessariò proventura ex usu opinionis minùs probabilis minúsque tutæ, ut constat ex essentiâ legis, quam S. Thomas *1. 2. quæst. 95. art. 3* & cum eo Interpretes unanimiter supponunt debere esse necessariam ad removendum malum grave alioquin imminens; tum quia cùm hic sit sermo de jure naturæ, non autem de positivo, manifestum est, Deum non prohibere talem usum, nisi quia ille naturâ suâ sit malus, & mereatur prohiberi. Antecedens demonstratur sic. Majora inconvenientia sequuntur ex eo, quod vocatus ad religionem, vocantem Deum non sequatur, sed matrimonii statum eligat &c. quàm ex usu opinionis minùs probabilis minúsque tutæ; nam ille per hoc sponte amplectitur statum, qui continet periculum manifestum plurium peccatorum formalium, uti jam proximè ostensum est. At hoc ipsum est longè majus malum, & evidentius periculum mali majoris, quàm quod ex usu opinionis minùs probabilis minúsque tutæ imminet; ex hoc enim usu solùm imminet periculum aliquod peccati materialis, cum quo tamen periculo cohærent motiva probabilia, quod nulla sit lex actionem vetans, adeóque quod actio illa non sit ne quidem peccatum materiale. At hoc malum est incomparabiliter minùs malo, & periculo connexo cum electione statûs matrimonialis, & rejectione statûs religiosi. Ergo si malum illud, etsi tantum, non mereatur prohiberi, à fortiori hoc minus id non meretur.

Confirmatur idipsum exemplo majoris probabilitatis.

126. Confirmatur argumentum: Evidens est tam usum opinionis probabilis contra improbabilem sed tutiorem, quàm usum opinionis probabilioris minúsque tutæ esse licitum contra probabilem tutiorem, periculumque peccati materialis cum tali usu connexum non esse inconveniens, quod præ magnitudine sui mali mereatur lege naturæ prohiberi. Hinc arguo sic: inconveniens quod ex usu opinionis minùs probabilis minúsque tutæ superadditur malo imminenti ex usu probabilioris parvum est & insensibile. Parvum quidem, quia utrumque est in eodem genere, & sæpè unum parum distat ab altero. Insensibile verò, quia vix umquam certò discerni potest, quid sit opinionem esse magis vel minùs probabilem; illud autem in particulari certò discernere sæpissimè est impossibile. Hoc autem malum, junctum inconvenienti priori, nullam sensibilem varietatem inducit. Ergo si prior usus, non obstante illo inconvenienti, sit licitus, iste secundus ex adjunctione tam parvi inconvenientis in eodem genere superadditi, non potest evadere illicitus. Præterea sive totum inconveniens, sive pars illa, quæ ex usu opinionis minùs probabilis superadditur inconvenienti ex usu probabilioris, comparetur cum periculo imminente ex dictâ statûs electione, evidenter apparebit, hoc periculum esse malum incomparabiliter majus illo inconvenienti. Hoc tamen periculum non meretur reflexè prohiberi, idque est evidens. Ergo illud inconveniẽs multò minùs meretur talem prohibitionem. Itaque usus opinionis magis tutæ magisque probabilis non cadit sub præceptum, sed solùm sub consilium, sicut electio statûs religiosi præ statu matrimonii non est materia præcepti sed consilii.

Idipsum confirmatur 2. ratione.

127. Confirmatur 2. assignando rationem à priori, per quam identitas rationis pro utroque membro comparationis clariùs apparet. Ideò non expediebat dari, atque

ideò non datur præceptum aut sequendi consilia, etsi illa sint tutior via ad salutem, aut vitandi periculum peccati connexum cum statu matrimonii, & vitæ secularis, quia omnibus consiliis conformari est opus adeò arduum, ut homini fragili difficillimum sit se illis conformare. Ergo si illorum usus fuisset præceptus, major peccatorum formalium copia jure timeri posset, quàm si non esset præceptus, plurimi enim formaliter peccarent non subdendo se illi statui; plurimi iterum peccarent post statum admissum non conformando se arctiori viæ, & prudentiori consiliorum usui. Atque ita in totâ latitudine reipublicæ humanæ tale præceptum, stante hominis fragilitate, innumerabilium peccatorum seminarium evaderet. At eadem ratio multò magis valet in casu nostro, in quo non minùs difficile est in omnibus sequi tutiora, aut magis probabilia, quàm sequi dicta consilia. Immò hoc secundùm longè difficilius esset, & plurimis impossibile. Rursus ex alterâ parte, præscindendo à lege reflexâ, nullum est periculum nisi peccati materialis, ut evidenter constat ex dictis. Ergo hoc periculum non solùm non debuit prohiberi, sed debuit non prohiberi, ne ad vitanda pauca peccata materialia fragilitas humana in evidens periculum innumera peccata formalia committendi conjiceretur.

Ratio ob quam consilia non obligant, probat usum partis minùs tutæ esse licitum.

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima.

118. Objicies 1. Nulla est paritas inter electionem status secularis, relicto statu religioso, & usum opinionis minùs probabilis, tutiore ac probabiliore relictâ; quia in hoc casu periculum peccati materialis est proximum, & imminet in ipsâ actione hîc & nunc exercendâ. At in casu priore periculum peccati formalis est valdè remotum, utpotè quod in actionibus postea tantùm secuturis timetur.

Resp. 1. Periculum manifestum peccatorum formalium in futuro est longè majus malum, quàm periculum præsens peccati materialis probabiliter non imminentis. Ergo si illud periculum non meretur prohiberi, multò minùs hoc vetari postulat.

Responsio prima. Quodnam periculum peccati materialis meretur prohiberi?

Resp. 2. Non omne periculum probabile peccati materialis proximè imminens in actione aliquâ reddit illam illicitam, uti demonstratum *quæst. 20.* Quid ergo infers ex eo, quòd peccatum materiale proximè immineat? Vides paritatem esse non solùm solidam, sed efficacissimam, quia comparo periculum peccati formalis in futuro, cum eo tantùm periculo peccati materialis de præsenti, quod secum patitur probabilitatem dictantem, objectum illud ne quidem materialiter esse peccatum.

Responsio secunda. Idipsum ulteriùs explicatur.

129. Resp. 3. Periculum peccati formalis in futuro sæpè fundat evidentem obligationem de præsenti. Sic si quis experientiâ doctus, propter occasionem aliquam moraliter insuperabilem, prævideat se peccaturum, si adeat domum amici, tenetur ad amicum non divertere. Quod si velit domum illam adire, quamvis habeat propositum tunc non peccandi, jam nunc peccat, quia absque necessitate se in peccandi periculum conjicit. Rursus periculum peccati materialis de præsenti imminens sæpissimè non fundat peccatum præsens, etsi eligatur, ut evidens est. Ergo ratio quæ probat periculum illud peccati formalis non fundare legem prohibentem illud, multò magis probat periculum illud peccati materialis talem legem non fundare.

Responsio tertia. Periculum peccati futuri sæpè fundat obligationem præsentem.

130. Resp. 4. paritatem esse in omnibus similem; nam comparo voluntatem efficacem amplectendi statum secularem &c. cum voluntate efficaci admittendi ut regulam morum, quòd *licitum sit sequi opinionem minùs probabilem minùsque tutam*; in hoc casu nullum est peccatum præsens, sed periculum peccandi

Responsio quarta. Argumentum hoc expensum confirmatur.

peccandi solùm imminet pro futuro; & quidem in proposito status ineundi illud periculum est majus, quia est propositum de eligendâ re, cum quâ dictum periculum necessariò connectitur. At in altero casu propositum illud relinquit unumquemque liberum ad sequendam vel non sequendam illam regulam; adeóque minùs connectitur cum periculo peccandi materialiter, quàm alterum cum periculo formaliter peccandi.

Objectio secunda. 131. Objicies 2. Ideò præeligens vitam secularem non peccat, quia certus est electionem talis statûs esse licitam. At è contra non est certum, usum opinionis probabilis non esse peccatum; tum quia hoc controvertitur; tum quia proximum adest periculum violandi legem, quæ per motiva probabiliora probatur existere.

Responsio. Resp. adversarios minori cum fundamento controvertere, an liceat sequi opinionem probabilem, quàm si controverterent, utrum peccet, qui statum secularem vocationi religiosæ præeligit. Nam peto unde certus esse possit homo, quod licitum sibi sit eum statum inire, cui periculum sæpè peccandi necessariò connexum est? Si quæ ratio afferatur, illa probabit tam certum esse, quòd sequens opinionem directè minùs probabilem, tutiore relictâ, non peccet, quàm quod secularis ille immunis sit à peccato eligendo statum secularem, vocatione ad religionem neglectâ. Jam verò quod additur de periculo proximo, dico illud esse solum de peccato materiali, ut ostensum est. 2. loquendo juxta dicta *num. 129.* periculum illud est valdè remotum. 3. nunquam est periculum proximum; nam Theologi illud solùm periculum vocant proximum, quod ita connectitur cum effectu, ut oppositum prudenter sperari non possit. At in casu nostro prudenter sperari potest, nullam legem per actionem illam fore violandam. 4. sæpè evidens est, tale periculum, sive sit sive non sit proximum, peccati materialis non reddere actionem illicitam. 5. periculum illud remotum peccati formalis est majoris longè momenti, quàm sit hoc periculum peccati materialis, quocumque tandem nomine vocetur. Ergo si illud non fundat, multò minùs hoc fundabit legem vetantem opus, quod cum dicto periculo connectitur.

(Ratio probans non esse obligationem sectandi consilia, probat benignam sententiam.)

Objectio tertia. 132. Objicies 3. eadem peccata materialia imminent ex usu opinionis minùs probabilis minúsque tutæ, quæ imminent ex usu partis minùs tutæ in dubio. At illa, quæ imminent in dubio, fundant legem reflexam vetantem usum partis minùs tutæ. Ergo illa, quæ imminent in usu opinionis minùs probabilis minúsque tutæ, fundant legem vetantem talem usum.

Responsio. Resp. nec eadem, nec tam frequentia peccata materialia imminere, stante probabilitate, quàm stante dubio de actionis honestate. Non eadem, quia sæpè adest dubium, ubi probabilitas deest. ergo multa peccata materialia imminent dubio, quæ stante probabilitate, non imminent. Rursus eadem reflexio ostendit, longè plura peccata materialia imminere ex operatione in dubio, quàm ex operatione factâ in probabilitate. Præterea, esto dubium esse possit quando adest probabilitas, potest tamen dubium tunc non esse, sed deponi. è contra probabilitas sæpissimè adesse non potest, quando dubium urget. Jam qui diceret, periculum hujus majoris frequentiæ peccatorum materialium in dubio, quàm in probabilitate esse fundamentum legis reflexè vetantis usum partis minùs tutæ in dubio, non in probabilitate, sufficientem disparitatem afferret ad solutionem argumenti; sed verè non tangeret rationem, propter quam non licet operari in dubio. Ratio enim cur non licet sectari partem minùs tutam in dubio est multiplex. 1. quia operatio non procedit ex bonâ fide, operans enim conscientiam non format, ideóque

(Plura mala imminent ex dubio, quàm ex probabilitate, si quis sectetur partem minùs tutam.)

(Ratio cur non liceat operari in dubio.)

exponit

exponit se periculo peccandi ab ipsius mēte non rejecto. Secundò sic operans exponit se periculo peccati materialis absque ullâ prudenti spe veritatis assequendæ. 3. operans in dubio non potest formare conscientiam prudenter dictantem, partem minùs tutam esse licitam. At opposita omnia eveniunt in usu probabilitatis ut constat ex dictis.

Probatio decima-sexta.

Ratio 16.

Qui sequitur minùs probabilia certò prudenter operatur.

133. Omnis doctrina certò probabilis, etiam in contradictione partis oppositæ probabilioris, est doctrina certò prudens. Ergo qui cuivis doctrinæ certò probabili se accommodat, prudenter agit. Ergo certò non peccat; qui enim prudenter operatur, & ideò sic operatur, quia reflexè cognoscit se prudenter agere, proculdubio non peccat. Hâc ratione omnes benignæ sententiæ Authores utuntur, tamquam valido & irrefragabili argumento, quale revera est, ad stabiliendam suam sententiam. Honoratus Fabri *in dialogo de opinione probabili* ut ostendat, quomodo mens ex certâ probabilitate directâ consurgat ad formandum dictamen certum de honestate suæ operationis, eleganter exponit vim hujus argumenti, intellectus enim operantis hoc modo discurrit. Certò scio opinionem hanc esse probabilem. Ergo certò scio, assensum prudenter illi præstari posse; seu quod in idem recidit, certus sum, præsumptionem de absolutâ rei veritate esse prudentem. Ergo certus sum hujus opinionis electionem esse prudentem, & usum licitum; quia certum est electionem & usum cujusvis opinionis esse licitum, quæ prudenter judicatur aut præsumitur esse vera. Ergo certò judico me prudenter agere, operando juxta illam opinionem; quia certum est, operationem terminatam ad objectum, fundans prudentem præsumptionem de sui honestate, esse licitam, modò ideò ad illud terminetur, quia objectum illud fundat dictam præsumptionem, aut assensum prudentem, ut fit in casu nostro; sed illud licitè fit, quòd certò judico prudenter & licitè fieri. Ergo certò licitè sequor opinionem minùs probabilem minúsque tutam.

134. Idipsum honoratus Fabri deducendo ad impossibile confirmat hoc modo. Si fieri possit, vera sit sententia opposita. Ergo non est certum me prudenter agere dum illam sequor. Ergo non est certum me illam prudenter eligere. Ergo non est certum, quòd prudens illi assensus præbeatur. Ergo non est certum opinionem illam esse probabilem. Ergo certum est, & non est certum eandem opinionem esse probabilem, quod est impossibile.

Alia Fabri ratio deducens ad impossibile.

135. Hæc ratio efficax est, quia fundatur in verâ notione opinionis certò practicè probabilis. Et sanè cùm certum sit, talem opinionem esse probabilem, certum est, intellectum ex imperio voluntatis posse prudenter præsumere illam esse veram. Dico *præsumere*, quia licet fortè nequeat absoluto assensu illi adhærere, potest tamen per modum præsumptionis & suppositionis ita se gerere, ac si illi assensum præbuisset; quia evidenter scit assensum fore prudentem, si illi præberetur: hoc autem est præsumptionem, & suppositionem veritatis pro parte minùs tutâ esse certò prudentem & rationabilem, ut patet. Voluntas enim eam imperando non peccat, sed laudabiliter operatur: stante autem hac præsumptione, aut absoluto judicio certò prudenti de honestate operis, manifestum est operationem illi conformem esse honestè eligibilem: hoc autem & non aliud contendimus.

Præsumptio prudens de honestate objecti æquivalet absoluto judicio de honestate ejusdem.

Solvuntur objectiones.

136. Objicies 1. Motiva meliora favent parti tutiori. Ergo multò magis fundant præsumptionem, quod non liceat, quàm

Objectio prima.

quàm motiva contraria minùs valida fundent præsumptionem, quòd liceat sequi partem minùs tutam.

Responsio.

Voluntas determinat ad hanc potiùs quàm ad illam præsumptionem.

Resp. motiva quidem opposita adesse, quæ ex se sufficienter complent actum primum indifferentem ad electiones oppositas. nam quod utrumque motivum sit certò probabile, fundat possibilitatem duplicis electionis, duplicisque præsumptionis contrariæ, quia voluntas potest certò prudenter eligere quamlibet ex opinionibus contrariis certò probabilibus. Stante autem electione unius præ alterâ, statim consequitur vel absolutum judicium, vel præsumptio absoluta de veritate opinionis electæ. Itaque motiva sive magis sive minùs probabilia, per se sola non fundant aut electionem, aut præsumptionem actualem de veritate hujus potiùs quàm illius opinionis; sed solùm reddunt electionem & præsumptionem utriusque distributivè possibilem; quod autem hæc potiùs, quàm illa eligatur & præsumatur esse vera, dependet à liberâ voluntatis electione, uti supra sæpè dictum est. Præterea esto motiva directè probantia sint potiora pro lege, tamen argumenta indirecta & reflexa, quæ favent libertati, sunt longè potiora, & consequenter omnibus inspectis motiva potiora semper favent parti minùs tutæ, quoties illa est directè certò probabilis.

Objectio secunda.

137. Objicies 2. Quid si pars minùs probabilis esset falsa? certè tunc, qui illam sequeretur, peccaret. At fortasse est falsa. Ergo fortasse peccat. Ergo non est certus se non peccare.

Responsio.

Periculum peccandi materialiter non infert periculum peccandi formaliter.

Resp. per instantiam. Quid si sequens partem probabiliorem erraret? an ideò peccaret? nihil minus. quia etsi judicium probabile sit falsum, & consequenter objectum illius relatè ad circumstantias directè cognitas per legem nondum arctantem sit prohibitum, judicium tamen ultimum, quo conscientia constituitur, certò enunciat electionem hujus objecti in hisce circumstantiis tam directis quàm reflexis esse honestam, uti demonstratum est *quæst. 20.* Itaque distinguo primum consequens. ergo fortasse peccat materialiter, transeat consequentia; formaliter, nego consequentiam. eodem modo distinguo secundùm consequens: non est certus, se non peccare materialiter, concedo: formaliter, nego consequentiam. Periculum ergo, cui se exponit, non est periculum formaliter, sed materialiter errandi. Itaque sic operans certus est de honestate formali suæ electionis, etsi formidet de honestate objecti, quod eligit, secundùm se considerati. Porrò errare hoc modo circa objectum materiale, quod eligimus, nil facit ad peccatum contrahendum, ut evidenter constat ex dictis. Nec mirum, nam sic errans, adhuc versatur inter limites humanæ prudentiæ; siquidem error ejusmodi est juxta sortem humanæ naturæ, quæ pauca novit certò & evidenter. Jam ergo sicut in genere boni non tenemur eligere melius; ita in genere probabilis non tenemur eligere probabilius. Ecce ergo totum mysterium. Opinio probabilis non est conscientia certa, sed conscientia certa fundatur in opinione probabili, non ut in præmissâ formali, sed solùm ut in præmissâ objectivâ, dum intellectus, reflectens supra statum objecti in animo suo, incipit novam consultationem, & tandem certò & evidenter concludit hoc objectum hîc & nunc sibi esse licitum.

Probatio decima-septima.

Ratio 17. principalis.

Quidquid est directè probabiliter honestum, illud omnibus inspectis est probabilius oppositæ.

138 Licitum est sequi opinionem probabiliorem, minùs probabili minùsque tutâ relictâ, uti demonstratum est *quæst. 20.* ergo licitum est sequi opinionem directè minùs probabilem, tutiore ac probabiliore relictâ. Demonstratur consequentia

quentia sic. Reflexè probabilius est, quod liceat sequi opinionem directè minùs probabilem minúsque tutam, tutiore ac directè probabiliore relictâ: idque evidens est tum ex authoritate, tum ex rationibus, si comparentur cum oppositis. Ex authoritate quidem ut constat *ex quaest. superiore.* Ex rationibus verò, ut patet ex argumentis hactenus allatis; quorum nonnulla tam clarè evincunt intentum, ut non sit opus quidquam in contrarium examinare; reliqua verò multùm praevalent fundamentis adversariorum, ut patebit ex sequentibus, ubi argumenta in oppositum excutientur exactissimè. Hoc posito, sic arguo. Formet aliquis hoc judicium; *probabilius est, usum opinionis directè minùs probabilis minúsque tutae esse licitum*: quod unusquisque formare potest, immò quod nemo potest non formare, qui probè novit, & absque passione & affectu mentem turbante seriò considerat probabilitatem aut hujus, aut utriusque sententiae. Ex hoc judicio formatur iste syllogismus. *Probabilius est, omnibus pensatis, usum opinionis cujusvis practicè probabilis esse licitum, quamvis opposita sit tutior, & directè probabilior. Sed haec opinio, directè discurrendo est practicè probabilis, non obstante quod opposita sit tutior & directè probabilior. Ergo omnibus pensatis probabilius est ejus usum esse licitum. Ergo ejus usus absolutè licitus est, quia evidens est usum opinionis absolutè probabilioris esse licitum.* Haec ultima consequentia demonstrativè deducetur à praemissis, quae omnes sunt evidentes, adeóque ex hoc capite per argumentationem hanc reflexam, veritas assertionis positae non probatur utcumque, sed evidenter demonstratur, quidquid aliqui in contrarium contendant, qui immeritò carpunt Caramuelem, eò quòd in Apologemate utatur hoc argumento tamquam demonstratione. Verùm Caramuel in hoc verum dixit, ut mox clariùs patebit.

139. Hoc argumentum ego iterum sic propono. Intellectus absolutè assentiri potest omni motivo probabiliori. ergo cùm probabilius sit, usum opinionis minùs probabilis minúsque tutae esse licitum, intellectus potest absoluto assensu, eóque evidenter prudenti, affirmare hanc veritatem, *licitum est sequi quamvis opinionem directè certò probabilem, tutiore ac probabiliore relictâ.* Stante hoc judicio sequitur haec minor, *sed haec opinio est directè probabilis.* Unde infertur. *ergo licitum est hanc sequi, seu ponere objectum quod illa dictat esse licitum.* Stante hac conclusione particulari, imò stante solâ majori illâ universali, omnis conscientia de turpitudine hujus electionis excluditur; neque enim in sensu composito cum tali judicio fieri potest, ut quis absolutè credat, objectum propositum per hanc sententiam probabilem, omnibus pensatis, esse illicitum; quia sunt judicia sibi contradicentia. ergo tale judicium certò honestat electionem hujus opinionis directè minùs probabilis, quia certò prudenter excludit conscientiam peccati, adeóque reddit peccatum impossibile in sensu composito talis judicii. Rursus ex illâ conclusione particulari per primum principium synderesis formatur hic syllogismus reflexus; *licet facere quidquid, omnibus pensatis, prudenter judico esse licitum, sed ego, omnibus pensatis, certò prudenter judico licitum esse sequi hanc opinionem, etsi directè minùs probabilem, minúsque tutam. ergo licitum mihi est sequi hanc opinionem directè minùs probabilem minúsque tutam.* Haec conclusio evidens est, quia ritè sequitur ex praemissis evidentibus. Ecce iterum quamvis intellectus directè non assentiatur motivo minùs probabili; potest tamen per principia indirecta evidenter probabiliora elicere judicium reflexum, *quòd hic & nunc liceat sequi hanc opinionem*, ex quo non solùm directè excluditur conscientia peccati, sed etiam fundatur syllogismus evidens, quòd liceat illam sequi, tutiore ac probabiliore relictâ. Itaque in ordine

Universaliter licet sequi omnem opinionem practicè probabilem.

Idipsum aliâ viâ demonstratur.

ordine ad intentum præsens, perinde est, sive intellectus absolutè judicet opinionem minùs probabilem esse veram, sive certò judicet eam esse probabilem; nam eadem paulatim inferuntur per istas præmissas reflexas, quæ priùs inferebantur per judicium illud absolutum & directum. Itaque cùm negari non possit opinionem illam esse certò practicè probabilem (hoc enim supponitur certò constare) similiter cùm certum sit, universalem illam propositionem, *probabilius est licitum esse, quàm non esse licitum sequi quamvis opinionem practicè probabilem*, esse veram, uti hactenus demonstratum est, & ex his evidenter deducatur, usum talis opinionis esse licitum; omninò censendum est assertionem positam esse veram; quia ejus veritas per hanc viam reflexam absolutè demonstrata est. Sed & plura alia ex argumentis prioribus omninò evincunt intentum, illudque per moralem saltem evidentiam demonstrant.

Alia ejusdem rei demonstratio.

140. Demonstratur ulteriùs. Omnis regula practica pro dirigendâ conscientiâ prudenter eligitur, quando evidens est, rationes atque authoritates suadentes ejus veritatem esse potiores illis, quæ afferuntur in oppositum. Ratio est, quia possum certò prudenter judicare illam regulam absolutè esse veram; hujusmodi enim regulæ non aliter eliguntur & admittuntur, quàm per judicium, quo absolutè existimantur veræ; eo ipso enim, quòd certò prudenter affirmantur esse veræ, ita uniuntur animo, ut voluntas amplectendo objectum ab ipsis propositum laudabiliter operetur, quia confirmat opus regulæ practicæ certò prudenti. Jam quæritur an hæc regula, *Usus omnis opinionis certò practicè probabilis est licitus*, prudenter eligi possit? assero posse, quia illa propositio ad minimum est evidenter probabilior oppositâ. ergo intellectus prudenter illi assentitur. At per hoc ipsum, quod illa propositio objectiva affirmetur, evadit regula practicè directiva voluntatis; quia repræsentat objectum ut licitum, & prudenti assensu unit honestatem objecti cum mente, quod est regulare voluntatem in actu primo, ut patet. Ergo eâ ratione admittitur ut regula, quâ judicatur esse vera. At certò prudenter judicatur vera. ergo certò prudenter eligitur in regulam. At posito quod hoc modo eligatur in regulam, absque dubio ad conscientiæ securitatem sufficit. Ergo certum est, quod liceat sequi quamcumque opinionem certò practicè probabilem; & quod assertio posita sit regula ad securitatem conscientiæ sufficiens, cùm omnis ejusmodi probabilitas, omnibus pensatis, certissimè excuset à peccato, & honestet actionem, quam regulat.

Regula practica morum tunc eligitur, quando absoluto judicio creditur esse vera.

141. Ratio à priori omnium, quæ dicta sunt in hac probatione, est, quia quidquid est directè probabiliter licitum, ejus honestas omnibus omninò inspectis, est probabilior ejusdem inhonestate. Sit v. g. solùm directè minùs probabile, quòd liceat pingere in die festo. Dico impossibile esse, quin, omnibus spectatis, probabilius sit, *licitum esse pingere in die festo*, quàm id esse illicitum. Ratio est, quia omnia argumenta reflexa, quæ hactenus allata sunt, ad probandum nil omnibus pensatis esse absolutè prohibitum & illicitum, cujus honestas est directè probabilis, arguunt licitum esse pingere in die festo. At hæc talia sunt, tam quoad authoritatem, quàm quoad rationem, ut manifestè reddant objectum, cui favent, longè probabilius quàm oppositum, cui contradicunt. Ergo si directè sit probabile, quòd liceat pingere in die festo; impossibile est, quin omnibus inspectis, id ipsum sit longè probabilius opposito, adeoque quin idipsum sit absolutè probabilius suo opposito. At id, quo regulamur ad operandum, est tota apparentia veri, quam habere possumus aut directè ex naturâ rei, aut indirectè ex circumstantiis ad rem spectantibus.

Omnia argumenta pro benignâ sententiâ confirmant absolutam honestatem cujusvis objecti, quod directè loquendo est probabiliter honestum.

ctantibus. ergo id, quo regulamur in usu cujusvis opinionis probabilis, est apparentia, per quam honestas objecti, in quod ferimur, est certò, & incomparabiliter absolutè probabilior quàm ejus inhonestas. Ergo tam certum est, posse nos, omnibus inspectis, licitè sectari quamvis opinionem etiam directè minùs probabilem, quàm certum est, usum opinionis directè certò probabilioris esse licitum. At hoc est certissimum & evidens, ut constat ex iis quæ hactenus allata sunt *à quæst. 20.* usque huc. ergo & illud certissimum est.

Sententia rigida vix aut ne vix quidem est probabilis, si omnia inspiciantur.

142. Unum audacter addo & finio; scilicet tantam esse apparentiam absolutam de honestate cujusvis objecti directè probabiliter liciti, ut si omnia etiam indirectè faventia spectentur, oppositum vix, aut ne vix quidem sit probabile. Confer enim rationes tam directè quàm indirectè faventes, omnesque in unum collige, & videbis rationes pro parte contrariâ exiguam planè vim, & vix tantam efficaciam habere, quanta requiritur ad reddendum absolutè probabile, quòd tot & tam efficacibus argumentis improbatur, quot & qualibus sententia benigna corroboratur; quæ certè tanta sunt, ut si tam intrinseca vis rationum, quàm extrinseca authoritas Doctorum illi faventium cum motivis contrariæ sententiæ comparentur, hæc relatè ad illa, ad probabilitatem aut vix, aut ne vix quidem pertingere certum sit. Ego scio sententiam benignam maximâ ex parte morali evidentiâ demonstrari (demonstratur enim, licitum esse quidquid ad materiam obedientiæ & justitiæ pertinet, modò illud in ullo gradu certæ probabilitatis contineatur. Ad his autem materias, aut omnia omninò, aut certè ferè omnia reduci possunt. Præterea nil dico de aliis rationibus, quarum nonnullæ vim tantam habent, ut aut intentum moraliter saltem demonstrent, aut certè eousque rationibus contrariis prævaleant, ut illæ in istarum contradictione vix probabiles esse queant) & universim eam ad minimum in summo probabilitatis gradu evidenter collocari debere; in eo scilicet, ut pars opposita in ejus contradictione videatur non posse esse certò probabilis; neque alium hujus rei judicem opto, quàm benevolum lectorem, qui absque passione animi omnia in utramque partem confirmandam allata & afferenda penetret, ac comparet, atque ita demum judicium ferat; scio enim, eum in hac parte consensurum. Itaque ad minimum tam certum est, licitum esse sequi quamcumque opinionem practicè, etsi directè minùs probabilem, quàm certum est, integrum cuique esse sectari opinionem probabilem non certam, cujus opposita ad probabilitatem vix aut ne vix quidem pertingat. At hoc certissimum est, ut constat *ex qq. 19. & 20.* ergo & illud. Ecce intentum totum, quod ab initio operis præstare intendimus, Deo favente tandem demonstratum est.

Solvuntur objectiones

143. Objicies 1. Quid stultius, quàm dicere, licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, eò quòd liceat sequi magis probabilem? nonne hæc duo inter se opponuntur? Certè quod est minùs probabile opposito, non potest simul esse eodem opposito probabilius. Debet autem esse probabilius & minùs probabile eodem, ut locus detur argumento hic proposito, ut constat ex suppositione, & modo procedendi in argumento. At hæc suppositio est evidenter impossibilis. Ergo argumentum allatum manifestè nil valet. Objectio prima.

Resp. aliquos adversariorum mirabundos ista nobis objicere: verùm illi, sicut non benè penetrant statum quæstionis, ita vim argumenti hujus non percipiunt. Fateor ergo impossibile quidem esse, ut idem Responsio.

secundùm

secundùm idem sit simul probabilius & minùs probabile eodem; hoc enim repugnantiam manifestam involvit. At quod idem secundùm quid sit minùs probabile, & simpliciter sit magis probabile eodem, sæpè contingit. Sic spectatâ solâ ratione vel authoritate, aliquid potest esse minùs probabile; quod tamen, si tam ratio quàm authoritas in unum coalescant, reddatur probabilius opposito, sed quidquid sit de hoc, quod dicimus evidenter verum est in casu nostro; nam quando quærimus an aliquid sit verum, dupliciter procedimus, primò directè considerando rem secundùm se & suam naturam, ac circumstantias illi ex naturâ rei adhærentes. 2. indirectè, aut considerando vim & qualitatem rationum, quibus natura ejus proponitur; aut inspiciendo requisita ad hoc ut lex obliget, aut reflectendo ad necessaria ut jus naturale nobis competens limitetur, &c. uno verbo, contemplando quidquid ulla ratione aut directè aut indirectè conducit ad probandam honestatem rei, quæ controvertitur; & dicimus objectum, cujus honestas ex rationibus directis est minùs probabilis, quàm ejus turpitudo, posse omnibus spectatis habere motiva longè potiora pro honestate, quàm pro inhonestate suâ. Hoc nil mirum aut falsum involvit, sed est evidenter verum, ut manifestè constat ex dictis in totâ hac ultimâ probatione. Quare his amplius non est immorandum.

Quod secundùm unam considerationem est probabilius, potest esse simpliciter minùs probabile opposito.

Objectio secunda.

144. Objicies 2. quoties una pars contradictionis est directè minùs probabilis alterâ, toties probabilioritas alterius partis per gradum aliquem determinatum excedit minorem probabilitatem partis prioris. Dicatur ergo una pars esse duplò vel triplò probabilior alterâ. Hoc posito sic: si pars A. sit directè triplò probabilior parte B. pars B. omnibus inspectis, etiam argumentis indirectis, non est necessariò probabilior parte A. quia licet per argumenta reflexa pars B. sit probabilior parte A. potest tamen esse solùm duplò probabilior illâ. ergo omnibus inspectis, adhuc A. potest manere probabilior parte B. At hic est casus noster. Ergo licet sententia benigna sit probabilior rigidâ, non inde sequitur usum cujusvis opinionis minùs probabilis esse licitum, ex eo quod usus partis probabilioris sit licitus.

Resp. argumentum valeret, si utraque probabilitas esset solùm directa; tunc enim utraque esset ejusdem rationis, & simili modò cresceret. At locum non habet in casu nostro, in quo assertio comparat summum gradum maximæ probabilitatis directæ pro unâ parte, cum minimo gradu directæ probabilitatis pro parte alterâ, eoque non obstante evidenter ostendit, honestatem partis directè minùs probabilis, esse incomparabiliter probabiliorem ejusdem inhonestate, modò omnia omninò pro utrâque parte inspiciantur, & comparentur ad invicem. Itaque impossibile est, ullam dari opinionem directè probabilem de honestate alicujus objecti, quin ejusdem honestas sit probabilior ipsius inhonestate, si argumenta tam directa, quàm reflexa utrique parti faventia inspiciantur. *Responsio.*

Corollarium valdè notandum.

Corollarium.

145. INfertur ex dictis, quomodo partes adversæ juxta rei veritatem inter se concilientur, & idem dicant. Non loquor de Jansenistis, aliisque, qui omnem, etiam majorem, probabilitatem rejiciunt; sed de illis, qui aut majorem, aut certè parem probabilitatem exigunt in parte minùs tutâ; ut ejus usus sit licitus. Hi enim oretenus tantùm à nobis discrepant, quia nos idem penitus docemus cum ipsis. Hoc ut evidens fiat, sequentem pono assertionem.

Authores in hac quæstione solùm apparenter discrepant.

Assertio secunda.

ASERTIO SECUNDA.

Qui dicunt, licitum esse sequi minùs probabilia, reipsâ docent, non licere sequi nisi probabiliora.

Nos, qui docemus, licitum esse sequi opinionem directè minùs probabilem, reipsâ docemus nulli licitum esse sequi, nisi quod & nos judicamus, imò scimus esse probabilius, & quod ipsi operanti probabilius est, & apparet.

Demonstratur assertio.

146. Demonstratur assertio, quæ primo aspectu paradoxum videtur; demonstratur, inquam, exponendo radicem æquivocationis, & hallucinationis, quam adversarii patiuntur. Quòd res aliqua sit licita, vel illicita, dupliciter probari potest; primò directè, per argumenta in ipsâ tantùm re aut aliis cum re per se connexis fundata. Secundò indirectè, scilicet per argumenta fundata aut in statu objecti in mente, aut in alio aliquo per accidens connexo cum re, cujus honestas investigatur. Hoc posito sic: quod ex vi rationum directè probantium est minùs probabile, aut dubium, ex vi rationum indirectè probantium potest esse probabilius opposito, aut etiam certum. Si enim omnia argumenta, quæ pro benignâ sententiâ allata sunt, applicentur, (ut applicari possunt) ad absolutam rei honestatem comprobandam, non solùm putamus, sed scimus honestatem directè minùs probabilem evadere absolutè probabiliorem ejus opposito, quia omnia argumenta illa ad comprobandam rei illius honestatem in unum coalescunt. Hoc posito, sic pergo, & adversariorum hallucinationem detego.

Adversarii hallucinantur, quia non distinguunt inter probabilitatem directam, & indirectam ejusdem objecti.

147. Adversarii videntes nos supponere, objectum, de quo est sermo, esse minùs probabile opposito, supponunt illud semper remanere in mente operantis, & ab illo haberi tamquam minùs probabile; atque inde stimulantur ad dicendum, usum talis opinionis esse illicitum; & sanè si nos discurreremus in eadem purè suppositione, absque dubio idem sentiremus, nam unicuique suum opinatum probabilius apparet, ut sæpè dictum est. ergo impossibile esset, nos ab illis dissentire, quia dissentiendo honestas objecti omnibus consideratis videretur nobis probabilior ejusdem inhonestate, quod tamen est contra hypothesim præsentem. Quid ergo dicemus, ubi latet æquivocatio? Ecce dicam: nos aliter progredimur, nam distinguimus probabilitatem directam, ab indirectâ, & dicimus, licitum esse sequi opinionem directè minùs probabilem, quia ex argumentis reflexis cognoscimus objectum illud licitum esse; quæ argumenta reflexa longè efficaciùs probant rei honestatem, quàm argumenta solùm directa, adeóque solùm dicimus, licitum esse ponere objectum, cujus honestatem, omnibus pensatis, probabiliorem esse judicamus, & scimus. Itaque reipsâ non discrepamus ab Adversariis, illi enim fatentur, licitum esse illud operari, quod, omnibus inspectis, probabilius apparet non esse prohibitum. Verùm deinde errant, quia subsumendo, solùm respiciunt ad rationes directè probantes, & ex hypothesi dicunt, honestatem illius objecti esse minùs probabilem ejusdem inhonestate. unde inferunt, non esse licitum illud amplecti. At nos simul respicimus ad probabilitatem in rationibus indirectis fundatam, atque evidenter subsumimus, probabilius esse, quòd objectum illud sit licitum. Quod subsumptum nemo negare potest, qui absque animi passione considerat argumenta hactenus expensa; cui alia plura, eaque efficacissima pro rei opportunitate adjicientur in sequentibus.

Nemo umquam docuit ex animi sententiâ, quòd liceat sequi partem, quam ab-

148. Hæc ratio probat, neminem umquam docuisse, aut posse veraciter & ex animi sententiâ docere quidquam licitum esse, cujus honestatem absolutè putat esse minùs probabilem ejusdem inhonestate. Demonstratur hoc. Unicuique suum opinatum

solutè judicat minùs probabilem. natum est probabiliùs, quàm oppositum. ergo qui seriò & veraciter opinatur aliquid esse licitum, ita dispositus est, ut omnibus inspectis, honestas rei illius ipsi appareat verisimilior, quàm ejusdem inhonestas; nam taliter opinans, vel opinatur ex motivis solùm directis, vel ex motivis indirectè etiam probantibus. Si ex motivis solùm directis, jam res illa absolutè illi apparet verisimilior, quàm pars opposita, idque tam per judicium, quo illi absolutè adhæret, illamque parti oppositæ præfert, ut verum falso; quàm per apparentiam consequentem dictum judicium, de quo plura dicta sunt *quæst. 8. num. 25.* Quòd si opinantis judicium fundetur in motivis reflexis, etsi objectum illud ex vi motivorum directè probantium non appareat tam probabiliter honestum, quàm ejus contrarium, adhuc tamen, omnibus pensatis etiam motivis reflexis, probabilius illi apparet honestum; alioquin non affirmaret, illud esse licitum, & absolutè honestum, quia unicuique suum opinatum apparet probabilius opposito. Ecce nemo docuit, nec docere potest, aliquid esse licitum, quod ipsi probabiliùs non apparet esse honestum, quàm inhonestum, si omnia omninò spectentur, quæ sunt in intellectu taliter opinantis.

Non docemus, licitum cuique esse, sequi partem minùs tutam, cui pars illa absolutè non apparet probabilior opposita. 149. Sed neque docemus, ulli licitum esse sequi opinionem, quæ, omnibus spectatis, antecedenter ad operationem ipsi non appareat probabilior opposita. Dicimus enim, quod debeat formare bonam fidem & credulitatem de honestate suæ operationis, & absolutè existimare, illam esse licitam, eo ipso autem objectum, cujus veritas absolutè affirmatur; ipsi apparet probabilius quàm oppositũ. quia suum cuique opinatum est probabilius opposito. Quod ergo dicimus, & docemus est, posse unumquemque, cui aliquid ex directis tantùm rationibus apparet esse minùs probabile, illud in praxi amplecti, modò vel directè, vel indirectè deponat dubium, & certò prudenter credat illud sibi licere; idque ideò docemus, quia hoc non solùm probabilius est opposito, sed ad minimum est humano modo moraliter certum, tum propter vim rationum reflexarum, quibus id convincimus, tum propter unanimem fermè, & evidenter præponderantem authoritatem eorum, qui huic parti subscribunt. Unde apertè constat Antiquos omnes in præsenti quæstione cum recentioribus convenire, quod fusè & sæpè dictum est quæstione superiore; nam isti æquè ac illi pro securitate conscientiæ majorem probabilitatem absolutè requirunt.

Corollarium secundum.

150. INfertur etiam veritas planè mirabilis, quâ propositæ quæstionis difficultas penitus exhauritur; scilicet quòd quæstio præsens talis naturæ sit, ut nemo eam in favorem sententiæ benignæ sufficienter resolvat, nisi veritatem ipsam intellectui operaturo evidentem reddat; hoc tamen totum abundè præstatur per hoc, quod nos ita probabiliter quæstionem resolverimus, ut aut ipsi nos, aut qui prudenter fidem dictis nostris sunt daturi, probabiliter atque prudenter absoluto judicio, etsi formidoloso, judicemus benignam sententiam esse veram, eamque in regulam conscientiæ accepiemus. Quomodo hæc constent, per sequentem assertionem aperiam. Quæstio præsens non benè resolvitur, nisi demonstretur.

ASSERTIO TERTIA.

Quæstio præsens talis est, ut nisi per eam intellectus operantis certificetur de sua operationis honestate, nulla ejus resolutio utilitatem afferat. Assertio tertia. Nil efficitur, nisi honestas operationis demõstretur.

151. DEmonstratur. Ponamus intellectum sectantis hanc opinionem non assurgere ex vi illius ad certitudinem & evidentiam. Demonstratio assertã.

evidentiam de honestate operationis hîc & nunc ponendæ. Certè totus labor noster, & integra quæstionis resolutio illi nullam utilitatem afferet, quia post eam æquè subjacet peccato, ac peccati periculo, si sequatur partem minùs tutam, ac eidem subjacebat ante quæstionis resolutionem; quia nisi ultimum judicium conscientiæ sit certum & evidens de honestate operationis, operans non excusatur à peccato. Ergo præsens quæstio talis est, ut, nisi intellectus operantis aliquo modo ex vi illius exurgat ad certitudinem & evidentiam de suæ operationis honestate, ejus resolutio sit inutilis.

Confirmatur eadem veritas.

152. Præterea quæritur, an sequens opinionem minùs tutam sit immunis à peccato? Ponamus jam nos non demonstrare, sed solùm probabiliter ostendere, quòd qui bonâ fide illam sequitur, excusetur à peccato. Certè eo ipso adhuc locus relinqueretur formidini, ne homo ita operans peccaret. Ergo adhuc essemus in quadam perplexitate, sicut ante disputationem initam. Nam licet absolutè crederemus sententiam benignam esse veram, adhuc formidaremus an illam sequens peccaret nec ne. At si ita judicaremus, perperam diceremus operantem excusari, quia illum periculo peccandi exponeremus, & ipsi non essemus certi de nobis ipsis, quod nostræ sententiæ inhærentes à peccato excusaremur. ergo stultè illi acquiesceremus. Ideóque tutior opinio in omnibus esset sectanda. Ecce præsens quæstio talis est, ut nisi evidenter demonstremus sectantem minùs tuta non peccare, nulla ejus resolutio sit utilis ad eum excusandum, qui minùs tuta sectatur. Verùm, Deo laus, nos suprà pluribus in locis idipsum demonstravimus; & quamvis argumenta singula demonstrativa non sint, singula tamen sunt probabilia, nec tamen ideò, quia solùm probabilia sunt, inepta censeri debent pro præsentis quæstionis demonstratione, nam ipsa eorum probabilitas ad præsens intentum demonstrandum abundè sufficit. Hoc, quod paradoxum videtur, quomodo verum sit, hoc loco declarandum est, ne argumenta illa frustra videamur attulisse. Sit ergo.

ASSERTIO QUARTA.

Assertio quarta.

Etsi omnia & singula argumenta, quæ hactenus allata sunt pro stabiliendâ benignâ sententiâ, concedantur non esse demonstrativa, adhuc probabilitas, quam certò habent, ad plenam conscientiæ securitatem abundè sufficit, imò sufficit ad evidenter demonstrandum, quòd sequens opinionem directè minùs probabilem minúsque tutam non peccet.

Argumenta allata etsi solùm probabilia, exercitè & practicè demonstrant veritatem assertionis principalis.

153. Demonstratur primò. Probabilitas tam extrinseca, quàm intrinseca sententiæ benignæ ad minimum tanta est, ut probabilitati sententiæ rigidæ prævaleat, & prudentem de absolutâ sui veritate assensum fundet. Ergo certè prudenter & probabiliter illam ut veram reputare, ac judicare possumus. Nec solùm possumus nos, sed omnes, qui argumenta allata eum debitâ animi dispositione examinant, prudenter possunt idem judicium formare. Quòd si adversarii, aut alii illorum clamoribus decepti, propter pravam intellectûs dispositionem nostræ sententiæ nequeant subscribere, doleo illos, propter voluntariam dispositionem, seipsos commodorum, quæ demonstraturus sum nostram sententiam secum afferre, incapaces reddidisse. Redeo ergo ad sequaces benignæ sententiæ, qui propter ejus probabilitatem absoluto judicio illi inhærent. Dico ex hoc ipso evidens esse, quòd illam in praxi sectantes non peccent. Arguo sic. Hic assensus est regula conscientiæ, quia est judicium dictans quid sit licitum. Est autem assensus evidenter

Demonstratio 1.

denter rationabilis, seu probabilis ac prudens; adeóque absque ullo peccato, & temeritate admittitur. Ergo est regula conscientiæ evidenter rationabilis ac prudens. Ergo si reflexè consideretur in ratione objecti fundat hunc syllogismum reflexum. *Quidquid prudenter à quoquam judicatur esse omnibus licitum, illud hic & nunc illi licet, quia licet unicuique sequi dictamen suæ conscientiæ certò prudens. Sed quòd omnibus universaliter liceat sequi opinionem directè minùs probabilem minùsque tutam, per dictamen conscientiæ certò prudens à me judicatur esse licitum. Ergo hic & nunc mihi licet quamvis ejusmodi sententiam sectari.* Unde iterum subsumit intellectus. *Sed sententia A. dictans licitum esse pingere in die festo est ejusmodi. ergo mihi licet illam sectari, & pingere, non obstante veneratione debitâ diei festo præsenti.* Major primi syllogismi est principium synderesis ad minimum moraliter certum & evidens, ut supra pluribus ostensum est. Minor est evidens ut supponitur, quia est cognitio reflexa super actum intellectûs hîc & nunc indubitanter existentem. Consequentia est in formâ, adeóque certa est & evidens. Subsumptum etiam certum est & evidens, ut supponitur. consequentia autem est in formâ, ergo est certa & evidens. est autem ultimum conscientiæ dictamen. ergo evidens est, operantem ex directione talis dictaminis non peccare. Sed evidens est, probabiliter assentientem nostræ sententiæ, illamque in praxi sectantem operari ex ultimo dictamine conscientiæ hujusmodi. ergo evidens est, illum sic operando non peccare. Ecce ex eo quòd argumenta allata probabiliter convincant veritatem sententiæ benignæ, quodque quis illi assensum præbeat, seu quod idem est, illam in regulam suæ conscientiæ admittat, evidenter verum est, illum eam sectando non peccare. Imò & consequenter ad opus etiam evidens est, eum non peccasse. Sic enim formo syllogismum. *Qui fecit, quod per regulam conscientiæ certò prudentem judicavit esse licitum, non peccavit. Sed ego feci quod per regulam conscientiæ certò prudentem judicavi esse licitum. ergo non peccavi.*

154. Probatur idipsum secundò hoc modo. Qui peccat, vel peccat contra legem, vel contra conscientiam. At qui probabiliter assentitur nostræ sententiæ, illamque sequitur in praxi, nec peccat contra legem, nec contra conscientiam. ergo non peccat. Major est evidens. consequentia in formâ. Itaque minor sic demonstratur. Inprimis non peccat contra conscientiam; quia conscientia supponitur dictare, quod opus liceat. ergo sicut qui interficiunt Martyres, quandiu putant se Deo obsequium præstare, non peccant contra conscientiam; ita operans juxta dictamen sententiæ benignæ non peccat contra conscientiam. Præterea tale judicium est contradictoriè oppositum conscientiæ peccati, ut sæpè ostensum est. ergo excludit conscientiam peccati. ergo sic operans non agit contra conscientiam. sed neque peccat contra legem. Nam vel sententia, quam sequitur, est falsa, vel vera. Si vera, non peccat contra legem. Si falsa, lex non arctat, & operans excusatur, quia omnis error, qui non est peccatum, sed prudenter & laudabiliter admittitur, excusat à peccato; quia solus error vincibilis non excusat. Hæc propositio & per se est evidens, & ab omnibus omninò traditur, & est constans doctrina S. Thomæ multis in locis, nominatim *quæst. 17. de veritate.* ubi *art. 3. in respons. ad 4.* hæc habet. *Tunc conscientia erronea non sufficit ab absolvendum, quando in ipso errore peccat, ut quando errat circa ea, quæ scire tenetur; si autem esset error circa ea, quæ quis non tenetur scire, ex conscientiâ suâ absolvitur.* Unde subsumo: sed amplectens nostram sententiam non peccat eam admittendo, sed prudenter & laudabiliter operatur. Hæc minor est evidens. unde evidenter infertur.

Probatio secunda.

Error invincibilis excusat.

S. Thomas quæst. 17. de veritate.

ergo licet fortaſsè erret, non peccat, ſed excuſatur.

Wendrockius impugnat Caramuelem, ſed irrito conatu.

155. Hinc infertur, Caramuelem in Apologemate rectè dixiſſe, *ignorat dialecticam, qui medio probabili putat probabilitatem impugnari* (meliùs dixiſſet *expugnari*, ſeu *everti*) *poſſe*. Nam quandiu probabilitas manet, aſſenſus prudens pariter poteſt præſtari, unde evidenter ſequitur, operationem tali judicio conformem eſſe licitam. Infertur etiam Wendrockium *in appendice ad librum Fagnani art. 11.* immeritò hac de cauſâ Caramuelem reprehendiſſe, atque duo alia effata in contrarium fruſtra propoſuiſſe, ſcilicet.

1. medio probabili convellitur funditùs probabilitatis doctrina.

2. medio probabili adſtrui non poteſt probabilitatis doctrina.

Nam primum effatum eſt evidenter falſum, ut conſtat ex proximè dictis; ſecundum verò eatenus verum eſt, quatenus intellectus, ſi non uteretur niſi medio probabili, numquam certificaretur de honeſtate ſuæ operationis; verùm ipſe aſſenſus probabilis fundat certitudinem, & evidentiam de actionis honeſtate; fundat illam, inquam, non in ratione præmiſſæ, ſed ſolùm in ratione objecti, ut tum hîc tum alibi oſtenſum eſt.

QUÆSTIO VIGESIMA-QUARTA.

Vtrùm Sacramentorum Miniſtro, Iudici, &c. liceat ſequi opinionem minùs probabilem minúſque tutam.

Status Quæſtionis.

Potiſſimū adverſariorū aſylum eſt in quæſtione præſenti.

1. IN hac quæſtione gloriantur adverſarii, & ſic argumentantur. Si uſus opinionis minùs probabilis eſſet licitus, omnibus in omni materia liceret; non enim eſt ratio cur his & non illis, cur in hac & non illâ materâ liceat. At uſus iſte nec omnibus, nec in omni materiâ eſt licitus. ergo numquam eſt licitus. Probatur minor exemplo Judicis, Miniſtri Sacramentorum, Medici, atque Chirurgi &c. quibus ſequi ſententiam minùs probabilem minúſque tutam licitum non eſt, ut omnes penè fatentur. Huic rationi plurimùm fidunt adverſarii; verùm tota ejus vis eſt merè apparens, & oritur à confuſione terminorum; confundit enim probabilitatem ſpeculativam cum practicâ, quarum illa quidem inſufficiens eſt, hæc verò ad conſcientiam prudenter regulandam ſufficit, ut ſæpè dictum eſt, & hic uberiùs explicabitur. v. g. probabile eſt panem ex ſecali eſſe materiam validæ conſecrationis; non tamen eſt probabile, quòd liceat ſacerdoti panem ejuſmodi conſecrare pro libito. Ecce Adverſarii afferunt exemplum probabilitatis ſpeculativæ, non practicæ; cùm tamen tota difficultas procedat de probabilitate practicâ, de eâ ſcilicet, quæ dictat aliquid eſſe licitum. Ut ergo argumententur ad rem, debent exemplum adducere, in quo certum eſt, rem aliquam eſſe probabiliter licitam, quo tamen non obſtante, manifeſtum ſit, operantem ex opinione illâ non excuſari à peccato. Verùm nulla ejuſmodi exempla ſuppetunt. Porrò ut probè intelligamus, quàm debile ſit argumentum ab hac paritate deſumptum, opus

Adverſarii confundūt probabilitatem ſpeculativam cum practicâ.

eſt

est tam Judicis, quàm Medici, aliorumque similium in sequendis opinionibus probabilibus obligationem aperire. sit ergo

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio 1.

In confectione Sacramenti, Eucharistiæ, v. g. vel Baptismi, improbabile est, quod extra casum necessitatis liceat adhibere materiam, aut formam merè probabilem, (etsi probabiliorem) quando certa haberi potest absque incommodo.

Probatio ex Scoto.

2. DEmonstratur assertio, in quâ omnes conveniunt, etsi omnes easdem rationes ad eam stabiliendam non afferant. Quidam cum Scoto *in 4. distinct. 11. quæst. 6.* refundunt hanc obligationem in reverentiam debitam Sacramento & dicunt, virtutem Religionis fundare dictam obligationem. Et meritò; quia Minister Sacramenti adhibens materiam vel formam incertam, absque causâ rationabili se exponeret periculo nullitatis in confectione Sacramenti, quod Sacramenti sanctuate indignum est; sancta enim sanctè tractanda sunt. Nec obstat exemplum de accedente ad Sacramentum Pœnitentiæ cum solâ attritione, cognitâ ut tali, quo utitur Vasquez *1. 2. disp. 63. num. 6.* ad ostendendum, ministrum Sacramenti non teneri ex Religione, seu reverentiâ debitâ Sacramento ad utendum materiâ certâ, quia Sacerdos licitè absolvere potest sic accedentem, quamvis ille exhibeat materiam solùm probabilem; quia non est omninò de fide certum sic accedentem posse fructuosè absolvi. Non, inquam, obstat hoc exemplum; quia nimis durum est, pœnitentem semper obligari ad eam dispositionem, quæ aut est, aut rationabiliter existimari potest perfecta contritio; siquidem valdè arduum est habituali peccatori tales actus elicere. Christus ergo, ut Sacramentum hoc, quod in remedium facilè adhibuit, fructuosè recipiatur, aliam dispositionem non exigit, quàm attritionem etiam cognitam ut talem. Atque hinc patet, casum hunc non contrariari assertioni positæ, quæ solùm loquitur pro casu, in quo materia & forma certa absque difficultate universaliter haberi potest. At posito quod Pœnitens aliam materiam non afferat, quodque, ob rei difficultatem, ex Christi institutione ad meliorem dispositionem non obligetur, manifestum est, Sacerdotem & posse & debere eum absolvere, quia Sacramentum Pœniteotiæ gratiâ Pœnitentium non Confessariorium est conditum.

Religio obligat ad non utendum materiâ & formâ incertâ in confectione Sacramenti.

3. Alii recurrunt ad usum Ecclesiæ, qui indubitanter habet vim legis; nam Ecclesia communi consuetudine præscripsit modum ministrandi Sacramenta, contra quem nefas est operari extra casum necessitatis. Sed Ecclesia semper utitur materiâ & formâ certâ, quando illa haberi potest; neque umquam extra Sacramentum Pœnitentiæ, & casus similes, ut in contrahentibus matrimonium cum dispensatione probabili, (quando recipientes Sacramentum, præbent materiam) utitur materiâ aut formâ non certâ. Ergo certum est, illicitum cuique esse, extra necessitatem urgentem, aliter Sacramenta administrare. Idque verum est, quamvis aliàs liceret sequi opinionem probabilem minùs tutam, etiam in materiâ Sacramenti, quia de facto Ecclesia communi consuetudine vim legis habente contra talem usum legitimè præscripsit. Atque hinc patet disparitas inter materiam Baptismi Eucharistiæ &c. ac Pœnitentiam & matrimonium. quia Ecclesia admittit pœnitentes cum solâ attritione accedentes; similiter permittit matrimonium contrahi cum probabili dispensatione &c. usque suo

Consuetudo Ecclesiæ vim legis habet, ne materia & forma, quas minister Sacramenti adhibet, sint dubiæ.

modum sic agendi non reprobat, cùm usu contrario modum similem in aliorum Sacramentorum administratione repellat.

Officium Sacerdotis, charitas, & misericordia obligant ad utendum materiâ & formâ certâ.

4. Demum alii recurrunt ad officium Ministri, & obligationem Charitatis, ac misericordiæ, atque ex illis concludunt Ministrum Sacramenti obligari ad utendum materiâ & formâ certâ, quando hoc absque incommodo in manu ejus positum est. Ratio est, quia Sacerdos, si uteretur materiâ & formâ dubiâ, absque necessitate admitteret periculum nullitatis in confectione Sacramenti, atque ita exponeret accedentes ad Sacramentum periculo carendi effectu Sacramenti, cujus solius causâ Sacramentum & institutum est, & administratur. At hoc turpe est, quia officium Sacerdotis unicè institutum est ad sanctificandos eos, qui ipsi pro administratione Sacramenti accedunt. Similiter charitas & misericordia postulant, ne proximo indigenti absque ulla necessitate medium incertum, loco certi in re tanti momenti præbeamus. Itaque Sacerdos ex officio, ex charitate & misericordiâ, ex religione, ex usu Ecclesiæ, & communi omnium existimatione tenetur ad partem tutiorem sectandam, quando nulla necessitas cogit ad usum partis minùs tutæ. Imò idipsum ita constat, ut oppositum nec extrinsecam, nec intrinsecam probabilitatem habeat. Non extrinsecam, quia omnes in oppositum asserendum conspirant. Non intrinsecam, quia nemo hactenus talem rationem invenire potuit.

5. Præterea sicut in administratione Sacramentorum idem malum imminet suscipienti Sacramentum, sive Sacerdos bonâ sive malâ fide materiam incertam adhibeat, ideóque bona fides & probabilis persuasio de utilitate operis non excusat sic operantem, ita pariter dicendum est de Medico, Chirurgo, aliisque omnibus, quando positâ electione medii, quod bonâ fide ex probabili conjecturâ profuturum creditur, malum grave irreparabiliter imminet, quod alio medio adhibito non immineret. At in aliis materiis, in quibus istiusmodi ratio, aut alia illi æquivalens locum non habet, bona fides sufficit tam ad excusandum à peccato coram Deo, quàm consequenter ad tollenda impedimenta finis ultimi, quæ alia non sunt, quàm peccata formalia. Rursus in istiusmodi materiis bona fides non connectitur cum periculo detrimenti gravis, aut damni irreparabilis, sive proprii, sive alieni, & ideò in illis licet sequi opinionem etiam directè minùs probabilem, cùm in exemplis allatis, omniqúe ejusmodi materiâ nec probabiliorem sequi liceat, quando certitudinis possibilitas non deest. Quod adeò certum est, ut oppositum sit improbabile.

Quando bona fides tollit malum alioquin imminens, non tenemur ad partem tutiorem.

6. Ecce Adversarii in his exemplis confundũt probabilitatem tantùm speculativam cum practicâ, quarum distinctio in hoc tractatu omninò præ oculis habenda est. Nam licet probabile sit, Sacramentum ex materiâ vel formâ probabili confectum esse validum Sacramentum, non tamen est probabile, quòd Sacramentum extra casum necessitatis confici possit ex tali materiâ, vel formâ. Itaque certum est exempla hæc ad rem non esse, quia cùm procedant de probabilitate purè speculativâ, nec positam assertionem impetunt, nec ad præsentem tractatum quidquam faciunt. Idem valet de Judice, de cujus tamen sententiâ juvat paulò fusiùs differere.

Exemplum Medici, ministri Sacramentorũ, Judicis &c. quo adversarii utuntur, non est ad rem.

ASSERTIO SECUNDA.

Assertio secunda.

Ex natura rei Iudex in ferendâ sententiâ licitè sequi potest opinionem, quam judicat minus probabilem, & secundùm eam judicare. Imò sæpè expedit, eum teneri ad taliter judicandum.

Ex naturâ rei licet Judici sententiam proferre pro parte quam judicat minùs probabilem.

7. Demonstratur. Inter actorem & reum nulla sit controversia facti sed solùm juris.

juris. In hoc casu feratur lex, ut Judex secundùm opinionem communiorem, aut potiùs secundùm sententiam particularis Authoris, Papiniani v. g. vel Bartoli sententiam ferat. In hoc casu Judex non solùm potest, sed sine dubio judicare debet secundùm sententiam communiorem, vel Papiniani aut Bartoli, juxta leges hoc illi præscribentes. Idem dicendum est, casu quo personæ aliquæ, aut loca pia (puta hospitalia &c. ejusmodi) à legibus habent privilegium, in his enim casibus officium Judicis non postulat sententiam ferri secundùm quod ipsi probabilius videtur, sed solùm secundùm intentum legum tali personæ aut tali opinioni dantium privilegium, ut suâ minore probabilitate majorem alterius partis probabilitatem superet. Neque de legibus ejusmodi quisquam prudenter conqueritur; cùm leges illæ per se loquendo non magis faveant actori quàm reo, sed omnibus æquè prospiciãt; quia nemo per se loquendo ab illarum privilegio excluditur.

Demonstratio.

Expedit quàm paucissima Judicis arbitrio relinqui.

8. Porrò sæpè plurimùm reipublicæ interest tales leges condere, cujus interest non multa judicum arbitrio relinquere, quia Judices corrumpi possunt, & non rarò corrumpuntur. Conducit ergo ad finem reipublicæ quàm plurima rigori legis, (quæ per se loquendo æquè favet omnibus) exponere, & quàm paucissima Judicis arbitrio relinquere.

Assertio tertia.

ASSERTIO TERTIA.

Judex in judicando tenetur sequi opinionem ipsi probabiliorem.

Judex in causis civilibus proferens sententiam definitivam juris, in quibus personæ & causæ exigunt probationem æqualem, neque specialibus legum privilegiis muniuntur, tenetur sequi opinionem, quæ omnibus inspectis ipsi probabilior videtur.

Probatio prima.

9. Probatur 1. à priori ex officio Judicis; Judex enim ex officio sustinet personam publicam unicuique jus suum æqualiter distribuentem juxta rationum momenta, quibus singulorum causæ librantur, & præponderant. Hoc adeò lumine naturæ notum est, ut alio habitu non pingatur justitia, quàm oculis obvelatis cum bilance in una, & gladio in alterâ manu; quo ænigmate exprimitur, Judicem justè judicantem nullo affectu in alterum ex litigantibus debere inclinari, sed sententiam definitivam proferre pro parte, cujus rationes præponderant, considerando personas illas ut æquales, nulli potiùs quàm alteri favendo, perinde ac si nullum litigantium videret, aut cognosceret. Et sanè si sententia dicisiva pro parte minùs probabiliter stabilitâ dici posset & esset justa, justitia tali emblemate ineptè repræsentaretur. At lumine naturæ omnibus notum est, quòd justitia eo ænigmate aptissimè repræsentetur; & consequenter, quòd qui rationes minùs validas validioribus præfert, à munere justi Judicis deflectat.

Officium Judicis petit ut sequatur probabiliora.

10. Rursus officium Judicis est suam de jure litigantium sententiam proferre. At hominem suam sententiam de duorum jure proferre, est dicere quid sibi verius, & verisimilius apparet; seu quis litigantium sibi videatur rationes efficaciores habere. Sententia autem externa conformari debet internæ, ne mendacium incurratur. Ergo Judex ex suo officio tenetur sententiam dicere in favorem partis, cujus jus judicat potius esse & probabilius.

Officium Judicis est suam de litigantium jure sententiam proferre.

11. Confirmatur exemplo Judicis arbitri; cujus officium solùm est dicere, quid sibi videtur. ut patet ex *l. qualem autem senten tiam. ff. de receptis arbitris, & qui arbitrium recipiunt.*

Officium Judicis arbitri quod-nam sit?

12. Præterea hoc esse Judicis officium ex omnium consensu populorum efficaciter constat. adeò enim in Judices eliguntur viri periti & maturi, ut ferant sententiam juxta id, quod ipsis certius videtur; atque

Periti tantùm cur eligantur in Judices?

per leges coguntur illam proferre per formulam hoc ipsum implicitè vel explicitè indicantem. Tenentur enim per leges sententiam scripto proferre, in quo debent ostendere, rem, de quâ litigatur, ad tàlem ex litigantibus juxta jura spectare; simulque solvere debent omnia, quæ pro oppositâ parte allata fuerant; & hæc est communis tribunalium utriusque fori praxis. Hic apparatus, & procedendi modus absolutè significat, Judicem existimare, leges illi parti, in cujus favorem judicat, magis quàm alteri favere, Judicemque ad hoc à republicâ eligi, ut secundùm hoc sententiam ferat; atque ideò tenetur secundùm hanc formam procedere, ut ex ipsâ sententiâ coargui possit, si à suo munere palpabiliter deflectat.

Si liceret judicare secundùm sententiam minùs probabilem, non opus esset delectu ad deputandum Judicem.

13. Et sanè si Judici in judicio ferendo sequi liceret opinionem minùs probabilem, ad quid talis pro Judice eligendo delectus haberetur? Plurimi certè satis periti legum sunt, ut probabile ab improbabili discernant. His tamen contenta non est respublica, sed eliguntur viri tantùm probi & legum peritissimi, qui minutias omnes & legum apices probè callent, quique quid prævaleat valent discernere, ut sic unicuique jus suum tribuatur. Magnam hanc Sapientiam in Judice requiri ostendit etiam sacra Scriptura, Psal. 2. *erudimini, qui judicatis terram.* Eccl. 10. *Iudex sapiens judicabit populum.* &c.

Ratio 2.

Mens omnium litigantiũ est, ut Judex ferat sententiam secundùm quod ipsi probabilius videtur.

14. Probatur 2. quia hæc est mens omnium litigantium. Ideò enim coram Judice litigant, ut committendo se alieno judicio controversias componant; dixi, *committendo se alieno judicio*, quia non est credibile, litigantes, qui putant se habere rationes potentiores, & jus certius (quòd omnes ferè litigantes putant) velle se alienæ voluntati committere, dummodo judicio illius se committere possint; quia voluntas facilè corrumpi potest, & indebitè favere uni præ alio. At intellectus est Judex incorruptus, & ubi ratio prævalet, non respicit amicos, nec muneribus flectitur; neque enim amicitia, consanguinitas, aut donum, jus munera offerentium certius aut verisimilius reddit; ut patet. Quod si amici Judicis, dum litigant, libenter se Judicis libertati subderent, hoc ipsum non volunt, nisi quamdiu Judex est amicus; statim enim ac ante Judicem ignotum, nemini peculiariter faventem, sistuntur, absolutè volunt oppositum. Ecce omnes litigantes judicio Judicis se libenter subdunt, qui tamen ejus arbitrio subdi nolunt. At Judex tenetur judicare juxta communem omnium litigantium voluntatem, quia ad hoc eligitur. ergo debet judicare secundùm quod illi probabilius apparet.

Ratio 3.

Jus naturæ obligat Judicem ad judicãdum secundùm quod probabilius videtur.

15. Probatur 3. Naturalis obligatio mutuæ inter homines justitiæ efficacissimè deducitur ab evidenti præsumptione voluntatis, quâ homines in mutuam illam obligationem conspirant. Hæc enim voluntas præsumpta ex ipsâ naturæ constitutione æquivalet pacto, & habet vim pacti. Hoc principium in totâ materiâ de justitiâ & jure potissimum locum obtinet. At voluntas consentiens in mutuam obligationem standi in rebus dubiis judicio interno, non voluntati Judicis evidenter præsumitur, quia evidens est majorem hominum litigantium partem habere de facto talem voluntatem. Et si quis eam non habet, idest per accidens, quia hîc & nunc à voluntate favorabili Judicis aliquem sibi sperat favorem. Talis autem voluntas, si quæ alia, evidenter præsumi potest. Ergo datur inter homines obligatio standi judicio interno Judicis, non autem ejus voluntati, si à judicio interno dissentiat. At officium Judicis, ejusque obligatio fundatur in hac ipsâ voluntate præsumptâ, & est facultas eo fine data, ut expleat hanc voluntatem præsumptam. Ergo officium Judicis ex ipso jure naturæ obligat

obligat illum ad sectandum, quod omnibus pensatis verisimilius apparet. His addo principium illud synderisis, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, ita arctare Judicem in judicando, ut absque conscientiâ peccati contra dictum principium, quo lex naturæ continetur, non possit in favorem partis minùs probabilis sententiam ferre; conscientia enim semper testabitur, nolle se ab alio Judice ita tractari.

Ratio 4.

Tam lex naturæ, quàm lex positiva malè consuluissent pauperibus, si Judici liceret sequi minus probabilia.

16. Probatur 4. convenientissimum, immò necessarium fuit, Judicem ex vi sui officii obligari ad ferendam sententiam secundùm quod verisimilius judicat, non secundùm quod placet, si intra terminos probabilitatis contineatur. Ergo de facto tale est ipsius officium; quod sine dubio tale est, quale convenientissimum & necessarium est, illud fuisse. Probatur antecedens: si Judici semel concedatur facultas judicandi pro libito quicquid intra terminos probabilitatis continetur, malè provisum esset pauperibus; quia pauperes, viduæ, pupilli & miserabiles omnes, etsi rationes meliores haberent, aut semper aut ferè semper caderent in judicio, & soli divites atque potentes, vel amici Judicis prævalerent; incredibile enim est, Judicem nolle potentes sibi devincire, & amicis gratificari, neglecto paupere & ignoto, aut etiam aliquando inviso & inimico, modò id sibi esset licitum. Ergo si Judici liceret ferre sententiam pro quavis parte etiam minùs probabili, utique insufficienter miseris & pauperibus provisum esset. At tam lex naturalis quàm etiam positiva sufficienter providit hujusmodi miseris litigantibus. ergo Judex ex officio obligatur ad proferendam sententiam secundùm quod verisimilius judicat. hoc autem stante, evidens est, quòd illicitè judicet secundum opinionem, quam, omnibus pensatis minùs probabilem reputat, quia per hoc ipsum sui officii limites arctè obligantes transgreditur. Præterea in re gravi contra jus alienum mentiretur, si pro parte minùs probabili sententiam diceret; talis enim sententiæ declaratio aut explicitè, aut implicitè dicit, jus partis, in cujus favorem sententia profertur, omnibus pensatis prævalere, quia melioribus fundamentis nititur. At talis locutio est mendax, quia discordat à judicio quod Judex habet in mente; judicat enim rationes partis adversæ esse potiores, ut ex hypothesi constat.

Ratio 5.

Puderet Judicem fateri, se, re ictis probabilioribus, minùs probabilia sectatû esse.

17. Probatur 5. à posteriori. Nullus Judex audet publicè profiteri, se aut tulisse, aut velle ferre sententiam in favorem partis minùs probabilis contra majorem partis adversæ probabilitatem; quia hoc ipso totius reipubl. exodium in se concitaret; nec quisquam (nisi fortè amicus) ab eo judicari vellet; idque quia non ritè suo fungeretur officio. E contra, si constaret, Judicem aliquem in omnibus probabiliora sectatum esse, & velle sectari, ex hoc ipso omnium in se amorem, tanquam in incorruptum Judicem, qui ritè suo fungitur officio, conciliaret. Hinc patet, laudabile esse, Judicem sententiam ferre secundùm quod ipsi probabilius videtur; vituperab le autem & inhonestum, relictis probabilioribus, secundùm minùs probabilia judicium proferre.

Reus justè appellaret à Judice qui minùs probabilia sectaretur.

18. Confirmatur: si constaret reo, Judicem contra se sententiam tulisse, quamvis crederet rationes ipsi faventes potiores esse rationibus actoris, in cujus favorem sententiam tulit, reus ex hoc ipso titulo justè appellaret ad alium Judicem; & si causa propter quam à sententiâ hac tanquam injustâ appellat, liquidò constaret, ea appellatio haberetur justa, nec justè posset rejici. Ergo sententia illa iniqua fuit, alioquin reus injustè ab illâ tanquam ab iniquâ sententiâ appellaret, nec appellatio ut justa admittenda foret.

Ratio 6.

19. Probatur 6. ex authoritate tam legum, quàm legis peritorum. Judex judicare debet

Leges præscribunt ut Judex secundùm probabiliora judicet. debet juxta leges; At leges præscribunt, ut solùm secundùm probabiliora judicet. Ergo debet judicium proferre in favorem partis, cui jus probabilius favet.

Probatur minor multipliciter; inprimis regula juris tam canonici quàm civilis docet *inspiciendum in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.* hæc est *45. regula juris in 6.* Ecce Judex in judicando sequi debet, quod verisimilius est. ergo & quod est probabilius. Hæc enim duo idem sunt.

Rursus *l. ob carmen ff. de test.* hæc habentur. *Si testes omnes ejusdem honestatis, & existimationis sint, & negotii qualitas, ac Iudicis motus, cum his concurrat, sequenda sunt omnia testimonia; si verò ex his quidam eorum aliud dixerint, licet impari numero; credendum est quod naturæ negotii convenit, & quod inimicitiæ & gratiæ suspicione caret. Confirmabitque Iudex motum animi sui ex argumentis, & testimoniis, quæ & rei aptiora, & vero proximiora esse compererit. Non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia quibus potiùs lux veritatis assistit.* Ecce Judex jubetur sequi quod est verò proximius, hoc autem idem est ac verisimilius & probabilius. Lege Tiraquellum ad *l. si unquam cod. de revoc. donat.* ubi plurimas leges citat hoc ipsum probantes. Idem docet Menochius *l. 1. de præsump. q. 29. & 30.* ubi ex jure civili clarè ostendit præsumptionem minùs validam omninò tolli præsumptione validiori contrariâ. Itaque juxta leges quod Judici minùs probabile apparet, apud ipsum tanquam nihil censeri debet relatè ad id, quod probabilius esse cognoscitur.

Tiraquellus.

Menochius.

Judices jurant se pro-babiliora secuturos. 20. Confirmatur ex *l. rem non novam, cod. de Iudiciis*, ubi præscribitur Judicibus judicare cum veritate, juramento præstito; & §. *hodie*, dicitur eos jurare se facturos, quod eis justius & melius visum fuerit. At manifestum est, quòd justius meliusque tam eis quàm omnibus videatur sequi rationes probabiliores, minùs probabilibus rejectis, quàm in favorem partis minùs probabilis sententiam ferre. Ergo Judices ex officio, ex juramento, ex legum præscripto juxta sententiam probabiliorem tenentur judicare.

21. His accedit authoritas S. Ambrosii juris-peritissimi serm. 20. in Psal. 119. *Bonus Iudex*, inquit, *nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges & jura pronunciat; statutis quoque juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati. Nil paratum & meditatum domo defert, sed sicut audit sic judicat, & sicut se habet negotii natura.* Ergo boni Judicis munus est non flecti nisi juxta rationes, & rei ipsius exigentiam. ergo tenetur sequi sententiam probabiliorem, quam si rejiciat, eo ipso operatur contra exigentiam causæ, quæ meretur præferri, violat officium suum, perjurii reus est, interno suo judicio contradicit, & mentitur. S. Ambrosius.

22. Et sanè Judex ferens sententiam in favorem partis minùs probabilis mentiretur, quia exterior locutio esset difformis interiori judicio, per sententiam definitivam significato; sententia enim definitiva partim ex formulâ, partim ex partium litigantium prætentione, seu quasi interrogatione, cui sententia Judicis respondet, partim ex officio Judicis, & legum præscripto, suam significationem accipit. Omnia autem hæc simul sumpta efficiunt, ut sententia prolata significet Judicem putare, jus partis, in cujus favorem sententiam protulit, esse melioribus fundamentis subnixam, & juri alterius partis prævalere. At judex sententiam dicens juxta opinionem minùs probabilem, non habet hujusmodi judicium de jure illius partis, sed de jure partis oppositæ. Ergo mentitur; os autem quod mentitur occidit animam. Judex mentitur, quoties fert sententiam pro parte minùs probabili.

Solvun-

Solvuntur Objectiones.

Objectio prima. Advocatus an patrocinari possit parti minùs probabili?

23. Objicies 1. Advocatus in jure controverso patrocinari potest clienti, quamvis credat jus ejus esse minùs probabile jure partis adversæ. ergo non est cur Judex secundùm opinionem minùs probabilem judicare non possit.

Responsio. Advocati officium quale?

Resp. disparitatem esse, quia officium Advocati non est dicere, quæ sibi veriora videntur, sed afferre quæ Judici videri possunt verisimiliora. E contra officium Judicis est, sententiam proferre, secundùm ea, quæ sibi veriora, & verisimiliora apparent. Jam fieri potest, ut quæ Advocato minùs probabilia videntur, Judici appareant probabiliora; in quo casu Advocatus laudabiliter interpellat Judicem, eumque cum veritate officii sui admonet, affirmatque debere Judicem in favorem sui clientis sententiam ferre. Cæterùm viri periti de Advocato hæc tradunt; si opinio aliqua sit certò minùs probabilis, adeóque si Judices semper contra illam judicent, non potest pro eâ advocare. Ratio est, quia advocaret pro sententiâ illicitâ, peteretque à Judice, quod scit non posse à Judice concedi. Præterea deciperet clientem, eumque ad expensas frustratorias incitaret, adversariumque injustè & absque spe victoriæ molestaret. Nihilominùs quamvis clientis opinio ipsi minùs probabilis appareat, dummodo ab aliis peritis habeatur probabilior, potest patrocinari, quia habet spem victoriæ justæ. Verùm in omnibus sincerè admonere debet clientem de statu controversiæ. Munus autem ipsius erit ea afferre, quæ causæ suffragantur, opposita autem aut solvere, aut reticere; nam si afferret argumenta contra clientem, quos aut non posset, aut nollet solvere, non impleret suum officium, sed peccaret. Argumenta ergo in contrarium eatenus ab Advocato ponderanda sunt, ut ea solvendo causam suam Judici reddat verisimiliorem.

Advocatus patrocinari potest, quando actor potest litem contestari.

24. Ratio ulterior est, quia actor seu cliens in dicto casu habet jus proferendi suas rationes probabiles in foro externo, quippè quæ meliores fortè sunt rationibus partis adversæ, & fortassè à Judice pronunciabuntur tales. Quando enim causa est controversa, licet parti litem cum adversario contestari, ac Judicis sententiam expectare; *potest* autem *quis per alium, quod potest facere per seipsum*, ut habetur *Reg. juris 68. in 6.* Ergo potest idipsum per Advocatum, quem jura ideò admittunt, ut sit quasi Vicarius litigantis. Itaque Advocatus tunc solùm, tam in criminalibus, quàm in civilibus licitè patrocinatur, quando pars, cui favet, licitè litem contestatur. Sicut ergo in causâ criminali dubiâ Actor ipse graviter peccat, qui reum capitis accusat: ita Advocatus etiam peccat, si reum nomine Actoris accuset. Similiter in civilibus quando Actor scit, se non posse intentum evincere, eò quòd causa semper mansura sit dubia, licitè non potest contra possessorem bonæ fidei litem contestari, eò quòd certum sit, possessorem in pari causâ manutenendum in suâ possessione. Itaque sicut in tali causâ Actor peccat injustè vexando possessorem, ita pariter peccat Advocatus, qui tali causæ patrocinatur; universaliter enim licet Advocato patrocinari, quando licet Actori litem intendere, aut reo seipsum defendere; in aliis casibus non licet, quia Advocatus & cliens unum faciunt, cùm Advocatus institutus sit, ac permissus tanquam vicarius sui clientis. atque hæc de Advocato dicta sufficiant.

25. Objicies 2. Quod licitum est petere, licitum est habere. Sed Actori licitum est petere à Judice, ut sibi rem adjudicet, de quâ probabilitatem habet quod sit sua, etsi probabilius ipsi sit, rem illam ad alium pertinere. Ergo licitum est Judici rem illam Objectio secunda.

Actori concedere, quamvis judicet illius jus minus esse jure competitoris. At hoc facere non posset Judex, nisi in judicando licitum illi esset sequi opinionem minùs probabilem, probabiliore relictâ.

Responsio. Resp. non licere Actori petere à Judice, ut rem sibi adjudicet, quamvis ipse Judex, omnibus inspectis, credat jura alteri potiùs, quàm sibi favere. At nisi minor hoc modo efferatur, conclusio non ritè infertur; quia transitur ab eo, quod Actor judicat minùs probabile, ad id quod Judex putat esse minùs probabile. Cæterùm sine dubio licitum est Judici adjudicare rem actori, quam actor probabilius credit ad reum pertinere, quia fieri potest, ut Judex oppositum existimet; & hoc est, quod actor petit à Judice: petit nimirum ut examinet rationes, & ferat sententiam, secundùm quod probabilius judicat, sperat enim rationes suas, quæ sibi minùs probabiles apparent, apparituras Judici probabiliores, atque ita se litem obtenturum.

Actor quid licitè petat à Judice.

Objectio tertia. 26. Objicies 3. Confessarius est Judex, & tamen potest, immò tenetur sequi opinionem etiam minùs probabilem, quam pœnitens secutus est. Ergo alii Judices hoc ipsum à fortiori facere possunt, quia judicium fori externi minoris momenti est, quàm judicium fori interni.

Responsio. Resp. disparitatem esse, quia Confessarius format dictamen suæ conscientiæ dependenter à dictamine conscientiæ pœnitentis, pœnitens enim nec peccat, nec excusatur à peccato per judicia Confessarii, sed solùm per propria judicia. Ergo Confessarius, qui judicare debet de peccato pœnitentis, respicere debet ad sententiam, quam pœnitens bonâ fide secutus est, quæ, etsi directè minùs probabilis, excusat pœnitentem à peccato, adeóque determinat Confessarium ad dicendum, quod illa, licèt directè minùs probabilis, bonâ fide eam sequentem à peccato liberet. At Judex suum judicium per judicia litigantium non regulat, alioquin in utriusque favorem deberet sententiam pronunciare. Itaque Judex suum judicium, suamque sententiam solùm regulat per ea, quæ sibi, non quæ aliis probabiliora videntur, ideóque sequi debet, quæ ipse, omnibus pensatis, judicat esse probabiliora.

Discrimen inter Confessarium & Judicem.

Objectio quarta. 27. Objicies 4. Electores in eligendo sequi possunt opinionem minùs probabilem; ergo & Judices in judicando.

Responsio. Resp. disparitatem petendam esse à diversitate officii utriusque; nam officium Electoris est dicere quid velit; at officium Judicis est dicere, quid judicet de præponderantiâ rationum, & majori favore legum. Elector ergo quando eligit amicum, solùm dicit *hic vir mihi placet præ illo*: quod verum est, etsi judicet illum, quem respuit, aptiorem esse amico, cui suffragium confert. At Judex judicando secundùm opinionem minùs probabilem mentiretur, & transgrederetur limites sui officii, ut ostensum est.

Munus electoris quale.

Elector non semper tenetur eligere digniorem. 28. Rationes autem, propter quas Electoribus facultas eligendi minùs dignum conferri debuit, sunt multæ. Prima est propter privatum bonum Electoris, ut sic liberiùs beneficium conferat, & electum sibi devinciat. Secunda propter bonum publicum; multùm enim interest reipublicæ multos ejusdem dignitatis esse competitores, qui studio virtutum proficuarum se illâ dignos reddant. At numerus competitorum major erit, si Electores gratiam aliquam, & favorem amicis præstare possint, quia major erit spes ad dignitatem illam perveniendi; minor verò oppositâ de causâ, si talem favorem nulli valeant impendere. Bonum ergo est & utile reipublicæ, quod Electores minùs dignum possint eligere. Tertiò præstat dignitatem conferri personæ universaliter magis, quàm minùs amatæ, quamvis persona illa magis amata

non

non sit tam capax talis officii, quàm persona minùs amata. Plus enim confert ad bonam gubernationem superior, etsi minùs prudens, sed à subditis amatus, quàm magis prudens, & minùs amatus. Finge aliquem esse exercitatissimum militiæ Ducem, sed militi parum gratum; nonne præstat eligere Ducem minùs peritum militibus gratum, quem sequi, & cum quo libenter pugnare milites ambiunt, quàm exercitatissimum illum, quem milites aut illibenter, aut sæpè nullo modo sequentur ad pugnam, quia illum non amant? Cùm itaque sæpè contingat digniorem esse universaliter minùs amatum, expedit Electorem posse minùs dignum eligere.

Dispensatores officiorum tenentur digniores præferre.

29. Hæc vera sunt de Electoribus juxta communiorem Electorum obligationem, nam aliquando Electores ex juramento, aliâve causâ tenentur eligere, quem aptiorem judicant; seu in quo plura & clariora aptitudinis indicia advertunt existere; seu cujus aptitudo probabilioribus motivis comprobatur. In hoc casu sequi opinionem minùs probabilem Electoribus licitum non est, ut patet. Alia est ratio de eo, qui non est purus elector, sed potiùs distributor, hic enim tale officium ideò accipit, & acceptat, ut præferat digniores. Itaque hujusmodi dispensatores tenentur digniores præferre; quod ni fecerint, peccant non solùm contra dispensatoris officium, sed etiam injuriam inferunt digniori; maximè quando munus ad concursum offertur digniori, tunc enim qui, omnibus pensatis, ex concurrentibus cognoscitur esse dignior reliquis, habet jus ad munus, pro quo se concursui exposuit, ut patet.

Objectio quinta.

30. Objicies 5. Judex potest pœnas remittere, aut mitigare sequendo opinionem minùs probabilem. Ergo in causis civilibus potest sententiam proferre secundùm opinionem minùs probabilem. Probatur consequentia, quia sicut se habent duo litigantes in causâ civili, ita in causâ criminali se habent reus & respublica, cujus interest malos puniri.

Responsio.

Resp. Judicem non habere potestatem remittendi, aut mitigandi pœnas à lege constitutas, aut à consuetudine habente vim legis introductas, ut docet Tyraquellus *tractatu de pœnis.* Nihilominus quia sæpè aliquæ causæ delicto adhærent, quæ minuunt malitiam culpæ, ut ignorantia, iracundia, dolor vehemens &c sæpè aliæ adsunt, quæ delicto non adhærent, ut intercessio Episcopi, aut viri principis &c. ideò Judicibus data fuit potestas, ex dictis causis mitigandi pœnas, quas nemo, nisi supremus reipublicæ Judex, mitigare aut remittere potest, nisi ex causis hujusmodi. Cùm enim Legislatores omnes causas minuentes delictum prævidere non potuerint &c. necesse fuit potestatem ad pœnas mitigandas Judicibus relinquere, qui juxta benignam severitatem judicantes crimina punirent, quia benignitas addita timori meliùs corrigit delinquentes, quàm severitas inflexibilis cum omnis veniæ desperatione conjuncta.

Judices aliquando possunt pœnas stabilitas mitigare; & cur?

31. Atque hinc assignatur disparitas ad argumentum, quia Judex, inter personas privatas de suo jure litigantes constitutus, præsumere non potest, quod ille, cui rationes probabiliores favent, velit sententiam proferri in favorem partis, cui rationes minùs probabiles pro suo jure suppetunt; quia sententia favorabilis suo æmulo nullam sibi affert utilitatem. Et ideò Judicis officium institutum est ad judicandum quod in ejusmodi casibus est probabilius; & ad hoc ipsum strictè obligat. At in causâ criminali opposita datur præsumptio de republicâ, quæ non censetur velle summo jure agere contra reum; nam sententia favens reo est utilis reipublicæ, cujus civium salus multùm interest. Præterea bonum est reipublicæ, quòd benignitas & misericordia, non

Respublica non agit summo rigore contra reum.

non summus rigor de eâ credatur, præsumatur, & prædicetur. Ergo Judex potest ex benignitate reipublicæ prudenter præsumptâ pœnas mitigare, & aliquando etiam omninò remittere.

Objectio sexta. 32. Objicies 6. ex nostrâ sententiâ sequitur, Judicem secundùm opinionem minùs probabilem judicantem inferre injuriam parti condemnatæ. Ergo condemnatus per occultam compensationem, damnum suum resarcire poterit.

Responsio. Resp. casum hujus judicii posset tripliciter contingere. 1. ut nemo præter Deum sciat, utrum Judex tulerit sententiam secundùm opinionem, quæ ipsi minùs probabilis visa fuerit. In hoc casu condemnatus patitur quidem injuriam saltem materialem, sed non potest uti compensatione, quia præsumendum est, Judicem sententiam protulisse secundùm quod ipsi probabilius visum est. 2. Judex ipse declarare potest se in favorem juris minùs probabilis sententiam suam dixisse. In hoc casu condemnatus semper quidem patitur injuriam materialem, non tamen semper uti potest compensatione; nam si Judex bonâ fide tulit sententiam, probabiliter judicans licitum sibi esse sequi partem minùs probabilem; tunc Judex ad nihil tenetur; nec ratione rei ablatæ, quia apud se rem illam non habet, nec ratione injustæ ablationis, quia bonâ fide functus est suo officio. Sic qui inscius damnum alteri intulit, non ideò tenetur damnum resarcire, quia bonâ fide operatus est. Tertius ergo casus est, quando Judex fateretur se malâ fide, & cum conscientiâ injustitiæ sententiam protulisse, in hoc casu Judex teneretur ad compensationem, & condemnatus eâ uti posset contra Judicem, si Judex pro damno illato satisfacere nollet, & alia via præter occultam compensationem non suppeteret. Contra Judicem, inquam, non contra æmulum litigantem; quia hæc Judicis confessio non debet nocere tertiæ personæ, cui authoritas sententiæ in foro externo prolatæ favet, quæ quamvis in foro interno injusta fuerit, in foro tamen externo efficaciter tribuit jus parti, in cujus favorem sententia prolata fuit.

ASSERTIO QUARTA.

Assertio quarta.

Judex, quando jura litigantium sunt æquè probabilia, in neutrius partis favorem potest sententiam ferre.

In eisdem causis civilibus, quando jura utriusque partis creduntur æqualia, Iudex in neutrius partis favorem ferre potest sententiam definitivam adversus partem æmulam; sed declarare debet utriusque partis jus esse æquè verisimile; adeòque debet vel rem dividere, vel compositionem inter partes facere.

33. Probatur hæc sententia, quam Sylvester *verbo Iudex*, Bannez *q. 63. art. 4.* aliique expressè tradunt, quamvis alii plurimi oppositum teneant, quos videre est apud Lugo: *disp. 37. de just. sec. 10.* quos ipse sequitur; probatur, inquam, eisdem rationibus, quibus assertionem superiorem stabilivimus; illæ enim aut omnes, aut ferè omnes eandem vim ad hanc, quàm ad illam probandam habent; & sanè cùm jura litigantium in mente Judicis æqualia sint, quomodo, quæso, absque injustitiâ potest ille inæqualitatem inducere. Certè hoc non est reddere unicuique, quod suum est, ergo non est actus justitiæ, ergo non est judicium justum, sed iniquum, quia omne judicium justum est actus justitiæ.

Solvuntur objectiones

Objectio prima. 34. Objicies 1. Assertio hæc non habet locum in Judice inferiore, quando scit, quòd si divideret rem, aut partes ad compositionem cogeret, sententia sit à superiore Judice revocanda; maximè cum magno

magno detrimento suæ famæ, aut lucri. Non enim ad tantum onus subeundum obligatur. Respondeo fieri non posse ut quidquam detrimenti ob sententiam justè prolatam immineat. Quid enim si superior judex causam ad se advocet, & aliter judicet? anne ideò inferiori judici succensere debet, quod probè suo functus sit officio. Deinde si quid mali immineat, id est per accidens, quod ut judex evitet differre potest sententiam, vel causam ad alios judices referre. Et si hoc non liceat, quia cogitur sententiam dicere, tenetur suum officium implere; & sententiam æquè utrique faventem proferre, alioquin mentiretur, & juramenti læsi reus coram Deo haberetur, suumque officium non impleret. Non sunt autem facienda mala ut eveniant bona.

Responsio. | Quod sententia à superiore judice sit revocanda non dat jus inferiori judici ad alterandam suam sententiam.

35. Resp. deinde argumentum nimis probare, quia inde sequeretur quòd simili de causâ sectari posset sententiam minùs probabilem, probabiliori relictâ. Nam in eo etiam casu scire potest causam, ad superiorem judicem avocandam esse, & sententiam à se latam per illum revocandam. Vides argumentum nimis probare. Nam adversarii, qui volunt id in hoc casu valere, id ipsum negant in casu majoris probabilitatis, cùm tamen utrobique eadem sit ratio.

Responsio alia per instantiam.

36 Objicies. 2. Judex pro veritatis indagatione non tenetur ad summam, sed solùm ad humanam, & discretam diligentiam adhibendam. Si hanc adhibuerit, & jura aut æquè aut ferè æquè probabilia invenerit, suo muneri, & reipublicæ satisfacit, & pro libito sententiam in utriuslibet favorem ferre potest.

Objectio secunda.

Resp. Judex non tenetur nisi ad humanam & discretam diligentiam pro veritatis indagatione adhibendam. hac impensâ satisfacit suo muneri quantum ad diligentiam, quam tenetur impendere, & per se loquendo non tenetur ulteriùs inquirere. Verùm non implet officium, si non judicet juxta id quod jam invenit, sed præponit eum, cujus jus credit esse aut æquè validum, aut paulò debilius, quàm jus competitoris; nam per judicium prælativum juris æqualis aut paulò minoris, nullatenus satisfacit intento reipublicæ, aut partium expectationi, aut suo muneri & obligationi; ut patet.

Responsio.

37. Objicies 3. sint duo æquè digni aliquo beneficio &c. Episcopus potest illud cuivis eorum conferre, pro libito. ergo & judex in favorem cujuslibet è partibus æquale jus habentibus judicare potest.

Objectio tertia.

Resp. disparitatem esse, quia Episcopus in eo casu est Elector, non judex. Deinde officium Episcopi in eo casu non postulat, ut eos ad compositionem aut sortitionem trahat; sed potest inter æquè dignos eligere quemcumque voluerit. At officium judicis, quatenus judex est, postulat, ut dicat quid sentiat de litigantium juribus, eorumque jurium excessu, æqualitate, defectu, &c. non enim judex, ut judex, est elector, ut patet.

Responsio.

ASSERTIO QUINTA.

Assertio quinta.

Hæc propositio, *Judici in judicando licet sequi opinionem minùs probabilem ab ipso pro tali evidenter cognitam, aut absolutè creditam, ut talem,* non est probabilis.

38. Probatur 1. à priori, quia nullum fundamentum hactenus allatum est, aut afferri potest in confirmationem propositionis illius, quæ sit magni momenti relatè ad rationes quas attulimus pro illius falsitate. Theologi enim, qui hanc propositionem defendunt, vix aliud argumentum afferunt, quàm quod à paritate rationis deducitur; illud autem ex suâ naturâ est debile, & nos jam a paritates, quas afferunt, manifestam disparitatem ostendimus, quæ æquè facit contra omnes alias paritates excogita-

Probatio prima à priori.

Est improbabile, quòd liceat judici judicare secundùm opinionem minùs probabilem.

excogitabiles, quia fundatur in essentiali differentiâ officii judicis, qui ideò inter litigantes constituitur, ut dicat, cujus jus existimet alterius juri prævalere. Præterea in contrarium attulimus solidissima argumenta tum à priori, tum à posteriori, quæ talia sunt, ut in comparatione eorum paritates illæ prorsus evanescant. Ergo dicta propositio non est intrinsecè probabilis; ad hoc enim confirmari deberet argumento, quod in facie rationum oppositarum magnâ vi polleret ad flectendum intellectum in assensum sui. At certum est, nullum ejusmodi argumentum hactenus ab Authoribus pro ejus confirmatione fuisse allatum.

Qui oppositum tenuerunt leviter tantùm rem examinârunt.

39. Atque hinc sequitur, dictam propositionem, hoc saltem tempore, non esse ne quidem extrinsecè probabilem; quia Theologi, qui illam docuerunt, paucis lineis rem tanti momenti expediverunt, & à paritate tantùm rationis argumentati sunt. Posteriores autem Theologi omnes fermè unanimiter asserunt, sententiam judicis secundùm opinionem minùs probabilem prolatam esse iniquam: & quò quis eorum fusiùs rem tractavit, eò certiùs hoc ipsum tradidit. Quod signum est, priores illos Theologos non penetrasse motiva, quibus posteriores moti sunt. Ergo priorum sententia nunc non est, ne quidem extrinsecè, probabilis, ad hoc enim assertores ipsius aut omnia aut potissima argumenta contrariæ sententiæ examinare debuissent, & adhuc in suâ sententiâ permanere. At certum est, hoc ab illis præstitum non fuisse. Quibus adde, rationes à nobis allatas à nemine adversariorum fuisse ne quidem tactas. Illæ autem adeò prævalent paritatibus adversæ parti faventibus, ut omnem ab illis probabilitatem auferant. Itaque contraria sententia nunc non est probabilis, neque aliter in posterum probabilis reddi potest, quàm si omnia nostra argumenta aptè solvantur, atque alia in contrarium afferantur, quæ in contradictione nostrorum magnum pondus habeant ad prudenter credendum, judicem licitè posse sententiam ferre in favorem partis minùs probabilis.

Objectiuncula.

40. Dices. Opinio minùs probabilis de jure alicujus arguit, jus illud probabiliter existere. Ergo probabile est, quod judex eam sequens non inferat injuriam parti, quam condemnat. Ergo probabile est, quòd judici liceat sic judicare; nil enim præter injuriam alterius partis efficere potest, quò minùs id judici liceat. At probabile est, quòd non faciat injuriam. ergo est probabile, quòd sic judicare liceat.

Responsio per instantiam.

Resp. 1. per instantiam. Hoc argumentum simile est illi, quo quis probaret licitum esse Sacerdoti consecrare panem ex secali confectum; sic enim arguo: probabile est, quòd illa consecratio sit valida. ergo probabile est, quòd sit licita; quia nil præter invaliditatem ipsius obstare potest, quò minùs sit licita.

Responsio 2. directa.

Resp. 2. directè. Sicut non tantùm ipsa invaliditas consecrationis, sed etiam periculum non necessarium dictæ invaliditatis usum talis materiæ reddit illicitum: ita non solùm injuria ipsa, sed etiam major probabilitas eam inferendi homini, cujus rationes cognoscuntur prævalere, illicitam reddit sententiam, quam judex fert in favorem partis minùs probabilis. Hoc enim periculum junctum officio judicis adeò efficaciter id suadet, ut oppositum non sit probabile.

Responsio tertia.

41. Resp. 3. Duplex est jus in litigante. Aliud est directum & acquisitum circa prædium v. g. de hoc jure litigantes quærunt, ad quem eorum pertineat. Jam fateor, probabile esse, quòd hoc jus existat, uti contendit objectio. Aliud jus litigantis est naturale reflexum, ratione cujus litigans habet titulum, ut tractetur à judice juxta exigentiam rationum sibi faventium, & juxta officium judicis. Hoc jus adeò certum

Jus litigantium aliud acquisitũ, aliud naturale.

est,

est, atque tam certò postulat, ut præferatur competitori, cujus jus acquisitum rationibus minùs validis comprobatur, ut non sit probabile, illud non lædi per judicem præferentem jus minùs probabile. Itaque certum est, judicem sic judicantem inferre parti condemnatæ injuriam, non quæ consistat in certâ læsione juris directi acquisiti ad prædium, de quo litigatur (hoc enim jus, cùm sit objectum litis, non potest certò lædi; siquidem fieri potest ut non existat, jus autem non existens non læditur) sed quæ consistat in violatione juris naturalis reflexi certò præexistentis, quòd per talem sententiam apertè violatur. Itaque non est probabile, quòd judici in judicando liceat sequi opinionem minùs probabilem.

Judex sequens opinionē minùs probabilem lædit jus certum.

42. In hoc ergo casu eodem modo discurrendum est, quo loquimur de ministro Sacramentorum adhibente materiam vel formam dubiam. Sicut enim in dubiâ Sacramentorum materiâ distinguenda est probabilitas speculativa à practicâ: ita eadem distinctio in casu judicis judicantis præ oculis habenda est. Nam sicut probabilitas de valore Sacramenti non tollit certitudinem de inhonestate taliter conficiendi Sacramentum: ita probabilitas de conformitate sententiæ judicis cum jure acquisito partis, cui rationes minùs probabiles favent, cohæret cum certitudine, quòd judex taliter judicando illicitè agat, quia certum est, illum per talem sententiam lædere aliud jus certum, in quo sententia judicis, ut sit justa, fundari debet tamquam in motivo formali. Nam jus acquisitum, de quo lis instituitur, est objectum materiale tam sententiæ per judicem prolatæ, quàm voluntatis, quâ judex sibi imperat talem sententiam. Jam ut sententia judicis, & voluntas imperans sententiam sint justæ, fundari debent in aliquo jure non litigioso sed certo, tamquam in objecto formali. Hoc autem jus certum est jus illud naturale reflexum, de quo hactenus dictum est, quod jus hìc & nunc solùm favet parti, cujus rationes à judice creduntur esse probabiliores rationibus partis adversæ.

Idipsum ulterius declaratur exemplo.

43. Hoc tamen non obstante, aliquando judex licitè fert sententiam pro parte verè minùs probabili, modò diversitas inter illas probabilitates non sit evidenter discernibilis. Tunc enim fieri poterit, ut judex, comparando rationes utrique parti faventes, & reflectendo ad stimulum quem singulæ imprimunt in suum animum, erret ac bonâ fide credat, rationes has cum stimulo ab eis orto esse vehementiores rationibus ac stimulo allicientibus in contrarium, quamvis oppositum sit verum. In hoc casu, stante tali persuasione, tenetur sententiam ferre pro parte verè minùs probabili, quam tamen ipse inculpabiliter errando judicat esse probabiliorem oppositâ. Ratio est, quia sententia externa conformari debet internæ. Deinde officium judicis hoc postulat. Tertiò demum jus naturale litigantium inevitabiliter obligat judicem, ut in favorem illius sententiam ferat, cujus rationes absolutè credit alterius rationibus prævalere.

Judex aliquando ex errore licite præfert partē minùs probabilem.

Et sanè in hoc casu, nulla potest esse lex obligans ad præferendam partem verè probabiliorem parti minùs probabili; illa enim obligaret judicem ad impossibile; cùm enim judex, ut supponimus, versetur inter motiva obscura probabiliter tantùm ostendentia, quænam ex rationibus contrariis alteri prævaleat, fieri potest, ut post debitam diligentiam erret, illasque reputet esse validiores, quæ revera sunt minùs validæ; in quo casu non aliter tenetur sententiam ferre secundùm suam opinionem, errantem circa qualitatem probabilitatis de jure singulorum, quàm obligatur ad sectandum judicium suum, quando errat circa ipsa jura secundùm se considerata.

44. Nec

44. Nec dicas, judicem, quando non est evidens, quæ pars sit probabilior, debere reputare ac declarare, quod utraque sit æquè probabilis, ac ita se gerere, ac si crederet neutram alteri prævalere.

Nam contra 1. quia etiam in hoc casu, pars verè minùs probabilis æquatur parti probabiliori. Quòd si hoc non sit absurdum, quid absurdi erit, si minor probabilitas majori præferatur? Contra 2. Rarissimè contingit rationes utriusque partis esse absolutè æquales; sæpissimè autem inevidens est, quænam sint aliis probabiliores. Ergo judex in hoc casu non debuit obligari ad semper reputandas illas æquales, quia obligaretur ad ferendum judicium, quòd certò certiùs millies erraret pro una vice, in quâ verum diceret; at stultum est, talem obligationem in quoquam ponere; stultissimum verò illam collocare in judice, cujus munus est rectè judicare. Contra 3. quia supponimus, judicem habere rationes hinc inde ad dicendum, quòd argumenta utrique parti faventia sint inæqualia, quia motiva probabilia opposita & dissimilia secundùm quid excedunt & exceduntur ab invicem. In hoc autem casu probabile est & has illis, & illas hisce prævalere, cùm sæpè nullum sit argumentum ad dicendum quòd sint æquales. Ergo judex non debet illas æquales reputare, sed debet sententiam ferre in favorem illarum, quas bonâ fide judicat aliis prævalere.

Assertio sexta.

ASSERTIO SEXTA.

Hæc propositio, *licet Iudici in judicando sequi quamlibet ex sententiis, quæ omnibus inspectis bonâ fide ab illo habentur æquè probabiles*, meo judicio non est intrinsecè probabilis.

Probatio. 45. PRobatur assertio ex argumentis ad falsitatem dictæ propositionis ostendendam supra allatis; illa enim adeò prævalent argumentis contrariis, ut ista in comparatione illorum meo judicio penitus evanescant. Hoc unum audacter dico; nemo ex adversariis hactenus expendit argumenta, quibus nostram sententiam stabilivimus. Præsumendum ergo est, illos ex ignorantiâ principiorum nostrorum suam opinionem tradidisse. At quando opinio aliqua ex ignorantiâ vel inadvertentiâ alicujus principii probabiliter traditur, probabilitas illa cessat, quamprimùm principium illud detegitur, ut ostensum est *qu. 3. n. 23.* Quocirca donec videro rationes nostras aptè solutas, aliasque ipsis comparabiles ab adversariis in confirmationem suæ sententiæ afferri, non ausim dicere, propositionem illam esse probabilem. Non enim probabile est, mentientem aut perjurum à peccato excusari: Non est probabile, jus naturale liquidum absque injuriâ violari posse: Non est probabile, odium omnium ideò in aliquem excitandum esse, quòd ille omnem sui officii obligationem implevit: Non est probabile, naturam & rempublicam pauperes, viduas, pupillos, & orphanos litigantes absque remedio sufficienti reliquisse: Non est probabile, quòd quemcumque pudeat declarare, se quidquam fecisse, quod justum est & rectum, modò res ex suâ naturâ ob decentiam non sit auribus indigna. At hæc omnia & hisce similia admitti debent ut probabilia, si probabile sit, judicem licitè sequi posse quamlibet ex opinionibus æquè probabilibus; omnia enim necessariò connexa ita ad invicem comparantur, ut si unum sit falsum aut improbabile, alterum quoque eandem conditionem subeat. Immò quando alterum ex connexis est evidenter falsum, ut in casu nostro, alia omnia ita cum illo connexa, ut improbabile sit ea cum illo non connecti, sunt improbabilia. At uterque, aut alter istorum casuum locum habet in præsenti.

Non est probabile, quod liceat judici sequi quamlibet ex opinionibus æquè probabilibus.

sentl. Ergo dicta propositio non est probabilis.

Solvitur objectio principalis.

Objectio prima principalis.

46. Objicies 1. Non licet judici sequi opinionem minùs probabilem, rejectâ probabiliore, aut æquè probabili. Sed unusquisque est judex suæ conscientiæ, & judicare debet, an actus, quem elicit, sit honestus. Ergo in ferendo judicio practico nemini licet sequi opinionem minùs probabilem, tutiore ac probabiliore relictâ. Confirmatur minor, quia in judicio conscientiæ ratio est judex, partes sunt Deus & homo. Deus rationibus probabilioribus est actor, qui ab homine exigit tale exercitium. Homo est reus, qui rationibus minùs probabilibus jus suæ libertatis defendere conatur. Sicut ergo judex tenetur judicare Cæsari, quæ probabiliùs sunt Cæsaris; ita ratio tenetur Deo judicare, quæ probabiliùs Dei sunt. Deinde ideò judex debet judicare secundùm quod probabilius est, quia à Republicâ constitutus est, ut judicet secundùm id quòd sibi rectius videtur. At præsumendum etiam est rationem humanam à Deo ita constitutam esse, ut judicet juxta id, quod sibi melius videtur, quia negotium animæ est res maximi momenti. Tertiò, ideò judex illicitè judicat secundùm sententiam minùs probabilem, quia taliter judicans est acceptor personarum. At eodem modo est acceptor personarum, qui propter rationes minùs probabiles judicat in suum favorem contra Deum, cui rationes probabiliores favent; homo enim sic judicans, Deo postposito, seipsum suamque personam accipit. Ita Mercorus *parte 2. art. 16.* & quidem consequenter ad ista.

Ratio humana an & quomodo sit judex Deum inter & hominem?

Objectio secunda.

47. Objicies 2. Judex debet judicare, reum privandum possessione, quando actoris rationes sunt probabiliores; imò debet adjudicare rem actori, non obstante possessione certâ, & anteriori favente reo. At conscientia seu ratio est judex inter Deum actorem, agentem pro lege, & libertatem ream, obtrudentem possessionem certam, & anteriorem sibi faventem. Ergo ratio, non obstante anteriori libertatis possessione, debet judicare in favorem legis, quando probabilius est legem locum habere, & privare libertatem antiquâ possessione. ergo non licet sequi minùs tuta, si illa simul sint, & credantur minùs probabilia.

Possessor quando debet privari possessione per judicem?

Responsio prima.

48. Resp. inprimis ad 2 argumentum, & dico illud favere nobis, quoties non constat, opinionem tutiorem esse directè magis probabilem; quod certè ferè semper evenit, quando utraque pars est certò probabilis, rarò enim certò constat, quænam sit probabilior. ergo tunc libertas in suâ possessione manutenenda est. Præterea argumentum favet nobis, quoties pars minùs tuta ex vi rationum saltem reflexarum, idque independenter à titulo possessionis, est probabilior, aut æquè probabilis, ac pars tutior. At hoc semper contingit, quoties pars minùs tuta est directè certò probabilis, ut constat ex dictis, *quæst. superiore.* Ergo semper judicandum est pro libertate, illaque in suâ possessione manutenenda est.

In omni probabilitate practicâ conditio libertatis est melior.

Responsio secunda.

49. Resp. 2. Judices sunt in duplici differentiâ, alii publici à Principe aut Republicâ instituti pro foro externo, quorum est, dubia exorta legitimè determinare, suâque sententiâ, pro qualitate causarum, modò jus certum conferre, modò sensum legum ita declarare, ut nullum amplius dubium supersit. Alii sunt privati, qui pro se suâque conscientiâ hîc & nunc dirigendâ à Deo deputati sunt. Hoc posito, esto, judex publicus, ad lites terminandas institutus, teneatur ad judicandum in favorem actoris, quando rationes potiores illi favent quàm possessori; verùm aliter dicendum de judice privato, cujus non est lites dirimere, sed

Judices alii publici, alii privati, quodnam utrorumque munus?

solùm propriam conscientiam prudenter formare; nam possessor bonæ fidei non ideò tenetur seipsum re possessâ spoliare, quia probabiliùs illi apparet, rem illam ad alium pertinere, modò certò probabile sit, quòd ad se pertineat, ut fusè ostensum est *quæst. 23. num. 42.* sed potest illam licitè retinere, illâque uti, donec per sententiam judicis publici lis dirimatur. Ergo similiter in omni casu certæ probabilitatis practicæ, etiam directè minoris, homo licitè potest formare bonam conscientiam de honestate sectandi partem minùs tutam, non obstante majori probabilitate directâ partis tutioris, quia est in possessione suæ libertatis; idque eousque licitè facit, donec Pontifex vel Ecclesia, Princeps vel Respublica, qui sunt judices publici à Deo ad tales lites dirimendas constituti, veritatem declaraverint. Ratio est, quia in his omnibus tam possessor libertatis quàm prædii est solùm judex privatus, non ad dirimendas lites, sed ad conscientiam formandam deputatus; ac proinde neuter ante judicis publici sententiam tenetur se suâ possessione privare. His positis.

Pars minùs tuta non est licita, si omnibus inspectis appareat minùs probabilis.

50. Resp. ad argumentum Mercori, & inprimis fateor, tutiora necessariò sectanda esse, quamdiu pars minùs tuta, omnibus rationibus tam directis, quàm reflexis ritè inspectis, absolutè apparet operanti minùs probabilis, quàm pars opposita. Hoc enim unanimiter docuerunt antiqui Theologi, ut vidimus *quæst. 22.* ubi eorum authoritates allegavimus, nec dissentiunt Recentiores, ut constat *ex quæst. superiore.* Ratio est manifesta; quia quamdiu intellectus operantis dictâ ratione disponitur, necesse est, ut aut absolutè credat, partem minùs tutam esse illicitam, aut certè dubitet, an sit licita necne. Si enim absolutè crederet illam licere, eo ipso ejus honestas illi probabilior appareret, quàm ejusdem inhonestas; quia suum cuique opinatum probabilius est, ut patet. At operari in dubio peccati, & multò magis cum ejus conscientiâ est illicitum, ergo qui sectatur minùs tuta peccat, si omnibus inspectis inhonestas partis, quam amplectitur, illi appareat probabilior ejusdem honestate. Quod ergo dicimus est, sectantem minùs tuta tunc solùm excusari, quando ratio seu conscientia ipsius, utpotè judex inter Deum actorem, & libertatem ream, rationabiliter judicat, jus libertatis prævalere, eò quòd, omnibus inspectis, jus libertati favens ipsi videatur non solùm probabilius jure favente præcepto, sed absolutè judicetur verum, & alterum rationabiliter repellatur & contemnatur ut falsum. Certè judex taliter judicans inter actorem & reum non peccat, sed ritè fungitur suo officio. Ergo quoties ratio sic judicat, ritè fungitur suo officio, & homo sequens tale dictamen rationabiliter operatur, & ab omni peccato, ac formaliter peccandi periculo liberatur. At nos aliud non contendimus. Ecce argumentum à judice desumptum efficacissimè urget adversarios, & non minùs efficaciter nostram sententiam confirmat.

Argumentum à judice desumptum retorquetur in adversarios.

51. Deinde omissis rationibus reflexis, iterum retorqueo argumentum contra Mercorum aliosque omnes, qui putant certitudinem requiri, & majorem probabilitatem partis minùs tutæ non sufficere, ut quis eam licitè sequatur. Sic enim arguo: Judex tenetur juxta opinionem probabiliorem sententiam ferre. Ergo ratio potest & debet judicare in favorem libertatis, quoties directè probabilius est, libertatem nullâ lege restringi, quamvis nullam de rei veritate certitudinem habeat; siquidem per Mercorum ratio ideò instituta est judex inter Deum actorem, & hominem reum, ut sententiam ferat secundùm quod ei rationabilius apparet. Præterea in casu paris probabilitatis judex pro neutrâ parte sententiam ferre potest, sed compositionem facere

tenetur;

tenetur; ita ut si sint duæ lites æqualis momenti, unam uni, alteram alteri adjudicare debeat. ergo nobis etiam licitum est sic judicare. At hoc judicio stante, evidens est usum partis minùs tutæ esse licitum. ergo simpliciter licet sequi partem probabilem minùs tutam, etsi pars opposita sit etiam probabilis; idque semper est licitum, quando pars minùs tuta est probabilior parte tutiore; & quando utraque pars est æquè probabilis sæpissimè id licitum est juxta principia Adversariorum, quamvis rationes directè tantùm probantes præ oculis habeantur. Ergo argumentum à judice desumptum nobis per omnia favet, & condemnat Adversarios.

Adversarii confundunt probabilitatem speculativam cum practicâ.

52. Demum, cùm argumentum Mercorii à paritate judicis desumptum sit, respondeo assignando disparitatem multiplicem, idque sistendo tantùm in vi rationum directè probantium, quæ creduntur esse minùs probabiles pro parte minùs tutâ. Prima disparitas est, quia Adversarii confundunt probabilitatem speculativam cum practicâ; non enim est certò probabile, quòd liceat judici sententiam proferre in favorem partis minùs probabilis, quamvis probabile sit, jus acquisitum residere apud illum, cui rationes minores favent. At nostra assertio solùm procedit de probabilitate practicâ, eâque certâ. Et sanè si esset certò probabile, quod judici in judicando liceret sequi opinionem minùs probabilem, eo ipso licitè posset secundùm eam judicare, sicut alii sequi possunt, quæ sunt minùs probabilia. Nec oppositum ullâ ratione probari potest.

Bona fides relatè ad Deum sufficit, sed non relatè ad proximum.

53. Secunda disparitas est, quia bona fides judicis non tollit, quominùs jus partis probabilioris irremediabiliter lædatur, casu quo jus illi faveat, sicut verisimiliùs favere supponitur. Judex autem tenetur ex officio præcavere quantùm potest periculum hujus damni. At Deus est incapax omnis damni, & solùm dehonorari potest per offensam. Omnis autem offensa per bonam fidem operantis rationabiliter constitutam manifestè vitatur; atque ideò homo in casu objectionis non tenetur judicare in favorem Dei, licèt judex teneatur pro parte probabiliore sententiam ferre.


Deus non habet simile jus adversum nos, quale habet pars probabilior adversus judicem.

54. Tertia disparitas est, quia judex sententians pro parte minùs probabili non ideò peccat, quia violat jus acquisitum, quod probabilius residet in parte condemnatâ, hoc enim jus, cùm sit dubium, non habet vim legis arctantis & obligantis, ut fusè ostensum est *qu. 23. n. 28.* ergo solùm peccat, quia violat jus naturale reflexum certò existens & obligans, ut sententia in favorem juris probabilioris feratur. At quamdiu aliquid est certò probabiliter licitum, impossibile est, quòd jus reflexum Deo faveat, quo certò constet homini illicitum esse illud sequi, quia tale jus certum destrueret hypothesim in quâ loquimur. Ergo licèt judex pro tertiâ personâ teneatur sequi probabiliorem sententiam, quivis tamen privatus homo pro formanda suâ propriâ conscientiâ licitè sequi potest quidquid est certò probabiliter licitum. Confirmatur, quia benigna sententia est certò probabilis, & supponit opinionem, super quam reflectit, esse certò probabilem practicè. Ergo nullum jus reflexum certum favet Deo in ordine ad hoc, ut obligemur abstinere à parte minùs probabili minùsque tutâ, quia existentia talis juris est inconjungibilis tam cum directâ probabilitate operis secundùm se, quàm cum reflexâ probabilitate sententiæ benignæ. Unde patet disparitas ad id, quod dicitur de Deo & Cæsare. Cæsar enim jure certo postulat rem sibi adjudicari, si rationes ipsi faventes sint probabiliores. At Deus alio jure certo adversus nos non contendit, quàm ut non operemur in dubio, nec aliter sectemur minùs tuta, quàm si vel directè vel indirectè prudenter for-

memus conscientiam de honestate operis.

Aliud est officium judicis publici, aliud privati in quo utrũque differat? 55. Quarta disparitas est, quia Adversarii confundunt officium judicis publici, deputati in foro externo ad terminandas lites, cum officio judicis privati solùm deputati ad prudenter formandam conscientiam suam; cùm tamen illorum officia toto cælo discrepent. Judex enim publicus institutus est ut lites ritè terminet, ideóque tenetur judicare secundùm quod sibi probabilius apparet. Omnes enim hoc ab ipso postulant; atque ipse juramento ad hoc obstringitur. At judex privatus non est institutus ad terminandas lites, & jus dubium declarandum, sed solùm ad rationabiliter formandam suam conscientiam, unde potest rationes suas coram judice publico tueri, atque se in possessione manutenere, seipsumque præferre parti adversæ, donec judex publicus eum condemnaverit, etsi ipse privatim reputet, rationes partis adversæ esse paulò meliores. Atque hæc est clara responsio ad secundam Mercori confirmationem.

Acceptor personarum quis dicendus? 56. Atque ex eisdem principiis tertia ejusdem confirmatio labitur, quia judex privatus non est acceptor personæ suæ, etsi se manuteneat in possessione rei suæ, suumque jus defendat contra jus æquale & majus partis adversæ, donec judex publicus litem alteri adjudicavit. E contra judex publicus ferens sententiam in favorem partis minùs probabilis, ideò est personarum acceptor, quia partem debiliorem præfert, contra jus certum partis validioris, idque facit contra expressam obligationem sui officii, quod ideò institutum est, ut terminet lites per sententiam æquam, id est, in omnibus commensuratam rationibus partium litigantium. At præferre unum alteri, quando nullum certum jus obstat, non est personam accipere, sed benevolentiam ostendere, ut patet in Deo hos non illos prædestinante &c. Deus ergo 1. *Petri, cap. 1. versu 17.* rectè vocatur Pater, *qui sine acceptione personarum judicat secundùm uniuscujusque opus*; non enim habentem titulum certum urgentiorem postponit, sed præfert habenti titulum minùs urgentem, & ideò, cùm sit judex publicus, personas non accipit. At Deus, relatè ad personam seu judicem privatum, non habet jus certum, ut ille terminet litem, eumque finali judicio præferat, cui rationes potiores favent; idque verum est, tum quia hoc non est munus judicis privati, tum quia probabile est, quòd ipse possit rem sibi retinere, cùm ipsius non sit litem terminare, sed possit se defendere, ac in possessione manutenere, donec judex publicus litem diremerit. Atque ideò manutenendo se in possessione non accipit personam, nec se præfert Deo, sed illi se subjicit, implendo omnem legem obligantem, seque ad Dei gloriam, juxta beneplacitum ipsius, in pristinâ libertatis possessione retinendo. Ecce argumentum hoc, in quo Adversarii potissimè confidunt, per omnia validissimè confirmat nostram sententiam.



QUÆ-

QUÆSTIO VIGESIMA-QUINTA.

Vtrùm sententia benigna sit conformis sacræ Scripturæ?

Status Quæstionis.

Occasio hujus quæstionis præmittitur.

1. DVERSARII cùm rationibus ad congrediendum nobiscum sese impares inveniant, ad antiquitatem & eruditionem confugiũt, sententiamque benignam nec sacræ paginæ authoritate, nec traditionis pondere roboratam esse contendunt. Eam etiam à Patribus non fuisse haustam declamitant; ideóque eam ut novam & periculosam repudiari debere vehementer inculeant. Itaque ne quid in re tanti momenti non ritè examinatum relinquatur, hæc etiam adversariorum asyla excutienda, & diruenda sunt. Scio equidem nil in sacrâ Scripturâ, vel traditione Ecclesiæ, aut sanctorum Patrum scriptis reperiri, quod directè, & in terminis decidere possit quæstionem præsentem; verùm hallucinantur adversarii, dum putant se in sacrâ Scripturâ, sanctionibus Ecclesiæ, sanctorumque Patrum scriptis suæ doctrinæ fundamenta invenire; qui enim hanc & sequentes quæstiones perlegerit, manifestè perspiciet tam sacram Scripturam, quàm Canones, & Patres nobis non adversariis favere; & quidem quod ad traditionem spectat, illa vel maximè ex usu Ecclesiæ & praxi omnium sæculorum, quin immò & ipsorum summorum Pontificum optimè deducitur. Verùm illa, ut ostensum est, evincit usum cujusvis opinionis practicè probabilis esse licitum. Itaque de traditione nullam quæstionem ex professo instituam, quia quidquid ex illâ dici potest, in aliis argumentis aut excussis, aut excutiendis continetur. Quocirca in præsenti quæstione exquiram, quid ex authoritate sacræ Scripturæ pro nobis, quid pro adversariis possit afferri, atque cui parti magis faveat satis apertè concludam. Sed ecce rem ipsam aggredior.

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO UNICA.

Assertio unica.

Textus & exempla sacræ Scripturæ expressè favent sententiæ benignæ, eamq; tantùm non expressè tradunt, & confirmant.

Sacra Scriptura favet benignæ sententiæ.

2. PRobatur assertio allegando loca aliqua, & exempla, quibus ejus veritas comprobatur. Inprimis illud proverbiorum 3. 5. *habe fiduciam in domino, & ne innitaris prudentiæ tuæ*, multùm favet; inde enim habetur, sperandum esse in Deo, atque ita contemptâ propriâ prudentiâ subditis standum esse superiorum judicio, credendo se à Deo per illos ritè gubernandos. Sic interpretatur locum hunc S. Dorotheus serm. 5. apud Cornelium à Lapide. Ergo etsi illi nobis minùs probabilia injungant, obediendum est cum fiduciâ in Deo, quòd ipse per eos nos regat. Rursus *caput ne innitaris* ex Hieronymo desumptum sic habet. *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ suæ innititur, qui ea quæ sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit.* Hoc autem transferri potest ad casum nostrum. Proverb. 3.

Quomodo enim non eſt prudentiæ ſuæ inniti, ſi quis inſurgat contra communem doctrinam, & unanimem omnium fermè Doctorum conſenſum, dicentium licitum eſſe ſequi opinionem directè minùs probabilem minúsque tutam? Quomodo enim proprium judicium non præferunt, qui oppoſitum cum magnâ publicæ tranquillitatis perturbatione docent?

Matthæi 11. Secundò illud Chriſti Matthæi. 11. 30. *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, cui
1. Joan. 5. conſonat illud *1. Ioannis. 5. 3. mandata ejus gravia non ſunt*; abſolutè favet ſententiæ benignæ, quia onus graviſſimum foret, & jugum duriſſimum in omnibus debere ſequi tutiora, aut ſolùm probabiliora, ut ſupra oſtenſum eſt, *qu. 23. n. 102.* Ergo oppoſitum cum hac mellifluâ Salvatoris ſententiâ non congruit, uti benè obſervat, & contendit S. Antoninus *1. parte, titulo 3. cap. 10. par. 10.*

Lex Dei per ſe loquendo eſt onus leve; & ſolùm per accidens evadit aliquando gravis.

3. Neque vel minimùm obſtat, quod Mercorus *par. 2. art. 20.* objicit: ſcilicet legem Dei non dici onus leve, quia difficultatibus caret, alioquin, inquit, leve eſſet peccata confiteri, inimicum diligere, fidem cum periculo vitæ in tormentis profiteri. Solùm ergo dicitur onus leve, quia per opem divinæ gratiæ omnia facilitantur; nam etſi hoc ſit verum, tamen per ſe loquendo, ſtante gratiâ Dei ordinariâ, Dei præcepta evangelica levia ſunt, & omnibus penſatis peccata confiteri onus leve eſt, quia gravitas hujus præcepti, ut ait Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 5.* commodis & conſolationibus ſpiritualibus ita levatur, ut onus grave meritò dici non poſſit. At ſi teneremur ſequi ſolùm certa, aut ubi certitudo deeſt probabiliora inveſtigare, præcepta evangelica eſſent per ſe onus difficillimum, cui ferendo ordinaria gratiæ auxilia non ſufficerent. *per ſe*, inquam, non *per accidens*, qualia ſunt fidem in tormentis confiteri, & inimicos diligere; per accidens enim eſt legi evangelicæ, quod aut Tyrannus fidem perſequatur, aut aliquis alium odio habeat. Fateor hæc & hiſce ſimilia eſſe valdè difficilia, ſed eorum difficultas, Deo invocato, & impetrato abundantiore gratiæ auxilio, temperari ſolet. Exempla ergo Mercori, cùm per accidens ſe habeant ad legem evangelicam, minùs ſunt ad rem; nam ipſa per ſe, ſemotâ propriâ aut alienâ malitiâ, eſt onus leve, & jugum ſuave; ad quod ſuaviter ferendum ordinaria gratiæ auxilia abundè ſufficiunt. At in ſententiâ rigidâ jugum illud eſſet intolerabile, & ad illud ferendum ordinaria gratiæ auxilia vix aut ne vix quidem ſufficerent. Deinde S. Auguſtinus *lib. de nat. & grat.* Auguſt.
apud Mercorum ibidem loquens de mandatis Dei, hæc habet. *Mandata ejus gravia non ſunt; non ſunt gravia amanti, ſed non amanti gravia ſunt.* hinc ſubſumo: at homini in gratiâ conſtituto, Deumque amanti valdè grave onus eſt obligari ad tutiora, aut ad probabiliora tantùm in omnibus ſectanda. Quod qui negat, nunquam vivâ mente apprehendit omnes opiniones tutiores, de quibus non conſtat an ſint probabiliores; quas ſi apprehendiſſet, & onus earum conſideraſſet, vel invitus cogeretur exclamare, ô onus intolerabile!

4. Præterea ſanctus Antoninus *1. par. tit. 3. cap. 10. §. 10.* ad probandum, quòd liceat S. Antoninus.
formare conſcientiam juxta conſilium prudentum, præter locum illum: *ne innitaris prudentiæ tuæ*, addit illud Tobiæ. 4. *conſilium* Tobiæ 4.
ſemper à ſapiente perquire. Sed & idem Antoninus ad idem interim ponderat illud Sapientis, *noli eſſe nimis juſtus qui perit in juſtitiâ ſuâ.* Ecclesiaſt.
Unde infert, leges juxta rationabilem interpretationem, & Epikeiam, in foro interno à quovis poſſe intelligi, & homines juxta eam interpretationem licitè operari: Hunc locum non de verbo ad verbum, ſed juxta contextum ſumpſit Antoninus *ex c. 7. Eccleſiaſtis*, illumque interpretratur,

pretratur, tamquam consilium accipiendi sententiam benignam pro regulâ actionum; & ratio esse potest, quia qui sententiam rigidam pro regulâ accipit, dum vult multùm seu nimium justus effici, conjicit se in periculum sæpissimè peccandi, & sic non rarò perit in justitiâ suâ nimiâ; quæ, utpotè minùs discreta, hominem aliquando peccato illaqueat. Hæc Antonini interpretatio benè cohæret cum illâ Nazianzeni, & aliorum, quam Cornelius allegat in commentario hujus loci. His adjungi possunt multa alia hujusmodi testimonia, ex quibus veritas benignæ sententiæ valdè congruè deduci potest. Verùm fateor argumentum hinc petitum non esse adeò efficax, quin logicè eludi possit per plures interpretationes excogitabiles. Verùm hoc non obstat efficaciæ argumenti; nam quando ex sacrâ Scripturâ argumentamur, illa sanctè tractanda est, & juxta eum sensum accipi debet, qui SS. Patrum, ac Interpretum intelligentiæ conformis est, quique juxta connaturalem verborum significationem spontè se offert, & rationi, atque Ecclesiæ definitionibus non contradicit. Qui hac ratione authoritates istas ponderat, in illis veritatem sententiæ benignæ satis clarè perspiciet.

Argumentum ex sacrâ Scripturâ petitum, solidum est, si fundetur in Patrum interpretationibus, etsi logicè eludi possit.

5. Et hæc quidem loca pro præsenti intento sufficiant, quibus præter duo qu. 22. allata unum addo exemplum, ex quo sententia benigna efficacissimè comprobatur. Legatur *3. Reg. cap. 13.* ubi narratur, quomodo Propheta, qui contra Jeroboam, & altare ab eo exstructum in Bethel prophetaverat, simulque expressum mandatum à Deo acceperat, ne in loco illo aut panem ederet, aut aquam biberet, deceptus sit à sene quodam, qui ut ibi refertur, dixit illi. *Ego Propheta sum similis tui, & angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: reduc eum in domum tuam, ut comedat panem & bibat aquam.* Hoc sermone deceptus Propheta rediit, & comedit atque bibit in domo senis; & postea propter inobedientiam interfectus est à Leone, dum rediret. Hinc arguo sic: Propheta iste propter motivum non nisi probabile; & sine dubio non nisi minùs probabile operatus est contra expressum Dei præceptum immediatè ipsi à Deo intimatum. Dico *non nisi minùs probabile*, quia senex ille solùm dixit se esse Prophetam, nec ullo signo id probavit. ergo non poterat esse certum Prophetæ immediatè à Deo misso, senem illum à Deo missum fuisse. ergo illud erat ad summum probabile; imò absque dubio oppositum antecedenter ad affectum & assensum erat ipsi probabilius; nam si probabilius fuisset, senem verum dixisse, Propheta juxta leges prudentiæ debuisset illi fidem adhibere. Eo autem ipso quòd illi credidisset, debuisset illi obedire; & graviter peccasset contra conscientiam rationabiliter constitutam non regrediendo: Ergo nullatenus peccasset sequendo dictamen, quod in eo casu habuisset. Peccavit autem aliquo modo. ergo operatus est contra apparentiam probabiliorem, sequendo minùs probabilem. Addo apparentiam de præcepto Dei revocato, antecedentem omnem affectum & assensum Prophetæ, non fuisse certò probabilem, alioquin ex nullo capite argui posset de peccato potiùs propter regressum, quàm si non fuisset regressus; æquè enim egisset contra conscientiam & voluntatem Dei obligantem. Quare credibile est, eum de eo solùm habuisse apparentiam probabiliter probabilem. Et sanè, si omnia ritè expendantur, statim apparebit, quòd non potuerit habere apparentiam antecedentem majorem probabiliter probabili. Hoc posito, sic arguo: Propheta iste per bonam fidem & apparentiam vix aut ne vix quidem probabilem excusatus est à peccato mortali, etsi operatus sit contra expressum Dei præceptum mirâ claritate, scilicet propriâ Prophetarum, propositum.

3. Reg. 13.

Propheta à Leone interfectus est, quia deceptus à ficto Prophetâ panem edit contra Dei præceptum.

Non erat plus quàm probabile huic Prophetæ Deum suum præceptum revocasse.

Immò apparentia præcepti retractati antecedenter ad assensum erat ad summum minùs probabilis opposità.

Hæc probabilitas excusavit Prophetam hunc à peccato gravi.

propositum. Ergo multò magis qui sequitur opinionem certò probabilem contra probabiliorem excusatur. A fortiori, inquam, quia apparentia minùs probabilis de non existentiâ præcepti numquam tantùm removetur ab apparentiâ probabiliore, sed obscurâ & fallibili de præcepti existentiâ, quantùm apparentia præcepti revocati, merè fundata in verbis illius senis, distabat ab apparentiâ dictante divinum mandatum, immediatè à Deo per revelationem propheticam habitum, nondum esse sufficienter revocatum. Ergo si apparentia illa, & credulitas verbo senis data, excusabat Prophetam illum, multò magis quævis probabilitas, etsi minor, nos à peccato excusabit.

Ita communiter docent PP. & Interpretes. Sed apparentia illa excusavit Prophetam à peccato, ut communiter docent sancti Patres, & Scholastici; neminem enim invenire potui, qui absolutè illum peccati mortalis condemnet.

August. 6. Inprimis Augustinus *libro de curâ pro mortuis gerendâ* paulò ante medium loquens de morte hujus Prophetæ, inter cætera hæc habet. *Hactenus enim voluit Dominus servum suum plectere, qui non suâ contumaciâ spreverat præceptum ejus implere, sed alienâ decipiente fallaciâ obedire se credidit, quando non obedivit. Neque enim putandum est, ita fuisse interemptum morsu bestiæ, ut ad supplicium tartareum deinde anima raperetur, quandoquidem ipsum ejus corpus idem Leo, qui occiderat, custodivit, jumento etiam quo vehebatur illæso, & simul cum illâ immani ferâ, intrepidâ præsentiâ ad sui Domini funus adstante. Quo mirabili signo apparet, hominem Dei coërcitum potiùs temporaliter usque ad mortem, quàm punitum esse post mortem.* Glossa ordinaria eandem doctrinam

Glossa. supponit, quia asserit mortem temporalem fuisse pœnam sufficientem inobedientiæ materialis contractæ. Ait enim: *Ostenditur quòd peccatum inobedientiæ in ipsâ morte fuit laxatum, quia iste idem Leo, qui viventem præsumpsit occidere, ausus contingere non est occisum: qui enim occidendi habuit potestatem, de occisi cadavere comedendi licentiam non accepit, quia is, cujus culpa in vitâ fuerat punita, erat jam justus ex morte* Quæ certè vera non essent, si peccato se mortali Propheta maculasset; tale enim peccatum morte temporali, & pœnis temporalibus non expiatur. Idem tradit expressiùs Lyranus ibidem, hæc enim habet: *Ex hoc autem considerandum est, quàm durè puniturus est Deus peccata gravia iniquorum, qui pœnâ mortis punivit leve peccatum sancti hominis.* Lyranus. Cassianus *collat. 7. cap. 26.* clarissimè tradit eandem doctrinam, ubi dicit, quòd inobedientiam *non de industriâ, nec vitio propriæ voluntatis, sed alterius circumventione contraxit*, quo satis clarè significat, eum mortalis peccati reum non fuisse; de tali enim dici non potest, quòd vitio propriæ voluntatis peccatum non contrahat. Ergo indicat, illam inobedientiam fuisse vel merè materialem, vel certè malitiam mortalem non contraxisse. Idipsum satis confirmat Cassianus ex eo, quod de pœnâ ejus mox subdit dicens. *In quo facto & solutionem delicti præsentis atque erroris incauti, & justitia merita, pro quibus Prophetam suum Dominus temporaliter tradidit vexatori, parcitas ipsa & continentia prædatoris ostendit.* Cassianus. Totum hoc tradit Cassianus inter exempla eorum, qui graviter in hac vitâ à Deo puniti sunt propter peccata levissima, & quæ vix peccata putantur. Legatur in antecedentibus & consequentibus, & manifestè apparebit, Cassianum censuisse Prophetam istum in hoc solùm venialiter peccasse.

7. Gregorius *lib. 4 dial. cap. 24.* de eadem re loquens satis apertè indicat, peccatum illud non fuisse mortale, hæc enim habet. *Ex quâ re ostenditur, quòd peccatum inobedientiæ in ipsâ morte fuerit laxatum, quia idem Leo quem viventem præsumpsit occidere, contingere non præsumpsit occisum &c. quia is, qui culpabilis in vitâ fuerat, punitâ inobedientiâ, erat jam justus ex morte. Leo ergo, qui priùs pec-* Gregorius.

catoris

catoris vitam necaverat, custodivit postmodum cadaver justi. Idem tradit Hugo Card. in locum illum Regum. Menochius in hunc locum hæc habet. *Plerique Authores Prophetam hunc à gravi culpâ liberant.* & paulò post. *Notant Procopius & Theodoretus quanta sanctorum corporum cura Deo sit, qui etiam Leonem custodem hic apposuit.* Abulensis & Caietanus in hunc locum expressè docent, Prophetam hunc venialiter tantùm in hoc peccasse. Idem docet Cornelius à Lapide *in cap. 19. Geneseos*, idemque repetit *in comment. super libros Regum*; additque exemplum Moysis, qui propter peccatum leve incredulitatis graviter punitus est à Deo. Idem est sensus tam Gasparis Sanctii, quàm Tirini in eundem locum, pro quâ sententiâ Tirinus præter Augustinum, Gregorium, & Cassianum, citat etiam Eucherium, & Angelomum. Et sanè cùm SS. Patres non loquantur de seriâ & gravi pœnitentiâ Prophetæ occisi, signum est, eos peccatum illud pœnâ corporali extinctum credidisse, non autem, per pœnitentiam in hac vitâ abolitam. At peccatum tantùm veniale perpessione pœnarum in præsenti, & pœnitentiâ in futurâ deletur; mortale enim non nisi per seriam, durante hac vitâ pœnitentiam condonatur. Præterea nemo immediatè post peccatum mortale est aptus ad pœnitentiam seriam. Quomodo ergo Propheta iste vel in ipso actu peccati; vel statim post aptus erat ad pœnitendum? Aut quomodo si eum in circumstantiis talibus pœnituisset, hoc ipsum siluissent tam sacra Scriptura, quàm Patres? certè etsi senex ille postea verè prophetaret, non propterea ex illius sermone multùm videtur motus fuisse Propheta, quia jam experimento didicerat, senem illum aut esse aut fuisse mendacem. Ergo non erat cur eum ampliùs ut Prophetam agnosceret; nec habebat undè sciret, eum potiùs antè quàm nunc mentitum esse. Præterea cùm conscius esset se bonâ fide processisse, non erat cur adeò sollicitus esset ad pœnitendum. Et sanè si ante mortem statim à senis prophetiâ pœnituisset Prophetam, jam ex tunc peccatum ejus deletum fuisset, adeóque Gregorius non dixisset: Leo qui priùs peccatoris *vitam necaverat, custodivit postmodùm cadaver justi.* nam Leo priùs sanctum necasset, deinde sancti cadaver custodivisset. Loquitur ergo Gregorius de peccato solùm veniali, quod in morte justorum semper remittitur quoad culpam, etsi in hac vitâ nullâ pœnitentiâ deleatur. Ecce quàm efficax argumentum hinc desumitur pro nostrâ communique sententiâ. Certè locus iste evincit, omnes dictos Patres & Authores gravissimos nobiscum sentire. His tamen non obstantibus, fateor Prophetæ probabilius visum esse Deum revocasse, quàm non revocasse suum præceptum; sed hoc solùm verum est de apparentiâ concomitante aut consequente affectum, & judicium de hâc Dei revocatione; nam si loquamur de apparentiâ antecedente omnem affectum & assensum, fieri non potuit, quin apparentia de non revocatione excederet apparentiam oppositam. Et sanè si rationalis apparentia de novo mandato fuisset major, quàm de mandato priore, Propheta potiùs peccasset non regrediendo quàm regrediendo ad vocem senis, convenit enim sequi potiorem ductum rationis, ut patet.

Hugo Cardinalis. Menochius. Procopius. Theodoretus. Abulensis. Caietanus. Cornelius à Lapide. Gaspar Sanctius. Tirinus. Eucherius Angelom.

Prophetam hunc ante mortem serò non pœnituisse credibile est.

8. Quæres? In quo ergo venialiter peccavit Propheta? Interpretes respondent eum peccasse in eo, quòd non obediverit, sed nimis facilè crediderit seni; debebat enim eum super hac re strictiùs examinare, & probationem aliquam exigere. Præterea debebat ad Deum recurrere, illumque orare ne permitteret se à falso Prophetâ decipi; quod si fecisset, veritatem detexisset, & Deum nullatenus offendisset. Ecce hac ratione veniali tantùm culpâ Propheta inductus est ad non obe-

Declaratur in quo Propheta peccavit.

 dicendum,

diendum, contra id quod Deus præceperat.

Solvuntur objectiones.

Objectio prima. 9. OBjicies 1. ex Mercoro *part. 2. art. 8. Proverb. 3. 27.* habetur definitiva sententia. *Qui amat periculum in illo peribit.* Proverb. 3. At qui sequitur opinionem minùs probabilem minúsque tutam sponte se conjicit in periculum peccati & offensæ divinæ. ergo perit in eo, quod amat; id est peccat, mortaliter quidem in re gravi, venialiter verò in re levi.

10. Huic alios S. paginæ textus adjungit Mercorus. Primò affert illud Deuteronomii 26. 16. *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc atque judicia, & custodias, & impleas, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ*; id est, inquit Mercorus, ex toto intellectu, & voluntate, seu quantum quisque hîc & nunc scit, & potest. At qui sequitur opinionem minùs probabilem, minúsque tutam, non facit quantum scit, & potest, ut custodiat divinum mandatum, ad hoc enim deberet sequi opinionem tutiorem & probabiliorem. Ergo qui sequitur opinionem minùs probabilem minúsque tutam, peccat contra hoc Dei præceptum, quo præscribitur modus servandi mandata divina. Deuteron. 26.

11. Secundò proponit illud Ecclesiastici 37. 20. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* quem textum Jansenius Gandavensis exponens dicit, Ecclesiasticum vocare *consilium stabile, quod firmis nititur rationibus; non enim omne verbum sequendum est, sed quod veritate fulcitur, & firmis rationibus.* At opinio minùs probabilis in concursu probabilioris ac tutioris neque est verbum verax, quia cognoscitur posse se aliter habere propter motiva urgentiora in oppositum, neque consilium stabile, cùm sit ratio infirmior motivo suadente partem tutiorem. Ergo qui sequitur opinionem minùs probabilem minúsque tutam operatur contra hunc textum, & peccat. Ecclesiasticus. Jansenius Gandavensis.

12. Tertiò ponderat illud Apost. 1. ad Thessalon. 5. 21. *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie malâ,* (non *mali* ut legit Mercorus) *abstinete vos.* Omnia probare est omnia discutere & examinare, ut exponunt S. Anselmus, Liranus, & S. Thomas. Unde subsumit. Quando opinio minùs probabilis est in concursu probabilioris, intellectus manet dubius. Ergo non licet quodcumque facere, sed probandum priùs est, quòd pars minùs probabilis sit bona; alioquin malum non bonum teneretur. Similiter quod proponitur per opinionem minùs probabilem minúsque tutam habet speciem mali; quia quantò magis opposita pars apparet vera, & præcepta, tantò magis ista apparet falsa, adeóque mala & vetita. Ergo abstinendum est à minùs probabili minúsque tuto juxta consilium Apostoli. Hæc Mercorus, qui ea ex Merendâ *de consilio* accepisse videtur, apud quem, inquit Mercorus, diligenti studio plus quàm centum loca sacræ Scripturæ ad mentem sanctorum Patrum explicantur ad hoc propositum. 1. ad Thessal.

13. His demum accedere possunt aliqua loca sacræ Scripturæ, quæ aliqui allegant ad ostendendum, quòd ad conscientiæ securitatem probabilitas non sufficiat, sed certitudo requiratur. Ea autem sunt istiusmodi. *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem* Matthæi 7. 13. *Abyssus abyssum invocat.* Psal. 41. 8. *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Proverb. 14. 12. Hæc omnia Fagnanus applicat sententiæ benignæ, quàm ideò putat potissimùm deservire *ad excusandas excusationes in peccatis.* Matthæus. Psalm. Proverb.

Resp. probabilitatem directam de absolutâ Responsio prima.

solutâ honestate objecti dupliciter fundare judicium evidens de honestate operationis, ut ostensum est *qu. 20. & 23.* Primò probabiliter credendo objectum esse licitum; secundò suspendendo judicium directum de absolutâ inhonestate objecti. Tunc enim, etsi honestas ejusdem absolutè & directè probabiliter non affirmetur, modò tamen dictæ honestatis probabilitas certò constet, in hoc ipso fundatur ultimum judicium evidens de honestate electionis uti pluribus ostensum est *à quæst. 19. usque ad 23. inclusivè* Hoc posito.

Probabilitas ideo excusat quia fundat certitudinem de honestate operationis.

14. Loca S. Scripturæ hîc allata non urgent; quia cùm nullum supersit dubium de inhonestate operationis, nullum periculum divinæ offensæ, sed sola veritas amatur; omniaque Dei præcepta nos obligantia ex totâ animâ certissimè servantur. Rursus consilium stabile, & verbum verax præcedit operationem; tale enim est ultimum conscientiæ dictamen evidens, per quod omnia probantur, & quod certò *bonum est tenetur,* absque ulla *specie malâ*, ut monet Apostolus. Demum hæc non est via lata, sed arcta, quæ certissimè ducit ad placendum Deo.

Unde sic operans habet, quidquid loca S. Scripturæ allata postulãt.

15. Resp. 2. ad argumentum adversariorum, quod est hujusmodi. *Hæc loca S. Scripturæ probant, operantem debere esse certum de honestate operis, ut excusetur à peccato, & non sufficere probabilitatem de eadem. ergo usus opinionis minùs tutæ minúsque probabilis est illicitus, & repugnat S. Scripturæ.* Resp. inquam, distinguo antecedens. Probant illum debere esse certum de honestate formali actûs interni, quem elicit; transeat antecedens; hæc enim habetur. Probant illum debere esse certum de honestate objectivâ, seu de absolutâ honestate operis secundùm se, negatur antecedens; alioquin tam possessor retinens rem quæ probabiliter spectat ad alium, quàm conjux reddens debitum, quando invaliditas matrimonii est probabilis, peccaret, quia nullam habent certitudinem de honestate operis secundùm se. Similiter peccaret religiosus superiori obtemperans, si res præcepta non esset certò honesta secundùm se; eademque de causâ omnes tam Thomistæ quàm Scotistæ peccarent in sua opinione liberante vel condemnante B. Virginem peccati originalis; quia nulla est certitudo aut de absolutâ honestate operis, aut de conformitate objecti crediti cum Dei revelatione. Nihilominùs certum est, talia opera, & talia judicia, etsi erronea, non esse peccata, quia certum est, volitionem, per quam talia objecta & judicia ponuntur, esse formaliter honestam. Jam hæc certa honestas formalis non aliundè refunditur, quàm à probabilitate honestatis in objecto materiali, ut sæpè dictum est. At eadem est ratio in omnibus aliis, modò sit probabile, objectum, in quod voluntas fertur, esse licitum, licèt illud sit minùs tutum. Atque hinc.

Responsio secunda.

Operans debet esse certus de honestate operationis, non de honestate operis secundum se.

16. Resp. 3. retorquendo argumentum contra adversarios. Inprimis nimis probat, quia probat nec majorem probabilitatem partis minùs tutæ, nec absolutam probabilitatem ejusdem absque probabilitate oppositi ad securitatem conscientiæ sufficere; quia in nullo horum casuum deest periculum aliquam Dei legem violandi, cùm nulla sit certitudo, nullum fundamentum stabile, quòd talia objecta sint licita; adsunt enim rationes aliquæ præcepto faventes, quæ omnem de opposito certitudinem impediunt. Quod si aliqui adversariorum negent, argumentum ritè retorqueri contra eos, eò quòd teneant nullam probabilitatem ad securitatem conscientiæ sufficere, fateor argumentum contra eos non retorqueri; sed evidenter hallucinantur & errant in suâ opinione, ut fusè demonstratum est *à quæst. 19. usque ad 23. inclusivè.*

Responsio tertia.

Retorquetur argumentum in adversarios.

17. Retorquetur 2. Quia loca hæc ab illis fovenda sunt in casibus jam proximè

Retorquetur iterum.

 citatis,

citatis, aliiſque ejuſmodi innumeris. Quidquid enim reſponderint, id evidenter apparebit eſſe univerſale pro omni caſu probabilitatis. Nam ſive ad principia ſynderesis directa, ſive reflexa recurrant, numquam probabunt, abſolutam honeſtatem objecti materialis eſſe certam; neque aliâ ratione certitudinem de honeſtate formali electionis invenient, quàm per principium aliquod reflexum omni probabilitati æquè conveniens.

Deus eſſet pronior ad rigorem quàm ad ſolamen, ſi probabilitas non excuſaret ſectantes partē minus tutam.

18. Porrò ſola probabilitas frequentiſſimè inducit obligationem faciendi & credendi, quæ Deus numquam præcepit aut dixit, uti videre eſt, quando Parentes filios, aut Parochi ex ignorantiâ vel malitiâ plebem falſa docent. Unde ſic arguo: ſicut neceſſe eſt, ſolam probabilitatem extrinſecam ſæpè inducere obligationem exiſtimandi inhoneſtum, quod eſt honeſtum, & è contra; item abſtinendi ab honeſto, & ponendi inhoneſtum, modò præter, modò contra voluntatem Dei per ſe obligantem; ita congruum omninò fuit, & ex naturâ rei moraliter neceſſarium, ut probabilitas de carentiâ præcepti ab ejus onere nos excuſaret; alioquin rigor divinæ juſtitiæ ſtrictior eſſet ad onus aggravandum, & nos obligandos contra rei veritatem, & ultra intentum divinæ providentiæ per ſe ſtatuentis de mediis ſalutis, quàm ſuavitas divinæ miſericordiæ ad aliquid per accidens remittendum de ſeveritate ſui oneris, quando pares circumſtantiæ æqualiter faverent libertati, ac priores illæ eandem onerabant in favorem præcepti à Deo numquam poſiti, aut intenti. At ſequela abſurda eſt; juſta enim eſſe debet onerum & favorum diſtributio, & æqua ſpes ſublevandi, ac aggravandi onus inductum ex imbecillitate ac fallibilitate noſtri diſcurſûs, & judicii de divinis præceptis. Immò ſi alicubi debeat eſſe diverſitas, exceſſus tribuendus eſt miſericordiæ, & benignitati; quia *onus Dei leve eſt*, & *miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus.* Sed hactenus in generali reſponſum eſt; ſupereſt ut ſingula loca hactenus allata ſigillatim examinentur.

Mercator utitur ſacrâ Scripturâ contra genuinum ejus ſenſum.

19. Inprimis locus ille Eccleſiaſtici 3. ita ſe habet: *Cor durum habebit malè in noviſſimo: & qui amat periculum in illo peribit.* Hic locus non eſt ad rem, quia ut optimè obſervat S. Antoninus p. 1. tit. 3. c. 10. ſermo ad litteram eſt de homine duri cordis, de quo prædicitur, quòd in noviſſimo malè habiturus ſit; quodque quia contemnit periculum æternæ damnationis connexum cum ſtatu peccati mortalis, in quo ob duritiam cordis voluntariè perſeverat, tandem periturus ſit, & damnandus. At quid hoc ad caſum præſentem? Deinde cum quavis omiſſione conſiliorum aliquod peculiare periculum formaliter peccandi per ſe connectitur, ut patet; nec tamen, qui conſilium illud ſponte omittit, peccat, ut eſt in confeſſo apud omnes. Nec mirum: Theologi enim communiter docent, voluntariam periculi tantùm proximi incurſionem eſſe peccaminoſam. Periculum autem proximum peccandi illud eſt, ad quod ex morali neceſſitate ſequitur peccatum, cujus eſt periculum. Et quidem ſermo eſt de periculo peccati formalis, & certæ tranſgreſſionis contra legem certam certò obligantem.

Non omne periculum peccati voluntariè ſuſceptum eſt peccatum.

20. Unde ad argumentum diſtinguitur aſſumptum. Qui amat periculum proximum peccati formalis, non dubiè ſed certò talis, in illo peribit, imò perit; concedo aſſumptum: qui amat periculum non proximum peccati formalis, & multò magis periculum non proximum peccati materialis peccat, nego aſſumptum. Porrò in caſu noſtro, nullum eſt periculum niſi peccati materialis, ut conſtat, tum quia nulla lex vetans talem actionem ſufficienter promulgata eſt, tum ob alias rationes *quæſt. 23.* expenſas. Præterea periculum hoc peccati materialis non eſt proximum, quia probabile

Adversarii ipsi tenentur respondere sicut nos respondemus.

babile est, quòd nulla ejusmodi lex existat; periculum autem proximum in eo situm est, quòd spem probabilem de non futuritione peccati imminentis non relinquat. Demum ipsi Adversarii hanc ipsam responsionem adhibere tenentur tam in casu majoris probabilitatis, faventis parti minùs tutæ, quàm in casu possessoris retinentis rem dubiam, in subdito obediente contra apparentiam probabilem, & probabiliorem de prohibitione rei præceptæ, aliisque ejusmodi innumeris.

21. Præterea S. Antoninus *parte 1. tit. 3. c. 10. §. 10.* dicit locum hunc intelligi debere de dubio propriè dicto, & non de formidine conjunctâ cum opinione probabili; qui enim probabiliter credit aliquid esse licitum, non dubitat, nec periculo se exponit.

Malderus etiam agens de hac ipsa materiâ asserit eos, qui nimis strictè & scrupulosè interpretantur hunc locum, incidere in periculum contradicendi duobus aliis locis sacræ Scripturæ, nempè Ecclesiastis *7. vers. 17. Noli esse justus multum: neque plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* Item *cap. 11. ver. 4. Qui observat ventum non seminat, & qui considerat nubes numquam metet.* Si enim quis esse possit nimium justus & sapiens, atque excessus justitiæ nimis exactè observatæ, & sapientiæ nimis avidè & scrupulosè investigatæ degenerare possit in stupiditatem, hoc vel tunc evenit, quando res nimis scrupulosè examinantur, & homo nil audet in opus reducere, de quo certus non est, quod ab omni specie mali sit remotum. Nam si probabilitas non sufficeret, ubique hæreret anxius, ideóque timendum esset, ne qui nimis justus & sapiens vellet esse, tandem obstupesceret. Similiter qui in rebus moralibus probabilitate non est contentus, sed in omnibus quærit certitudinem, nil fermè potest agere, sed cogitur innumera omittere, quæ tamen prudentes & probi reputant licita; atque ita se in summas angustias conjicit, sicut raro aut numquam tempestivè seminat, & metit, qui tales actiones aggredi non audet, nisi de opportunitate ventorum, & aëris serenitate sit certus. Adde, argumentum ex hoc textu desumptum à Sylvestro; S. Antonino, Joanne Nyder, aliisque antiquis *qu. 22.* citatis perpensum fuisse & rejectum ut futile & nil ad rem faciens. Et tamen potissimum adversariorum fundamentum in hoc textu situm est; qui proinde in debili ac diruto fundamento sententiæ suæ fabricam erigunt. Sed & hoc hic obiter notandum est, Mercorum ita tum hic tum alibi impugnare sententiam benignam, quasi nos supponeremus, honestatem objecti, assertam per opinionem directè minùs probabilem, semper manere minùs probabilem, cùm tamen nos in hoc sensu non loquamur, sed efficaciter probemus illam ex argumentis reflexis evadere longè probabiliorem ejusdem inhonestate; atque ideò dicamus, usum talis sententiæ esse licitum.

22. Ad illud Deuteronimii 26. *Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, ut facias mandata hæc atque judicia, & custodias, & impleas ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ,* respondeo, sermonem ibi esse de præcepto aliquo certo, & modo illud servandi. At quid hoc conducat ad præsentem quæstionem non apparet? Tenemur omnes ad plenè servanda omnia indubitata Dei præcepta, idque ex toto corde. At quòd eodem modo teneamur nos gerere, quando non constat, præceptum urgere, immò quando prudenter credimus, nullum ejusmodi præceptum existere, hoc & nos gravibus rationibus adducti negamus, & ipse Mercorus, aliique omnes in exemplis innumeris tenentur idipsum fateri. Jam verò quod dicit, sequentem opinionem minùs probabilem minúsque tutam non facere quantum scit, & potest ad servandum mandatum Dei, adeóque non servare illud ex totâ animâ, nego

Mercorus arguit à præcepto certo, ad dubium.

In certis tenemur Deo obedire, non semper in incertis.

nego quod non faciat quantum scit & potest ad servanda omnia mandata tam directa quàm reflexa certò obligantia: fateor autem quod non faciat quantum scit & potest ad conformandum se præcepto alicui, quod probabiliter non existit, quia ad hoc non tenetur, & imprudenter ageret, si absolutè crederet se ad illius observantiam non aliter teneri, quàm si esset præceptum certum. Hoc omnes in allatis casibus ultrò fatentur. Eadem autem est ratio de reliquis omnibus.

Genuinus sensus hujus textûs favet nobis.

23. Ad illum locum Ecclesiastici 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile*, dico eum ad rem non facere; nam communis interpretatio illius (uti videre est apud Cornelium à Lapide) eò collimat, ut nemo quidquam aggrediatur nisi post consilium vel à sacrâ Scripturâ, vel à prudentibus, vel ab aliquo axiomate certò, vel à proprio discursu per rationes non temerè excogitatas desumptum. Jam hæc omnia in usu opinionis minùs probabilis minúsque tutæ locum habent; nam sequens opinionem minùs probabilem, post maturam deliberationem prudentum dictis, & solido discursui ex axiomatibus indubitatis deducto se conformat. Præterea ex his consurgit ultimum judicium practicum evidens & certum. Cæterùm Cornelius ibidem affert Jansenii interpretationẽ, quam Mercorus sequitur, quæ bona est; sed in usu opinionis minùs probabilis invenitur, semper enim per principia reflexa manifestum est, nullum esse periculum erroris circa honestatem formalem operationis, etsi aliquod dubium sit de honestate objectivâ secundùm se. Verùm hoc secundum non tollit consilium stabile à corde, aut verbum verax ab ore, ut omnes fatentur in exemplis allatis, & per se manifestum est.

Locus hic Apostoli nobis non contrariatur.

24. Jam verò in *primâ ad Thessalon. cap. 5.* Apostolus, dum dicit, *omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie malâ abstinete vos*, agit de Prophetiis, quæ tunc vigebant in Ecclesiâ, & hortatur Thessalonicenses, ut omnia discutiant, & ea solùm admittant, quæ sacræ Scripturæ, ac rectæ rationi consentiunt. Videantur Cornelius, & Justinianus, qui diffusè satis locum hunc exponunt. At quid hoc ad rem nostram? Sed esto sermo sit de omnibus; omnia ergo probanda sunt, antequam fiant, id est omnia dubia, quia illa sola indigent probatione: sed nego, quod sæpè falsò supponit Mercorus, rem probabilem esse dubiam; jam enim prudenter & probabiliter deciditur, & ante talem decisionem & probationem non convenit operari. At illâ positâ, operatio illi conformis prudens est. Porrò illud etiam ultimum. *Ab omni specie malâ abstinete vos*, intelligitur de rebus ad puritatem fidei spectantibus, ut apud citatos Interpretes videre est. Sed esto; sumatur de omnibus omninò, illud erit consilium non præceptum; nam possessor rei, de qua dubium est ad quem spectat, altero petente & exigente illam ut suam, non tenetur illam dare, aut dividere; nec per pactum convenire &c. quod tamen si ageret, *ab omni specie malâ* abstineret. Idem valet in aliis exemplis innumeris. Itaque hoc Apostoli effatum, si sermo sit de honestate objectivâ non est præceptum, sed ad summum est consilium; si verò loquatur de honestate formali, nulla difficultas est, nam illa in usu opinionis minùs probabilis minúsque tutæ invenitur.

Etsi sumatur extensivè in omni rigore continet merè consilium.

Loca à Jansenistis allata perperam objiciuntur, extra sensum à Deo intentum.

25. Ad loca illa à nonnemine coacervata, scilicet, *Arcta est via, quæ ducit ad vitam. Intrate per angustam portam. Abyssus abyssum invocat. Est via quæ videtur homini recta; novissima autem ejus deducunt ad infernum.* dico illa magnâ ex parte desumpta esse à Jansenistis, qui similia jactant. Verùm ista coram vetulis & rudibus declamari possunt, non tamen movere Theologum, nisi fortè ad risum, vel compassionem. Inprimis afferant

afferant ullum ex SS. Patribus, aut seriis Interpretibus, qui loca hæc ita interpretetur, ut per illa usus opinionis directè minùs probabilis intelligatur interdici; quod nî præstiterint, illorum interpretationi nemo prudens stabit. At certum est, quòd talem interpretationem apud SS. Patres, aut serios Interpretes non invenient. Jam ergo dicimus, viam salutis, stante probabilitatum usu, arctam esse, difficilem, & sensui repugnantem, cùm lata sit, quæ ducit ad perditionem; eò quòd sensualitas omnibus placeat; & plurimi contra manifesta Dei præcepta sensibilibus inhiant; atque ita quasi per viam verè latam, & capientem multos, ad perditionem tendant. Hæc non conveniunt nostræ sententiæ, ut patet. Jam verò applicare istiusmodi interpretationem contra Orthodoxos scriptores, qui unanimiter docent, usum opinionis directè minùs probabilis minúsque tutæ esse licitum, quid aliud est, quàm abuti sacrâ paginâ per interpretationes à sensu litterali alienas, & horribilem, ac non ferendam censuram, non solùm contra immerentes, sed contra doctiores & sanctiores se ipsis inferre? Coronare porrò hanc ipsam censuram, & illis sacræ paginæ locis, *Abyssus abyssum invocat; intrate per angustam portam. Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem*, quasi salibus condire, ut modestè loquar, est res homine docto & serio scriptore indigna. Putida enim sunt, & futilia ejusmodi argumenta, cum nullâ probabili interpretatione fulciri possint, ut sententiam nostram impetant. Neque enim nos *quærimus excusationes in peccatis*, sed solidè docemus, quæ actio sit, quæ non sit peccaminosa. Sed peto ab adversariis, an via vitæ non esset arcta ab initio Ecclesiæ, quando præter fidem & observationem Decalogi, ac dignam Sacramentorum susceptionem nulla præcepta urgebant? Utique dicent, erat arcta. Sed peto iterum, utrum qui nunc nihil ageret, nisi quod esset ad minimum certò probabile; & juxta laxiorem viam inter certò probabilia incederet, peto, inquam, an iste, non tam rigidè, imò longè rigidiùs viveret, quàm vivere obligarentur fideles in primitivâ Ecclesiâ? Indubitanter via operandi nunc certò probabilis, longè arctior est, quàm tunc erat via sub præcepto necessaria. ergo Casuistæ non effecerût, ut via illa arcta ullatenus laxata fuerit.

Via probabilitatum est via arcta, & strictior lege Evangelicâ, quàm Christus arctam appellavit.

26. Quòd verò ad verba illa *Proverbiorum 14. Est via &c.* attinet, illa aliqua ratione (non dico in sensu à Spiritu sancto intento, & per Salamonem expresso) sententiæ rigidæ non incongruè applicantur; nam doctrina illa quibusdam videtur via, seu regula justa, per quam homines omnes tenentur incedere; verùm illa, si accipiatur ut regula obligans, adeò arctat viam salutis, ut novissima illius plures ad mortem animæ deductura sint. omnes enim in omnibus ad strictiores sententias tenerentur, quod est onus intolerabile. Nec tamen hoc dico arguendo ab hoc textu tanquam ab authoritate; nam communis Interpretum explicatio longè alia est; nam sermo procedit de homine carnali passionibus dedito, cui via per quam graditur justa apparet, & sibi suæque propensioni valdè conveniens. Verùm talis via ducit ad mortem. Deinde locus ille applicari potest hæretico, Mahumetano, Idololatræ &c. his enim viæ suæ videntur rectæ; sed ducunt ad mortem. Similiter applicari potest viro, qui impiorum ac imprudentium consilia exquirunt, ut suam possint palliare malitiam. Verùm hæc contra Authores benignæ aut rigidæ sententiæ locum non habent.

Locus Proverb. in adversarios retorquetur.

Solvuntur objectiones ab exemplis S. Scripturæ petitæ.

27. Objicies 2. Certum est, Adam & Evam peccasse edendo pomum vetitum. At habebant probabilitatem, se non

Objectio secunda.

non mortaliter peccaturos per esum illum. ergo probabilitas non excusat. Probatur minor multipliciter: inprimis lex illa *Gen.* 2. *In quacumque die comederis ex eo morte morieris*, videtur fuisse præceptum pœnale. At probabile est, legem pœnalem non obligare nisi ad culpam civilem, etsi pœna capitalis per eam statuatur; ut docet Valentia *t. 2. disp. 7. quæst. puncto 6.* Pro eadem sententiâ citatur Navarrus in *Manuali, cap. 23. n. 55.* & Lessius *de justitiâ lib. 2. cap. 33. dub. 8.* Ergo probabile erat, legem illam non obligasse primos parentes nisi civiliter. Ita Mercorus. *p. 2. art. 19.*

Genesis 2.

Probabilitas mortis non incurrēdæ Evam non excusavit.

Nec dicas, inquit, ipsos graviter peccasse theologicè, quia propter esum pomi contempserunt pœnam mortis, quam ex jure naturæ vitare tenebantur; nam Eva, quæ prior peccavit, probabiliter existimavit, se propter esum pomi non morituram, ut præclarè observat August. in commentario dicti loci, ubi de Evâ hæc habet: *Non credens posse inde se mori, arbitror, quod putaverit Deum alicujus significationis causâ dixisse, si manducaveritis morte moriemini.* & paulò inferiùs. *Maximâ libertate habenas prohibitionis rumpere delectata, probabiliùs existimans non esse mortem, quam timuerat, secuturam.* Addo ego, idem rationabiliùs dici posse de Adamo, qui priusquàm ederet, viderat Evam post esum adhuc vivâ, & incolumem.

August.

28. Secundò. Plures Authores asserunt, Deum non posse aliquid leve sub culpâ gravi præcipere. ergo probabile erat, primos Parentes in dicto esu non graviter peccaturos propter materiæ parvitatem.

Sed nec Adamū, cui multis de causis probare conatur Mercorus fuisse probabile, se non peccare edēdo pomum vetitum.

29. Tertiò lex illa & pœnalis erat, & à jure communi exorbitans, cùm propter esum pomi mortem intentaret. At probabile est, legem pœnalem à jure communi exorbitantem non extendi ad personas in eâ non nominatas, ut pluribus docet Carena *tit. 13. parag. 2. p. 2.* Ergo cùm Eva in illâ nominata non fuerat (lata enim fuit pro Adamo, antequam Eva crearetur) probabile erat, Evam in illâ non fuisse inclusam. Porrò has probabilitates primos Parentes non latuisse ex eo constat, quod mirâ ingenii perspicacitate pollerent, perfectamque scientiam à Deo infusam accepissent. At hæ probabilitates eos non excusarunt. Ergo probabilitas nos non excusat, si sectemur partem minùs tutam. Ita Mercorus.

Resp. primos Parentes & mirâ ingenii perspicacitate atque scientiâ divinitùs infusâ polluisse; illosque proinde probè novisse legem illam pœnalem à Deo sibi impositam obligasse in conscientiâ. Imò illud fide divinâ credebant; idque clariùs quàm nos credamus leges Dei hac ratione nos obligare. Præterea non est credibile, eos nescivisse se mortis fore reos, si præceptum Dei transgrederentur; hoc enim cùm rudioribus inter fideles sit notum, & quasi primum fidei principium, quomodo illud primis Parentibus ignotum esse potuit? Quâ ergo ratione oppositum illis esse potuerit probabile non video. Imò miror quomodo Mercorus existimare potuerit, illud ipsis probabile fuisse. Anne ideò, quia nostrûm aliqui in tenebris nati, & irremediabili ignorantiæ telo vulnerati probabiliter judicant, leges pœnales ab homine latas non obligare in conscientiâ, (quod tamen & in se falsum est, & qui hoc docent, cum multis limitationibus loquuntur, sermonemque expressè ad leges purè humanas & civiles restringunt) ideò illi, qui has veritates optimè callebant, & integri adhuc absque ullo naturæ humanæ vulnere Deum Doctorem habuerant, hæc ipsa certè non cognovisse credendum est? Quid dico hæc ipsa? An putas eos ignorasse, præceptum à Deo immediatè latum non obligasse in conscientiâ? quid, quæso, illo statu indignius excogitari potest?

Responsio.

Non erat probabile primis Parentibus, se non peccare edendo pomum vetitum.

30. Sed neque minùs fructuosè laborat Mercorus in solutione objectionis contendentis

Peccabant etiam contemnendo mortem ex esu illo imminentem.

dentis primos Parentes peccasse ex voluntario mortis contemptu, cujus periculum contra jus naturæ absque ullâ necessitate incurrerunt. Objectio enim efficacissimè ostendit, eos peccati theologici conscios fuisse, nec ullam potuisse habere probabilitatem de opposito. Nec obstat Augustinus, quem citat; nam illa propositio, *probabilius existimans mortem &c. non esse secuturam*, alium sensum habet, si vox *probabilius* sumatur adverbialiter, alium si sumatur quasi substantivè. Si sumatur adverbialiter, sensus esse potest duplex; primus, quòd nunquam, secundus, quòd saltem non statim mors corporalis ob esum illius pomi immineret. Propositio in primo sensu erat falsa, & illis improbabilis; cùm absque hæresi formali elici ab illis non potuerit, Deus enim expressè illis revelaverat, quòd si comederent, morerentur. At nulla ratio contra motiva fidei esse possunt probabilia; alioquin fides certa non esset. In secundò sensu propositio erat vera, & fortassè rationibus probabilioribus credi ab Evâ potuit. Neque in alio sensu intelligi debet Augustinus, si vox illa *probabilius* adverbialiter sumatur. Quòd si sumatur substantivè, sensus esse potest, quòd Eva judicaret hanc propositionem, *mors propter esum pomi numquam adveniet*: aut hanc, *mors propter esum illum statim non adveniet*, esse probabiliorem oppositâ, utrumque hoc judicium esse potuit temerarium, & improbabile; & primum quidem continebat formalem hæresim, eratque omninò improbabile; secundum verò fortassè poterat esse probabile; quale si certò fuisset, Eva illud eliciendo non peccasset. At si elicuerit primum judicium, peccavit contra fidem, & improbabilissimè judicavit, præferendo vocem serpentis & humanas rationes authoritati Dei, sufficienter revelantis oppositum. Ecce objectio valida est, nec solvitur à Mercoro, nec à quoquam solvi potest. Cæterùm quomodocumque Eva

Augustinus interpretatur.

Non erat Evæ probabile, se numquam morituram si ederet, &c.

Poterat illi esse probabile, se statim ab esu non morituram.

dicatur *probabilius judicasse mortem non statim secuturam*, nullatenus admitti potest, quòd probabiliter judicarit se à peccati reatu fore immunem, etsi de pomo vetito comederet; quia expressum Dei mandatum de contrario omnem talem probabilitatem manifestè excludebat.

31. Ad 2. dico, neminem docere, Deum non posse rem in se levem, parvique momenti & facilè observabilem sub gravi obligatione prohibere; constat enim Deum sæpè talia præcepisse; qualia plurima sunt in lege Moysis de esu agni paschalis, aliisque, quæ gravi obligatione omnium conscientiam onerabant. Et licet aliqui invincibiliter decepti id docuissent, primi tamen Parentes optimè norant oppositum esse certissimum. Quòd autem Authores docent, verum est, scilicet non omnia, quæ de facto prohibentur, stante debilitate naturæ nostræ, posse graviter prohiberi; eo ipso enim quòd graviter prohiberentur, nemo posset gratiam conservare; quia sicut de facto necessariò labimur in venialia, ita tunc necessariò in mortalia caderemus, & gratiam amitteremus, quod sine dubio falsum est, & absurdum. Nemo enim, quod sciam, negat Deum posse quodvis, etiam minimum, sub mortali prohibere, modò det vires proportionales ad facilè resistendum omni tentationi contra illud. Evidens enim est Deum, utpotè supremum Dominum, exigere posse à nobis quodvis obsequium sub pœnâ suæ indignationis, modò nil nobis desit, quod ad illud obsequium facilè præstandum requiritur.

Non est probabile Deum non posse levissima quæque graviter præcipere; quàndo illa sunt observatu facilia.

Secus dicendum si illa sint moraliter inobservabilia.

32. Atque hinc ad tertium eadem responsio danda est; nam in legibus tantum humanis sententia Carenæ locum habet: in legibus autem divinis, quæ universales sunt, & pro toto reipublicæ corpore deserviunt, locum non habet, quia Deus leges ejusmodi æquè pro omnibus condit, suamque voluntatem omnibus sufficienter intimat.

Sententia Carenæ solum habet locum in legibus humanis.

Quòd si lex pro uno aut aliquibus determinatis à Deo feratur, id à Deo sufficienter exprimitur, ut de ejus mente dubium esse non possit. Quod si dubium aliquod prudens & probabile, aut de substantia, aut de extensione legis divinæ oriatur, eo ipso lex non est sufficienter promulgata, & non obligat, quia ratio dubitandi, quod obligatio urgeat, prudenter deponi potest. Cæterùm modus arguendi, quo Mercorus utitur, evidenter fallax est; nam esto ab initio lex illa soli Adæ facta sit, quia tunc solus Adam poterat legem accipere, tamen vel facta illi fuit, ut ille eandem alios doceret, quam & docuit, vel Deus ipse eandem Evæ intimavit, cum sacra Scripturâ teste, & Eva se illâ lege adstrictam intellexerit; & serpens ipse quæstionem de Evæ exemptione non ausus sit movere. Legatur tertium caput Genesis, ubi primo loco habetur illud serpentis; *cur præcepit vobis* (in plurali loquitur) *Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* Deinde responsum Evæ subditur: *De fructu ligni, quod est in medio paradisi, præcepit nobis* (idest Adamo, & mihi) *Deus ne comederemus. &c.* Ecce & Eva se obligatam fatetur, & diabolus nullam, quasi non obligaretur, excusationem attulit. Judicet nunc, qui velit, quâ probabilitate à Mercoro dictum sit, Adamo & Evæ probabile fuisse se in conscientiâ obligatos non fuisse ad non edendum pomum vetitum. Miror certè quomodo vir tanti ingenii & eruditionis persuadere sibi potuerit, primos Parentes talem probabilitatem habuisse.

Certum erat Evæ legem non edendi de pomo illo ad se quoque extendi.

Diabolus ipse hoc negare nô est ausus.

Objectio tertia.

Mercorus contendit, Saüli probabile fuisse se non peccasse parcendo Agag &c.

33. Objicies 3. cum Mercoro ibidem exemplum Saülis, qui, ut refertur 1. Regum cap. 15. prævaricatus est præceptum Dei, & non delevit omnem substantiam Amalec, sed melioribus armentis & gregibus pepercit, atque Agag regem vivum secum duxit. In hoc casu, inquit Mercorus, Saül probabiliter putabat, se sermonem Dei implevisse. Peccavit tamen. ergo probabilitas non excusat à peccato. Probatur antecedens. Inprimis quòd putabat se legem Dei implevisse constat ex verbis, quibus se à Samuele objurgatum excusat. *Imò audivi vocem Domini, & ambulavi in viâ, per quam misit me Dominus, & adduxi regem Amalec, & Amalec interfeci. Tulit autem de prædâ populus oves & boves. &c. ut immolet Domino &c.* Quod autem illud judicium fundamento probabili nixum fuerit, probatur, quia hoc præceptum solùm prohibebat ea, quæ mala erant quia prohibita. At ejusmodi præceptum solet benigniorem interpretationem admittere. Jam Saul aliquam rationem probabilem habuit ad credendum, hanc Dei legem non fuisse ita universalem, ut limitationem aliquam probabiliter non admitteret. Inprimis enim Saul electus erat à Deo Minister totalis illius Amalecitarum exterminii, quod Deus Exodi 17. decreverat, dicens, *delebo memoriam Amalec de sub cælo.* Neque enim credibile est, hoc Samuelis præceptum aliò respexisse, quàm ad exterminium à Moyse prædictum. Jam vox antiqua hæbraica Xecher, quæ vertitur *memoria* si legatur cum vocali *e*, legi potest cum vocali *a* & efferri debet *Zacar*; quæ vox significat *masculum*. Quocirca cùm hæbraica illa vox absque vocalibus exarata fuerit, æquè probabile erat, quòd significaret *masculum*, ac *memoriam*. Ergo probabile erat, Saülem delendo masculos præceptum Dei implevisse. Secundò hæc probabilitas aliis congruentiis fulciri potest. Imprimis congruum erat, Agag vivum ad gloriam triumphi adducere; eumque, si opus erat, transacto triumpho, interficere. Armenta & pecora meliora in sacrificia abduci expediebat. Porrò vasa, vestes, & alia pretiosa militibus pro stipendio dari honestum videri poterat. Ecce Saul non parvam probabilitatem habuit, quòd non transgrederetur præceptum Dei; quo non obstante, verè peccavit.

Resp.

Responsio. Resp. Mercorum satis ingeniosè ostendere, quomodo Saul discurrere debuisset, si conatum adhibuisset ad aliquam probabilem rationem inveniendam, ut crederet, se Agag regi, armentis, & optimis rebus Amalecitarum licitè parcere potuisse, quam certè, si invenisset, illique se conformasset, vitasset peccatum. Sed quomodo, quæso, probat, Saülem bello intentum talem discursum præmisisse? An tunc temporis, cum omnia è vivâ Samüelis Prophetæ voce & habuit & habere poterat, credendum est, eum sollicitum fuisse ut locus ille Exodi criticè examinaretur? Hoc nemini persuadebit Mercorus. Sed quid? esto vox illa hæbraica absque vocalibus conscripta fuerit (esto, inquam, nec enim certum est, quomodo à Moyse scripti fuerint libri, an cum an sine vocalibus; qui tamen libri à Moyse scripti tunc temporis exstabant; nam scriptio hæbraïca antiqua, quæ ad nos pervenit, ab Esdrâ inventa est) similiter esto legi potuerit per *a* vel per *e*. An propterea Samuel Saulem alloquens, elocutionem æquè ancipitem exercuit? nonne ipsa Prophetæ vox determinatum sonum habuit, qui non *masculum* sed *memoriam* significabat? Quid ergo refert, vocem in codice fuisse æquivocam, quando per Prophetam, Dei nomine, in uno determinato sensu proponitur, & explicatur? certè voluntas Dei tam clarè à Samuele proposita fuit, ut nulla prudens ratio dubitandi de ejus sensu esse potuerit. Saüli enim dixit Propheta nomine Dei. *Vade percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem, & ovem, camelum, & asinum.* 1. Reg. 15. Quid clariùs dici poterat? Præterea, etsi scriptio hebraïca antiqua concedatur fuisse ex se æquivoca, illa tamen certum & indubitatum sensum habebat, prout subjacebat traditioni conservatæ apud sacerdotes & levitas, ad quos tam lectio quàm interpretatio legis spectabat; & Samuel in hoc sensu claro & aperto Dei voluntatem Saüli exposuerat. Nec dicas cum Mercoro, verba illa, *non concupiscas ex rebus ipsius aliquid*, expuncta sunt obelo, quod signum est, ea in textu hebraico non inveniri; nam quid tum? Nonne reliqua verba sine illis adhuc clarissimè voluntatem Dei insinuant? Præterea cùm verba illa in editione vulgatâ extent, peto à Mercoro, an probabile sit, aut ea, aut alia illis æquivalentia Sauli non fuisse prolata? Nonne Deus curam habet, ut quæ verè gesta fuerunt, per lectionem vulgatam, quæ summæ authoritatis est, certissimè tradantur? Rursus peto, utrum Reverendissimus Pater Julius Mercorus, religiósissimus & zelantissimus fidei Inquisitor coram suo tribunali ut probabile, & nullâ dignum censurâ dictum aliquod admitteret, cujus contrarium tanquam expresè gestum traditur in editione vulgatâ, eò quòd particula factum illud exprimens in lectione veteri hæbraïcâ expresè non reperiatur? Non sum, qui id credam; & si crederem, viro verè Reverendissimo injurius essem. Quod ergo responsum ipse Judex non admitteret ut probabile, dignabitur boni consulere, si à nobis respuatur ut improbabile, quando ab ipso ut Parte in proprium favorem affertur.

Non fuit probabile Saüli se nō transgressū esse Dei mādatum.

34. Verùm dices; nonne Saül seipsum excusavit dicens. *Immò audivi vocem Domini? &c.* quomodo ergo non judicabat, se observasse legem sibi à Deo impositam? Replica.

Solutio. Resp. Saülem vel temerè & vincibiliter, non probabiliter ita judicasse, vel certè in hoc ipso mentitum fuisse, modò per ea verba supponatur voluisse se excusare (uti supponi debet, ut argumentum Mercori locum habeat) & justificare, quasi totam Dei legem adæquatè implevisset. Moveor ad ita dicendum, quia constat ex antecedentibus, legem Dei fuisse illi sufficientissimè

Saul dum se excusavit Samueli vel mentitus est; vel temerè & vincibiliter sic judicavit.

 intimatam,

intimatam, quam cùm in parte tantùm se implesse ipsi nimis manifestum esset, non potuit nisi temerè, culpabiliter, & imprudenter judicare, se totam per integram obedientiam observasse; sed neque aliter potuit hoc ipsum judicare, quàm existimando, divinam legem ad hæc & illa non extendi cum tanto rigore &c. At hoc ipsum probabiliter judicare non poterat, ut ostensum est. Ergo temerè tantùm ita judicabat. Quòd si non ita judicabat, necessariò mentitus est dicens, se totalem obedientiam præstitisse, cùm sciret, se partem tantùm rerum jussarum executioni mandasse. Jam verò quodcumque horum dixeris, nil habes quod faveat Mercoro. Et sanè si loquamur de totali mandati divini observatione, Saul ipse, probè norat se illam non adimplesse, nam tandem & peccatum confessus est, & causam peccati detexit. 1. *Regum cap. 15. versu 24.* Samueli dicens: *Peccavi, quia prævaricatus sum sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum.* Ecce Saul conscius erat se armenta, & pecora, atque meliora quæque ex timore populi contra expressum Dei sermonem servasse, & hoc, Spiritu sancto teste, certissimum est. Quomodo ergo probabile est, illum, dum hæc ageret, probabiliter judicasse, se nil contra Dei legem operari? Est ne probabile, illum simul duo judicia sibi contradictoria elicuisse?

Saül optimè sciebat, se divinum mandatum transgredi.

35. Jam stante hac certitudine de qualitate divinæ legis Saüli à Samuele propositæ, manifestum illi erat, se à peccato excusari non potuisse propter illa annexa de gloriâ triumphi, sacrificiisque Deo offerendis &c. quia constabat illa contra Dei voluntatem fieri. Videat Lector hæc, & judicet utrùm exempla hæc à Mercoro allata vim habeant ad intentum ipsius non dico convincendum, sed ullatenus rationabiliter probandum intentum. Nam certissimum mihi est, hos homines nullam probabilitatem habere potuisse, se non transgressuros divinam legem, si operarentur, ut operati sunt.

36. Objicit 4. Mercorus exemplum Roboam, & arguit sic. Roboam rogatus à subditis, ut aliquid de gravi tributorum onere remitteret, meritò reprehenditur, quia relicto seniorum consilio, dura populo jam irritato juxta juvenum consilium responderit. Inde enim factum est, ut decem tribus statim ejus imperium rejicerent, aliumque sibi regem eligerent. At non est credibile illud juvenum consilium aliquam probabilitatem non habuisse, cùm plures in illud consenserint, & quidem maturæ ætatis; non enim dicti sunt juvenes, quasi essent parvæ ætatis, nutriti enim fuerant cum Roboam, qui erat annorum 41. cùm regnare cœpit. Dicti ergo sunt juvenes non propter ætatem, sed propter consilium, uti Lyranus observat. Ecce minor probabilitas in negotio regni temporalis non impedit, quominùs sequens illam, majore probabilitate rejectâ, dignus sit reprehensione. Ergo multò magis qui in negotio animæ & regni cælestis sectatur opinionem minùs probabilem, probabiliore relictâ, dignus est reprehensione. Ergo peccat.

Objectio quarta.

Roboam reprehenditur, quòd seniorum consilio relicto, opinionem juvenum sit secutus.

Resp. consilium illud juvenum vel erat, vel non erat probabile. Si non erat, exemplum non est ad rem. Et sanè illud consilium improbabile & insipiens fuisse satis apertè constat ex responso, quod Roboam tumultuanti populo dedit. Quæ enim probabilitas boni successûs esse potest, quòd rex inermis populo irritato & tumultuanti propter tributa gravissima, petentique parvam aliquam oneris à patre suo impositi remissionem, dura respondeat, & dicat, nil remittam de onere, sed illud longè plus aggravabo. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* Ita juxta juvenum consilium respondit Roboam, ut habetur 3. *Reg. 12. 14.* Nec obstat, juvenes illos fuisse & ætatis maturæ, & numero plures,

Responsio.

Roboam imprudenter & improbabiliter respondit populo tumultuanti.

plures, nam erant rerum inexperti. Tales autem consiliarii sæpè in rebus ejusmodi in deliberationes stultissimas conveniunt, quarum una erat ista, de quâ loquimur. Imò *2. Parall. 10.* expressè dicitur quòd responderunt ut juvenes, & cum eo nutriti in delitiis. Jam compara stultum hoc consilium cum moderato, & prudentissimo seniorum expertorum responso, illudque illicò non solùm improbabile, sed longè stultissimum fuisse apparebit. Neque enim Mercorus umquam probabit, illud ullum probabilitatis minimæ gradum habuisse; non solùm si sumat illud secundùm se, sed multò minùs si consideret illud relatè ad seniorum consilia. Sed esto; fuerit illud consilium verè probabile. In hoc casu ostendat, si possit, Roboam illud sequendo peccasse, aut reprehensione dignum fuisse. Nimis notum est, nullam opinionem probabilem, quamdiu probabilis est, censuram ullam mereri. Jam verò eò ipso quòd Roboam à sacrâ Scripturâ reprehendatur, quasi stultè egerit, eo, inquam, ipso ritè infertur eum probabile consilium non fuisse sectatum. Cæterùm Scriptura ad summum indirectè illum stultitiæ arguit, factumque potiùs attribuit divinæ providentiæ, ut promissio Dei per os Prophetæ facta Jeroboam impleretur. Rursus si Roboam secutus sit consilium probabile, & reprehendatur; ideò reprehenditur, quia factum non successit, eò quòd consilium minùs tutum tale esset, ut bona fides sequentis illud non posset arcere malum imminens. At relatè ad Deum bona fides operantis ab omni peccato excusat. Ecce ergo disparitas ad argumentum; ex hoc enim fit, ut licet in re temporali reprehensibile sit sequi quòd minùs tutum est, quia bona fides operantis non impedit malum imminens, in foro tamen conscientiæ coram Deo sequi opinionem minùs probabilem minùsque tutam non est propriè loquendo materia reprehensionis, sed solùm minoris laudis, quia bona fides operantis operantem à peccato excusat. Atque hæc ad exempla, quæ Mercorus ex sacrâ Scripturâ pro sententiâ rigidâ attulit.

Si Roboam secutus sit consilium practicè probabile non reprehenditur tamquam trásgressor legis divinæ, sed ob defectum prudentiæ & sagacitatis humanæ.

37. Objicies 5. Paulus *ad Ephes. 4.* dicit, Deum dedisse Ecclesiæ *quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores*, quorum officium est nos fideles instruere, *ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitiâ hominum, in astutiâ ad circumventionem erroris.* Pastores isti & Doctores sunt, qui resolvunt in re morali quid sit licitum, quid illicitum. Hi autem non implent suum munus, nisi in omnibus ponant resolutiones certissimas, quibus ab omni erroris circumventione liberentur fideles. ergo nulli licet se committere resolutioni tantùm probabili cujusvis Doctoris, quia per hoc se exponeret periculo circumventionis in errore. Eadem enim ratio, quæ arguit resolutionem probabilem esse Doctori illicitam, probat eandem pro aliorum conscientiis regulandis esse insufficientem, & è contra; cùm idem omninò arguat peccatum in utroque. Ita nonnulli, qui quidquid in re morali probabilitatem non excedit, rejiciunt ut noxium.

Objectio 5. ex aliis adversariis.

Pastores & Doctores an teneantur in re morali docere solùm certa?

Resp. Apostolum loqui hîc de rebus fide certâ credendis, simulque admonere, ne auris præbeatur novatoribus. Cæterùm nullus apex hujus capitis vel per umbram arguit, S. Paulum postulare à quovis Doctore aut Pastore, ne in ullo responso morali erret, sed rem quæsitam certis & indubitatis rationibus determinet, cùm certum sit, hoc superare capacitatem humanam. Quis dixerit SS. Thomam & Bonaventuram aut non implevisse munus Doctoris Ecclesiæ, eò quòd in determinandis quæstionibus moralibus non nisi probabiles resolutiones attulerint? aut eorum alterum peccasse, eò quòd alter utter erraverit, quoties contradictoria

Responsio.

Doctores Ecclesiæ implent suum munus, si probabiliter discurrant, etsi fallantur & errent.

ctoria docuerint? Certè S. Thomas docet peccatorem non statim obligari ad confessionem datâ opportunitate; cùm S. Bonaventura tradat oppositum. Nec tamen ullus eorum in hoc peccavit, etsi neuter indubitatam reddiderit suam sententiam, quia uterque probabiliter resolvit quæstionem propositam; ideóque neutra resolutio carpi potest, ut erronea; cùm erroris argui non possit. At Apostolus loquitur de errore manifesto Ecclesiæ, quique certò scitur à Doctoribus, & revinci potest ut talis. Tales enim & non aliæ opiniones propriè vocantur errores. At hoc tam longè abest à probabili resolutione in re morali, ut mirum sit viros, qui volunt pro doctis haberi, potuisse similia objicere, quæ constat nullam vim habere, nè quidem apparentem, ad intentum comprobandum. Præterea Doctores, eo ipso quòd directè resolvant quæstionem probabiliter, statim reflexè eandem certissimè resolvût pro praxi, clareque ostendunt, nullum ex ejus usu peccati periculum imminere. At aliud nemo potest vel in re morali à quovis Doctore humano exigere aut expectare.

Objectio 6. ex Sinnichio.

38. Objicies 6. illud *Matthæi 15.* in quo Salvator redarguit Scribas & Pharisæos, eò quòd suâ traditione irritum fecissent Dei mandatum, illisque hoc ipsum exprobrat; his verbis. *Deus dixit: Honora patrem, & matrem; & quicumque maledixerit patri, vel matri morte moriatur. Vos autem dicitis: quicumque dixerit patri, vel matri, munus quodcumque est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.* In quem locum ita scribit

Hieron. in cap. 15. Matthæi.

Hieronymus. *Præceperat Dominus ut filii honorarent, etiam in vita necessariis ministrandis, parentes suos. Hanc providentissimam Dei legem volentes Scribæ & Pharisæi subvertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, ut si quis ea, quæ parentibus offerenda sunt, Deo vovere voluerit, qui verus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus. Vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur: atque ita fiebat, ut oblatio liberorum, sub occasione templi & Dei, in Sacerdotum lucra cederet.*

Pharisæi, qua ratione irritum fecerint præceptum colendi parentes?

Ecce Scribæ & Pharisæi, suis pravis interpretationibus plebem seducendo, irritum faciebant præceptum de honorandis parentibus. Unde Sinnichius *lib. 1. cap. 99. n. 371.* sic insurgit: *Quid dicemus? Excusabimus nè plebem eis obsequentem & per probabilitatum semitas velut securè incedentem?* & in hunc modum arguit. Esto, Pharisæi ipsi excusari non potuerint; plebs tamen, apud quam Pharisæi & Scribæ magnam doctrinæ & probitatis opinionem obtinuerant, excusabilis erat, quia ex probabili persuasione suis ductoribus credebat. Plebs tamen excusata non fuit, non solùm post Christi hoc monitum, sed etiam ante illud, quia Pharisæi accusantur de præterito; non enim dixit Christus *irritum facietis*, sed, *irritum fecistis mandatum Dei.* Jam quod plebs seducta peccaverit, ex eo probat, quòd Christus paulò post de Pharisæis dixerit. *Cæci sunt, & duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstat, ambo in foveam cadunt.* Si ambo in foveam, & quidem eandem, cadunt; ambo eidem noxæ subjacent. ambo eodem peccato inficiuntur. Tum ad hoc confirmandum allegat Augustinum & alios PP. qui exponunt illud; *ambo in foveam cadunt*, de malo & ruinâ utriusque, quia uterque cæcus est. Hinc infert Sinnichius, probabilitatem non excusare, saltem in materiâ legis naturalis.

Responsio.

Resp. Manifestum est, Scribas & Pharisæos perversâ illâ suâ doctrinâ peccasse; tum quia Hieronymus id apertè supponit, tum quia ex cupiditate rerum temporalium docebant populum contra expressum Dei præceptum, lumine naturæ notissimum.

Quod

Quod si postmodum aliqui ex eorum discipulis, non aliter quàm plebs, in eandem doctrinam bonâ fide lapsi sint, eadem de illis ac de plebe ratio est. Quoad plebem ergo inprimis adverto, Christum illo loco non reprehendere plebem, sed solùm Scribas & Pharisæos, quod irritum fecissent mandatum Dei, quatenus suâ traditione effecerant, ut parentes egestate conficerentur ob defectum bonorum, quæ filii præstitissent, si seducti non fuissent. Deinde observo, Sinnichium neminem afferre ex PP. qui ita locum hũc interpretetur, ut plebs seducta dicatur peccasse peccato per se imputabili. Quare dico, plebem vel vincibiliter, vel invincibiliter fuisse seductam. Si vincibiliter, (ut de majore parte credendum est, quia Scribarum interpretatio erat ad litteram contra expressum Dei mandatum, & non minùs contra expressum lumen rationis) argumentum procedit de subjecto non supponente; quia illis probabile non erat, suos parentes, templi intuitu, potuisse privari filiorum subventione; peccabant enim tali doctrinæ fidem dando, ut supponitur. Quid ergo mirum, si non excusarentur, sed peccarent sectando doctrinam vincibiliter erroneam? Quod si aliqui invincibiliter seducti fuerint, illique rationabili ac verè probabili ratione existimaverint, se aut debere, aut posse munus Deo offerre, relictis parentibus in necessitate, dico eos in hoc à peccato formali per se imputabili fuisse excusatos; nec Sinnichius umquam probabit contrarium. Quod enim ait, Christum paulò post dixisse, tam Scribas ducentes, quàm populum ductum, seu potiùs seductum, esse cæcos, ambosque in foveam cadere, verum quidem est, sed ad rem præsentem non spectat; nam aliâ occasione id dixit Christus, cùm audisset Pharisæos ideò Scandalizatos fuisse, quia docuerat populum, hominem per ea solùm inquinari, quæ de corde exeunt, ut per homicidia, adulteria &c. non verò per omissionem superstitiosarum observationum Pharisæorum; qualis erat, *non manducare nisi lotis manibus*, de qua superstitione tunc agebat Christus. Jam hic apparet, quomodo tam seducentes quàm seducti propter cæcitatem in eandem foveam caderent. Seducentes quidem, imponendo sibi & aliis jugum durissimum, nec à Deo, nec à lumine rationis præscriptum, juxta illud *Matthæi 23. Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Seducti verò, quia si nilibus doctrinis imbuti peccabant contra conscientiam, quoties omittebant tales ceremonias, cùm tamen sæpè non aderat occasio eas præmittendi; aut certè aliqua difficultas, vel verecundia ab eis præmittendis retraheret. Jam quomodo, & quo jure Sinnichius hoc dictum referat ad plebem seductam circa cultum Dei, relictis parentibus, non video; modò supponamus illam invincibiliter fuisse seductam. Immò video eum immeritò illud ad priora transtulisse, si retineatur eadem suppositio; alioquin Christus ipse sibi contrarius esset. Tunc enim verum erat, quod postea *Matthæi 23.* docuit populum dicens. *Super Cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, & facite.* Quo effato manifestè ostendit, plebem in iis omnibus potuisse, aut etiam debuisse dicta Scribarum sectari, quæ ad observantiam legis spectabant, & invincibiliter, ac rationabiliter vera esse credebantur. Ergo ex ipso Christi testimonio satis clarè apparet, plebem non ideò peccati ream fuisse, quia parentibus non succurrebat, si propter Scribarum authoritatem invincibiliter existimaret, se aut potuisse, aut debuisse, neglectis parentibus, munera sua Deo sacrare & offerre. Ecce argumentum hoc, si debitè proponatur, nobis favet non adversariis.

Plebs à Scribis seducta peccabat non assistendo parẽtibus, si vincibiliter seducta fuit; secus si invincibiliter.

Hoc ipsum confirmatur expressâ Christi sententiâ.

39. Objicies 7. ex Sinnichio *lib. 1. cap. 98. n. 366.* Objectio 7.

ex Sinnichio. *n. 366.* Augustinus *epist. 89. qu. 2.* in illud ad Rom. 5. *usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset.* hæc habet. *Non dixit, non erat; sed, non imputabatur: quia lex non erat quâ arguente demonstraretur:* plura etiam loca citat Sinnichius, in quibus Aug. eandem doctrinam repetit; adjungo hunc ex *lib. 1. ad Simplicianum qu. 1.* ubi dicit; *legem ad hoc datam esse, non ut peccatum insereretur, neque ut extirparetur, sed tantùm ut demonstraretur; quo animam humanam, quasi de innocentiâ securam, ipsâ peccati demonstratione ream faceret.* Hinc subsumit Sinnichius. *Ecce quemadmodum seclusâ legis intimatione homines reipsâ peccantes, putabant se non modò innocentes, sed & de ipsâ suâ innocentiâ securos. Quod planè notandum est contra novellos patronos probabilitatum, qui opinionum suarum sectatoribus spondent impeccantiæ securitatem.* Quasi diceret. Ignorantia non excusat peccatum. ergo nec opinio probabilis.

Responsio. Resp. me hac occasione simul velle respondere omnibus quæ ex S. Scripturâ Sinnichius *à cap. 94. per plura sequentia* objicit contra sententiam benignam. Omnia enim in eo fundantur, quòd ignorantia non excuset; ad quod probandum, præter omnia fermè, quæ Jansenius ex Aug. aliisque congessit ad ostendendum, quòd ignorantia invincibilis non excuset à peccato imputabili ratione sui, aliquas alias authoritates subnectit ad probandum, excusationem in ignorantiâ fundatam nullam esse. Longus essem, si recenserem omnia, quæ ideò prætermitto, quia in idem omnia conspirant; idemque fermè de verbo ad verbum continent.

Sinnichius differt à Jansenio. Verùm in hoc Sinnichius discrepat à Jansenio, quòd doceat nullam ignorantiam legis naturalis esse invincibilem, cum Jansenius totis viribus oppositum pro certissimâ Augustini doctrinâ deprædicet. Unde haud dubiè mens Sinnichii est, unumquemque in materiâ juris naturalis obligari ad sectanda tutiora, partemque minùs tutam numquam esse licitam. Verùm in hoc apertè sibi contradicit; nam *cap. 67. n. 260.* hæc habet. *Neque enim pejoris conditionis censeri debent summi Pontifices, quàm cæteri homines, quibus subinde licitum est in praxi procedere secundùm probabilem sententiam, etiam opinioni adversam, quam speculativè reputant veriorem.* Et quidem hoc asserit in rebus summi momenti, qualis est illa, quando Adrianus VI. dispensavit in matrimonio rato, contra propriam opinionem. Ex validitate enim hujus dispensationis dependet valor matrimonii subsequentis, & licita debiti petitio ac redditio. Hoc autem posito sic arguo. Operari contra propriam sententiam, sectando partem minùs tutam, est materia spectans ad jus naturæ, quia reducitur ad præceptum vitandi malum, & non operandi contra conscientiam, & ad nullam legem positivam spectare cognoscitur. ergo qui hac in re errat, vincibiliter errat. ergo peccat. ergo non excusatur. Porrò certum non est, sectantem minùs tuta contra propriam sententiam non peccare, cùm plurimi doceant illum nullatenus posse excusari. & infra hanc sententiam ostendam esse verissimam. ergo saltem dubium est an peccet, etsi sententia opposita sit vera. ergo adhuc peccat contra legem naturæ, quâ vetitum est se peccandi periculo exponere. Hoc porrò maximè locum habet apud Sinnichium, qui *cap. 27. n. 364.* contendit, opinionem, etsi veram, falsæ æquivalere, & propter periculum erroris neminem excusare. Ecce Sinnichius clarè sibi contradicit. Nam si verum est, nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, adeóque in materiâ talis juris partem tutiorem esse sectandam; consectarium est, operantem contra propriam sententiam, ac sectantem opinionem probabilem contrariam, à peccato excusari non posse. His autem præjactis. Sinnichius sibi apertè contradicit.

40. Di-

August. intelligendus est vel de ignorantia vincibili, vel de peccato, quod ratione sui non potest imputari.

40. Dico, Augustinum aliosque à Sinnichio citatos aut loqui de ignorantiâ vincibili, aut si de invincibili loquantur, intelligendos esse de peccato, quod non ratione sui, sed solùm ratione alterius imputari potest; ut fusè ostensum est *quæst. 16. à n. 45. usque ad finem*, ubi authoritates Augustini expensæ sunt, ejusque mens apertè declarata. Jam ad finem ejusdem *quæst. 16.* ostensum est, ignorantiam juris naturalis quoad conclusiones difficillimas esse multis omninò insuperabilem. Quod si nulla ejus ignorantia esset invincibilis, nil ex hoc contra benignam sententiam posset objici, quia numquam est probabile quidquam licere, cujus inhonestas non potest nisi vincibiliter ignorari.

Augustinus, dum dicit peccatum fuisse ante legem, sed per legem innotuisse. Quomodo intelligendus sit?

41. Cæterùm Augustinus tum hîc tum alibi, dum dicit peccatum fuisse ante legem, sed per legem innotuisse, non loquitur de absolutâ peccati ignoratione, sed de illâ explicitâ, quam per legem consecuti sumus; quia apertè supponit, (nec Sinnichius diffitetur) omnem peccatorem esse prævaricatorem. Prævaricator autem non est, qui agnitæ legis temerator non est. Hoc fatetur, inquam, ipse Sinnichius *cap. 100.* in quo tria sibi objicit benignæ sententiæ faventia.

Faustus Rhegiensis negat peccata propriè dicta puræ ignorantiæ. Quanta sit ejus auctoritas.

Primum est authoritas Fausti Rhegiensis *lib. 2. de gratiâ & lib. arbitr. cap. 7.* ubi hæc habet. *Cùm dicat Apostolus, quia quod notum est Dei manifestum est illis; Deus enim illis manifestavit, evidenter hoc desserit, per internam doctrinam paginis mentis inscriptam, manifestam illis esse debuisse notitiam Dei, & per creaturæ magnificentiam creatorem potuisse cognosci. Inexcusabiles quippè apud Deum non essent, nisi & extrinsecùs & intrinsecùs copiam percipiendæ veritatis habuissent; adjiciente Apostolo, quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Impios ergo & de intellectu, quòd abusi sint, damnat, quorum injustitiam in contemptum divinitatis accusat.* Scripsit autem Faustus circiter ante mille ducentos annos; ejusque liber à Gennadio *lib. de scriptoribus Eccles.* miris laudibus effertur. Ecce Faustus expressè supponit, nullum esse posse peccatum ratione sui imputabile, quod ex perfectâ ignorantiâ proveniat. Hoc totum nos fusè tradidimus, & convincimus *quæst. 16. & 17.* Scio Sinnichium prætendere, Augustinum *epist. 105.* quasi præscium hujus objectionis, illam elisisse, quia dicit peccata etiam ignorantiæ à Deo imputari. Verùm hoc non solvit argumentum; quia nec Faustus, nec quisquam hoc negat aut de ignorantiâ vincibili, aut de imputabilitate ratione alterius, quam solam Augustinus tribuit peccatis ex purâ ignorantiâ patratis, ut constat ex dictis quæst. 16. Cæterùm authoritas Fausti non est magni momenti, cùm habeatur pro Pelagiano, ut observat Bellarminus de *scriptoribus Eccles.*

Omnis peccator est prævaricator.

42. Secundum, quod sibi objicit Sinnichius, est textus ille *Psalmi 118. Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*; quem benè probat debere intelligi non de fallibili præsumptione David, quasi ille suam tantùm referret opinionem; sed de certâ Dei scientiâ, qui nil reputat, nisi quod est. Jam prævaricatio est agnitæ legis violatio. ergo nullum est peccatum quod fiat ex purâ ignorantiâ; sed omnis ejus imputabilitas à prævaricatione legis sumenda est.

Parvuli eadem ratione sunt prævaricatores, quo peccatores.

Huic objectioni respondet primò, sensum esse de prævaricatione totius generis humani factâ in Adamo, in quo omnes prævaricati sunt legem Dei. Et in hunc sensum affert Augustinum, qui *in Psal. 118. con. 25.* exponens hunc ipsum versum ait. *Si in omnibus peccatoribus terræ, non incongruè deputantur & parvuli propter originalis vincula peccati. Etiam ipsi in similitudine prævaricationis Adæ ad illam prævaricationem pertinere monstrantur, quæ datâ lege in paradiso prima commissa est. At per hoc nullo prorsus excepto, prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ.* Verùm idem Aug. *lib. 16. de Civit. Dei, cap. 27.*

cap. 27. idipsum clariùs exponit dicens. *Cùm dicat Apostolus, ubi non est lex, nec prævaricatio, quo pacto quod est in psalmo verum est, prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ, nisi quia omnes legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non propriè, sed originaliter peccatores, unde ipsis gratiam remissionis peccatorum necessariam confitemur: profectò eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur: ut verum sit utrumque quod scriptum est, & prævaricatores æstimavi omnes peccatores terræ, & ubi lex non est, nec prævaricatio.* Jam quòd Sinnichius dicat, hoc quod est omnes in Adâ fuisse prævaricatores elidere vim argumenti, non est verum; quia quærimus de propriâ & peculiari imputabilitate peccatorum ignoranter patratorum. Jam si illa non aliter sint prævaricationes quàm in Adâ, nec aliter sunt peccata; adeóque communi tantùm imputabilitate cum Adæ prævaricatione nos inficiunt, quod tamen ipse Sinnichius pernegat, nos autem concedimus; quia ea omnia in non renatis sunt & dicuntur peccata, quæ ex vi primæ prævaricationis in eos derivata sunt tamquam pœna illius, & absque novâ prævaricatione patrantur. Verùm illa nec sunt, nec denominantur peccata nisi communi imputabilitate primæ prævaricationis in Adâ. Præterea si aliquod peccatum, ignoranter sine peculiari prævaricatione commissum, contineret propriam imputabilitatem, propriamque rationem peccati, ut Sinnichius cum adversariis contendit, daretur aliquod peccatum ratione sui imputabile, quod omni careret prævaricatione; adeóque verum non esset, quòd supra dixit Aug. *Omnes legis alicujus prævaricatæ sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti.* Neque verum esset, quod postea subjungit. *Profectò eo modo quo sunt peccatores, etiam prævaricatores agnoscuntur.* Quod

Nemo aliter est peccator, quàm prævaricator.

ultimum licet dicat de parvulis, illud tamen eodem modo intelligit de omnibus, ut patet ex contextu. Ergo sententia Sinnichii & adversariorum expressè repugnat Augustino, & satis apertè adversatur Psalmistæ; quia si vera esset, daretur peccatum omni carens prævaricatione; quod & sacræ Scripturæ, & Augustino repugnat.

43. Atque hinc clarè apparet, quomodo doctrina nostra tradita *qu. 16. & 17.* adæquatè correspondeat tam huic textui Psalmi, quàm expositioni, & doctrinæ Augustini. Ibi enim ostendimus, nullum peccatum puræ ignorantiæ, sive vincibilis, sive invincibilis, continere malitiam ratione sui imputabilem, quia in se caret omni prævaricatione, cum quo tamen stat, quòd quidquid ex ignorantiâ vincibili fit contra legem, sit simpliciter peccatum, quia ignorantia vincibilis non excusat. Verùm tale opus quatenus oritur ab ignorantiâ vincibili, eatenus etiam est prævaricatio, ut patet.

Nostra doctrina de peccatis ignorantiæ adæquatè coincidit cum illâ Aug.

44. Resp. ergo 2. Sinnichius, omnem peccantem operari contra legem aliquam, saltem cōtra universalia dictamina legis naturalis, quæ neminem latent; qualia sunt; *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* &c. Unde quia omnis peccans impingit contra aliquod illorum, omnis peccans est prævaricator hujus legis naturalis; cum quo tamen stat, inquit, *quod sub eâ ratione, quâ peculiare præceptum sibi ignotum violant, nequaquam prævaricatores, sed tantùm peccatores fiant.* ita Sinnichius. *n. 375.* Tum adducit præclarum locum Augustini ex *concione 25. in psalm. 118.* ubi dicit. *Secundùm id quod Apostolus ait, ipsi sibi sunt lex, non immeritò prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ. Nullus enim est, qui facit alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit Et in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id facit, quod non vult pati.* Sed quia hoc effatum Aug. videtur solùm extendi ad præcepta secundæ tabulæ; ad quæ fusè

Omnis peccans operatur contra legem aliquā, quam non sinitur ignorare.

Sinnichius dicit, violationem legis particularis esse posse peccatum, licet non sit prævaricatio.

Sed in hoc cōtrariatur Augustino, & Psalmistæ.

fusè illud deducit Aug. *in enarra. psalmi 57.* ideò alium locum ejusdem Aug. adducit ex libro *de 10. chordis, cap. 10.* in quo S. Doctor ingeniosissimè atque clarissimè illud applicat ad præcepta primæ tabulæ. Atque ita putat Sinnichius, se ex authoritate Augustini difficultatem solvisse. Verùm fallitur; nam verum est, quod dicit Aug. scilicet omnem peccantem contra decalogum violare legem naturæ, quam nemo sinitur ignorare, quia facit alteri, quod sibi non vult fieri; unde optimè infert, omnes peccantes meritò reputari prævaricatores. Verùm quod addit Sinnichius, homines adhuc esse peccatores, quatenus trangrediuntur præceptum particulare ignotum, quamvis eatenus prævaricatores non sint, ab Augustino non traditur, sed tam illi quàm Psalmistæ contrariatur, si sermo sit de peccato ratione sui imputabili; quia verum non esset omnes peccatores, quatenus sunt peccatores, meritò reputari & esse prævaricatores. Hoc tamen non obstante fieri potest, ut violatio peculiaris præcepti ignoti sit peccatum; si nempè ignorantia sit vincibilis, & ex vi præcepti universalis superari possit. Verùm tunc tota denominatio peccati, ut imputabilis, desumitur à peccato ignorantiæ, quod erat prævaricatio. Itaque inconcussum manet, omne peccatum, quatenus est imputabile, esse pariter prævaricationem, quod solum contendimus.

Quod non est voluntarium non est peccatum.

45. Tertia objectio, quam Sinnichius sibi solvendam proponit, est ista. Quod non est voluntarium non est peccatum, teste Aug. *lib. de verâ relig. cap. 14.* ubi ait. *Usqueadeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc quidem ita manifestum est, ut nulla hinc doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Unde subsumitur. Sed quod fit ex ignorantiâ non est voluntarium, de cujus essentiâ est procedere à cognitione singulorum, ut ex Aristotele, & multò magis ex lumine naturæ edocti, omnes unanimiter fatentur. ergo quod fit ex ignorantiâ non est peccatum, utique ratione sui, & per seipsum imputabile.

Hoc pro vero admittit Sinnichius; sed oppositum ex ejus sententiâ infallibiliter deducitur.

Respondet Sinnichius, & veritate convictus fatetur, absurdum esse peccatum admitti, ubi non est ratio voluntarii; sed negat hoc absurdum sequi ex suâ sententiâ; quia omnis peccans violat legem naturæ, quam non sinitur ignorare, atque adeò rectè dicitur prævaricator, ut ex Augustino dixerat in responsione ad secundum. Si Sinnichius sibi constaret, tota controversia finita esset; nam peto, an ullam agnoscat malitiam in peccato ignorantiæ, præter illam, quâ operans trangreditur legem naturæ, quam non sinitur ignorare? Si nullam aliam agnoscat, convenimus; quia nullum datur peccatum puræ ignorantiæ, quod imputari possit ratione sui; nam malitia prævaricationis non ab ignorantiâ, sed à notione legis temeratæ desumitur. Si autem dicat, duas intervenire malitias, alteram prævaricationis, contra legem universalem naturæ, alteram ignorantiæ contra peculiare præceptum ignoratum, uti dixerat in responsione ad secundum, & per *6. integra capita* probare contenderat, atque velit utramque esse ratione sui peccaminosam & imputabilem, jam sibi contradicit; quia ponit malitiam contra peculiare præceptum posse absque voluntario reperiri, quod tamen ex suâ sententiâ consectarium esse negaverat. Verùm illud evidenter sequitur, si in priori doctrinâ persistat; quia duplex ponitur malitia, altera voluntaria, utpotè quæ ex cognitione legis universalis procedit, altera non voluntaria, quippè quæ ex purâ ignorantiâ legis particularis ortum trahit.

Sinnichius iterum sibi contradicit.

Variū textus Aug. & PP. quos Sinnichius congerit, si invicem

46. Hinc infertur, Sinnichium non solùm sibi non constare, cùm doctrinas ponat secum incohsistentes, sed etiam textus omnes Augustini, aliorumque, quos congerit, si omnes

comparentur, apertè tradunt quidquid docuimus de peccatis ignorãtiæ. omnes ritè comparentur ad invicem, nil aliud esse, quàm clarissimam elucidationem doctrinæ quam tradidimus *in quæst. 16. & 17.* de peccatis ignorantiæ. Nam Aug. aliique, dum dicunt peccata fieri sine lege, solùm loquuntur de clarâ notione legis à Deo promulgatæ, qualem & nos habemus, & Judæi habuerunt; atque ita concludunt peccata fieri non obstante ignorantiâ legis hoc modo sumptæ. Hoc tamen non obstante, nullum peccatum admittunt absque prævaricatione alicujus legis, quam nemo sinitur ignorare; quia asserunt, omne peccatum ex notione alicujus legis malitiam prævaricationis accipere; neque aliam ullibi agnoscunt malitiam ratione sui imputabilem, sed apertè supponunt, & dicunt, peccatum puræ ignorantiæ, quod imputatur, non posse ratione sui esse peccatum nec imputari, quia nullum malum per talem actum est voluntarium. Hinc tamen non sequitur, quin plura ex ignorantiâ vincibili verè sint & dicantur peccata, hominique imputentur, quatenus ortum trahunt à peccato ignorantiæ, quam homo non expulit, cùm eam removere teneretur. Hæc sunt, quæ facillimè, & evidenter conciliant omnia loca Aug. & PP. & sine quibus nimis evidens est, ea conciliari non posse. Quorum doctrina proinde ipsissima est cum illâ, quam *quæst. 16. & 17.* fusè exposuimus, in quâ nec hilum discedimus à sensu & sententiâ Aug. & PP. sed illi per omnia consentimus; adeò ut utraque sit una eademque, nec ulla sit differentia, nisi quòd illi ex sacris Scripturis hauserint, quæ nos scholasticis etiam rationibus comprobavimus. Unde quæ ibi sunt tradita ex dictis hoc in loco mirificè roborantur, & quæ hic paucis tradidimus per illa fusiùs dilucidantur.

Loca PP. aliter conciliari non possunt, quàm per doctrinam nostram de peccatis ignorãtiæ: per eam autem facillimè conciliantur.

Vide superius dicta num. 38.

Quæres quomodo dixerit Aug. *animam humanam, quasi de innocentiâ securam, ipsâ peccati demonstratione* (per legem) *ream factam*, cùm dicat omne peccatum esse prævaricationem?

Resp. homines ante legem externam prævaricatores fuisse legis internæ, quam obscurè tantùm sciebant esse contra Deum; adeóque quoad hoc videbantur securi, quasi Deum atrociter non offendissent. Verùm lex oppositum declaravit, atque ita reos esse convicit. Præterea ante legem non ita reflectebant ad oppositionem peccati cum Deo, sed obscurè tantum illam cognoscebant; unde errando putabant se magnæ pœnæ reos non esse. At lex oppositum revelavit, *& peccati demonstratione animas priùs securas, reas fecit.*

47. Objicies demum ex Vincentio Baronio *disput. 2. sec. 1. artic. 3. & sec. 5. art. 2. parag. 1.* Si benigna sententia esset vera, Philosophi Ethnici Deum non colentes fuissent excusati, quia probabile illis erat, Deum non dari. At sequela est contra S. Paulum *ad Romanos 1.* ubi expressè dicit, eos fuisse inexcusabiles, *quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Atque hinc infert, ignorantiam invincibilem non involvi in omni opinione probabili, alioquin idololatria esset licita, quia pluralitas Deorum multis est probabilis, cùm Dei unitas paucissimis sit evidens. Præterea Philosophi Ethnici aut non poterant habere, aut non habebant evidentiam de Dei existentia, ergo excusabiles erant, si eum non ut Deum glorificabant; quomodo enim glorificarent, quem nesciebant? Objectio ex Baronio

Resp. multa hìc confusa & indigesta contineri. Primò non capio, quomodo Baronius supponat, probabile fuisse Ethnicis Philosophis Deum non esse, cùm S. Paulus expressè dicat, sempiternam ejus divinitatem & virtutem per creaturas ita innotuisse, ut Deum esse cognoverint. Certè relatè ad illos, saltem ante omnem pravam animi dispositionem, non poterat esse probabile Deum non dari, quia tam facilis est ejus notio,

Responsio.

Philosophi ethnici Deum cognoverũt, sed non glorificaverunt.

notio, ut si species de illa excitetur, vix aut ne vix quidem tam potens veritas possit quemquam latere. Nec obstat, eos non habuisse demonstrationem de Dei existentiâ, quia non inde sequitur, probabile illis fuisse Deum non dari. Certè tot sunt argumenta suadentia Deum esse, & quæ afferuntur contra ejus existentiam sunt tam frivola, ut ad minimum sit summè probabile Deum dari; nec quisquam hac cognitione carere potest, qui pravis animi affectibus lumen naturæ non excæcat, & malitiosè oculos veritati lucenti non occludit. quod si quis propriâ malitiâ excæcatus Deum esse non credat, id non arguit, probabile esse Deum non dari, cùm ignorantia illa sit manifestè vincibilis, & imputabilis ad peccatum. Idem dico de unitate Dei, seu supremi numinis; nimis enim clarum est, plures veros Deos esse non posse. Et quamvis hoc fortasè non sit absolutè evidens, est tamen adeò manifestum, ut oppositum menti non obcæcatæ per propriam malitiam probabile esse non possit.

Deus omnibus innotescit sub aliquibus prædicatis propriis solius Dei.

48. Præterea Deus sub variis prædicatis innotescit omni homini capaci moralitatis. v. g. sub notione *summi boni*, *finis ultimi*, *primi & summi principii obligantis* &c. Jam nemo sinitur Deum sub istis prædicatis ignorare, nec quisquam est, qui certâ eorum cognitione careat. Alia Dei prædicata, ut primi motoris, creatoris &c. difficiliùs innotescunt. Rudes fortasè non possunt certò scire Deum sub istis conceptibus; quo supposito, evidens est ignorantiam talium prædicatorum esse illis invincibilem; quia ab illis vinci non potest. Verùm Philosophi ad hanc notionem pervenerunt, nec tamen Deum sub istis, neque sub aliis notissimis prædicatis, ut par erat, glorificaverunt, ideóque inexcusabiles facti sunt.

Incerta Dei notio sub prædicato creatoris fundare potest certam obligationem eum colendi.

49. Præterea etsi existentia Dei sub istis prædicatis solùm probabiliter innotuerit, nec potuerit certò illis innotescere; non tamen sequitur eos à peccato immunes fuisse, si eum non glorificaverunt. Certum enim est, me debere obedire parenti probabili, & colere hostiam non certò consecratam. Itaque probabilitas Dei Creatoris inducere potest certam obligationem cultûs debiti. Jam ergo ignorantia hujus obligationis debuit esse insuperabilis, ut excusarentur. Quocirca si post diligens examen fuisset illis certò probabile, aut etiam probabilius, atque prudenter credibile talem obligationem non dari, ignorantia talis obligationis fuisset invincibilis, atque adeò excusati fuissent. Verùm post debitum examen numquam fuit illis probabile se tali obligatione non urgeri. Itaque nil minùs sequitur ex nostrâ assertione, quàm quod Baronius putat sequi quàm maximè.

Dubium non aufert ignorantiam invincibilem.

50. Porrò frivolum est, quod dicit Baronius, non solùm motiva probabilia, sed quodvis dubium auferre ignorantiam invincibilem. Nam peto, an dubium de paritate siderum superabilem efficiat ignorantiam de earum paritate? Nil minùs. Immò ex opposito, dubium permanens & inauferibile essentialiter involvit ignorantiam invincibilem objecti, de quo, velis nobis, dubium perseverat. Nam ignorare, de quo non cogitas, est mortuus modus ignorandi. At ignorare, de quo cogitas, & per conatum non posse ignorantiam depellere, est formaliter pati ignorantiam vitaliter invincibilem. Stet ergo ignorantiam invincibilem omni opinioni practicè probabili necessariò inesse, nec quidquam obstare huic veritati, quæ à Baronio objiciuntur.

QUÆSTIO VIGESIMA-SEXTA.

Vtrùm sententia benigna sit conformior sacris Canonibus, quàm sententia rigida?

Status Quæstionis.

Adversarii ad Canones cõfugiunt.

1. DVERSARII post sacram Scripturam ad Canones confugiunt, arbitranturque eos sibi plurimùm favere, nobis autem quàm maximè adversari contendunt. Verùm exitu planè infelici, nam Canones, quos citant, nobis potiùs favere convincam. Cæterùm in hac re more consueto progrediar, & primò quidem aliquid ex Canonibus in nostrum favorem afferam; deinde iis respondebo, quæ contra nos objiciuntur.

Quæstionis Resolutio.

Assertio 1.

ASSERTIO PRIMA.

Sacri Canones favent benignæ sententiæ.

Sacri Canones expresè favent benignæ sententiæ, eámque veram esse apertè supponunt.

2. PRobatur allegatione textuum, ex quorum consideratione veritas hîc asserta stabilitur. Inprimis celebre illud effatum juris, *in dubio melior est conditio possidentis*, quod, *quæst. 23. num. 42. & seqq.* exposuimus, efficaciter convincit intentum, ut ibi ostensum est.

3. Iterum pondero *cap. ne innitaris de constitutionibus*, quod sic se habet. *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis preponit.* Vide quæ ponderando hunc textum diximus *quæst. 25. num. 2. & seqq.* inde enim patebit, eos, qui in operando sectantur opinionem minùs tutam, eam viam tenere, quam PP. & omnes fermè Doctores, Theologi, & sacræ Scripturæ Interpretes judicant à peccato excusare. Præterea apparebit, adversarios in hunc Canonem impingere, dum tutam, à PP. confirmatam, ac à Doctoribus unanimiter stabilitam regulam novâ doctrinâ conantur evertere. Quæ enim sibi dicenda & agenda videntur, Patrum decretis præponunt.

Vis probabilitatis magni fit à S. Canonibus, & legibus civilibus.

4. *In cap. ego solis. dist. 9.* Aug. expresè asserit rationes probabiles sufficere ad regulandum judicium prudens. Hoc autem admisso, quidquid benigna sententia asserit, est evidenter verum. Item *in cap. 1. de homicid. in 6.* circa finem Innocentius IV. expresè docet, quòd *postquam probabilibus constiterit argumentis aliquem scelus tam execrabile commisisse*, ille habendus sit excommunicatus, & ipso facto sit depositus ab officio & beneficio. Vide quanti momenti sint motiva probabilia juxta Canones. Similia de probabilitate tradunt leges civiles. Videatur l. ob carmen. §. finali ff. de testibus. Item l. *milites.* C. *de quæstionibus.* Item *l. 4. C. mandati*, in quibus legibus vis probabilitatis ad ritè judicandum formandamque conscientiam, quà supponitur, quà exponitur esse sufficientissima. Itaque benigna sententia in utroque jure fundamentum habet.

Canones de consuetudine nobis favent.

5. Quòd ante Jansenismum benigna sententia ejusque usus instar consuetudinis, & doctrinæ legitimæ in Ecclesiâ vigeret, nemo

nemo ne quidem Adversarii audent negare. Unde quàm rationabiliter, & quasi necessariò retinenda sit, omnia fermè quæ Gratianus *dist. 11. & 12.* de consuetudine admittendâ & retinendâ congessit, efficaciter probant. Nil in particulari affero, quia singula ferè capitula essent citanda; quibus adde *cap. utinam. dist. 76* ubi supponitur, quòd communis proborum sententia ad licitè operandum sufficiat.

Cap. Inquisitioni de sent. excom. 6. In superioribus quoque caput *inquisitioni, de sentent. excom.* fusè explicatum est *qu. 23. num. 65.* & seq. ex quo habemus, quòd quamdiu matrimonium probabiliter creditur esse validum, licitè reddatur & exigatur debitum conjugale. Hoc autem ipsissimum est, quod docet & intendit sententia benigna.

Cap. Sicuti quadam dist. 14. 7. S. Antoninus *part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10.* pro eâdem sententiâ citat *cap. sicuti quadam, dist. 14.* in quo Leo Papa hæc habet: *In iis, quæ vel dubia fuerint aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis SS. Patrum inveniatur adversum.* Hæc authoritas congruè applicatur à S. Antonino ad confirmandam nostram sententiam; nam quærimus, an illa recipi possit ut regula morum, & dicimus quod possit, quia non solùm certum est, quòd nec præceptis evangelicis nec PP. decretis contrarietur, sed etiam quòd communi Antiquorum omnium & Recentiorum opinioni ac praxi conformetur.

Cap. Licet. & caput finale de Sponsa duorum. 8. Caput finale *de sponsâ duorum*, adjuncto *cap. licet*, multùm favet benignæ sententiæ, quia in capite *licet* declarat Pontifex, matrimonium antecedens ratum non irritari per subsequens consummatum, sed sponsam priori viro restituendam, quamvis aliqui Pontifices priores contrarium judicassent, id est, ut interpretatur Covarruvias *in 4. decret. cap. 7. § 3. num. 5.* opinati fuissent, quia legem oppositam per absolutam declarationem numquam condiderunt, cui subscribit Sanchez *lib. 2. de matrim. disp. 14. num. 4.* Et caput finale declarat eandem separationem debere fieri, non obstante consuetudine cōtrariâ, quæ viguerat in Ecclesiâ Mutinensi. Hinc arguo sic. In re summi momenti Pontifices ipsi, saltem ut privati Doctores, sentiebant opposita; quis autem negaverit illos tutos fuisse in conscientiâ, qui juxta tale judicium se regulabant. Certè nemo ausus est eos peccati condemnare. His adde, *caput licet* ab Alexandro III. dictatum fuit, multis annis antequam *caput finale* ab Innocentio III. dictaretur; & tamen consuetudo perseverabat in Ecclesiâ Mutinensi, ut matrimonium consummatum sequens præferretur priori rato; jam etsi Innocentius Episcopo Mutinensi de honestate hujus consuetudinis dubitanti respondeat, quod illa sit abroganda, nullatenus tamen indicat eos, qui bonâ fide juxta prædictam consuetudinem cohabitabant, peccati reos fuisse. Solùm ergo probabile judicium, eos excusabat; probabile, inquam, quia ipsa petitio Episcopi Mutinensis apertè arguit, peritos eâ de re dubitasse. Itaque tunc temporis de rei hujus honestate lis erat apud doctores: & tamen tuti putabantur, qui rationabili seu probabili rationi fidentes bonâ fide procedebant. Et quidem quæstio institui potest, utrum ante dictum *cap. finale* editum, subsequens matrimonium consummatum, ubi illa consuetudo vigebat, præferrendum esset priori rato; de quâ quæstione hæc habet Covarruvias loco citato. *Communis est Doctorum ibi sententia, quòd matrimonia secunda carnali copulâ consummata ante illum textum* (nempè dictum caput finale) *præferenda sint primis non consummatis. Quibus accedit, quòd consuetudo, cujus ille textus meminit, honesta, ac justa communiter credebatur: quo casu nova lex nòn vult præterita punire, ex litterâ ejusdem textûs, dum dicit, de cætero. notat Glossa in dicto cap. licet, quam commendat post Doctores*

Consuetudo rationabilis, etsi in errore fundata, excusat.

Probabilitas in re summi momenti etiâ juris naturalis, excusat.

Petrus Ravennas. *Doctores ibi Petrus de Ravennâ in allegationibus consuetudinis. fol. 5. dicens ex eâ, consuetudinem, etiam circa jus divinum, probabile dubium constituere posse, & excusare.* Rochus. *Idem notat Rochus in cap. fin. de consuetud. fol. parvo. 15. colum. 1.* Bartolus. *Facit ad id decisio Bartholi in leg. si quis sit fugitivus. §. apud Labeonem. ff. de Ædilitio edicto. qui scribit contrahentes excusari à pœnâ, & à peccato, si contractus ab eis gestus ex consuetudine fiat, etiamsi verè illicitus sit, & usurarius, si communiter existimatur ille contractus licitus.* Oldradus Abbas. *Nec faciens talem contractum erit judicandus usurarius, secundùm eundem Bartolum, & Oldradum consil. 207. Abb. consil. 15. in primo volum* Jason. *& Iasonem in l. 1. in prim. lectio. C. de sum. Trinitate. num. 62.* Decius. *decium consil. 170. col. 3. &c.* & paulo post subjungit Covarruvias. Covarruvias. *Potuit autem illa consuetudo, si rationabilis à viris doctis censebatur, à peccato excusare, etiam in divino judicio, & sic in foro conscientiæ. Nam in judiciali à pœnâ excusat consuetudo etiam irrationabilis, Glos. in cap. cum venerabilis. de consuetud. &c.* Ecce Covarruvias iterum stat pro nobis, & expressè tenet, errorem probabilem coram Deo excusare etiam in rebus ad jus naturæ spectantibus; idem juxta citationem illius sentiunt de dubio probabili Petrus Ravennas, Oldradus, Jason, & Decius, id est, potissimi juris utriusque Doctores tenent, quod in dubio probabili excusetur, qui sequitur judicium erroneum, etiamsi erret in materiâ spectante ad jus naturæ. At nos nil aliud docemus.

Replica. 9. Dices, casum istum ad rem non esse, quia operans supponitur fuisse in dubio incurrendi peccatum, quomodocumque se gereret; nam quidam dicebant, sponsam debere manere cùm secundo marito, alii contendebant eam debere ab illo separari & ad primum transire. Ergo neutra pars erat tuta. At cùm utraque pars est periculosa, licet utramvis pro libito amplecti. Secùs quando pars altera tuta est, & altera periculosa, tunc enim pars tutior est amplectenda.

Solutio. Resp. quando malum apparenter imminet utrimque, tunc quod minùs est debet præferri. Itaque etsi peccatum videatur utrimque imminere, non statim licet pro arbitratu quamvis partem eligere, sed seriò videndum est, quid mereatur præferri. Verum tamen est, quòd quando utraque pars est certò probabilis, tunc possit quis bonâ fide inhærere parti, quam eligere maluerit, modò bonâ fide sectetur partem, quam veram reputat. (In casu perplexitatis certa probabilitas excusat errantem.) Atque hinc sequitur 1. quòd in casu perplexitatis utrimque probabilis, opinio nostra locum habeat. Sequitur 2. quòd probabilis error in casu dictæ perplexitatis excuset operantem à novâ malitiâ contrahendâ, etsi erret in materiâ spectante ad jus naturæ. Atque hinc sequitur 3. quòd probabilis error semper excuset, etiam quando quis sectatur partem minùs tutam, quia eadem ratio valet in hoc & in illo casu. (Probabilis error semper excusat.) Ratio enim excusans in primo casu est, quia taliter operans sequitur dictamen prudens, ideóque excusatur etsi erret; nam ratio excusans non est malum ex alterâ parte apparenter imminens, quia nisi probabiliter immineret non excusaret. At prudens dictamen locum habet etiam in secundo casu. ergo semper excusat. Et sanè iste fuit sensus Authorum hìc citatorum, (Et hæc fuit mens Antiquorum omnium.) illi enim rationem suam non fundant in perplexitate illâ, neque recurrunt ad illud principium, *è duobus malis minimum est eligendum*, sed universaliter asserunt, tam communem sapientum doctrinam, quàm consuetudinem rationabiliter pro licitâ habitam, atque etiam dubium probabile excusare. At omnes hujusmodi expressiones & limitationes, quas adhibent in casu de quo loquuntur, habent locum in opinione benigna; quæ certè communiter creditur justa, vera ac rationabilis, quæque indubitanter est certò probabilis, atque etiam communis illâ utendi, & quidem rationabilis consuetudo viguit, ac viget apud viros bonos,

nos, & Deum timentes. ergo usus nostræ sententiæ licitus est tam ex rei veritate, quàm ex mente Authorum præstantissimorum, quos proximè citavi.

Caput ex parte, de censibus.

10. Mirabiliter ad benignam sententiam comprobandã conducit *cap. ex parte, de censibus*, in quo apertè traditur, quòd in dubiis sæpè favendum sit libertati. Cùm enim dubium esset, juxta quam mensuram vota fidelium essent Ecclesiæ solvenda, cumque non constaret ad quam mensuram eorum antecessores solvissent, respondit Pontifex distinguendum esse, *utrum incolæ illius regionis, qui ea continuè persolverunt, ad unam eandemque mensuram ejusmodi vota persolverint, an ad diversas*, & tunc sic solvit quæstionem. *In primo casu ad eandem* (mensuram) *& illi solvere sunt cogendi. In secundo volentes solvere ad minorem, non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant: quoniam cùm hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benigniùs sunt à viris Ecclesiasticis exigenda, ne tamquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare.* Certè Pontifex hoc loco supponit, fideles in hoc dubio non obligari ad sequendam partem tutiorem, sed eos in dubio tali posse minùs tuta sectari, alioquin ratio, quam affert, nulla esset; non enim durè exigitur à clero, quod ante omnem eorum exactionem non nisi sacrilegè negari potest à populo. Unde sic arguo, si in re tanti momenti, quanta est voti persolutio (quæ in se est maxima, cumque ad jus naturæ pertineat, urget quàm maximè) in dubio extensionis voti Innocentius III. satis apertè pronunciet in favorem libertatis, etiam quando constat de voto emisso; quid non dici debet, quando aut substantia voti vocatur in dubium, aut quando certò probabile est, votum numquam fuisse emissum? Certè hinc à fortiori probatur, quidquid docet benigna sententia; & quod *quæst. 23. n. 31. & seqq* ac *n. 42. & seqq.* dictum est, scilicet, quòd lex post debitã investigationẽ manens dubia non obliget, quodque *in dubio melior sit conditio possidentis*, quia ad hæc confirmanda nil aptius aut efficacius afferri potest.

In dubio extẽsionis voti non tenemur ad tutiora.

11. Canonici quidam regulares, ut refertur *in cap. ex parte tuã, de postulando*, in causis forensibus advocatos agebant, licet id expressè prohibitum esset Monachis: qui tamen se tutos putabant; eò quòd lex hoc vetans solos Monachos nominaret. Pontifex autem decernit, eos quoad hoc eisdem legibus constringi cum Monachis, & utitur hac phrasi, quòd *idem credat ab utrisque observandum.* Hinc arguo sic; tam phrasis Pontificis condentis legem, quàm carentia gravis reprehensionis adversus eos canonicos, apertè arguit, Pontificem supponere, eos in conscientiâ fuisse tutos, quamdiu bonâ fide rationabiliter procedebant, etsi in re dubitabili partem sectarentur minùs tutam. At aliud non docemus.

Cap. ex parte tua, de postulando.

12. Favet etiam *caput, cum Venerabilis, de consuetudine*, in quo satis apertè supponit Pontifex, Abbatem, qui facultate non impetratâ prælaturam contra Canones dimiserat, fuisse à peccato immunem, eò quòd juxta illius regionis consuetudinem fecerat; licet ibidem declaret, talem consuetudinem in posterum non esse servandam. Item *in cap. unico de postulatione Prælatorum in 6.* apertè dicitur, quòd probabile dubium reddat modum eligendi honestum, qui aliter ut absolutè inhonestus & turpis rejicitur; præterea electiones, antecedentes hanc declarationem bonâ fide factæ non condemnantur, ut benè observat Glossa, quæ dat hanc rationem, *quia talis forma eligendi antea communi judicio credebatur bona, unde injiceretur laqueus ei, qui communi judicio non peccavit, quod fieri non debet.* Favet etiam *lex, regula, ff. de juris & facti ignorantiâ*; ubi traditur, quod ignorantia facti, si non sit supina, sed probabilis, nemini noceat; nec obstat quod ibidem ignorantia juris dicatur non semper excusare;

Cap. cum Venerabilis, de Consuetudine.

C. de postulatione Prælatorũ in 6.

L. Regula, ff. de jure & facti ignorantiâ.

quia in eis saltem agnoscitur excusare etiam quoad forum externum, in quibus legis ignorantia rationabiliter præsumitur, ut ibidem traditur. Ergo multò magis in foro conscientiæ ignorantia in probabili opinione & bonâ fide contenta, utpotè invincibilis, unumquemque excusat.

Cap. Capellanus, de feriis.

13. Celebre est *caput Capellanus, de feriis*, quod certè efficaciter probat nostram sententiam, ideóque operæ pretium est contentum capitis exscribere. *Statuta Canonica declarant, nuptias tribus septimanis ante festum B. Ioannis Baptistæ minimè celebrari debere.* Quidam *hebdomadas illas, absque interpolatione continuandas* (ipsi festo B. Joannis) *intelligunt. Alii verò inter festum & ipsu volentes facere intervallum, illud dicunt ob reverentiam festivitatis Pentecostes fuisse statutum: quæ in septimanis istis solet intervenire quandoque: & sic à tribus diebus Rogationum ante Ascensionem Domini inchoantes, usque ad octavum diem post Pentecosten (illis hebdomadis computatis) illo tantùm spatio temporis celebrari nuptias non permittunt, earum celebrationem ab inde nullatenus inhibentes. Quia ergo consulti sumus, utra istarum opinionum potior videatur: nobis & fratribus nostris apparuit, quòd, &c. posterior sententia meliori & subtiliori nititur ratione: & sive secundùm Canones à septuagesimâ usque post octavas Paschæ: sive juxta consuetudinem Romanæ Ecclesiæ usque post septem dies festi Pentecostes (quod caret octavis) nuptiæ suspendantur: in dominica quæ sequitur, & deinceps possunt licitè celebrari.* Ecce duæ erant opiniones de tempore pro celebrandis nuptiis deputato; quarum neutra erat tuta, quia neutra carebat periculo probabili. Solum enim tutum erat tempus prolongare, & à Rogationibus usque ad festum S. Joannis expectare; & tamen hæc via unicè tuta nullibi servabatur, sed diversi diversas sequebantur sententias probabiles, minúsque tutas, & singuli sic operando & habebantur, & erant tuti.

Pars minùs tuta, si sit probabilis, est tuta.

Respon.

Dices: Pontifex in hoc capite inter opiniones illam præeligit, quæ meliore & subtiliore fundamento nititur. Hoc factum Papæ innuit, nos quoque idem debere facere. Ergo cùm pars tutior supponatur esse probabilior, utique meliori nititur fundamento quàm pars opposita. Ergo in hoc casu pars tutior eligenda est.

Solutio.

Resp. exemplum hoc Pontificis præbere nobis optimum consilium, qui in omnibus tanto exemplo nos conformamus, nam quod est directè minùs probabile, si alia non considerentur, à nobis rejicitur, quia minùs bono nititur fundamento; at idipsum simpliciter loquendo asserimus esse licitum, quia ex argumentis reflexis longè melioribus & subtilioribus scimus ipsius honestatem validissimè comprobari. Itaque caput hoc efficacissimè comprobat benignam sententiam, illique nullatenus adversatur. Unde mirum est, Adversarios complures eum contra nos objicere potuisse.

Nos imitamur exemplum Pontificis, ejusque doctrinam sequimur.

14. Jam quòd spectat ad usum licitum opinionis directè minùs probabilis, hic canon ad illum confirmandum multùm conducit; primò quia utraque pars ante Pontificis declarationem vi suæ probabilitatis erat disjunctivè licita, etsi non constaret, quænam esset probabilior; ideóque licet quis roipsâ sectatus fuisset partem minùs probabilem non peccasset, modò illa ipsi visa fuisset absolutè vera, aut probabilior oppositâ; secundò, quia Glossa, & Panormitanus (ut supra vidimus *quæst. 22. n. 97. & 98.*) in hoc caput expressè dicunt, quòd in re probabiliter licitâ unusquisque excusetur, si sectetur opinionem non subtiliter investigatam, licet ea postea inveniatur falsa; tertiò demum, quia nos tunc solùm asserimus usum opinionis directè minùs probabilis esse licitum, quando illa ex vi rationum saltem reflexarum, absolutè creditur vera aut oppositâ probabilior; ideóque operans, ut excusetur, sectari debet, quod omnibus

Hic canon probat intentum nostrum.

omnibus pensatis illi videtur probabilius.

Cap. Præterea, de Clerico percussore.

15. His adde *cap. præterea, de Clerico percussore*, in quo Pontifex ex motivo probabili supponit Episcopum, qui fœminam fustibus *crudeliter* cædi jusserat, non esse irregularem; quia cùm fœmina non nisi post octo menses à fustigatione mortua esset, credibile erat, eam ex fustigatione illâ mortuam non fuisse. Quo tamen non obstante, non poterat esse certum, talem fustigationem aut non intulisse, aut notabiliter mortem illius non accelerasse. Ecce Pontifex hîc non sequitur tutiora, quando pars minùs tuta est solùm probabilis, & si vis fortassè multò probabilior parte tutiore. Quod valdè notandum est ad sequentia, in quibus adversarii contendent, Canones exigere, ut tutiora sectemur. Verùm Canones illi vel condunt jus novum, vel loquuntur de dubio quod aût non deponitur, aut prudenter deponi non potest, vel certè merum exhibent consilium, ut vel ex hoc canone omnes debent affirmare. Præterea probabilitas nostræ sententiæ non minùs excedit probabilitatem oppositæ, quàm verisimilitudo, quòd fœmina ex illis verberibus non esset mortua, excederet apparentiam contrariam. Ergo non minùs tutum est sequi opinionem benignam, quàm conscientiam formare juxta doctrinam in hoc capite contentam.

Cap. Apostolicæ Sedis, de Clerico excom.

16. Magni etiam ponderis est *cap. Apostolica Sedis, de clerico excom.* ubi Gregorius IX. hæc habet ad Canonicos Pragenses. *Verùm quia tempore suspensionis ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Caterùm si fortè ignorantia crassa, & supina, aut erronea fuerit, propter quod gratiâ dispensationis egeatis, eam vobis de benignitate apost. indulgemus.* Ecce ignorantia probabilis excusat à peccato. At aliud nec docemus, nec intendimus.

17. Legatur etiam *cap. placet nobis, de conversione conjugatorum*, ubi sermo est de fœminâ, quæ, credens maritum mortuum, monasterium ingressa professionem fecerat, & redeunte marito educta fuerat; & quæritur an marito defuncto teneatur ad monasterium redire. Huic quæsito respondet Pontifex, consultius esse, & congruentius ad salutem, ut ad monasterium redeat, nec tamen ad hoc cogendam invitam, si induci non poterit. Certè probabile videtur, eam, quæ absolutè professionem fecerat, teneri quantum est ex se ad vota religiosa servanda. Quid ergo impedit, quo minùs cogenda sit, si renuat, nisi quia probabile credebatur, eam ad iterum ingrediendum monasterium non teneri, adeóque eam ex hac probabili persuasione tutam esse in conscientiâ. At hoc ipsum est, quod probare intendimus. Omitto plures Canones coacervare, tum quia isti sufficiunt, tum quia omnium fermè Canonistarum resolutiones non sunt nisi probabiles, quas tamen ipsi putant ad conscientiæ securitatem sufficere, modò conscientia operantis bonâ fide in eorum authoritate deponatur, nec quisquam eorum arbitratur talem modum operandi sacris Canonibus repugnare. Canonistæ ergo omnes pro nobis sunt, & Canones nobis non adversantur, sed favent.

Cap. Placet nobis, de Conversione conjugatorum.

Solvuntur objectiones.

Objectio prima.

18. Objicies 1. *in cap. ad audientiam, de homicidio*, Clemens III. declarat, presbyterum in dubio de homicidio casuali gerere se debere, ac si esset irregularis, & hanc rationem dat, *quod in dubiis semita tutior sit eligenda.* Rursus *in cap. significasti 2. eodem tit.* Innocentius III. loquens de sacerdote, qui furem Eucharistiam, & ornamenta Ecclesiæ asportantem ligone percusserat, sed dubitabat, an eum mortaliter vulneraverat, quia incolæ accurrentes eum

Plures textus allegātur ad probandum, quòd tutiora sint sectanda.

gladiis & fustibus interemerant, respondet, quòd si sciri non possit, ex cujus vulnere fur percussus interiit, *in hoc dubio tamquam homicida haberi debet sacerdos: & si fortè homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere debet: cùm in hoc casu cessare sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur.* Item *in cap. petitio, eodem tit.* Honorius III. declarat presbyterum, qui cum civibus erumpens infideles aliquos percusserat, ab altaris ministerio debere abstinere, si eum conscientia remordeat, quòd aliquem ex plurimis, qui eo in conflictu interfecti fuerant, occiderit, & rationem dat: *cùm sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.* Præterea *in cap. veniens, de presbytero non baptizato*, Innocentius III. mandat ordinatum ante baptismum iterum ordinari, & ad sacerdotis ministerium admitti, quia *in hoc*, inquit, *dubitabili casu, quod tutius est sequentes, mandamus &c.* Hisce adde *cap. juvenis de sponsalibus*, in quo Eugenius Papa jubet, virum separari ab eâ, quam duxerat, quia illa erat consobrina alterius puellæ, quam nondum septennem antea duxerat domumque traduxerat, & humanâ forsan fragilitate tentaverat, quod complere non poterat. Nec aliam reddit rationem Pontifex, quàm quia, *in his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Demum *in cap. illud, de clerico excommunicato*, Innocentius III. declarat Episcopum, qui audierat se ex mandato Papæ fuisse ab Archiepiscopo Magdeburgensi excommunicatum, incurrisse reatum pœnæ depositionis, eò quòd in tali dubio celebrare ausus fuerat, *quia in dubiis*, inquit Pontifex, *via est eligenda tutior.*

Pontifices an jusserint tutiora esse tenenda? 19. Ex his decretalibus sic arguunt Adversarii. Adeò notum est lumine naturæ, *quòd in dubiis tutior pars sit eligenda*, ut Pontifices ex hoc axiomate decidant casus dubios, jubeantque fideles non aliter sese in istis dubiis gerere, quàm si certò se scirent esse culpabiles. Ergo nemini licet sectari partem minùs probabilem minúsque tutam, quia per hoc ipsum transgreditur legem naturæ, quâ omnes in dubio tutiora amplecti tenentur.

20. Resp. dubium multipliciter accipi posse. Primò propriissimè accipitur pro vacillatione & fluctuatione animi de veritate alicujus rei, absque eo quòd intellectus absolutè credat, rem illam veram esse aut falsam. Jam hoc dubium subdividitur in dubium juris, & in dubium facti; item in dubiū de validitate alicujus rei, & in dubium de honestate ejusdem; item in dubium de absolutâ honestate operis secundùm se, & in dubium de honestate operationis hîc & nunc ponendæ. Secundò dubium sumitur pro incerto, ita ut illud dicatur dubium, quod non certò constat, etsi probabili judicio judicetur esse verum, eo quòd, non obstante tali judicio, de opposito formidemus. Et hoc etiam dubium æquè admittit allatas subdivisiones ac dubium propriè dictum. Hoc posito. Responsio. Dubium multipliciter accipitur.

21. Dico regulam illam, *in dubio tutius est eligendum*, continere quidem præceptum juris naturalis, cui contravenire est peccatum, quoties intellectus propriè dubitat de honestate operationis hîc & nunc exercendæ; in hoc enim omnes conveniunt. Quòd si regula illa sumatur universaliter pro omni dubio tam juris quàm facti, tam operis quàm operationis, tam pro dubio propriè dicto, quàm pro incerto quamvis absolutè sed formidolosè credito, illa (audacter dico) non continet præceptum sed solùm consilium. Ita sentiunt ex Recentioribus omnes fermè, nec quisquam refragatur præter Mercorum, & Sinnichium ex parte, quibus secundùm quid addi possunt Vincentius Baronius & Guilielmus Wendrockius. Præter hos, qui illud neget, neminem adhuc invenire potui. Porrò Quando sit præceptū, quando consilium sectari tutiora?

Antiqui

Antiqui quoad hoc cum Recentioribus conveniunt, siquidem Tabiena & Sylvester *verbo scrupulus*, S. Antoninus *1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10.* & Joannes Nyder *in consolatorio, part. 3.* Gerson, & S. Bonaventura *locis qu. 22. citatis*, aliique omnes illis coætanei expresè dicunt, tutiora quidem sectanda esse *non ex præcepto, sed solùm ex consilio.* Unde vides argumentum hoc, in quo potissimè fundantur adversarii, ab antiquis fuisse perpensum, & eodem modo quo nunc solutum.

Adversarii suis argumentis respondere debent, sicut nos respondemus.

22. Et sanè ipsi adversarii tenentur eodem modo respondere, quia regula ista æquè impetit usum partis minùs tutæ, sive illa sit probabilior, sive minùs probabilis parte tutiore. At certum est, quòd liceat sequi partem minùs tutam, si illa sit practicè probabilior parte tutiore, & dubium per bonam fidem deponatur. Quod si tutiora universaliter essent tenenda, obligarentur plurimi ad Religionem ingrediendam, ut benè advertit S. Antoninus *loco cit.* quia hoc est tutius. Similiter maritus, quamvis ex consilio Pastoris sui explosisset levem credulitatem de invaliditate sui matrimonii, non posset debitum exigere, quia tutius est abstinere, tum quia rationes etiam leves non rarò sunt veræ, tum vel maximè quia Pastoris resolutio non est nisi probabilis, cùm & falli possit, & multis de causis fallere; & tamen oppositum declaratum est *in cap. inquisitioni, de sententiâ excomm.* Præterea in materiâ fidei non liceret ullam ex contrariis opinionibus tenere. Quæ in dubio possidentur, essent restituenda. Statim post peccatum institui deberet confessio. Nil accipi posset ob lucrum cessans. Juvenis dubius de voto castitatis nec posset uxorem ducere, nec post ductam debitum petere, aliaque hujusmodi innumera, utpotè tutiora, ex necessitate fieri deberent, quorum tamen opposita ab omnibus doctis communiter habentur licita, & absque scrupulo quotidie à probis in praxim reducuntur.

Cōmunis opinio, & praxis bonorum est optima legum interpres.

23. Præterea sensus tam axiomatum juris quàm canonum in jure positorum aliunde meliùs non innotescit, quàm ex communi Doctorum sensu communique subditorum praxi. At communis sensus Doctorum est, quòd extra casum dubii practici, seu dubii de honestate operationis hîc & nunc exercendæ, tutiora non sint ex necessitate sectanda; idemque confirmatur ex fidelium praxi, qui post dubium prudenter depositum & bonam fidem formatam inhæsitanter sectantur minùs tuta. Ergo dictum axioma & Canones dicti ritè intellecti non improbant, sed confirmant benignam sententiam.

Tutiora nō sunt tenenda ex præcepto, quando utraque pars est tuta.

24. Rursus tutiora non sunt ex necessitate sectanda nisi in dubio. Dubium autem non est quando pars etiàm opposita est tuta, & certò moraliter honesta. At hoc semper evenit, quoties pars minùs tuta est directè probabilis. Nam toties illa aut directè aut saltem reflexè est longè probabiliòr parte tutiore. Major autem probabilitas est moralis certitudo, ut præter Recentiores unanimiter tradunt Antiqui, Gabriel, Angelus, Antoninus, Nider, Gerson, aliique allati *qu. 22.* ergo hoc axioma locum non habet nisi per modum consilii, quando utraque contradictionis pars est directè certò probabilis. ergo planè abs re objicitur contra benignam sententiam.

Pontifices quomodo usi sint effato illo, *tutiora sunt sectanda?*

25. Jam Pontifices utentes hoc axiomate dupliciter potuerunt in illud respicere; primò in sensu in quo continet præceptum naturale; secundò in sensu in quo solùm exprimit consilium. Si illo usi sint in primo sensu, solùm loquuntur de dubio practico vel nullo modo vel non prudenter deposito, adeóque non tam definiunt, quàm supponunt, operantem in tali dubio peccare, si minùs tuta sectetur. Quod certè verissimum est. Si autem eo sint usi in secundo

 sensu,

sensu, ex illo moveri potuerunt propter decentiam talis consilii ad aliqua statuenda, quæ mala non erant ante statutum, sed per ipsam legem redduntur illicita. Cæterùm quæ fuerit mens Pontificum in hac re, constare non potest nisi ex singulorum Canonum consideratione. Cæterùm nil contra nos inferri potest, in quocumque ex dictis sensibus Pontifices illo axiomate usi fuerint.

Pontifex in condendis legibus nõ semper movetur ex necessitate, sed aliquãdo ex congruentiâ.

26. Inprimis ergo ad *3. illa cap. ex tit. de homicidio desumpta*, respondeo cum Suarez *tom. 5. in 3. part. disp. 40. sec. 6.* quòd Pontifex usurpans illud effatum, *in dubiis tutius est eligendum*, illo usus sit non ut præcepto, sed solùm ut consilio & congruentiâ, ob quam partim in odium homicidii, partim ob reverentiam sacrificio altaris debitam decernit, ut in ejusmodi dubiis de homicidio patrato irregularitas contrahatur. Quod si decretum non fuisset, non esset cur quis in tali casu se pro irregulari gereret. Et sanè motiva, quibus Pontifices moventur ad leges hujusmodi statuendas, non esse axiomata continentia præceptum legis naturalis ex eo certum est, quòd Pontifex in cap. *significasti 1. de homicidio* statuat, ut ob homicidium merè casuale ac omninò involuntarium *ad cautelam pœnitentia injungatur* Clerico, priusquam in suis ordinibus ministret, aut ad altiores ascendat. Et tamen independenter ab istiusmodi constitutione ex naturâ rei in tali casu nullâ opus est pœnitentiâ *ad cautelam*, neque ulla vel ad breve tempus ex jure incurritur suspensio Ergo Pontifices inducuntur ad statuendas leges ex vi axiomatum non continentium strictum præceptum sed congruentiam & consilium. Legatur Suarez loco citato, ubi solidissimè rem hanc examinat.

Hi textus nõ loquuntur de omni dubio homicidii.

27. Deinde resp. cum Arriagâ *tract. de act. hum. disp. 25. sec. 3. subs. 1* tria illa cap. *ex tit de homicidio* continere casus similes, in quibus etsi dubium esset de effectu secuto, nullum erat dubium de causâ aliquâ datâ. Nam in duobus primis casibus certò constabat personas percussas ab iis, de quorum irregularitate quærebatur, fuisse mortuas, cùm tamen non certò constaret, an ex vi vulnerum ab illis inflictorum occubuissent. In *3. autem cap.* certum erat, Clericum in eruptione plures percussisse; unde cùm plurimi essent interfecti, dubium solum erat, an aliquis ex ictibus ab eo inflictis interiisset. Illi ergo canones solùm lati sunt contra eos, contra quos vigebat possessio tituli certi sufficientis ad causandum homicidium. Itaque cùm lex vetans homicidium sub pœnâ irregularitatis, simul prohiberet causam, à quâ homicidium procederet; cumque constaret, legem illam quoad positionem causæ sufficienter inductivæ homicidii fuisse violatam, dubiumque tantùm remaneret, an effectus ex illâ causâ secutus fuisset, utique lex homicidis imponens irregularitatem erat in possessione contra eos, quia certò violata erat quoad dictum titulum, cujus tituli possessioni non sufficienter resistebat dubium, an mors ex illo secuta fuisset. Unde mirum non est, Pontifices declarasse sensum legum priorum, & quatenus opus erat novas condidisse, quibus certò constaret, in similibus dubiis de homicidio patrato irregularitatem contrahi. Nec mirum, cùm minùs absurdum sit, quòd homo delinquens, qui quantum ex se est dedit occasionem homicidio, ab exercitio ordinum abstineat, etsi verè non sit homicida, quàm quòd verus homicida sacrificium incruentum offerat.

Hi textus videntur declarare jura priora.

28. Immò, si omnia inspiciantur, vix videtur probabile fuisse, etiam ante hos canones editos, quòd tales non essent irregulares, cùm enim constaret, legem fuisse violatam quoad positionem causæ, & solùm dubitabatur de effectu secuto, non erat probabile voluntatem legislatoris ad hunc etiam casum non extendi. Cùm enim irregularitas illa videatur fuisse imposita ob reverentiam

reverentiam sacrificii incruenti, cumque dedeceret illud offerri à manibus, quæ aut proximi sanguine tinctæ essent, aut causam mortis inductivam posuissent, nisi constaret mortem ab illâ causâ non profluxisse, vix dubium rationabile esse poterat, quin irregularitas illa ad istos casus esset extensa. At in ejusmodi dubiis omnes fatemur tutiora esse sectanda. Et sanè *ex tribus istis capitulis* primû videtur solùm procedere in foro externo, ut benè advertit Suarez, eo quòd Pontifex injungat alteri, ut presbyterum illum ab usu sacrorum ordinum arceat, nullâ factâ mentione de obligatione, qua sacerdos urgebatur independenter ab illâ constitutione; reliqua verò duo loquuntur pro casu in quo aut non erat probabile mortem non fuisse illatam, aut certè probabile non erat, illos in eo casu licitè potuisse celebrare, ut constat ex eo quòd Pontifex in utroque capite dicat, *tutius & consultius esse eos in tali dubio abstinere, quàm temerè celebrare.* At illi non temerè celebrassent, si ex probabili judicio sibi persuasissent, se licitè potuisse celebrare, & nullam irregularitatem contraxisse. Ergo illa duo capitula, quæ pro foro interno deserviunt, loquuntur pro casu, in quo non erat probabile, eos aut irregularitatem non incurrisse, aut potuisse licitè celebrare. Ergo ex istis decretalibus non licet inferre quòd in dubio probabili sit obligatio sectandi tutiora.

Irregularitas an incurratur in omni dubio homicidii.

29. Adde, capita ista, ut benè advertit Arriaga loco citato, non probare, quòd tutiora sint universaliter sectanda etiam in dubio homicidii. Patet hoc primò, quia idem Innocentius III. *in eodem cap. significasti 2.* movet hanc quæstionem, utrum idem sentiendum sit de multis, quorum unus, sed quis, omninò nescitur, homicidium perpetravit; quærit enim an omnes à sacris ordinibus sint rejiciendi, cùm discerni non possit, quis sit culpabilis. cui quæsito sic respondet, *quòd diligens investigator debeat hoc determinare, quamvis hic casus sit ab illo valdè diversus*, scilicet à casu textûs, in quo non dubitabatur de causâ positâ sed solùm de effectu secuto. Unde sequitur, Pontificem non judicasse irregularitatem incurri in omni dubio homicidii, sed solùm in casibus similibus illi, ob quem declarat irregularitatem incurri. Ergo extra tales casus decisio quæstionis determinari debet ex principiis, quæ irregularitatibus ex aliis causis contractis sunt communia; utrùm scilicet contrahatur in dubio facti, ut ex dubio natalium, honestatis &c. Itaque tunc solùm imponitur irregularitas certa ob dubium homicidii, quando certò constat causam fuisse datam; in reliquis verò dubiis ex vi horum Canonum illa non imponitur, alioquin Pontifex eodem modo de omnibus loquutus fuisset. At diversimodè locutus est. Ergo diversimodè sensit de istis dubiis, in quibus tamen omnibus locus erat illi regulæ, *tutius sectandum est in dubio.* Ergo Pontifex nec sensit, nec declaravit tutiora universaliter sectanda esse in dubio, sed restringit se ad dubium practicum, quod prudenter deponi non potest.

Irregularitas non semper incurritur quoties incertum est, an homicidium fuerit commissum, per causam datam.

30. Idipsum probatur secundò, quia *in cap. significasti 2.* Pontifex respondet, presbyterum, quia arrepto ligone furem, ab aliis postea confossum, percussit in capite, non reputandum esse irregularem, si constare possit, vulnus ab illo inflictum non fuisse lethale. *Hoc autem*, inquit Pontifex, *forsan ex eo posset ostendi, si certa apparuisset percussio, ab eodem inflicta tam modica & tam levis, in eâ parte corporis, in quâ quis de levi percuti non solet ad mortem, ut peritorum judicio medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis.* Ecce Pontifex supponit peritorum medicorum assertionem, quæ certè, cùm fallere possit & falli, non excedit naturam resolutionis probabilis, sufficere ad practicè deponendum dubium, adeò ut vi illius quis prudenter credat, se à pœnis homicidio

etiam

etiam dubio impositis esse immunem, eò quòd prudenter credere possit se homicidii reum non esse, & consequenter se posse seipsum pro non irregulari gerere. Similis etiam est resolutio Pontificis *in cap. præterea de clerico percussore*, & in *cap. ex parte, de censibus*, uti supra observatum est. Unde evidenter infertur, alium esse sensum Pontificum dicentium, *partem tutiorem in dubiis esse tenendam*, quàm quem illis adversarii affingunt. Nam alioquin standum non esset fallibili resolutioni, quia adhuc illâ stante tutius erat abstinere. Itaque solùm loquuntur de dubio practico pro casu, in quo conscientia operantis prudenter formari non poterat; nam quoties conscientia permittens prudenter formari potest, Pontifices, tam in his quàm in aliis decretalibus, neminem ad tutiora obligari supponunt. Hoc adversarii negant, qui proinde menti Pontificum & Canonum intento repugnant.

31. Quod objicitur *ex cap. veniens, de presbytero non baptizato*, non est ad rem, tum quia non erat practicè probabile, quod sacerdos ille non esset iterum ordinandus, nisi ab omni ordinis ministerio vellet abstinere, cùm necessitas reordinationis diu ante expresè statuta fuisset *in cap. si quis presbyter, eodem tit.* tum quia quantumvis probabile fuisset, illum esse ritè ordinatum, illa tamen probabilitas erat solùm speculativa non practicâ; nam sicut, ubi quæstio est de re necessariâ necessitate medii ad confectionem Sacramenti, certum est, quòd extra casum necessitatis non liceat adhibere materiam dubiam aut etiam probabilem, ut fusè dictum est *quæst. 24.* ita certum est, quòd extra eandem necessitatem non liceat sacerdoti, cujus ordinatio est dubia aut probabiliter nulla, Sacramentum conficere, quamvis probabile sit, Sacramentum ab eo confectum fore validum. Pontifex ergo, insistens prioribus Ecclesiæ decretis, prudentissimè jussit, illum iterum ordinari, & non aliter ad ministerium altaris admitti; quia in hujusmodi casibus numquam est probabile, quòd pars minùs tuta sit licita. At nos non loquimur nisi quando constat, partem minùs tutam esse probabiliter licitam. Itaque decretalis ista abs re objicitur contra benignam sententiam.

Ordinandus est iterum, qui ante baptismum ordinatus fuit.

32. Et sanè similis in omnibus est Ecclesiæ praxis, nam & sacra Congregatio respondit Vicario Viennensi (qui petierat, an ordinatus in minoribus, qui ob dubium de baptismo fuerat sub conditione rebaptizatus, deberet in susceptis ordinibus ministrare, an iterum ordinari) ordines reiterari debere, sicut baptismum & alia Sacramenta dubia, excepto matrimonio, pro quo præsumendum est, juxta *caput si quis accepit, 33. quæst. 1.* *Quia*, inquit Congregatio, *sine omni periculo est, si Sacramenta illa iterentur, quo non careret matrimonium, si judicaretur deesse ubi est.* Cùm enim facile sit eum reordinari, & nulla adsit necessitas ministrandi in ordine, non est probabile, talem clericum posse absque reordinatione in ordine suscepto licitè ministrare. Atque ideò sacra congregatio claram quæstionis propositæ resolutionem citatis canonibus conformem proposuit, quæ certè in omnibus conformis est benignæ sententiæ, in sensu in quo à suis Authoribus asseritur.

In dubio baptismi ordo debet reiterari sub conditione, sicut baptismus.

33. In *cap. juvenis de sponsal.* nulla est difficultas, quia, ut benè observat Pallavicinus *de act. hum. disp. 9. quæst. 4. art. 2.* in eo casu possessio erat pro validitate sponsalium, idest pro impedimento publicæ honestatis. Nec hic & nunc obstabat illa exceptio, quòd sponsalia viderentur nulla ex defectu ætatis, quia valida erat præsumptio, quòd malitia supplesset ætatem, tum ex sponsalibus de facto initis, tum ex communi famâ quòd illa fuisset ejus conjux, quia eam secum domum ad cohabitandum traduxerat, tum demum ex dubitatione quòd coire tentassent

Certa incertis præferenda sunt.

tentassent, ex quo conatu evidens probatio malitiæ sufficientis resultasset; quæ omnia simul juncta elidebant illam exceptionem ætatis insufficientis. Rursus Pontifex non dixit se tenere quod *tutius*, sed quod *certius* existimabat. Particula autem *certius* non potest hoc loco idem significare quod *tutius*, quia æquè & fortè magis periculosum erat dirimere quàm non dirimere secundum matrimonium, quia dirimendo illud utrique dabatur facultas novum matrimonium contrahendi, & sic fortè vivendi in duplici adulterio materiali, casu quo conjugium, in quo tunc versabantur, reipsâ validum extitisset. At hoc non erat minùs periculosum, quàm eos, si res dubia fuisset, in pristino conjugio relinquere, ut patet. Sensus ergo Canonis est iste. *Certum est sponsalia fuisse contracta. ergo possessio stat pro eorum validitate, quæ validis præsumptionibus comprobatur. Exceptio nullitatis, quæ opponitur, est dubia. ergo cùm veritas non sit liquida, ea pars tenenda est, pro quâ est certitudo, & dubia pars est rejicienda.*

Pontifices nobis favent. 34. Atque hinc constat, Pontifices non existimasse tutiora in omni dubio esse ex præcepto sectanda. Nam peto, an non crediderint conjuges istos post separationem licitè potuisse ad secundas nuptias transire? At quomodo hoc credidissent, si tutiora esse necessariò tenenda judicassent? Nonne tutius erat, utrumque cælibem vitam transigere, quàm novum cum aliis inire contractum, qui futurus erat adulterinus, casu quo matrimonium antecedens, de cujus validitate dubitabatur, reipsâ validum fuisset? Ecce canon iste nobis non adversariis favet.

Præterea si res fuisset utrimque dubia, secundus contractus non debebat declarari irritus, tum ob caput *si quis accepit*, 33. q. 1. proximè citatum, tum quia saltem ex parte secundæ sponsæ possessio mariti videtur juncta fuisse cum bona fide. ergo casus debuisset decidi, ut juvenis ille non posset debitum, si mala fide contraxisset, sed illud redderet consorti, ut in simili casu declaravit Lucius III. in cap. *Dominus*, *de secundis nuptiis*. At hoc non est factum. ergo res, etsi incerta, non erat dubia; sed adeò probabile erat malitiam supplesse ætatem, ut oppositum non esset probabile. At in tali dubio seu incerto, omnes fatemur tutiora esse tenenda. ergo canon iste non tangit difficultatem præsentem.

35. Demum *caput*, *illud*, *de clerico excom.* non urget, quia antea statutum erat, eum deponendum esse, qui excommunicatione ligatus ante absolutionem à censurâ celebrare auderet. Jam Episcopus ille audiverat se ab Archiepiscopo Magdeburgensi potestate à Papâ obtentâ denunciatum fuisse excommunicatum, quo non obstante, ausus est celebrare, atque ideò Pontifex declaravit, eum incurrisse reatum depositionis, etsi post agnitum suum excessum, & misericordiam imploratam, talem ei pœnam relaxasset. In hoc autem casu manifestum est, Episcopum illum non nisi temerè celebrasse, quia cùm conscius sibi esset de suo excessu & merito excōmunicationis, atque per famam publicam notitia latæ in eum sententiæ ad aures ipsius pervenisset, nullâ diligentiâ ad rei veritatem cognoscendam præmissâ, non timuit celebrare. Atque ideò Pontifex in hoc ac similibus casibus rectè dixit, quòd *via tutior sit eligenda*, quia sectans minùs tuta non excusatur, nisi post debitam diligentiam prudenter dubium deponat. Canon hic expensus nobis non contrarius.

Præterea ex ipso contextu satis apparet, Episcopum illum de latâ in se sententiâ non dubitasse, sed solùm dubitasse an esset validè lata, eò quòd Magdeburgensis Archiepiscopus non esset ipsius Metropolitanus. Jam ergo constabat excommunicationem esse latam; ergo lex vetans celebrationem in excommunicatione jam erat in possessione

contra illum. ergo dubium erat solùm de facto contra possessionem legis. At in tali dubio standum est pro lege. Præterea Episcopus ille non nisi temerè potuit credere, sententiam in se latam fuisse invalidam, tum quia fama erat, eam authoritate à Papâ delegatâ fulminatam fuisse; tum quia, cùm apertè constaret de crimine, non erat credibile, quemquam in eum talem sententiam laturum fuisse, qui congruâ & sufficienti ad id authoritate instructus non fuisset. At in tali dubio tutiora sectanda sunt, atque id à Pontifice supponitur.

Iste canon nobis favet.

36. Cæterùm ista decretalis nobis favet; nam cùm reus hoc solùm pro excusatione afferret, quòd non crediderat, celebrando divina se peccaturum, quia per famam tantùm audiverat se fuisse excommunicatum, putaveratque sententiam à Judice delegato absque monitione fulminatam esse nullam, Pontifex ita subjunxit: *Licet autem in hoc non videatur omninò culpabilis exstitisse, quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, etsi de Latâ in eum sententiâ dubitaret, debuerat tamen potiùs se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare.* Quâ expressione Pontifex sufficienter indicat, dictamen conscientiæ erroneæ, si post diligentiam adhibitam rationabiliter formetur, sufficere ad unumquemque in foro conscientiæ à peccato excusandum; si enim Episcopus ille, eò quòd ex levissimis motivis (quæ ad probabilitatem certam pervenire non poterant) conscientiam formasset, visus sit non omninò culpabilis extitisse, quid quæso dixisset Pontifex, si certò illi constitisset, Episcopum illum post debitam diligentiam prudenter suam conscientiam formasse, & ex illâ persuasione certò prudenti operatum fuisse? dixisset utique eum nullo modo culpabilem coram Deo fuisse.



Secunda objectio.

Objectio secunda.

37. Objicies 2. *in cap. Dominus, de secundis nuptiis* Lucius III. & Innocentius III. *in cap. inquisitioni, de sententiâ excom.* expressè tradunt, conjugem dubium de valore matrimonii non posse licitè debitum exigere à consorte, quamvis illud petenti reddere teneatur. Unde sic arguo: etsi probabile sit matrimonium esse validum, tenetur conjux sequi partem tutiorem, & abstinere à petendo debito, modò probabile sit matrimonium esse nullum. Et hoc definitur ab istis Pontificibus. ergo idem dicendum in aliis casibus ejusmodi. ergo numquam licet sectari partem minùs tutam & minùs probabilem.

Alii textus objiciuntur?

Textus nobis objecti an sint præceptivi?

38. Immò hinc objicies cum Baronio *disp. 2. sec. 5. art. 3.* ubi ex Fagnano sic arguit. Canones isti, & alii jam citati præcipiunt, tum quia habent verbum imperandi, dicunt enim *tutior pars est tenenda*; tum quia aliqui eorum præscribunt gravissimas pœnas; siquidem in *cap. illud, de clerico excom.* declaratur, Episcopum deponi debere, cujus pœnæ alia ratio non redditur, quàm *quia in dubiis tutior via est eligenda.* At tales pœnæ non infliguntur nisi ob delictum grave. ergo Canones isti sunt præceptivi. ergo definiunt, quòd in rebus ad salutem animæ spectantibus tutior pars sit eligenda; simulque supponunt id esse principium juris naturalis per se notum.

Possessio an in dubio suffragetur extra materiam justitiæ?

39. Præterea ex hisce duobus, aliisque jam priùs citatis capitulis sic instabis. Non obstante titulo possessionis continuatæ, conjux nunc incipiens dubitare de valore sui matrimonii tenetur abstinere à petendo debito. Similiter sacerdos in dubio homicidii vel excommunicationis tenetur abstinere à celebrandis divinis, etsi hactenus fuerit in possessione celebrandi. ergo possessio illis non suffragatur, ergo regula illa, *in du-*

in dubiis melior est conditio possidentis, non habet locum extra materiam justitiæ.

Responsio. 40. Resp. nos supra *quæst. 23. num. 65. & seqq.* fusè respondisse istis decretalibus; nam *cap. Dominus*, procedit de iis, qui malâ fide matrimonium inierant, antequam certi essent de morte prioris conjugis. Illi ergo erant malæ fidei possessores; ideóque possessio illis non suffragabatur. Certum autem est tales illicitè petere debitum. Nihilominus caput istud ritè intellectum nobis favet; nam qui ob dubium impedimenti irritantis malâ fide contraxit, ille juxta declarationem Pontificis non absolutè arcetur à petendo debito, sed solùm quamdiu *de morte prioris cõjugis adhuc sibi existimat dubitandum*, unde si post debitã diligentiam inveniat rationes probabiles ad deponendum dubium, illudque deponat, licitè potest non solùm reddere sed etiam petere debitum, ut communiter docent Authores. Sanchez, *lib. 2. de matr. disp. 42. n. 9.* & apud eum Enriquez; quibus subscribit Di-Castillo *tract. 10. de matrim. disp. 9. dub. 13. num. 167.* & Perez de matrim. *disp. 53. sec. 2. num. 4.* & quidem duo posteriores, & Sanchez id asserunt verum esse, quamvis probabilius sit, quòd impedimentum existat; quibus junge Bossium *de consc. dubiâ num. 1996.* & alios apud ipsum. Panormitanus etiam *in hoc caput* ejusdem videtur sententiæ, quia dicit, legem intelligendam esse, *ubi quis verisimiliter dubitat de morte prioris conjugis*. quasi diceret, si dubium sit tenue vel improbabile, vel si ullatenus probabiliter deponatur, potest maritus in tali casu non solùm reddere, sed etiam petere debitum conjugale. At hoc favet nostræ sententiæ, fatemur enim nemini, stante dubio de honestate suæ operationis, licitum esse sequi minùs tuta, nec quemquam aliter posse excusari, quàm si dubium deponat & formet conscientiam bonam ac certò probabilem, quòd opus illud in hisce circumstantiis sit licitum. Quòd si probabilitas in re tanti momenti sufficiat illi, qui incæpit malâ fide possidere, uti tradunt Authores in expositione hujus capitis, quia per eam probabilitatem incipit bonâ fide possidere, quomodo id verum non erit, quando quis bonâ fide semper possedit rem probabiliter suam?

An & quando conjux malâ fide contrahẽs possit petere debitum?

41. Quod autem spectat ad *caput, inquisitioni*, in illo sunt solùm tres resolutiones. Prima est, quòd certus de impedimento teneatur nec exigere nec reddere debitum. Secunda, quòd habens credulitatem levem de existentiâ impedimenti possit non solùm reddere, sed etiam petere debitum, modò levem illam credulitatem explodat. Tertia, quod qui habet conscientiam probabilem & discretam sed non certam de impedimento, teneatur reddere, sed nequeat exigere debitum. Jam in hac Pontificis resolutione nullum est verbum de casu dubii. Quare Authores communiter docent, quòd contrahentes bonâ fide si postea de matrimonii valore dubium oriatur, possint non solùm reddere sed etiam petere debitum, si diligentiam adhibuerint, & eâ non obstante res dubia manserit, quia *in dubio melior est conditio possidentis*. Vide dicta *quæst. 23. num. 65. & seqq.* ubi rem hanc satis fusè tractavi, atque pro hac sententiâ Authores citavi; quibus addi possunt Di-Castillo *de matrim. tract. 10. disp. 9. dub. 14. num. 174.* & Perez de matrim. *disp. 53.* sec. 3. num. 4. Di-Castillo autem pro eâdem sententiâ citat utrumque Ledesmam aliosque. Quibus adde Castrum Palaum *de sponsalibus. disp. 3. puncto 4. §. 9. in fine*, & Bossium *de consc. dubiâ num. 1943. & seq.* ubi plurimos coacervat, Suarez, Veracruz, Lugo, Layman, Malderum, Bonacinam, aliosque. Quòd si post diligentiam inveniatur argumentum probabile pro valore matrimonii, tunc omnes fermè unanimiter docent posse conjugem licitè debitum exigere, idque verum reputant etsi oppositum sit etiam probabile

Conjux bonæ fidei licitè petit debitum, etsi dubitet de validitate matrimonii.

aut etiam directè probabilius. Quod valdè notandum est. Quod si maritus probabili judicio credat matrimonium esse validum, & multò magis si probabiliter credat sibi licitum esse debitum exigere, tunc sine dubio non peccat petendo debitum, ut omnes fatentur, & fusè tradit Adrianus *quodlibeto 2.* Ecce caput hoc favet nobis quàm maximè.

Canones isti quid præcipiant? 42. Quod ad objecta à Baronio ex Fagnano attinet, fateor Canones istos plura præcipere; præcipiunt enim, ne debitum petatur in talibus circumstantiis, ut taliter celebrans deponatur, aut homo in tali casu sit irregularis &c. nec tamen universaliter præcipiunt aut supponunt, partem tutiorem in omnibus esse tenendam. Nec obstat quod dicant *partem tutiorem esse sectandam*, nam hæc phrasis tam convenit æquitati consilii, quàm necessitati præcepti; sic dicimur prudenter elegisse statum Religiosum, *quia in rebus ad salutem spectantibus tutior via est eligenda.* Cæterùm canones isti, si alicubi definiant, aut supponant partem tutiorem in aliquibus casibus esse tenendam, aut loquuntur de dubio practico, aut certè de casu in quo communiter non est & numquam præsumitur sufficiens ratio ad dubium prudenter deponendum; & in illis casibus ritè injungitur pœna gravissima, etiam depositionis, contra eos, qui in talibus circumstantiis audent operari. Et ita factum videtur *in cap. illud, de clerico excom.* At in casu dubii non prudenter depositi, omnes admittimus tutiora esse sectanda. ergo præcepta Canonum nobis non adversantur, sed favent.

Possessio æque favet in omni materiâ. 43. Demum ad illud de nullitate tituli possessionis ad excusandum nos extra materiam justitiæ, respondeo, titulum illum esse universalem in omni materiâ, ut fusè probatum est *quæst. 23. num. 42. & seqq.* Neque obstant hîc objecta. Nam inprimis casus *ex cap. Dominus, de secundis nuptiis* non est ad rem, cùm sermo sit de possessore malæ fidei. casus autem *in cap. inquisitioni* non loquitur de dubio, ut ostensum est. Cæterùm quoties conjunx post matrimonium bonâ fide contractum incipit dubitare de valore contractus, debet veritatem investigare, quæ si post debitam investigationem manserit dubia, utique licet illi uti re suâ, ac debitum exigere, nec in hoc est major difficultas, quàm in possessione & usu equi possessi; nam dubitans de jure suo tenetur veritatem investigare; si autem veritas maneat dubia, licitè potest uti equo possesso; quia universaliter verum est, *quòd in dubiis melior sit conditio possidentis.* In dubio semper diligentia præmittenda est ut quis licitè sectetur minùs tuta.

Ad exempla desumpta *ex titulo de homicidio* fateor sacerdotem, non obstante pristinâ possessione celebrandi, eo ipso quod dubitet an sit homicida juxta casus expressos in illis capitulis, debere a celebrando abstinere, cujus rei multiplex est ratio, prima est, quia illud est dubium facti non juris, ut benè advertunt Suarez & Sanchez; ideóque ab illo non benè infertur, quòd non liceat operari in dubio juris. At quæstio nostra de dubio tantùm juris procedit. Secunda ratio est, quia lex vetans homicidium seu causam illativam homicidii sub pœnâ irregularitatis jam erat in possessione suæ violationis, quia constabat eos posuisse causam, ex quâ mors sequi poterat; dubium autem tantùm erat, an mors ex illâ causâ secuta fuisset. Itaque lex erat in possessione contra eos. ergo nil mirum si tenerentur tutiora sectari. Tertia ratio, quia antecedenter ad constitutionem illarum decretalium probabilissimum erat, eos incurrisse irregularitatem, & oppositum non erat probabile; ut constat ex decretalium ponderatione superiùs habitâ. At in tali casu possessio non tribuit jus celebrandi, sicut neque in materiâ justitiæ particularis possessio favet, quando non est probabile rem esse possessoris, si probabilissimum sit, quòd ad alium

-stium pertineat. Quarta ratio; quia si supponatur, quòd ante illas decretales irregularitatis contractio fuisset utrimque probabilis, aut certè omninò dubia, nego quòd in eo casu possessio non favisset sacerdotibus illis, favisset enim, quia lex obstans non sufficienter arctasset illos; idcóque non fuisset cur à possessione & jure celebrandi deturbari debuissent. Nihilominùs, etsi res ante decretales illas aut dubia fuisset aut utrimque probabilis (quod tamen nullatenus admittendum videtur) adhuc decentia non celebrandi in tali dubio, & periculum, ne homines in propriâ causâ temerè judicarent sibi licere quæ verè non licent, præbuissent sufficientem causam extendendi irregularitatem ad dictos casus homicidii dubii, quod & factum est. Jam autem consequenter ad istas leges possessio ampliùs non favet, quia certa & indubitata lex obstat in contrarium.

Possessio ut faveat, quid requiratur?

44. Ad tertium casum de Episcopo illicitè celebrante in dubio excommunicationis, non obstante continuatâ celebrandi possessione, eædem responsiones locum habent, nam probabilissimum erat, illum esse validè excommunicatum, & oppositum non erat probabile. Secundò temerè celebraverat nullâ diligentiâ ad veritatis investigationem præmissâ; at sola possessio ad hæc non suffragatur ne quidem in materiâ justitiæ particularis, ut patet. Demum excommunicatio lata erat, eratque jam in possessione contra Episcopum illum; ideóque obligabat eum; nam sicut matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum supponitur validum, nec licet ejus leges violare, etsi ejusdem validitas sit dubia, sed dubitans tenetur reddere debitum consorti bonâ fide petenti; ita pariter cùm excommunicatio esset lata contra hominem apertè culpabilem, illa erat in possessione, nec licitè poterat Episcopus ejus leges violare, licèt de ejusdem validitate dubitaret; quod maximè locum habet in casu isto, cùm dubium esset imprudens, & Episcopus ille temerariâ audaciâ, nullâque diligentiâ præmissâ publicè divina celebrasset. Itaque stat legem dubiam non obligare, & titulum possessionis in pari causâ æquè valere in omni materia, ac in materia justitiæ.

Possessio cur magis faveat in dubio juris, quàm facti?

45. Quod si petas, cur melior sit conditio possessoris in dubio juris, quàm in dubio facti? respondeo rationem esse facilem & claram. Nam ex dubio juris manente post diligentiam adhibitam oritur prudens præsumptio quòd lex non existat, & consequitur certa notitia quod non habeat vim arctandi ac obligandi. Idcóque melior est conditio libertatis, quæ arctari non potest nisi per legem sufficienter intimatam. E contra verò in dubio facti sæpè constat legem existere, idcóque dari obligationem arctantem terminos libertatis. Unde possessio favet illi in cujus favorem lex lata est; Quid ergo mirum si sæpè in dubio facti non aliter teneamur ad legem implendam, quàm si certò illam non adimplessemus?

Replica.

46. Dices cum Baronio loco citato, frustra ponitur distinctio inter dubium facti & juris, nam Canones æquè præcipiunt partem tutiorem in utroque dubio esse tenendam, nam *in cap. illud de clerico excom.* sermo est de dubio juris, quia dubitabat Episcopus an legitimè esset excommunicatus. Et tamen tenebatur sequi tutiora. Idem traditur in *cap. exivi* infra citando, in quo Pontifex respondet de dubiis juris, & dicit, *quòd tutiora sint tenenda.* Sed & sacra Congregatio interrogata de homine per intervalla furioso in subdiaconum ordinato, an castitatis voto obligaretur, respondit eum teneri, si compos mentis fuerit ordinatus, sin minùs non teneri; si verò dubitetur, servandum esse cælibatum, *quia in dubiis tutior pars est eligenda.*

Solutio.

Resp. hæc omnia probare oppositum ejus, pro quo à Baronio allegantur, & ut

Furiosus per intervalla, an teneatur ad castitatem si ordinetur in subdiaconum?

incipiam ab ultimo, in casu ordinati in subdiaconum possessio erat pro voto, id est pro lege; constabat enim clericum illum accepisse subdiaconatum involventem votum castitatis; ideóque cùm certum esset, votum fuisse emissum, & solùm dubitaretur de modo & circumstantiis ipsius, utique in dubio standum erat pro voto, sicut in simili standum est pro matrimonio. Præterea si casus attentè inspiciatur, vix potest esse dubium, quin homo ille tempore ordinationis fuerit compos sui; cùm enim dicatur fuisse furiosus per intervalla, incredibile est, quòd durante furore ordinem susceperit; puduisset enim omnes actu furiosum exhibere ordinandum, & ordinans talem non admisisset. Itaque probabilissimum erat, quòd compos sui ordinem suscepisset, & oppositum non erat probabile. At in tali dubio, etiam juris, tutior pars est tenenda. Præterea eadem ratio locum habet in casu capitis *illud* jam citati; nam excommunicatio lata erat; ideóque lex prohibens celebrare, stante excommunicatione, erat in possessione. Præterea esto dubium aliquod fuerit de jure excommunicantis, illud tamen junctum erat facto certo de excommunicatione; & quamvis etiam factum fuisset dubium, ille tenebatur diligentiam præmittere, & informationem tam de veritate facti quàm juris accipere, antequam celebraret; quod quia non fecit, excusari non potuit. Quòd si per debitam diligentiam non potuisset notitiam habere de excommunicatione latâ, simulque invenisset dubium fuisse, an ferens sententiam, sufficientem authoritatem habuisset ad validè ferendam sententiam, non est, cur ante dictam decretalem non potuisset formare bonam conscientiam de honestate celebrandi, atque ita à peccato coram Deo excusari; nec oppositum vel leviter insinuatur in hoc capite, imò hoc ipsum apertè supponitur in eodem, ut constat ex dictis. Quod attinet ad caput *exivi*, illud infra examinabitur.

Alia replica.

47. Dices iterum cum eodem ibidem. *art. 3. §. 2.* Regula illa, *in dubiis melior est conditio possidentis*, non habet locum extra materiam justitiæ & fori judicialis, in quo pœna infligitur, & alius contendit, ut possessor à possessione dejiciatur. At nemo contendit secum, ut à possessione deturbetur; neque sibi pœnam infligit, seipsum à possessione dejiciendo. Ergo hæc regula ineptè ad alias virtutes transfertur, in quibus emendatio quæritur, sed pœna non infligitur. ergo in aliis materiis, tutioribus inhærendum est. His addit Baronius Glossam *in cap. juvenis de sponsalibus*, in quâ ponitur regula, quam Canonistæ, inquit, vocant *notabilem* & *insignem*, scilicet quod in foro conscientiæ rigidior interpretatio sit facienda, quia hoc tutius. Tum affert discrimen inter judicium fori externi & conscientiæ, quod in judicio externo neutra pars periculo careat, quia si damnes insontem, illi infers injuriam, si nocentem liberes, injurius es reipublicæ. At in foro conscientiæ sola pars favens libertati est periculosa, quia pars favens legi est tutissima. ergo pars tutior est sequenda.

Diversitas fori externi & interni qualis?

Solutio.

Resp. hæc omnia ab ipso Baronio esse solvenda in materiâ justitiæ, in quâ sollicitatur conscientia, ne proximus suo jure fraudetur, & unica tantùm pars est tuta, scilicet quæ favet proximo. Et tamen certum est, quòd his non obstantibus, quia in materiâ justitiæ *melior est conditio possidentis*, qui utitur re dubiè suâ non peccet, etsi sectetur minùs tuta. ergo non est, cur idem titulus in aliis non valeat, cùm non minùs teneamur vitare peccatum & sequi tutiora in materiâ justitiæ, quàm in aliis.

Possessio æquè favet in omni materiâ.

48. Deinde ad singula respondeo, & dico regulam illam, *in dubio melior est conditio possidentis*, locum habere in omni materiâ non minùs quàm in justitiâ, ut fusè probatum

batum est *quæst. 23. num. 42. & seqq.* nec quidquam hìc affertur, quòd per umbram probet oppositum. Cùm enim in materiâ justitiæ dubium sit, an res possessa sit aliena vel mea, conscientia urget, ut res illa alteri detur, ne fortè proximus privetur re suâ contra legem justitiæ. Itaque licet homo in materiâ justitiæ non agat contra se coram judice externo, ut spolietur possessione rei hactenus possessæ, in foro tamen interno nonminùs agit contra se coram Deo in materiâ justitiæ quàm in materiâ aliarum virtutum. ergo si hoc non obstante non tenetur sectari tutiora in materiâ justitiæ, quia regula illa, *in dubiis melior est conditio possidentis*, elidit & superat regulam illam, *in dubiis tutior pars est eligenda*, idem proculdubio dicendum in aliis materiis, in quibus possessio favet, & homo non magis urgetur coram Deo, quàm in materiâ justitiæ. Nec per hoc, quòd homo secum agat ad formandum judicium conscientiæ, sequitur, quòd ullam sibi pœnam infligat, nam sicut per illam litem internam in materiâ justitiæ quærit emendationem tam juris alieni probabiliter læsi, quàm peccati saltem materialis præteriti, & formalis culpæ futuræ securitatem, ita similiter facit formando conscientiam in aliis materiis. Quare sicut homo in dubio ex titulo possessionis securus est in materiâ justitiæ, & non obstante periculo peccati materialis licitè utitur re possessâ, ita ex eodem titulo in aliis materiis non obstante pari periculo securus redditur in usu suæ libertatis, quia *in dubio melior est conditio possidentis.*

Homo antequam in dubiis formet conscientiam agit causâ suam corâ Judice interno.

49. Quod spectat ad regulam illam insignem Glossæ, scilicet quòd *rigidior interpretatio facienda sit in foro conscientiæ*, respondeo Glossam ibi nec nominare conscientiam, nec loqui de interpretatione ullâ, sed solùm notare, *quod semper in dubiis tutiora sint tenenda*, quod verum est de omni dubio practico, quia in tali dubio præceptum obligat ad sequenda tutiora, sicut & in omni casu, in quo dubium non potest prudenter deponi, ut omnes fatentur. At in aliis omnibus regula illa est merum consilium, ut patet ex dictis.

Baronius non rectè citat Glossam.

50. Demum disparitas, quam assignat inter forum externum & internum nulla est, & licet subsisteret, nil probaret. Nulla est, quia homo judicans contra libertatem in favorem legis, maximè si judicet universaliter in favorem sententiæ rigidæ, eamque in regulam eligat, seipsum condemnat ad partem tutiorem in omnibus sectandam. At unusquisque, priusquam ad hoc se condemnat, constituitur inter duo mala disjunctivè necessaria. Alterum est, ne fortè legem offendat. Alterum ne se in conscientiæ angustias, ac peccandi pericula conjiciat, dum plurima ut legitimè præcepta admittit, à quibus Deus nos liberos esse voluit. Stultum autem est & peccaminosum absque ulla necessitate & emolumento in talem statum se conjicere. Stultum quidem, quia absque necessitate conscientiam ligat vinculo periculoso. Peccaminosum verò non solùm quia stultum, nam omne stultum continet deordinationem cum naturâ rationali, adeóque turpiter eligitur; sed vel maximè, quia sicut Theologus non minùs peccat arctando conscientiam alterius ex imaginario & non benè fundato præscripto legis à Deo non intentæ, quàm eandem indebitè laxando contra legem à Deo latam, ita non minùs peccat quia sibi ipsi nimis arctam, quàm qui nimis laxam conscientiæ regulam eligit. Ergo homo in casu nostro versatur inter duo mala disjunctivè necessaria, & duo præcepta apparentia, collectivè inobservabilia. ergo disparitas Baronii nulla est. Sed etsi subsistat disparitas, nil probat, quia adhuc certum est, quòd in materiâ justitiæ, obedientiæ, aliisque innumeris, sola pars favens proximo aut legi sit tuta, quia homo non versatur inter duo peccata

Disparitas fori externi à Baronio allata nec subsistit, nec valeret, licet subsisteret.

peccata apparentia, disjunctivè necessaria. Et tamen certum est, cuique integrum esse in illis casibus sectari partem minùs tutam. Ergo disparitas illa etiam admissa nec ad intentum Baronii conducit, nec benignam sententiam ullatenus convellit.

Objectio tertia.

Objectio tertia.

51. CElebris est illa Augustini sententia, *tene certum, dimitte incertum*, quæ refertur *in cap. si quis autem, de pœnit. dist. 7.* Unde sic arguo. Pars minùs tuta tandiu incerta est, quandiu est minùs probabilis. ergo juxta hunc canonem est dimittenda, & pars opposita, utpotè tutior & certò honesta est tenenda.

Responsio prima.

Resp. inprimis cum S. Antonino *part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10. Quòd S. Aug. loquatur propriè de eo, qui differt pœnitentiam usque ad extremum vitæ; cujus salus dubia est & incerta; non quia vera pœnitentia non possit esse in extremis, & Deus indulgeat; sed quia incertum & dubium est, utrum talis sit verè pœnitens.* Ecce locus iste, si intelligatur juxta sensum ab Augustino intentum, non tangit quæstionem præsentem. Certè Aug. eo loco postquam dixerat, non solùm mortuos statim à baptismo, eosque qui post baptismum in innocentiâ baptismali perseverarunt, sed & peccatores, qui sani ante mortem pœnitentiam egerunt, mori cum morali quâdam certitudine salutis; subjungit alios esse, qui differunt pœnitentiam usque ad mortem, & dicit eorum salutem dubiam esse, quia dubium est an pœnitentia sit sincera; unde hortatur omnes ad pœnitendum ante mortem exclamando. *Tene certum, dimitte incertum.* At hoc quid ad rem nostram?

Resp. 2.

52. Resp. 2. innumera exempla, ut retinentis rem possessam non certò suam, accedentis ad conjugem non certò suam, obedientis, quando non certò constat rem præceptam esse licitam, &c. evidenter convincere dictum hoc Augustini nec debere, nec posse accipi in sensu ab adversariis intento; quia certum est, eos non peccare etsi sectentur minùs tuta, & relicto certo, incertis adhæreant.

53. Resp. 3. sectantem opinionem probabilem per consultationem reflexam esse certissimum de honestate formali suæ operationis, quia certò scit se prudenter agere, ut supra pluribus demonstratum est, quamvis non sit certus de honestate materiali objecti in quod fertur. Jam certum tenendum est, quoad vitationem peccati formalis; at quoad vitandum peccatum tantùm materiale, effatum illud solùm est consilium, non præceptum, ut patet. Resp. 3.

54. Resp. 4. argumentum æquè urgere contra usum opinionis magis ac minùs probabilis. Ergo Adversarii ipsi tenentur illi respondere pro casu majoris probabilitatis, in quo certum est, quòd liceat sectari minùs tuta. Eadem autem responsio valet pro casu probabilitatis directè minoris, quia quod est directè minùs probabiliter licitum, ejus honestas, si omnia considerentur, est incomparabiliter probabilior ejusdem inhonestate, ut fusè demonstratum est *quæst. 22 & 23.* Atque hinc independenter à consultatione reflexâ certâ & evidenti iterum respondeo, nec Augustinum nec alios ad licitè operandum requirere nisi certitudinem moralem, quæ certè non distinguitur à majori probabilitate, ut dictum est num. 24. Resp. 4.

Objectio quarta.

55. DEmum objici potest *cap. exivi*, ex Clementinâ *de verb. sig.* quod Antonius Merenda Pallavicino objecit, in quo cùm Patres Minores interrogassent Pontificem, an tenerentur sub vi præcepti ad nonnulla, quæ continebantur in regulâ sub verbo imperativi modi. Pontifex sic respondet. *Nos itaque qui in sinceris horum conscientiis delectamur,* Objectio quarta.

delectamur, attendentes, quod in iis, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ pars securior est tenenda: dicimus, quòd licet fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in regula, sicut ad præceptorum, seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur. Expedit tamen ipsis fratribus ad observandam puritatem regulæ & rigorem, quod ad ea sicut ad æquipollentia præceptis se noverint obligatos, quæ hic inferiùs notantur. Ecce in rebus ad animæ salutem spectantibus pars securior est tenenda ad vitandos graves conscientiæ remorsus. Sed usus opinionum in re morali est res spectans ad salutem animæ. Ergo in usu opinionum in re morali tutior pars est eligenda.

Caput exvi expenditur.

Responsio prima.

56. Resp. inprimis argumentum æquè probare, quòd illicitum sit sectari minùs tuta etsi probabiliora. ergo hoc argumentum ab omnibus solvendum est. ergo nil probat, quia nimis probat. Cæterùm huic textui sic respondet Card. Pallavicinus *in 1. 2. disp. 9. qu. 4. art. 2. n. 11. Hic textus meo judicio longè alium habet sensum, ac ille, qui objicitur; nam hoc ipso, quod Pontifex declarabat, sicut hîc declarat, per illud verbum imperativi modi non imponi præceptum, jam non remanebat amplius controversia, adeóque fratrum conscientia poterant esse tutissima, etiamsi verificaretur opinio, quòd semper teneamur sequi tutiorem partem; sicut Pontifex in eadem Clement. declarat, fratres non teneri sub præcepto ad omnia consilia Evangelica, licèt referat de hoc fuisse hæsitatum antea, quibusdam id affirmantibus, aliis verò negantibus. Sensus ergo Pontificis est, se delectari in sinceris eorum conscientiis, quæ nolebant manere sub dubio, & ideò non erant quietæ ex generalibus quibusdam responsis Nicolai III. ibi relatis*, quia in iis quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ pars securior est tenenda; *hoc est, danda est opera, ut declarentur omnia dubia, & lex sit clara & manifesta. Et ideò Pontifex pergit eam declarando, & enumerando singillatim ea, ad quæ tenebantur ex vi præcepti, ut constat ex verbis, quæ immediatè post subjicit.* Ut autem, *inquit*, hæc quæ videri possunt æquipollentia præceptis ex vi verbi, vel saltem ratione materiæ de quâ agitur, seu ex utroque sub compendio habeantur, declaramus, &c. *Quæ omnia nihil spectant ad asserendum, fratres teneri in omnibus sequi strictiorem partem, sed ad liberandas eorum conscientias ab omni scrupulo ac dubitatione, dum in singulis clarè noverint, an teneantur sub præcepto, nec ne.* Ita clarissimè respondet Pallavicinus loco citato; unde patet effatum illud, *in viâ salutis securior pars est tenenda*, non esse nisi consilium, si sumatur in sensu ab adversariis intento.

Explicatur caput exivi.

57. Deinde resp. Pontificem in hac constitutione apertè supponere, probabilitatem ad fundandam conscientiæ securitatem abundè sufficere. Probatur hoc, quia neminem eorum arguit peccati, qui probabili prudentum resolutioni inhærentes non compleverant ea omnia, quæ per modum imperativum proponuntur in regulâ, quòd tamen debuisset facere, si credidisset probabilem sententiam non excusare sectantes partem minùs tutam; hoc enim maximè conduxisset ad ostendendam necessitatem suæ constitutionis, & ad Fratres suæ obligationis commonefaciendos. At nil ejusmodi contendit Pontifex, ergo signum est, eum probè novisse & supposuisse, neminem eo nomine quod sectetur partem minùs tutam peccare, modò probabili prudentum determinationi de honestate sui operis se conformet.

Responsio secunda.

Pontifex in hoc canone supponit veritatem sententiæ benignæ.

58 Dices quid ergo opus erat declaratione Pontificis, si probabilitas securos reddebat? Respondeo. Superiores Ordinis, ad uniformitatem in subditis conservandam, ex officio suo debebant in re dubiâ tanti momenti & hinc inde probabili ipsam veritatem, quantùm commodè poterant, investigare, ac certam reddere, tum ut omnes

Replica.

Solutio.

fratres uniformiter operarentur, ne in intelligentiâ ac praxi regulæ eſſet diſſenſio in membris ejuſdem corporis. Cùm ergo ipſi per ſe rem definire nequirent, primò adierunt Nicolaum III. Verùm ille cùm omne dubium non ſuſtuliſſet, recurrerunt ad Clementem V. ut omni dubio per illum ſublato, omnes idem ſentirent circa vim & ſenſum regulæ, quæ non erat adeò facilis intellectu; nam aliqua ſolùm ratione materiæ, alia præcisè ex vi formulæ, ſub qua exprimebantur, alia non niſi ex utroque ſimul ſumpto erant præcepta, ut obſervat Pontifex in ſuâ conſtitutione. Pontifex ergo videns zelum ordinis, delectari ſe dixit in ſinceris eorum conſcientiis, qui ſedulò juxta obligationem ſui officii bono communi invigilabant, atque in ſe accepit onus declarandi regulam, & in hoc oculos conjecit, ut omnia clariſſimè explicarentur, quia hoc erat tutius pro bono Ordinis & ſalute fratrum, quàm omnia relinquere, ut antea, *ſub dubio, & opinionibus probabilibus*, cum diſſenſione membrorum ejuſdem corporis in intelligentiâ regulæ, & periculo ſcandali in aliquibus, qui facilè aut improbabilem pro probabili interpretatione acciperent, aut certè dubio non depoſito, vel etiam contra conſcientiam, ne ab aliis irriderentur, operarentur, & ſic peccarent. Hoc eſt, & non aliud quod dicit Pontifex, nam in toto corpore ad vitandos graves remorſus conſcientiæ neceſſe erat omnibus certam regulam proponi; non quòd illi, qui opinionem certò probabilem ſectarentur, meritò paterentur tales conſcientiæ remorſus, ſed quod multi imbecilles ob contrariam plurium opinionem permanerent in dubio, & cum remorſu, & conſequenter cum periculo peccandi eſſent alioquin operaturi. Hoc eſt autem quod dicit, expedire fratribus, ut certò ſciant ad quæ ſub præcepto teneantur.

Ratio cur Fratres recurrerint ad Clementem V. pro regulæ declaratione.

ASSERTIO SECUNDA.

Aſſertio 2.

Ex illa regulâ prudentiali, in dubiis tutior pars eſt eligenda, *efficaciter probatur, uſum opinionis minùs probabilis minùsque tutæ eſſe licitum.*

Regula illa, *in dubiis tutior pars eſt eligenda* probat noſtram ſententiam.

59. PRobatur. ex duobus mediis propoſitis in ordine ad finem aliquem obtinendum, de quorum conducibilitate nulla datur certitudo, illud eſt eligendum quod tutiùs & certiùs conducit ad finem. Sed hæ duæ oppoſitæ ſententiæ (utpotè obſcuræ & conſequenter ſub electionem voluntatis cadentes) ſunt media, quibus diſponimur ad vitandum peccatum, & obtinendam vitam æternam; unuſquiſque enim ad vitandum peccatum diſponitur juxta perſuaſionem prudenter acceptam, quod actus ſit vel non ſit peccatum, ut patet. Qui ergo prudenter aſſentitur iſtis opinionibus, eo ipſo formaliter diſponitur ad incurrendum vel vitandum peccatum prout ſuam operationem illis conformem aut non conformem exhibet. Jam opinio benigna mente aſſerta, & prudenter credita liberat ſuum aſſeclam à peccato, caſu quo ille opinioni directè minùs probabili minùſque tutæ in praxi ſe accommodat; ſententia verò rigida, quomodolibet aſſumpta ut regula, efficit, ut unuſquiſque, qui quod eſt directè minùs probabile minuſque tutum ſectatur, eo ipſo contra ſuam conſcientiam operetur, & peccet. Jam ex iſtis duabus ſententiis benigna certiùs ac tutiùs conducit ad vitandum peccatum, & finem ultimum obtinendum, quàm rigida. Ergo benigna præeligenda eſt, & præferenda rigidæ. Minor hoc modo demonſtratur; qui operatur juxta dictamen ſententiæ benignæ, ad ſummum exponitur periculo peccati materialis; certum enim eſt, quòd ſi quis illi aſſentiatur, & juxta illam operetur, non peccet formaliter in opere ipſo, ſed neque peccat

Probatio.

Adverſarii ſuis argumentis convincuntur.

Conducibilius eſt eligere ſententiã benignam, quam rigidam pro regula cõſcientiæ.

peccat in admissione dictæ opinionis; quia illam magni ponderis rationibus admittit, nec temerè ad eam amplectendam & credendam inducitur. Præterea qui admittit sententiam benignam ut regulam, non ideò exponitur periculo peccati, ne quidem materialis, quia adhuc liberum est illi sequi partem tutiorem; solùm ergo exponitur periculo peccati materialis, casu quo in praxi utatur dictamine sententiæ seu regulæ, quam eligit; sed tunc illud ipsum periculum parvum est, quia ex motivis verè magnis & discretis, seu probabilibus datur spes, quòd nulla lex ne quidem materialiter violanda sit. E contra, qui sententiam rigidam pro regulâ admittit, exponit se evidenti periculo peccandi formaliter; nam unusquisque indispensabiliter tenetur operari juxta dictamen suæ conscientiæ. Ergo in omnibus tenetur viam tutiorem sequi, aut certè probabiliora tantùm sectari. At utrumque est difficillimum, & aut moraliter impossibile, aut certè morali impossibilitati quàm proximum. At qui sponte se conjicit in talem statum, utique eligit quod formaliter magis periculosum est, & consequenter minùs conducens ad finem intentum; nam peccatum formale certius & gravius malum est, magisque impeditivum beatitudinis, quàm peccatum materiale, ut patet. Ergo sententia benigna certiùs ac tutiùs conducit ad vitandum peccatum, & finem ultimum consequendum, quàm opinio rigida. Ergo benigna ideò præeligenda est, quia *in dubiis tutior pars est eligenda.*

Sententia benigna vel rigida necessariò admittenda est pro regulâ cõscientiæ.

60. Confirmatur, quia quæstio hæc jam semel mota & in dubium revocata necessariò determinanda est, & altera pars admittenda ut regula; nam qui non assentitur opinioni benignæ, eo ipso in omnibus tenetur sequi tutiora, si enim amplectatur sententiam rigidam, ex conscientia obligatur ad tutiora, si verò dubius maneat, ad eadem etiam tenetur, quia in dubio unusquisque ad partem tutiorem sectandam obligatur. Ergo periculo in alterâ sententiarum contento necessariò subjacemus. Cùm ergo neutra pars sit certa aut evidens (ut nunc do Adversariis) & utraque sit probabilis, procul dubio juxta regulam illam, *in dubiis pars tutior præeligenda est*, sententia benigna rigidæ præferenda est, & illa, non hæc ut regula actionum humanarum admittenda. Cæterùm juvat hic exscribere præclaram observationem Cardinalis Pallavicini *loco citato, num. 12.* ubi hæc habet. *Cæterùm per se spectatum effatum illud*, in dubio tutior pars est eligenda, *verissimum est, si rectè intelligatur; nam vel agimus de electione practicâ, & hæc semper debet esse tutissima, quia debet esse evidenter licita, ut supra ostendi* (& nos idem docuimus) *vel de electione sententiæ speculativè obligantis, aut non obligantis, ad quam sententiam deinde sequitur judicium practicum, ut supra expositum est, & circa electionem hujus sententiæ, quærenda quidem est major securitas sententiæ, non major securitas actionis, sicut enim in condendâ lege, quærendum est optimum, sed optimum in jubendo, non optimum in faciendo, lex enim, per quam juberemus facere omnia optima, esset pessima, & inobservabilis, ac perpetua causa delicti, & damnationis; sic etiam si induceretur opinio, quâ semper teneremur facere illam actionem, quæ in agendo securior est, etiam à transgressione materiali, hæc opinio non solùm non esset tutior, sed maximè exposita periculo frequentis transgressionis formalis. quare tutior est opposita.* Hactenus præclarè & ad rem nostram Pallavicinus, quia qui eligit opinionem rigidam, eligit & quasi condit legem noxiam, ac minimè tutam, quia tale dictamen est lex conscientiæ, ut patet. Hanc eandem observationem non minùs eleganter ante 100. annos egregiè expressit Sylvester *verbo Confessio 1. n. 3. quæst. 2.* ubi hæc habet. *Licet sit tutius statim habitâ opportunitate confiteri quàm differre, non tamen tutius est tenere quòd*

Card. Pallavicinus

Quod est tutius in opere, non est tutius, sed minimè tutum, & maximè noxium si sumatur pro regula.

Silvester idem olim tradidit.

sic obligemur, quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi. Vides Antiquos pariter & Modernos in eandem veritatem conspirare. Nec mirum, quia effatum quod hic stabilire intendo, est evidenter verum.

Urgetur argumentum à fortiori.

61. Et hæc quidem ita se haberent, quamvis sententia rigida esset æquè probabilis, ac benigna. Verùm aliter se res habet; siquidem sententia rigida universaliter sumpta non est intrinsecè probabilis, & quomodocunque sumatur parvam probabilitatem obtinet. E contra benigna sententia summè probabilis est, & humano modo moraliter certa, ut constat ex dictis. ergo sententia benigna absque dubio præferenda est, *quia in dubiis tutior pars est eligenda*; nam benigna sententia simpliciter tuta est, rigida verò valdè periculosa.

Assertio tertia.

ASSERTIO TERTIA.

Sententia benigna prudentiùs admittitur in regulam conscientiæ, quàm rigida.

Aut imprudentis, aut certè minùs prudentis est admittere sententiam rigidam ut regulam, prudentis verò est sententiam benignam pro regulâ conscientiæ admittere.

Probatur dupliciter.

62. Probatur, non solùm ex regulâ illâ *in dubiis tutior pars est eligenda* jam expensâ, sed etiam ex aliâ regulâ juris, immò ex axiomate omnibus noto, scilicet; *ex duobus malis disjunctivè necessariis minimum est eligendum.* Jam ita constituti sumus, ut alterutram istarum sententiarum necessariò debeamus in regulam pro conscientiæ tranquillitate admittere; quævis autem in regulam admissa aliquid mali præ se fert; sententia quidem benigna admittit aliquod periculum peccati materialis, sed tamen semper conjunctum cum spe prudenti, quòd actio illa nulli legi ullatenus adversetur; neque aliud incommodum habet benigna sententia. At sententia rigida secum manifestum periculum plurium peccatorum formalium affert; nec cohæret cum spe prudenti, quòd homines illam ut regulam sectantes non sint lapsuri in plura peccata, quæ vitassent, si benignam sententiam pro regulâ admisissent. Hoc ex dictis manifestum est, & manifestiùs adhuc apparebit, si in Mercatores, & omnis generis officinas oculos convertas, miraberis enim quot peccata sint moraliter necessaria, si via tutior in omnibus & singulis sequenda sit, aut si non liceat nisi probabilioribus uti. Ergo juxta allatam prudentiæ regulam sententia benigna amplectenda est ut regula, rigida verò ut inepta tali numero rejicienda, quia *ex duobus malis disjunctivè necessariis minimum eligendum est.*

ASSERTIO QUARTA.

Assertio quarta.

Sæpè homines tam pro se quàm pro aliis tenentur sententiam benignam amplecti.

Sæpè tenentur homines amplecti benignam sententiam.

63. Probatur. Cognoscat aliquis fragilitatem sive sui, sive alterius, cujus cura ipsi incumbit, ex quâ vel experimento, vel aliunde doctus credat aut sciat, grande sibi illive periculum formaliter peccandi imminere, si in omnibus tutiora aut probabiliora sequi teneatur. In hoc casu, qui certè valdè frequens est, unusquisque ad sententiam benignam amplectendam, illamque ut regulam pro conscientiæ tam propriæ quàm alienæ directione admittendam obligatur; aliter enim tam se, quàm alios, quorum instructio illi incumbit, manifesto periculo formaliter peccandi absque necessitate exponeret, cùm addiscendo sententiam benignam, illique assensum præbendo tam se quàm alios hoc periculo facillimè posset liberare. At unusquisque tale periculum peccandi vitare tenetur, & unicum ad illud auferendum remedium adhibere. Persuasio autem nostræ sententiæ est unicum remedium hujus mali, quia stante humanâ fragilitate, & occasionum multiplici-

Probatio.

multiplicitate, sæpè aliud remedium prudenter sperari non potest, quàm facultas sectandi sententiam benignam; sæpè ergo datur præceptum addiscendi sententiam benignam, illamque alios docendi, à quâ obligatione multi aliter non excusantur, quàm per invincibilem ignorantiam veritatis hîc assertæ; per quam eos etiam excusari confido, qui sententiam duram extollunt, illamque in animos hominum totis viribus instillare conantur; doctrina enim illorum non solùm plurimorum tranquillitatem turbavit, sed omnes, qui aut illi adhæserunt, aut de benignæ sententiæ veritate dubii manserunt, in magnas angustias conjecit, eorumque animas manifesto peccandi periculo exposuit. Atque hæc de præsenti quæstione dicta sufficiant.

QUÆSTIO VIGESIMA-SEPTIMA.

Vtrùm SS. PP. maximè Augustinus & Bernardus benignæ potiùs, quàm rigidæ sententiæ faveant?

Status Quæstionis.

Quid potissime intendatur in hac quæstione.

1. NON ideò examino, quid SS. PP. nominatim Augustinus & Bernardus de hac re senserint, ut omnia apud eos loca benignæ sententiæ faventia in medium afferam, hoc enim esset laboris immensi; sed potissimè ut ea discutiam, quæ Mercorus, Wendrockius & Sinnichius rigidæ sententiæ favere arbitrantur. Ex iis enim efficaciter ostendam, SS. hosce Patres benignæ sententiæ subscripsisse. Unde unusquisque in hunc modum arguere poterit. Hi PP. in locis, quæ aliquo modo sententiæ rigidæ favere videntur, eam non tradunt, sed benignæ subscribunt. ergo absolutè stant pro benignâ sententiâ. sit ergo

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio prima.

Sancti PP. nobiscum sentiunt.

Sancti Patres existimarunt, benignam sententiam esse sufficientem conscientiæ regulam ad licitè operandum.

Favet nobis Hieronymus.

2. PRobatur, & quidem inprimis Hieronymus, qui refertur *de constit. in cap. ne innitaris*, satis expressè indicat veritatem nostræ sententiæ, ut supra declaratum est. Omitto Bernardum, Cassianum, aliosque omnes docentes licitum esse obedire, quamdiu non constat, superiorem illicita jubere. Hoc enim eorum effatum efficacissimè probat primarium intentum hujus tractatûs, ut patet ex dictis *quæst. 23. num. 79.* His adde omnes PP. citatos *quæst. 25.* qui interpretantes factum illud Prophetæ *3. Reg. 13.* apertè insinuant, eum à peccato mortali fuisse immunem, quod certè verum non esset, nisi opinio probabilis ad securitatem conscientiæ sufficeret. Itaque omnes illi PP. expresè favent nostræ sententiæ.

Bernardus. Cassianus.

Cassianus & Antiqui Monachi nobiscum sentiebant.

3. Cassianus in collatione Abbatis Theonæ *cap. 29.* hæc habet. *Quadragesimæ lege, qui justus est atque perfectus non tenetur, nec exigui hujus canonis subjectione contentus est; quem profectò illis, qui per totum anni spatium deliciis, vel negotiis sæcularibus implicantur, Ecclesiarum principes statuerunt, ut hac legali quadragesimali necessitate constricti, his saltem diebus Domino vacare cogerentur, ac dierum vitæ suæ, quos totos quasi fructus quosdam fuerant vorsaturi, vel decimas Domino dedicarent. Caterùm justi, quibus lex non est posita, qui spiritualibus*

spiritualibus officiis non exiguam illam, id est decimam partem, sed totum vitæ suæ tempus impendunt, quia liberi sunt à decimarum legalium functione; idcirco si eos superveniens honesta & sancta necessitas coarctaverit, audent stationem jejunii absque ullâ disceptatione laxare; non enim decimarum ab eis exiguitas mutilatur, qui omnia sua Domino secum pariter obtulerunt. Quod profectò absque summo fraudis reatu facere ille non poterit, qui nihil voluntariè offerens Deo inexcusabiliter solvere decimas suas legis necessitate compellitur. Hæc Cassiani sententia non ita crudè accipienda est, ut jacet; quasi verò justi, & perfecti Religiosi non tenerentur lege jejunii quadragesimalis; oppositum enim expresè tradit & apertè supponit Cassianus; solùm ergo docet, justos & perfectos Monachos (uti præclarè observat Joannes Nyder *in consolatorio timoratæ conscientiæ, parte 3. cap. 21.* & ex Joanne de Cambaco *lib. 14. de consolatione Theologiæ deducit*) non teneri eam legem secundùm litteram adeò rigidè observare, quin ipsam magis favorabiliter interpretari possint, quàm sæculares, qui numquam jejunant, nisi quando lege compelluntur. Hinc enim Nider in dicto *cap. 21.* ex Joanne de Cambaco ponit hanc regulam pro formandâ Epikeiâ. *Quarta doctrina; qui vult absolvi à debito alicujus præcepti, faciat in materiâ ejusdem notabiliter ultra debitum; hoc enim faciendo quis sperare debet firmiter, se absolutum fore à debito. exempli gratiâ. Teneris ex præcepto diebus dominicis & festivis à servilibus operibus abstinere. Si autem pluribus diebus in hebdomadâ, aut etiam regulariter à servilibus vacare operibus consuevisti, præsertim vacando Deo, & orationibus intendendo, & casu contingat te in die festivo quodam &c. ob necessitatem aliquid operari, dummodo hoc sine scandalo notabili fiat, te propter hoc gravari in conscientiâ non oportet. Patet in simili. Nam si quis teneretur alicui in 5. solidis, & per modum muneris 20. 100. vel 1000. marcas liberaliter ei daret, numquid talis deberet benè supponere, quod de 5. solidis aliàs solvendis quietatus esset? Est autem Deus in infinitum liberalior & clementior hominibus.*

Boni faciliùs quàm alii uti possunt Epikeiâ contra legem humanam.

4. Ecce qualiter antiquissimi Theologi, qualiter Cassianus, & sanctissimi Monachi de formandâ Epikeiâ senserunt. Certè qui hodie ita doceret, nullamque antiquorum authoritatem afferret, vix censuram Catonum modernorum evaderet. Nil tamen diceret non rationabile, si ritè intelligeretur. Nam nec Cassianus, nec illi aliud voluerunt, quàm quod in dicto *cap. 21.* exprimitur à Jo Nider, *scilicet tales*, de quibus Cassianus & illi loquuntur, *non teneri legem adeò rigidè secundùm litteram observare, quominùs eam per Epikeiam interpretari valeant pro loco scilicet & tempore, dummodo non contra intentionem legislatoris agant. Per quod non removetur, quin quantumcumque justus de lege communi servare teneatur* (hoc enim diu post hos Authores expresè definitum est à Tridentino sess. 6. can. 20.) *præcepta Ecclesiæ sanè intellecta secundùm intentionem præcipientis. Unde patet posse quem absolvi pro tempore à parvo debito per hoc, quod in eodem genere notabiliter facit ultra debitum, maximè quando, an illud parvum sit vel non sit debitum, dubitatur.*

Si moderni ista dicerêt, carperentur à multis.

5. Et sanè Bellarminus *lib. 2. de bonis operibus, cap. 10.* rectè admonet, quòd Cassianus longissimè abfuerit à Begardorum errore, ut ex hoc ipso loco colligit. Inprimis autem notat, eum affirmasse homines justos non subjacere legi cogenti, cùm ipsi toto anno sponte alacriterque jejunent. Deinde observat, eum docuisse, quòd viri perfecti tutiùs datâ causâ possint laxare indictum jejunium, quàm qui non servant nisi præscripta jejunia, quæ duo ipse ex eo approbat. Quòd si Cassianus (ut putat Bellarminus) hoc loco etiam docuerit, viros perfectos, qui per totum annum jejunant, non obligari communi lege jejunandi, nullatenus est audiendus. Sed non video, quòd

Sensus Cassiani exprimitur.

quòd ejus verba non possint mitiùs accipi, juxta intellectum ex Nider & Cambaco expositum; in quo sensu S. Thomas *2. 2. quæst. 147. art. 6.* ab hac Cassiani sententiâ non videtur recedere; nam *ad 2.* hæc habet. *Præcepta per modum statuti communiter proposita non eodem modo obligant omnes, sed secundùm quod requiritur ad finem, quem legislator intendit, cujus authoritatem, si aliquis transgrediendo statutum, contemnat, vel hoc modo transgrediatur, ut impediatur finis quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor. Si autem ex aliquâ rationabili causâ quis statutum non servet, præcipuè in casu, in quo etiamsi legislator adesset, non decerneret esse servandum: talis transgressio non constituit peccatum mortale. Et inde est, quòd non omnes, qui non servant jejunia Ecclesiæ, non peccant mortaliter.* Ecce S. Thomas Cassiano consentit in ordine ad Epikeiam dicto modo formandam, nec alia quoad hoc inter eos videtur esse differentia, nisi quòd S. Thomas sub terminis universalibus tradat, quod Cassianus speciatim de jejunio exponit.

S. Thom. non videtur à Cassiano discrepare.

6. Augustinus *sermone 191. de tempore*, qui est tertius in Dominicâ S. Trinitatis, inter reliqua hæc habet. *Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid à Deo homini esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.* Ex hoc loco sic arguo. Augustinus hîc manifestè condemnat duos errores Jansenii dicentis, aliqua Dei præcepta esse servatu impossibilia, & ignorantiam invincibilem juris naturalis à peccato non excusare; quorum errorum primus diametraliter opponitur Augustino; secundus verò illativè eidem evidenter contradicit. Nam si ignorantia invincibilis non excusat; ergo Deus præcipit impossibilia; nempè ea, quæ homo propter ignorantiam invincibilem nequit facere. Jam quomodo præcepta Dei evaderent impossibilia saltem aliquibus, & multò magis toti collectioni, si non liceret sequi opinionem probabilem minùs tutam ostensum est *quæst. 23. n. 102. & seq.* Unde ex hoc loco Augustini ritè infertur usum opinionis probabilis minùs tutæ esse licitum.

Augustini locus expenditur.

Præcepta Dei nec singulis, nec omnibus sunt observatu impossibilia.

7. Verùm hinc iterum sic arguo. Si probabilis opinio non excusaret, Deus alicui præciperet impossibile. Ponamus enim aliquem investigare præcepta Dei, ut ea impleat. Supponamus autem, eum in dubio exorto probabiliter bonâ fide concludere, se teneri ad faciendum aliquid, quod Deus prohibuit. v. g. ad condemnandum innocentem, qui juxta allegata juridicè convictus est in foro externo. In hoc casu homo ille sic judicando non peccat, quia probabiliter discurrit, & aliquando multis de causis probabiliùs, quàm si oppositum concluderet. At posito tali judicio, Deus illum obligaret ad impossibile. Si enim vir ille non condemnet innocentem, peccat contra conscientiam. Si condemnet innocentem, non excusatur per te, quia peccat contra legem. ergo homo ille postquam animo sincero absque peccato formasset sibi conscientiam juxta lumen rationis, quod habere poterat, necessariò peccaret, si probabilitas eum non excusaret. Consequens autem est blasphemum, & expresè contra mentem Augustini, cui proinde sententia rigida expresè repugnat.

Homo necessariò peccaret si probabilitas non excusaret.

8. Rursum Augustinus *lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 16.* expresè tradit nostram, communemque sententiam; ait enim. *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo seu casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere tamen sibi baptismum, vel ad interrogata respondere non possint: prosit eis, quorum in fide Christianâ jam nota voluntas est, ut eo modo baptizentur, quo modo baptizantur infantes, quorum voluntas adhuc nulla patuit &c. non tamen propterea damnare debemus eos, qui timidiùs agunt, quàm nobis videtur agi oportere. &c.* & paulò post. *Sunt enim*

Alius præclarus Augusti locus expenditur.

Catechumenus an baptizari possit in extremo vitæ, etsi nullum signum dederit?

enim qui vel in his, vel etiam in aliis observandum putant, quod dixisse Dominum legimus, nolite sanctum dare canibus, neque projeceritis margaritas vestras ante porcos. Et ista Salvatoris verba referentes baptizare non audent eos, qui pro se respondere nequiverint, ne fortè contrarium gerant voluntatis arbitrium. Quod de parvulis dici non potest, in quibus adhuc rationis nullus est usus. Hinc sic arguo.

Sententia benigna viguit tempore Augustini.

9. Tempore Augustini duæ erant Doctorum sententiæ, quarum altera tenebat illicitum esse, altera esse licitum baptizare Catechumenum in mortis articulo constitutum, etsi ille nullum posset dare indicium quod baptizari vellet. Utraque Augustino probabilis erat, sed probabilior, quæ docebat, licitum esse taliter constituto baptismum ministrari, sicut ministratur infantibus. Certè Augustinus suam sententiam solùm ut probabilem reputabat, quia nec oppositam, nec eam sectantes audet condemnare; quos tamen condemnandos credidisset, si aut suam sententiam certam esse, aut oppositam certò falsam vel improbabilem reputasset. Ergo Augustinus taliter administrantem baptismum judicat à peccato immunem, quamvis ille ex rationibus directis solùm formet conscientiam probabilem de honestate, cum formidine de inhonestate suæ actionis; conscientia enim ob probabilitatem contrariæ sententiæ, ut ex hypothesi patet, aliter formari non potest. ergo quicumque formare potest judicium probabile de honestate suæ operationis, juxta mentem Augustini sufficienter excusatur, etsi in eo ipso judicio de ejusdem inhonestate formidet. At aliud nos non docemus; nam etsi dicamus licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, loquimur tamen de opinione directè tantùm minùs probabili, quam, omnibus etiam reflexis argumentis ritè inspectis, scimus esse opposità probabiliorem, & absolutè veram reputamus, ut sæpè dictum est.

Eam Augustinus tenuit in casu particulari.

10. Sed & Augustinus in hac eadem materià pergit, & *cap. 18.* tradit eandem doctrinam pro casu longè difficiliori. Ait enim: *Ego non solùm alios catechumenos, verùm etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cùm salvos corpore in his pertinentes non admittamus ad baptismum, tamen si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebrà usque ad baptismum statuerant detineri?* Certè vox illa, *baptizandos puto*, clarè ostendit, Augustinum non certò, sed probabili tantum judicio quæstionem hanc determinasse. Nec mirum: nam etsi dicat, *si intra se pœnitentes jacuerint*, id potiùs piè supponit, quàm pro certo habeat; quia, ut ex contextu, & antecedentibus satis patet, moribundus supponitur nulla pœnitentiæ signa dedisse, nec baptismum petiisse, alioquin nullum dubium esse posset, an esset baptizandus, nec ne. Præterea *in cap. 16.* expresè supponit moribundum signa, per quæ mentem suam indicet, dare non posse. Idem ergo hoc etiam loco supponit, quia nullibi ostendit se quoad hoc statum prioris quæsiti alterasse. Porrò difficile est adulterum tali clade percussum illicò debitè pœnitere, aut ad baptismum utiliter recipiendum sufficienter esse dispositum. Augustinus tamen hoc ipsum supponit, & eo supposito, baptismum esse conferendum existimat. Porrò motivum, ob quod hoc supponit, idem videtur cum motivo propter quod idipsum in priori casu *cap. 16.* supposuerat dicens. *Non solùm incredibile est, nec in fine vita hujus baptizari catechumenum velle. Verùm etiamsi voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare: ubi velit an nolit non apparet, ut tamen credibilius sit eum si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere*

Augustinus adhuc ulterius expenditur.

oportere de corpore exire. Hæc enim æquè valent in utroque casu; nam in omni catechumeno baptismum differente tam pœnitentia, quàm voluntas recipiendi Sacramentum de præsenti requiritur, ut Sacramentum licitè, ac proficuè sumatur. Nam si desit voluntas, invalidè; se absit pœnitentia, infructuosè confertur baptismus. Augustinus tamen in utroque casu baptismum conferendum putavit.

Augustinus tenet, moribundum posse absolvi, etsi nullum det signum doloris.

11. Immò quod plus est, idem omninò sentit de Sacramento pœnitentiæ, nam in fine *cap. 18.* hæc subjungit. *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Neque ipsos ex hac vitâ sine arrhâ suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Unde sic arguo: per Augustinum eadem est ratio pœnitentiæ, quæ baptismi. ergo idem sentit de administratione utriusque Sacramenti. At baptizari potest catechumenus nullum dans signum, etsi eousque publicè vixerit in adulterio. ergo per Aug. Christianus, etsi usurarius publicus, morti proximus absolvi potest, etsi nullum dederit signum externum suæ pœnitentiæ, quia juxta phrasim & mentem Augustini: *satius est non volentem & non pœnitentem absolvere, quàm volenti & pœnitenti absolutionem negare: ubi velit an nolit sic non apparet, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se potiùs fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere, immò statuit nolle se de corpore exire.* Hæc sententia Augustini nec probabilior nec tutior est opposità, maximè si sermo sit de Sacramento pœnitentiæ, & potissimè si loquamur de publico peccatore subitaneo casu percusso, qui nullum suæ pœnitentiæ signum edere potest. Et qui ita nunc sentiret, Censorum modernorum notam non evaderet. Ecce Augustinus in materiâ Sacramentorum ea inter oppositas opiniones probabiles judicavit licere, & pro praxi resolvit ut licita, quæ vix quisquam modernorum pro licitis audebit admittere, nam etsi communis opinio ipsi consentiat in primo casu, tamen res in secundo casu est longè difficilior, & in tertio de pœnitentiâ difficillima, & vix aut ne vix quidem hoc tempore inveniri potest, qui talem pœnitentiæ administrationem arbitretur esse licitam. Nec obstat, Augustinum tam in 2. casu de baptismo adulteri, quàm in 3. casu pœnitentiæ dicere, *si intra se pœnitens jacuerit*, nam ita piè supponit eos pœnitere intus in animâ, ut simul supponat, eos exterius nullum suæ pœnitentiæ signa dare posse. Si enim pœnitentiam suam sufficienter ostenderent, nullum esset dubium, quin Sacramenta, quæ ad delenda peccata recipere cupiunt, eis administrari deberent. Cùm ergo Augustinus nullâ factâ variatione casûs, eodem modo loquatur de pœnitentiâ ac de baptismo, & pro conferendo baptismo nullum doloris aut voluntatis recipiendi baptismum indicium à professione catechumeni distinctum requirat, ita pro administratione pœnitentiæ aliud signum doloris non exigit, quàm quòd peccator ille fuerit Christianus, adeóque quòd præsumi possit, eum in illis circumstantiis velle absolvi, & hoc dicturum, si suam mentem manifestandi facultatem haberet. Ecce opinio ad minimum reipsâ minùs probabilis, atque etiam minùs tuta juxta mentem Augustini excusat sectantem eam, modò illa ab ipso vera habeatur. At nos nil aliud docemus. ergo Aug. nobiscum est.

Replica.

12. Dices, Augustinum loqui hic de opinionibus contrariis, quarum utraque docet nos præcepto urgeri ad taliter, vel aliter operandum. Nam ita probabile est baptismum tali catechumeno licitè conferri non posse, ut etiam sit probabile eundem illi conferri debere. At in casu ejusmodi neutra opinio est tuta, quia utraque conjuncta est cum formidine peccati. Itaque ita inter tales opiniones versamur, ut à pec-

candi periculo nequ eamus nos liberare. ergo in hoc casu pars illa eligenda est, quæ secum minùs mali videtur afferre. At præsens quæstio est longè alia, quia quæritur, an liceat sectari sententiam minùs tutam, relictâ tutiore. ergo Augustinus hoc loco nobis non favet.

Solutio. Resp. Augustinum de suâ sententiâ nullibi insinuare, quòd illa fundetur in obligatione dandi Sacramentum, immò satis indicat oppositum, quia asserit se aliter operantes peccati non condemnare, cùm tamen alii ideò abstinerent, quia putabant Sacramenta in tali casu licitè conferri non posse. Præterea dicit, alios timidiùs agere, quàm ipse agendum putabat. ergo ipsius sententia non proponebat præceptum; alioquin ex utrâque parte par timor fuisset. ergo ipsius sententia erat minùs tuta, quam tamen reputabat esse licitam in praxi, modò operans probabiliter judicaret illam esse veram.

Augustinus loquitur de parte minus tutâ.

13. Sed esto, loquatur Augustinus de utrâque opinione præceptum proponente. Adhuc in hoc etiam casu pars tutior eligenda est; ea autem tutior est, quæ minùs mali continet, nam ex duobus malis disjunctivè necessariis minimum est eligendum. At utraque opinio dicit suum objectum minùs mali involvere. ergo operans semper operatur cum formidine, ne sequatur opinionem plus mali continentem. Sicut ergo justificatur, qui sic operatur, quia absolutè credit, partem quam sequitur esse licitam, & solam oppositam malum continere; eò quòd ex tali judicio statim consurgat dictamen evidens de honestate operationis; ita pariter excusatur, qui sequitur partem minùs tutam, quia eodem modo credit nil mali esse in objecto, quod amplectitur, adeoque consurgit ad certitudinem de honestate suæ operationis. Præterea hinc sequitur, quòd in hujusmodi casu semper licitum sit sequi quamcumque ex opinionibus probabilibus oppositis, quia de neutrâ constat, quænam plura & majora inconvenientia secum trahat. Illudque Augustinus ut verum supponit, quia & suæ sententiæ, & etiam contrariæ usum supponit esse licitum. At hoc concesso, idem facillimè infertur pro omni alio casu. Nam quòd præceptum probabiliter utrimque urgeat non facit ad rem, quia operans absolutè credit nullum esse præceptum contra partem, quam sequitur, & ideò excusatur. At omnis, qui sequitur partem minùs tutam, idipsum credit, idque non minùs rationabiliter, quàm in casu præcepti utrimque probabiliter urgentis. ergo in utroque casu eadem ratio excusat; nam posito hujusmodi judicio directo æquè probabili in duobus operantibus, ambo æquè consurgunt ad formandum dictamen conscientiæ certum de honestate suæ operationis. Ergo ambo æquè excusantur.

Eadem doctrina locum habet, quando utraque opinio proponit præceptum obligans.

Si tales opiniones sint probabiles, licitum est cuicumque adhærere.

14. Huc etiam facit censura illa, quâ S. Ambrosius *tract. in Psalm. 118. serm. 5. versu 6.* eos perstringit, qui scrupulosè arctant conscientias. Cùm enim dixisset Timorem Dei, & Zelum legis servandæ conducere ad peccatum in Judæis infantes circumcidentibus, quia zelus eorum, cùm non sit secundùm scientiam, imputatur ad peccatum, quia ex ignorantiâ culpabili faciunt, quod non debent. Cùm, inquam, hæc dixisset de Judæis, illis comparat quosdam Christianos, quos reprehendit his verbis. *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, sed non secundùm scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi, consulere disciplinæ, opus virtutis exigere: sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, non æstimant possibilitatem.* Nil elegantius dici potest contra eos, qui nullâ probabilitate contenti, in omnibus certitudinem quærunt; eousque enim aggravant conscientias, ut impossibile sit eas magis gravari, nam ubi certitudo honestatis adest, nullum potest

Ambrosius nobis favet.

Ambrosii pulcher locus.

potest esse gravamen. Itaque juxta mentem Ambrosii, qui rationabiliter concludit aliquid esse licitum, eo ipso excusatur à peccato, & non nisi ex zelo indiscreto creditur obligatus ad tutiora, propter formidinem omni opinioni conjunctam. At hoc indirectè saltem concluditur etiam in usu opinionis minùs tutæ minúsque probabilis. ergo juxta Ambrosii doctrinam usus omnis opinionis certò probabilis est licitus.

Tertullianus nobis favet.

15. Legatur Tertullianus *lib. de Idololatriâ cap. 16.* ubi probabiliter ad praxim resolvit quæstionem in favorem partis minùs tutæ, & asserit Christianos licitè potuisse interesse sollemnitatibus nuptiarum, & aliis nonnullis, etsi simul necesse esset sacrificiis & cultui Deorum adstare. Ratio ejus est, quia Christianus solùm invitabatur ad nuptias, quibus ex se licet interesse, non autem ad sacrificium, quod proinde solùm aspiciebat non approbabat Christianus. Hæc resolutio est solùm probabilis; tum quia Christianus vocabatur ad sollemnes nuptias, quæ quà tales per se conjunctæ erant cum sacrificiis & cultu idolorum; tum quia non poterat abesse periculum aliquod nocendi sibi, & peccandi contra professionem fidei; tum demum quia periculum scandalizandi tam Gentiles quàm Christianos necessariò connexum erat cum tali actione; & tamen Tertullianus ex motivo tantùm probabili resolvit talem communicationem cum Gentilibus non esse illicitam. Jam quis credat Tertulliani resolutionem non fuisse habitam pro sufficienti regulâ ad excusandos eos, qui illi se conformabant? Indubiè plures illam amplectebantur, atque ideò censebantur immunes à periculo peccati formalis, quia prudenti resolutioni se conformabant. Nec obstat, Tertullianum postea errasse; nam catholicè scripsit hunc librum; & quamdiu catholicè vixit, vir fuit summæ authoritatis.

16. Celebre est factum Cypriani, qui decrevit baptizatos ab hæreticis, cùm ad Ecclesiam redirent, esse rebaptizandos. Hic error tunc erat contra usum Ecclesiæ, & postmodum determinatè est condemnatus. Factum hoc Cypriani Donatistæ in suum favorem ubique obtrudebant. Atque ideò Augustinus de hoc Cypriani facto frequentissimè loquitur. Nullibi autem audet eum peccati condemnare, nec in errore quem tenuit & divulgavit, nec in facto ipso, dum eos, qui ab hæresi ad Ecclesiam redibant, rebaptizabat. Imò ubique insinuat, eum ob bonam fidem & unionem cum Ecclesiâ à peccato fuisse immunem; quia indubitanter eum habet pro sancto, cùm tamen dubitet, an umquam errorem correxerit. Si vellem loca Augustini de hac re tractantia citare, deberem magnam Augustini partem exscribere. Hinc autem sic arguo. Probabilitas (si tamen rationes illæ ad probabilitatem pertingebant, cùm enim essent contra usum Ecclesiæ, non puto eas potuisse esse certò probabiles) & bona fides excusabat Cyprianum in re tanti momenti, in quâ & ab usu Ecclesiæ recedebat, & sacrilegii periculo in baptizatis rebaptizandis exponebat sese. Idque verum est ex mente Augustini. Ergo à fortiori ubi nulla est certitudo, nec usus Ecclesiæ, aut authoritas irrefragabilis, qualis certè non invenitur, quando opiniones sunt hinc inde certò probabiles, quævis probabilitas juncta bonæ fidei juxta Augustinum operantem excusabit. Quia si omnia considerentur, evidens est, majorem esse rationem tales excusandi, quàm Cyprianum eximendi à reatu peccati.

Factum Cypriani rebaptizantis ab hæreticis baptizatos expenditur.

Sola probabilitas & bona fides excusabat Cyprianum; idque juxta mentem Aug.

17. Similiter S. Bonifacius Germaniæ Apostolus tempore Zachariæ Papæ rebaptizabat eos, quos quidam minùs peritus linguæ latinæ baptizaverat *in nomine Patria, & filia, & Spiritua sancta.* Factum hoc Bonifacii novum erat, & valdè periculo-

Probabilitas & bona fides excusat rebaptizantem ritè baptizatos;

 sum;

sum; illico enim Virgilius, atque Sidonius viri religiosi Zachariam Papam de hac Bonifacii novitate admonuerunt. Zacharias Bonifacium reprehendit, sed eum peccati formalis ne quidem per umbram audet accusare. Signum ergo est, Zachariam in re tantâ propter meram probabilitatem ac bonam fidem & reipsâ & in Zachariæ Pontificis existimatione fuisse excusatum. Legatur Baronius *an. 744.* ubi fusè hæc tractat. Ecce PP. & Pontifices sanctissimi unanimiter censuerunt, bonam fidem in probabilitate fundatam operantes sectantesque partem minùs tutam in rebus maximi momenti excusare. Sed videamus quid adversarii ex Patribus contra nos objiciant.

Solvitur Argumentum primum.

Objectio I. 18. Objicit Mercorus *cap. in canonicis, distinct. 19.* desumptum ab Augustino *lib. 2. de doctrinâ Christianâ cap. 8.* ubi hæc habet. *In canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium authoritatem sequatur: inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis, præponat eis, quas quædam non recipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis quas pauciores minorisque authoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi (quemquam hoc inveniri vix possit) æqualis tamen authoritatis eas habendas puto.* Hactenus August.

Locus Augustini contra nos objicitur.

19. Ut argumentum hinc desumptum meliùs intelligatur sciendum est, quòd paulò ante tempora Augustini nondum esset certum, quinam sacræ Scripturæ libri accipiendi essent ut canonici, quinam pro talibus non recipiendi. Aliqui enim aut non omnes eos, aut alios libros recipiebant pro canonicis, quàm quos Ecclesia nunc ut tales approbavit. Primus qui canonem, seu catalogum librorum canonicorum suâ authoritate determinavit fuit Innocentius I. *epist. 3. ad Exuperium. cap. 7.* Vixit autem Innocentius an. Christi 402 Hūc Canonem Augustinus, Innocentio æqualis, cum aliis Episcopis Africæ in Concilio Carthaginensi 3. quod alii quintum, alii sextum appellant, acceptavit. Eundem Exuperius cum Episcopis Galliæ approbavit. Sed & Gelasius Papa in Concilio Romano eundem canonem recepit. Eugenius etiam in Concilio Florentino, & tandem Tridentina Synodus *sessione 4.* eundem canonem continuâ traditione in Ecclesiâ approbatum acceptaverunt. Jam ergo cùm Aug. hæc scriberet, nondum omnes Ecclesiæ receperant eundem canonem librorum canonicorum; ideóque Augustinus proponit regulam, quâ omnes prudenter uti possint in his libris acceptandis præ illis, quæ regula in citatis verbis continetur.

Innocêtius I. primus omniū determinavit, quinam libri essent Scriptura Canonica.

20. Porrò librorum canonicorum authoritas potissimè inservit, ut homines circa fidem & mores instruantur, ut Aug. libro illo fusè declarat, & per se patet. Itaque regula illa Aug. ad homines regulandos circa ea, quæ ad fidem & mores pertinent, deservit. In hoc omnes consentire debent, quia est effatum seipso notissimum.

Authoritas sacræ Scripturæ potissimè deservit fidei, & bonis moribus regulandis.

Præterea admitto cum Glossâ, quòd hæc eadem regula adhibenda sit non solùm pro sacrâ Scripturâ, sed etiam pro aliis omnibus scripturis, quas canonicas appellamus; quales sunt Canones Conciliorum, Decretales Pontificum, & Ecclesiarum particularium statuta. Nec mirum, quia omnes debent hoc admittere, cùm eadem sit ratio eandem regulam pro unis, ac pro aliis ejusmodi scripturis accipiendi. His positis sit

ASSER-

Assertio 2.

ASSERTIO SECUNDA.

Hac Augustini regula convincit, ipsum sensisse, unicuique tam in materiâ fidei quàm morum licitum esse sequi quamlibet ex duabus opinionibus probabilibus, quando nescitur quænam sit alterâ probabilior.

Probatio. Augustinus tenet, quod in materiâ fidei & morum liceat amplecti quamvis ex opinionibus æquè probabilibus.

21. PRobatur ex ultimâ clausulâ, quia juxta hypothesim omnes illæ scripturæ, canones, vel expositiones sunt æqualis authoritatis. ergo neutra alteri singulariter præferri meretur. ergo alterutra illarum præ alterâ eligi potest pro libito. Supponamus jam libros aut canones &c. quos æquè multæ & æquè principales Ecclesiæ acceptabant pro canonicis, sibi contradicere in aliquo, aut unam interpretationem ab aliquâ Ecclesiâ particulari tradi, ab aliâ verò æquali oppositam uti veram admitti, quod sæpè evenire potest. Sic Thomistæ aliter interpretantur loca sacræ Scripturæ de peccato originali, aliter Scotistæ. Ponamus utramque interpretationem reputari æquè probabilem; quænam illarum eligenda est? juxta Augustini regulam quævis eligi potest pro libito.

Quando contrariæ interpretationes sunt æquè probabiles, quævis eligi potest pro arbitratu. Et id verū est ex mente Augustini.

22. Nec dicas neutram in eo casu eligi posse absque peccato; illud enim certò falsum est in exemplo de immaculatâ B. Virginis conceptione, & expresse repugnat menti Augustini. Nam cùm apud omnes Ecclesias certum esset, aliquos ex libris tunc dubiis esse canonicos, nec licitum erat nec congruum nullos eorum recipere. Non licitum; quia repugnabat certissimæ obligationi recipiendi tamquam canonicos omnes libros à Deo hominibus traditos; constabat autem aliquos eorum esse tales, etsi in particulari nesciretur, quales illi essent. Non congruum; quia libri canonici continent regulam morum & fidei; ideóque si nulli acceptarentur ut canonici, eo ipso homines privarentur omni commodo, quòd ex eorum directione, tamquam ex regulâ fidei & morum derivari posset. At Augustinus vult homines eligere scripturam canonicam pro regulâ fidei & morum; & in ordine ad hoc tradit regulam. ergo juxta mentem ipsius licitum cuique erat in eo casu quamlibet præ aliâ eligere.

23. Cæterùm hic adverto, quòd quando sermo est de regulâ fidei, non semper loquamur de regulâ fidei Theologicæ, sed aliquando humanæ tantùm & prudentis, quæ tamen ad fidei articulos conformis est. Hac fide credimus, hanc hostiam esse validè consecratam, & ex eâ ad illam debitè adorandam dirigimur. Indigemus enim hac fide prudentiali ad honestè operandum. Jam Augustinus loquitur de hac fide, quia si les Theologica, quæ super omnia revelatis adhæret, fundari nequit nisi in indubitatâ Dei revelatione, qualis tunc temporis nulla erat de his potiùs quàm illis libris controversis, utpotè de quorum authoritate lis erat in Ecclesiâ. ergo quæ propria erant talium librorum credi non poterant fide Theologicâ, donec certò constaret, quinam illorum librorum essent canonici, & à Deo dictati.

Augustinus hic nō tam loquitur de regula fidei theologicæ, quàm prudentialis, & incertæ

ASSERTIO TERTIA.

Assertio 3.

Hac regula efficaciter ostendit, licitum esse in materiâ morum & fidei sequi opinionem minùs probabilem, probabiliore relictâ, & convincit Augustinum ita sensisse.

Hic locus Augustini probat benignam sententiam.

Probatio.

24. PRobatur. Regula illa quoad comparationem in assertione positam, quam sine dubio complectitur, continet consilium, non præceptum. ergo admittit libertatem sectandi partem minùs probabilem relictâ probabiliore. Tenet consequentia, quia alioquin regula illa contineret præceptum, quod falsum esse apertè convincitur. Si enim contineret præceptum, omnes

Regula ista Augustini strictissimè sumpta non continet præceptum, sed consilium.

omnes illæ Ecclesiæ particulares peccassent, quæ proprias traditiones, interpretationes, ac libros retinebant, relictis traditionibus, glossis, ac libris, quos Ecclesiæ majoris authoritatis admittebant. At certum est, eas, etsi scirent Ecclesias plures & majoris authoritatis alias scripturas canonicas admittere, non ideò obligatas fuisse suas traditiones alterare. Neque oppositum, utpotè apertè falsum, sensit Augustinus. At obligati fuissent, si regula Augustini præceptum contineret. Quæro jam, quid illos ab obligatione sectandi probabiliora liberârit? quid? sola probabilitas, etsi revera minor, & juxta regulam Augustini cognita ut minor; quia juxta illam evidens est, quænam Ecclesia particularis dicatur majoris authoritatis, quàm alia. Ecce juxta hanc Augustini doctrinam licitum cuique est in materiâ fidei & morum admittere pro regula quamvis opinionem certò probabilem. ergo in praxi licitum est sequi opinionem directè minùs probabilem, minùsque tutam; quia cuique licet sequi regulam morum & fidei prudenter admissam.

Assertio exemplo sancti Anselmi confirmatur.

25. Sed juvat hoc ipsum exemplo illustrare. S. Anselmus in suâ olim Ecclesiâ sancivit, ut festum in honorem Conceptionis Deiparæ celebraretur. Ponamus jam alias Ecclesias particulares, aut plures, aut majoris authoritatis (quod fortassè contigit) decrevisse, illicitum esse in re tanti momenti absque supremæ Sedis authoritate festum instituere, & observare. Quid in hac re juxta regulam Augustini faciendum erat? Peccavit ne Anselmus talem legem condendo, aut Ecclesia Anglicana eam observando? Censuitne hoc Augustinus? minimè. Nam cum probabili ratione duceretur Anselmus, benè fecit festum illud instituendo, & alii laudabiliter egerunt illud observando. At, inquies, plurium & illustriorum Ecclesiæ sanctiones hoc ipsum, pro illicito condemnabant. Quid inde? Illæ certè non nisi probabili fundamento nitebantur. Quomodo ergo, cùm nil certi traderent, poterant eos, qui legislatorum illorum jurisdictioni non subjacebant, ad illas admittendas obligare? Ecce regula hæc merum consilium continet.

26. Dices regulam Augustini ad eos tantùm extendi, qui sui juris sunt, & pro arbitratu possunt electionem instituere, quod illis integrum non est, qui alienæ jurisdictioni subjacent; sed contra, tum quia hoc gratis asseritur; tum quia si in re tanti momenti liceat leges condere, licitum etiam est omnibus sui juris easdem in praxim reducere. Si enim hoc non liceret, peccarent qui tali Ecclesiæ se incorporarent, quia eligerent regulam fidei & morum, contra præceptum hîc ab Augustino propositum. Ecce regula hæc purum cõsilium continet. Ergo ex mẽte Augustini licet contra eam operari. ergo in materiâ morum & fidei licet sequi opinionem minùs probabilem minùsque tutam.

Respondetur replicæ.

Solvitur Argumentum secundum.

Objectio 2. ex S. Chrysostomo.

27. Objicies 2. D. Chrysostomus *homil. 44. in Matthæum*, hæc habet. *Si vestimentum empturus unum giras negotiatorem & alterum; & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas; an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi sincerè veritas Christi venumdatur, & ubi corrupta; & veriorem eligere plus quàm vestimentum?* Ex hoc loco sic arguit Mercorus. Vox illa, *an non oportet*, ex se obligationem importat. Præterea Chrysostomus in antecedentibus dixerat ignorantiam non excusare, quod verum non esset, nisi obligatio eligendi doctrinam veriorem urgeret. Deinde, sicut homo ex lege prudentiæ tenetur vestes meliores viliori pretio emere, ita ex ejusdem prudentiæ lege tenemur veriorem doctrinam sectari. Ergo ex mente Chrysostomi

sostomi in materiâ fidei tenemur sequi opinionem probabiliorem. ergo à pari etiam in moralibus.

Responsio. Resp. verba hæc non esse Chrysostomi, sed Authoris operis imperfecti, cujus authoritas tanti non est. Deinde dico, verbum *oportet* non potiùs significare rigorosum præceptum, quàm purum consilium: consideretur illud *Luca 13. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas &c. non oportuit solvi à vinculo isto die sabbathi?* Sicut & illud: *sex dies sunt in quibus oportet operari.* Similia ubique sunt obvia. 1. ad Corinth. 11. *oportet & hæreses esse.* Itaque ex hoc verbo non constat Authorem illum potiùs loqui de præcepto, quàm de consilio. Sed neque id probatur ex antecedentibus, in quibus, ut Mercorus tradit, dixerat Author, ignorantiam non excusare. Nam sermo est de verâ Christi doctrinâ, & fide verâ, quæ necessaria est necessitate medii tam ad salutem, quàm ad omnes actiones salutares. At à damnis à tali ignorantia dependentibus nemo excusatur per ignorantiam etiam invincibilem, quæ tamen peccatum non involvit. Ecce si sermo sit de ignorantiâ invincibili, illa certissimè excusat à novo peccato, sed non à damnatione aliisque incommodis ab illâ dependentibus. Rectè ergo dixit Author, ignorantiam talem non excusare; sed inde non sequitur, quòd loquatur de præcepto potiùs quàm de consilio; quod si loquatur de præcepto, loquitur de ignorantiâ vincibili, quæ neminem excusat. Verùm talis ignorantia non cohæret cum certâ probabilitate ullius opinionis, ut patet.

Verbum *oportet* non magis importat præceptum, quàm consilium.

28. Sed neque paritas conducit ad intentum. Prudentia enim solùm obligat ad media opportuna, non autem aut tutiora vel tutissima. Prudentiæ ergo est consulere quidem meliora, sed non obligare nisi ad perfecta. Jam ut casus sit ad rem, supponendum est, ita probabile esse emptori, quod vestimentum sit optimum & infimo pretio offeratur, ut oppositum sit solùm paulò probabilius. Hoc autem admisso, prudentia ad ulteriùs circumeundum non obligat, quia rationabiliter timetur, ne major sollicitudo futura sit penitus inutilis. Certè intolerabile esset homines ad tantam diligentiam in omni negotio obligari, quanta requiritur, ut in omnibus major sit probabilitas, quòd negotium non possit, quàm quòd possit utiliùs tractari. Nemo certè est, qui homines ad tantam diligentiam ex lege prudentiæ obligatos esse judicet.

Prudentia non obligat ad media tutiora vel tutissima.

29. Hinc sic arguo. Paritas, in quâ argumentum fundatur, non continet præceptum, sed purum consilium, modò sit ad rem, & procedat de homine constituto inter duas partes contradictionis certò probabiles. ergo Author hoc loco consilium tradidit, non expressit præceptum, si dicatur argumentum instituisse à pari. Cæterùm esto, loquatur de præcepto, quo quis ad veriorem doctrinam quærendam, & amplectendam obligetur; hoc nobis non adversatur, nam etsi directè loquendo solùm sit minùs probabile objectum aliquod esse licitum, reflexè tamen idipsum longè probabilius est opposito; ideóque nos numquam sequimur nisi opinionem certissimè probabiliorem oppositâ. Ecce locus iste benignæ sententiæ favet, non rigidæ. Præterea Author argumentatur à fortiori, potiùs quàm à pari. At in argumento à fortiori non requiritur similitudo, sed sufficit si in antecedente detur convenientia, ut in consequenti, quod à fortiori procedit, intelligatur esse obligatio. At his admissis, nil, quod urgeat, pro rigidâ sententiâ ex hoc textu afferri potest.

Paritas si ad rem nostram applicetur, probat veritatem benignæ sententiæ.

Solvitur Argumentum tertium.

30. Bernardus, inquit Mercorus, *in regulam S. Benedicti, cap. 38. proponit & solvit.* Objectio sexta ex S Bernardo.

solvit quæstionem, an sicuti qui operatur bonum, quod putat esse malum, peccat; ita mereatur, qui operatur malum, quod putat bonum: ibique tradit regulam rectæ conscientiæ, quæ ab eo vocatur oculus interior. Hactenus Mercorus, qui statim citat verba Bernardi, quæ sic se habent. *Ego, ut interior oculus verè simplex sit, duo illi necessaria arbitror, charitatem in intentione, & in intellectu veritatem.* Unde subsumit Mercorus: ad conscientiæ rectitudinem requiritur veritas in intellectu; sed non est veritas in intellectu sequentis opinionem minùs probabilem, quia talis doctrina dubia est, & potiùs apparet falsa, quàm vera. ergo juxta Bernardum, qui sequitur opinionem minùs probabilem non operatur cum conscientiâ rectâ. ergo peccat. Rursus Bernardus paulò infra hæc subdit. *Patet ergo, laudabilem illam à Domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, benevolentiâ, atque prudentiâ; ut oculus videlicet non solùm pius, qui fallere nolit, sed cautus sit, qui falli non possit.* subsumo: sed qui sectatur opinionem minùs probabilem non habet oculum ita cautum, qui falli non possit. ergo ex mente Bernardi non habet oculum rectum. ergo peccat. Ita Mercorus; sed malè citat Bernardum, qui ista habet *in lib. de præcepto & dispensatione cap. 17.*

Assertio 4.

ASSERTIO QUARTA.

Bernardus manifestè stat pro benignâ sententiâ.

Bernardus stat pro nobis, & locus citatus idipsum evincit.

Probatio.

31. Probatur, & quidem quòd S. Bernardus absolutè stet pro sententiâ benignâ supra *quæst. 23. num. 81.* ostensum est, ubi perpendimus quid sentiat de obedientiâ subditi, quando non constat, an superior bonum vel malum præcipiat. Jam quod locus hîc citatus idpsum evincat probatur sic. Bernardus *in dicto cap. 17.* ostendit, quomodo etsi bonum unicuique evadat malum, si illud malum esse crediderit, & quidem tantum malum, quantum credit; non tamen inde sequatur, quòd (verbis Bernardi utor) *tantum cuique bonum sit quod operatur, quantum vel falsò opinatur.* Disparitatem dicit Bernardus refundi in oculum nequam, à quo, juxta allusionem Salvatoris *Matthæi 6.* tenebræ in totam operationem refunduntur. Hunc oculum nequam definit componi ex errore intellectûs, & pravâ intentione voluntatis; quæ duo ubi concurrunt, tantam per Bernardum malitiam in operationem refundunt, quantam operans illi credit inesse. Similiter oculum simplicem eodem modo in ordine ad bonum se habere contendit; eum autem oculum simplicem vocat, qui ex veritate in intellectu, & bonâ intentione voluntatis coalescit; asseritque hunc oculum tantum boni in opus refundere, quantum intellectus illi inesse existimat. At si oculus cordis solùm sit pius, non simplex, id est si intentio sit bona, sed erret intellectus, operatio non tantùm pulchrificatur, quantùm ab oculo simplici, quia cùm causa patiatur defectum, nil mirum si aliquis etiam defectus in effectum redundet. Proportionaliter discurrit Bernardus de oculo malo, quem in solâ voluntatis perversitate constituit. Hunc oculum malum vocat, non nequam, quia aliquid boni continet, cùm oculum nequam nil boni continere, sed in utraque parte à bono deficere, definiat.

32. Ecce Bernardus oculum cordis quadrifariam dividit, in bonum, & meliorem, id est in pium, & simplicem, in malum, & pejorem, id est in malum, & nequam; quâ distinctione eleganter expositâ, sic *in cap. 18.* quæstionem elegantissimè resolvit. *Si igitur is oculus verè nequam est, qui perversus pariter & cæcus bonum agit, & malum credit, utique rectè operando, sed opinando iniquè, bonum sibi in malum vertit, & tantum malum, quantum crediderit: quandoquidem juxta sententiam Domini totum corpus tenebrosum reddit* Oculus cordis à Bernardo quadrifariam dividitur.

Peccans tantum mali facit, quantum vel falsò putat se facere.

oculus nequam. Quid enim luci relinquitur, ubi nec pia intentio, nec vera opinio invenitur? At non ideò sequitur, ut qui è contrario malum facit, & bonum putat, juxta suam filem & ipse similiter invenias. Quare? Non est quippè simplex oculus ille, qui ex judicio veritatis totum corpus lucidum reddat, qualem profectò superiùs definivimus. Neque enim ex toto adhuc tenebræ desunt, ubi ignorantia veritatis lucem obscurat voluntatis. Cùm itaque ille oculus utrumque malum, is verò minimè utrumque habeat bonum: nonne ratio videtur exigere, ut plus ille noceat, quàm prosit iste? Neque enim consequens est, ut tantum valeat in bonum, bonum unum; quantum duo mala, in malum. Deinde docet oculum pium, id est bonam intentionem, etsi in errore fundatam, esse laudabilem, neque condignâ retributione fraudandum, licèt opus esse non possit undequaque perfectum, quia materialiter malum est, & à Deo prohibitum. Ait enim: *Et quidem laude dignam dixerim vel solam intentionem piam, nec planè condignâ remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas: attamen sine malo quocumque non erit decepta simplicitas.* Nec obstat, quod postea dicat tale opus esse peccatum, quia non est ex fide verâ; nam solùm loquitur de peccato materialiter sumpto, quia objectum, quod verè est prohibitum, semper retinet aliquam denominationem mali, & ideò non est undequaque bonum, sicut opus ex veritate & bonâ intentione profectum. Ad hæc attendere debuisset Wendrockius *dissert. de probab. sec. 2. §. 2.* ubi hunc locum Bernardi producit, sed ea omnia omittit, quibus Bernardus asserit, *piam intentionem esse laude dignam, & voluntatem bonam etiam in opere non bono remuneratione non fraudandam.* ex quo videas, quàm parum sinceri sint adversarii in citandis PP. ipsam enim medullam sententiæ, aut dissimulant aut omittunt, cùm tamen tota dissertationis intelligentia, ab eo, quod omissum est, dependeat. Ecce, juxta Bernardum, qui bonâ fide sequitur opinionem probabilem, etsi falsam, operatur cum oculo pio, etsi non cum simplici. ergo juxta Bernardum *laudabiliter operatur, neque condignâ retributione privabitur.*

Malum bonâ intentione factum, ut bonum, est opus bonum juxta Bernardum.

Wendrockius, citans Bernardum non sincerè procedit.

33. Confirmantur hæc omnia, quia Bernardus in hoc eodem libro expresse asserit, obedientem superiori malum præcipienti certissimè non peccare; locum suprà *quæst. 23. num. 81.* expendimus. At peccaret, si quæ Mercorus & Wendrockius objiciunt, vera essent in sensu ab illis intento. Extollit Wendrockius clausulam illam Bernardi cap. 18. *Sive itaque malum putes bonum quod fortè agis, sive bonum malum quod operaris, utrumque peccatum est, quia neutrum ex fide,* scilicet *verâ*, ut ante Bernardus dixerat; sed transferat Wendrockius casum hunc ad subditum superioris sui authoritate deceptum. Peto an, juxta Bernardi mentem, obediens bonâque fide bonum credens malum quod facit, peccet nec ne? Si affirmet, palam errat. Si neget, cur ergo hunc Bernardi locum non interpretatur, ut certissimæ ejusdem doctrinæ non contradicat? Nos hoc possumus præstare, quia verum vero cohæret; nam hoc loco solùm loquitur de peccato denominativè & materialiter sumpto, in priori autem loco negat obedientem peccare peccato formaliter imputabili. Quæ duo optimè cohærent. At adversarii nullam rationabilem interpretationem afferre possunt, quia falsum vero non commensuratur. Si enim obediens, malum bonâ fide exequens, inimputabiliter operatur; quomodo quæso universaliter verum est, unumquemque imputabiliter operari, *sive malum putet bonum quod fortè agis, sive bonum malum quod operatur, quia utrumque peccatum est?* Certissimum ergo sit, Adversarios mentem Bernardi non esse assecutos, sed ita eum interpretari, ut & veritati certæ, & sibi ipsi manifestè contradicat.

Ex eodem libro mens Bernardi ostenditur.

Wendrockius non benè intelligit Bernardum.

Prima Mercori objectio.

34. Sed ad singulas Mercori objectiones aliquid dicendum est. Prima sic se habet. Ad rectitudinem conscientiæ juxta Bernardum veritas requiritur in intellectu. Hæc non adest, quando quis sectatur opinionem minùs probabilem. ergo sic operans non operatur ex conscientiâ rectâ. ergo peccat.

Responsio.

Resp. argumentum æquè urgere contra operationem ortam ex errore, & ignorantiâ invincibili, quam tamen certum est non esse formaliter peccaminosam. ergo certum est, Mercorum non esse assecutum mentem Bernardi. Præterea argumentum æquè procedit contra majorem ac contra minorem probabilitatem. ergo nimis probat.

Mercorus immutat terminos Bernardi, & ad sensum alienum detorquet.

35. Deinde resp. majorem esse falsam; Bernardus enim non requirit veritatem pro conscientiâ rectâ, sed solùm pro oculo, seu conscientiâ simplici, ad hoc ut tanta bonitas refundatur in operationem, quanta illi creditur inesse. Præterea Bernardus ibidem dicit, oculum seu conscientiam piam, etsi errantem, esse laudabilem, & dignâ retributione non cariturам. ergo error in intellectu ex mente Bernardi non impedit conscientiam rectam, juxta sensum præsentis quæstionis; id est conscientiam sufficienter excusantem à peccato formaliter imputabili. Ecce quàm pronum est viro docto labi in arguendo ab authoritate, si immutet terminos textûs, uti hîc factum est à Mercoro, qui loco *oculi simplicis* substituit *conscientiam rectam*, id est dictamen sufficiens ad excusandum à peccato formaliter imputabili, cùm Bernardus longè aliud intelligat per oculum simplicem, ut ex ipsius verbis patet.

Secunda Mercori ponderatio fundatur in abusu terminorum.

36. Ad secundam Mercori ponderationem dico, quòd etsi sequens opinionem minùs probabilem, si judicet illam esse veram, non habeat lumen intellectûs falli nescium, adeóque careat simplicitate à Bernardo explicatâ; habet tamen oculum pium, & dictamen prudens ac probabile, etsi fortè erroneum; quæ sufficiunt ad excusandum à formali malitiâ peccati, & ad benè operandum ut Bernardus ibidem expressè tradit. Cæterùm si loquamur de judicio reflexo, & ultimo conscientiæ dictamine, illud semper oritur, à lumine falli nescio, in quantum enunciat de honestate electionis ad hoc objectum hîc & nunc terminatæ. Constat autem hanc certitudinem ad conscientiæ securitatem sufficere. Invenitur autem in omni usu opinionis certò probabilis, ut sæpè supra demonstratum est. Stet ergo Bernardum nobiscum sentire, atque idipsum ex hoc loco, quem Adversarii sibi favere putant, apertè constare.

Solvuntur objectiones Wendrockii.

Objectio prima.

37. Objicit 1. Wendrockius Augustinum *libro 3. contra Academicos cap. 16.* ubi eorum sententiam, qui dicebant, *cùm agit quisque quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat*, ex professo refutat hoc modo. *Id igitur*, inquit, *audiens adolescens insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ. Te, te consulo Marce Tulli; de adolescentium moribus, vitáque tractamus, cui educandæ, atque instituendæ omnes illæ litteræ tuæ vigilaverunt.* Tum inducit Tullium sic respondentem. *Quid aliud dicturus es, quàm non esse tibi probabile ut id faciat adolescens.* Hanc autem responsionem sic refellit. *At illi probabile est; nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare rempublicam, quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit ergo ille juvenis conjugem alienam.* Deinde asserit se seriò loqui. *Sed vos*, inquit, *me jocari arbitramini. Libet dejerare per omne divinum nescire me prorsus quomodo ille peccaverit, si quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat. Taceo de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque quæ fieri, aut cogitari possunt flagitiis aut facinoribus, quæ paucis verbis, &* quod

Licitum non est quod Academici vocabant probabile.

quod est gravius, apud sapientissimos judices defenduntur. Quomodo enim non faceres, quod probabile visum est? Tandem sic concludit. *Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique timendum, quòd nefas omne, si hæc ratio probabilis erit, cùm probabile cuique visum sit esse faciendum, non solùm sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committatur.* Hactenus Aug. qui æquè eisdem verbis nostram, ac illam Academicorum sententiam confutat.

Responsio. 38. Resp. Academicos, teste Aug. *lib. 1. retract. cap. 1.* prohibuisse quemquam ulli rei assensum præbere, quia turpe est sapientem errare. Itaque cùm omnia incerta existimarent, nil affirmandum esse dictitabant. Ex hoc eorum principio eos confutat Augustinus, dicens adolescentem hac doctrinâ imbutum non debere existimare adulterium esse malum; quo stante, pronum est ut adulterium ob commoda in eo relucentia probetur adolescenti, ipsique propter speciem boni evadat probabile; nam ut ait Aug. *libro 2. contra Academ. cap. 11. id probabile vel verisimile Academici vocant, quod nos ad agendum sine assensione potest invitare. Sine assensione autem dico, ut id quod agimus non opinemur verum esse, aut non id scire arbitremur, agamus tamen.* Ecce juxta Academicos, si quis faciat quod specie boni allicit, non culpatur nec errat, modò non judicet illud bonum esse vel malum, quia agit quod probabile videtur. Quis autem non videt, hanc Academicorum doctrinam fatuam esse, & omni sceleri viam aperire? Meritò ergo eos Augustinus redarguit. At nos nil simile docemus; quia aliud longè intelligimus nomine rei probabilis; eam enim tantummodò verisimilitudinem ad probabilitatem pertingere dicimus, quæ ad virum prudentem & probum absque ullâ animi passione judicantem in sui assensum alliciendum sufficit. Illi è contra non distinguentes inter vincibilem, & invincibilem apparentiam veritatis, quamcumque veri & boni speciem, ita animum allicientem, ut ad operandum sufficienter invitaret, probabile appellabant. Unde sequitur juvenem adulterando non peccare, si verum sit, quòd *quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat.* Authores autem nostræ sententiæ requirunt apparentiam, quæ citra ignorantiam vincibilem & omnem inordinatum appetitum fundare potest assensum prudentem de absolutâ rei honestate. Deinde postulant ut operaturus vel directè, vel indirectè prudenter existimet opus esse licitum, atque ita demum ad certitudinem de honestate suæ operationis exurgat. In nullo ergo participamus cum Academicis, ex quorum principiis omnia flagitia honestantur.

Academici docebant prudentem nulli objecto debere assensum præbere.

Probabile quid sit juxta Academicos?

Nos toto cælo ab Academicorum sententiâ distamus.

39. Præterea Academici volebant homines in dubio operari, & id hoc loco impugnatur ab Augustino. Hoc adeò manifestum est, ut qui notis marginalibus Augustinum illustravit, huic *cap. 16.* hanc notam quasi pro titulo capitis adjunxerit. *Facere quod videtur probabile citra assensum nefarium est.* quasi Augustinus aliud non intenderet, quàm neminem excusari posse, nisi probabiliter credat se honestè operari. Et sanè Wendrockius aliqua verba omisit ab Augustino adjecta, quæ idipsum sufficienter convincunt; non enim absolutè docet Augustinus, Academicos dixisse, hominem non peccaturum, si faciat quod probabile videtur, sed hæc subjungit, *tantùm nulli quasi vero assentiatur.* Hæc clausula, seu conditio limitans doctrinam Academicorum, ideò fortassis omissa est à Wendrockio, quia ostendit eos docuisse, hominem in dubio operantem, ideò quia dubius est, à peccato excusari, & aliud hîc ab Augustino non impugnari.

Academici volebant homines in dubio operari ut sic à peccato essent immunes.

Wendrockius omisit verba in textu, quæ multum limitant sensum sententiæ, quam Augustinus impugnat.

40. Cæterùm locus iste evincit, Augustinum nobiscum sentire. Considera clausulam illam. *Illud est capitale, illud formido-*

 losum,

Hic textus efficaciter probat August. nobiscum sentire.

locum, illud optimo cuique timendum, quòd nefas omne, si hæc ratio probabilis erit, cùm probabile cuique visum sit esse faciendum, tantùm nulli quasi vero assentiatur, non solùm sine sceleris, sed etiam sine erroris vituperatione committatur. Hæc verba hunc non alium sensum admittunt: si hoc dogma Academicorum, *illud faciendum est, aut absque notâ fieri potest, quod probabile visum fuerit &c.* esset probabile, omne nefas absque notâ vituperationis committi posset. Hoc sequitur ex datâ hypothesi, sed hypothesis est evidenter impossibilis. Unde arguo sic: si hoc effatum, *licitum cuique est sectari quamcumque opinionem verè probabilem*, sit probabile, qui talem opinionem sectatur, per Augustinum non peccat. Sed evidens est, illud effatum esse probabile. ergo per Augustinum sic operans non peccat.

Objectio secunda.

41. Objicies 2. Aug. *lib. 1. de Bapt. contra Donatistas cap. 3.* quærit, an Donatista, qui ad Catholicam Ecclesiam redire meditatur, & jam fatetur se certum esse, baptismum in Ecclesiâ Catholicâ rectè suscipi, sed dubitat, an rectè apud Donatistas suscipiatur, possit in parte Donati baptismum accipere. Huic quæstioni sic respondet. *Si dubium haberet non illic rectè accipi, quod in Catholicâ rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel ex eo solo, quòd certis incerta præponeret.* & capite 5. *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum.* Hinc Wendrockius arguit. Qui sequitur partem minùs probabilem, relictâ tutiore, in rebus ad salutem animæ spectantibus præfert certa incertis. ergo per Augustinū certissimè peccat.

Responsio. Augustinus loquitur de dubio.

Resp. sermonem esse de eo, qui certus est, Baptismum licitè sumi in Ecclesiâ Catholicâ, sed dubitat, an licitè sumatur in schismate Donati? Quid hoc contra nos, qui docemus neminem excusari sectando partem minùs tutam, quamdiu de ejus inhonestate dubitat? Quoties etiam dictum est solam probabilitatem non sufficere, nisi mens consurgat ad certitudinem, ne certis incerta præponat? Præterea sermo est hîc de re improbabili, nam improbabile est, quòd homini, certò cognoscenti se esse in schismate, liceat extra Ecclesiam Catholicam baptizari, cùm sciat Ecclesiam Catholicam docere idipsum esse illicitum. Nam ut optimè arguit Augustinus ibidem cap. 4. *Si transiturus est ad Ecclesiam, quæro causam? quid aliud responsurus est, nisi quia malum est esse in parte Donati, & non in Catholicâ unitate?* Unde Augustinus infert peccatum esse in parte Donati manere, stulteque peti veniam in eâ manendi, donec baptizetur. Subjungit enim: *Hoc qui sibi concedi vult, potest ab Ecclesiâ, vel à Deo ipso petere, ut sibi vel unO die apostatare concedat: nam cur unius diei esse apostata timeat, & unius diei esse schismaticus, hæreticusve non timeat, nulla causa est.* Unde paulò post cap. 5. sic concludit. *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum.* Ecce Aug. expressè loquitur de dubio propriè dicto, aut certè de tali incerto, quod non est probabiliter honestum; in quo casu fatemur omnes tutiora esse sectanda. At nos loquimur de eo, qui prudenter deponit dubium, atque ita exurgit ad certitudinem de honestate suæ operationis. Unde errat Wendrockius, dum dicit, sectantem opinionem minùs tutam includi in hoc casu Augustini; non enim dubitat, sed directè bonâ fide prudenter credit verum esse, quod eligit, & reflexè certus est de honestate formali suæ operationis, etsi non sit certus de absolutâ honestate materiali ejusdem. Itaque certis incerta non præfert in eo sensu, in quo Augustinus asserit illud esse illicitum.

Deinde loquitur de re improbabili.

Hic locus potiùs favere

42. Addo locum hunc nobis potiùs favere

vet, quàm adverterur sententiæ benignæ.

re quàm adversariis: considera argumentum Augustini. *si dubiũ haberet &c. graviter peccaret &c.* Ergo Aug. videtur insinuare, quòd si non esset dubius, sed prudenter crederet id sibi licere, non peccaret illud amplectendo. Nec obstat, quod Aug. affert ibidem *cap. 5.* dicens: *Qui per ignorantiam ibi baptizantur, arbitrantes ipsam esse Ecclesiam Christi, in istorum quidem comparatione minùs peccant, sacrilegio tamen schismatis vulnerantur, non ideò non graviter peccant, quia alii graviùs*; quia Aug. loquitur de errore vincibili, quo stante repugnat contrariam opinionem esse certò probabilem. Quod autem loquatur de errore vincibili inde constat, quod dicat eos sacrilegio schismatis vulnerari, quod verum non esset, si ex invincibili ignorantiâ suam fidem formarent, nam certum est apud Augustinum, ignorantiam invincibilem legis positivæ excusare à peccato, & pueros in hæresi educatos peccati hæreseos reos non esse, quamdiu de suo errore invincibilem patiuntur ignorantiam. Omitto nonnulla alia loca à Wendrockio allata, quia nullius sunt ponderis. Demum adverto omnia hæc æquè urgere contra usum opinionis probabilioris minùs tutæ. ergo ab omnibus solvenda sunt, quia certum est usum partis directè probabilioris esse licitum.

Solvitur Argumentum Sinnichii.

Objectio 4 ex Sinnichio.

43. OBjicies cum Sinnichio; si opinio etiam probabilior illam sectantes à peccato excusaret, ideò esset, quia probabilitas illa major fundat judicium prudens de absolutâ honestate partis minùs tutæ. At hoc est falsum. ergo nulla probabilitas sectantes partem minùs tutam umquam excusat. Probat minorem Sinnichius ex Aug. *lib. 6. de utilitate credendi, cap. 11.* ubi hæc habet. *Tria sunt velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima; intelligere, credere, opinari; quæ si per se ipsa considerentur, primum sine vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium numquam sine vitio.* Hinc insurgit Sinnichius, & *num. 364. tractatûs in Decalogum* ita concludit. *Si nũquam sine vitio, numquam ergo non vitiosum. Rursus si numquam non vitiosum, profectò numquam non inordinatum, numquam non monstrosum, numquam non naturæ rationali dissentaneum.* Ita Sinnichius, qui omnem omninò formidinem mali abesse vult ab intellectu, ut voluntas possit à peccato excusari.

An opinio semper sit mala, & turpis?

44. Resp. neminem sequi hanc Sinnichii doctrinam, nec ipse Sinnichius suam secutus est. Nam quando quis Eucharistiam accipit, certus non est se in statu gratiæ accedere, quod tamen à Deo præcipitur; solùm ergo cum aliquâ formidine dispositionis debitæ accedit, nec tamen ideò peccat sic formidolosè accedens. Nec dicas præceptum non esse, nisi ut homo probatus accedat; ille autem probatus est, qui sufficientem causam non invenit ad putandum se esse indignum; hoc autem certum est accedenti, qui ideò non peccat. Contra est; quia Sacramentum illud est vivorum, & præceptum directè postulat ne quis mortuus accedat; nam ideò probatio præcedit, ut constet accedentem esse gratiæ stolâ vestitum. itaque sola probabilitas & bona fides dispositionis debitæ, etsi conjuncta cum formidine oppositi, accedentes excusat à violatione præcepti directè postulantis accessum in gratiâ. Deinde si hæc responsio locum habeat, eadem obtrudi poterit in aliis præceptis: nam Authores nostræ sententiæ contendent nullum esse præceptum de ullâ re, cujus honestas est probabilis, quia prudenter præsumitur non esse, atque ita ubique certitudo honestatis habetur, quamvis formido de malo materiali non excludatur.

Responsio.

Nemo in praxi sequitur sententiam Sinnichii, ne quidem ipse Sinnichius.

45. Wendrockius excusat Sinnichium, quasi

Wendrockius perperam interpretatur Sinnichium.

quasi non tam rigidè accipiendus sit, ut verba ipsius præ se ferunt, sed in hoc dupliciter errat. Errat primò, quia ipse post rejectam benignam sententiam ut laxam, laxiorem & periculosiorem approbat. Errat 2. quia ita interpretatur Sinnichium, ut nisi inconsequenter locutus sit, interpretatio Wendrockii non subsistat. Inprimis Wendrockius ita Sinnichium exponit, ut licèt accedens ad Eucharistiam certus sit sibi ad Eucharistiam accedendum esse, non tamen certus est se in eo non peccare. *Reperitur enim*, inquit, *quædam ejusmodi certitudo agendi, quamvis malè agendi formido supersit.* At quomodo quæso excusatur à peccato, qui operando formidat, ne in ipso suo opere Deum offendat? absit à me qui benignæ sententiæ subscribo, ut tam periculosam, tamque laxam resolutionem unquam admittam. certè qui sic accedit contra conscientiam peccat, quia bonâ fide non accèdit: *quod autem non est ex fide peccatum est*: Ecce Wendrockius laxior est quàm quos de laxitate reprehendit.

Wendrockius laxior est illis, quos laxitatis accusat.

Præterea in censurâ libri à Mercoro editi expressè tradiderat, neminem excusari à peccato contra conscientiam, si vel minimum formidet, ne operando Deum offendat. In hujus rei confirmationem approbat sententiam S. Thomæ *quodl. 8. art. 13.* illique confidenter subscribit. Sanctus autem Thomas ibi expresè docet, eum contra conscientiam peccare, qui vel minimum formidat in operando Deum offendat. Ergo Wendrockius in hoc asserto apertè sibi contradicit.

Wendrockius sibi contradicit.

46. Deinde inconsequentiam Sinnichio affingit Wendrockius. Nam trepidè accedentem ad Eucharistam ita excusat, ut merè fortuitum sit, quòd aut à peccato excusetur, aut peccet. Si enim erret in judicio de statu gratiæ (neque enim aliter mentem ejus hac in parte intelligo) certò peccat; excusatur autem, si non erret. At fortuitum est, quòd erret vel non erret. ergo stante totâ dispositione quam habet, fortuitum est quòd peccet, vel non peccet. Sed à Sinnichio, utpotè veterano Theologo, absit tam palmaris inconsequentia. Fatetur Sinnichius, peccatum esse quidquid cum formidine turpitudinis peragitur, & in hoc benè sentit. Itaque requirit conscientiæ certitudinem, ut operans à peccato excusetur; nec dubium, quin in sumente Eucharistiam admittat necessitatem peccati saltem contra conscientiam, nisi accedens certus sit de suæ sumptionis honestate. Absit etiam ab eodem doctrina tam absona, ut existimet fortuitum esse homini, eandem in actibus intellectûs & voluntatis dispositionem invariatam habenti, peccare vel non peccare. Si enim peccet, quando non est in gratiâ, tota ratio peccati inest actibus quos habet, illumque Deus propter illos aversatur. Ergo impossibile est, quòd Deus, stantibus eisdem actibus, illum non aversetur, sed propter eos illum amet, quomodocumque se habeant alia. Ecce hæc Wendrockii interpretatio nec honorifica est Sinnichio, nec ad mentem ejus accedit, sed illi diametraliter opponitur. Sed quidquid sit de hoc;

Wendrockius Sinnichio inconsequentiam affingit.

47. Resp directè, & dico Sinnichium à mente Augustini evidenter aberrasse. Augustinus enim, ut rectè observat Wendrockius *in judicio libri à Sinnichio editi*, loquitur in sensu Academicorum, & nomine opinionis non intelligit assensum imbecillum cum formidine oppositi, sed eam animi dispositionem, quâ propter fallibilem apparentiam firmus & formidinis expers assensus præbetur. Unde sic affectus scire se putat, quod nescit. Hoc modo vocem *opinari* sumi ab Augustino constat ex verbis, quæ habentur post illa, quæ Sinnichius citavit. Ait enim, *opinari duas ob res turpissimum est, quòd & discere non potest, qui sibi jam se scire persuasit, si modò illud disci potest; &*

Sinnichius à mente Aug. aberrat Augustinus quid nomine opinionis intelligat?

per

per se ipsa temeritas non benè affecti animi signum est. Hanc mentis affectionem Augustinus, aliique omnes errorem vocant, tum quia affectus voluntatis est temerarius & stultus; tum quia intellectus in aliquo semper errat, cùm judicet se scire quod non scit. Unde Augustinus paulò post subjungit: *Quod intelligimus igitur debemus rationi: quod credimus authoritati: quod opinamur errori.* Temeritatem etiam paulò inferiùs Augustinus in opinione agnoscit, ubi dicit. *Hæc dicta sunt, ut intelligeremus nos, retentâ fide illarum etiam rerum, quas nondum comprehendimus, à temeritate opinantium vindicari.* Ecce Augustinus in omni opinione errorem & temeritatem agnoscit, quorum neutrum invenitur in opinione probabili, seu in judicio prudenti formidoloso. Non error, quia talis assensus & potest esse, & sæpè est verus. Non temeritas, quia nec assensus, nec voluntas imperans assensum formidolosum excedit meritum apparentiæ sollicitantis ad assensum. Præterea fides humana infirma & debilis caret temeritate, eamque Augustinus ut innoxiam, omniquè culpâ immunem toto illo libro prædicat. At eadem est ratio de judicio probabili. Præterea si verum diceret Sinnichius, tam ipse quàm omnes alii peccarent in omni resolutione, quàm solùm probabiliter determinarent. At sequela est patenter absurda. ergo Sinnichius non rectè intellexit Augustinum.

Si Sinnichius verum diceret, peccasset in omni ferè resolutione sui libri.

Replica.

48. Dices assensus ille formidolosus non est scientia, nec fides. ergo juxta Augustinum est opinio. ergo per Augustinum talis assensus semper est malus.

Resp. certum non esse, quòd Augustinus illâ divisione comprehenderit omnem differentiam actuum intellectûs. Resp. 2. si omnes actuum differentias comprehenderit, assensus probabilis reduci potest ad fidem; de objectis enim sic judicatis solemus dicere, *credo rem ita se habere*, etiam quando ratione ad ita existimandum inducimur. Deinde correspondentia talis assensûs cum fide humanâ, tum propter utriusque formidinem, tum propter similitudinem volitionis imperantis utrûque, probat opinionem ad fidem revocari debere. Immò ipse Augustinus accipit *credere* pro aliquo, ad quod *intelligere* & *opinari* revocatur. Ait enim: *Intelligens omnis etiam credit, & omnis, qui opinatur.* Præterea opinio probabilis & prudens, alia fundatur in ratione, alia in authoritate; hæc secunda revocatur ad fidem, illa prima revocari potest ad *intelligere*, seu ad scientiam juxta sensum Augustini; quia est rationabilis persuasio non authoritati, sed soli rationi subnixa, in quo differt à fide, & convenit cum scientiâ.

Solvitur.

49. Demum ex hoc loco sic arguo. Assensus probabilis per Augustinum, laudabilis est, cùm careat omni temeritate non minùs quàm fides. Ergo irreprehensibilis est, qui in praxi tali se dictamini conformat. nemo enim reprehendi potest, qui sequitur assensum, quo irreprehensibiliter judicat aliquid esse licitum. Ecce loca Augustini potissima, quæ contra nos objiciuntur, validissimè confirmant nostram sententiam, cui proinde Augustinus, aliique Patres indubitanter favent, quidquid aliqui dicant in oppositum. Omitto alias citationes, tum quia minùs urgent, quàm istæ, tum quia ex præjactis fundamentis ac doctrinis facillimè solvuntur.

Hic textus Augustini favet nobis.

QUÆ-

QUÆSTIO VIGESIMA-OCTAVA.

Quantum roboris habeant rationes adversariorum?

Quæstionis Resolutio.

Solvitur prima ratio.

Ratio 1. à Mercoro allata.



1. SANCTUS Thomas *quodl. 9. art. 15.* dicit, *quæstionem de habendis pluribus præbendis absque dispensatione periculosè determinari, quia ambigua est, dum Theologi Theologis, & Iurista Iuristis inveniuntur contraria sentire.* Hæc ambiguitas, inquit Mercorus, consistebat in probabilitate rationum utrique parti faventium. ergo dubius ex opinionum contrarietate periculosè se determinat. ergo peccat se determinando, nisi sequatur partem tutiorem.

Responsio.

2. Resp. S. Thomam solùm loqui de obligatione, quâ Theologi premuntur, quando dubia moralia resolvunt. At quid hoc ad quæstionem præsentem, quæ quærit, an post Theologorum discretam resolutionem liceat eorum determinationi inhærere? Quod hoc non liceat, nec hîc nec ullibi docet S. Thomas. Immò oppositum est certum. Nam S. Thomas supponit sententiam Theologorum esse posse sufficientem regulam actionum humanarum, alioquin tam ille, quàm alii frustra consilium dedissent, & quæstiones ejusmodi determinassent. Hîc rogo à Mercoro, utrùm vel nunc liceat, vel olim licuerit sequi sententiam S. Thomæ in re apud Theologos controversâ? Non puto eum tam parvi facere authoritatem tanti Doctoris, ut nolit ejus authoritatem sufficere ad dubium prudenter deponendum, & licitè atque securâ conscientiâ operandum. ergo nunc licet, & olim licuit sancti Thomæ sententiæ stare. Si illius, ergo & aliorum Doctorum, puta Scoti, Durandi, Baconis, Suarii, Navarri aliorumque resolutioni stare possumus. At nec S. Thomas, nec quisquam aliorum semper resolvit quæstionem pro parte tutiore. Rursus resolutiones horum Doctorum solùm sunt probabiles. ergo olim licuit, & nunc licet sequi opinionem probabilem minùs tutam, probabili tutiore relictâ. Et S. Thomas hoc tenuit.

S. Thomas supponit prudentem resolutionē Theologorum esse sufficientem regulam pro securitate conscientiæ.

3. Rursus nos loquimur de quæstionibus jam à Theologis certò probabiliter resolutis. At S. Thomas loquitur de quæstione oblatâ resolvendâ, in quo non minùs premit adversarios quàm nos; non enim minùs periculosum est conscientias nimis arctare, quàm ultra debitum laxare. Cur ergo hoc nobis ab adversariis objiciatur, nemo dixerit, cum ipsi eodem argumento impetantur. Jam ut Theologus resolvat quæstionem propositam, non requiritur nisi certa probabilitas. Imò sufficit probabilitas minor, cognita ut talis; alioquin peccarent Thomistæ jurantes in verba S. Thomæ; fieri enim non potest, quin aliquæ ejus sententiæ aliquibus Thomistarum appareant minùs probabiles oppositis. ergo licet Theologo docere quamcumque ex opinionibus contrariis certò probabilibus, etsi directè minùs probabilem minúsque tutam. ergo licet aliis eandem in praxi sequi. Si enim non liceret eam in praxi sectari, Theologus illicitè eam ut licitam proponeret. Ratio enim, cur non liceat

Minor probabilitas excusat docentem, & operantem.

Theologo

Theologo nisi post maturam deliberationem sententiam ferre, est, ne doceat quod non licet, & proponat opinionem pro regulâ, cui alii, si scirent quomodo resolutio facta est, licitè non possent se accommodare. ergo quod excusat Theologum à peccato in resolutione cujusvis quæstionis, idipsum homines se tali resolutioni conformantes excusat. At quævis certa probabilitas, etsi minor, excusat Theologum in resolutione dubii propositi. ergo quævis probabilitas securum reddit quemcumque, qui bonâ fide secundùm illam operatur.

Replica Mercori.

4. Instat Mercorus sic: qui se exponit periculo errandi, & errat de facto, culpabiliter errat. At qui credit rem illam esse licitam, & sic deponit conscientiam, exponit se periculo errandi. ergo si erret, culpabiliter errat, & peccat.

Non omnis, qui se exponit periculo errandi & errat, peccat.

Resp. majorem universaliter sumptam esse evidenter falsam; Thomistæ enim & Scotistæ contraria judicantes de immaculatâ Deiparæ conceptione exponunt se periculo errandi in re gravissimâ, nempè in sensu sacræ Scripturæ ritè intelligendo, ut patet. Nihilominus nemo illorum præcisè propter hoc periculum peccati redargui potest. Similiter omnes Theologi, resolventes aliquam quæstionem de moribus vel fide exponunt se periculo errandi, eam tamen resolvendo non peccant, etsi reipsâ errent. Rursus minor vera non est nisi de periculo inculpabiliter errandi in judicio directo de absolutâ honestate operis, nam falsissima est de ultimo judicio practico, quod fundatur in priore illo judicio ut in objecto, & à quo voluntas immediatè dirigitur, ut ostensum est in superioribus. Itaque argumentum nullum est, si sermo sit de errore in intellectu.

Quodnam periculum peccati incurri non possit absque peccato.

5. Quòd si sermo sit de errore in voluntate, major iterum evidenter est falsa, alioquin quicumque ad convivium aliquod, aut liberiorem conversationem inter personas utriusque sexûs accederet &c. eo ipso peccaret, quia non faceret quod posset ad vitandum errorem in voluntate, cujus periculum prævidet, quamvis commodè & periculum, & unà errorem vitare posset. omnis enim ejusmodi conversatio cum aliquo periculo peccati conjuncta est, ut patet. Idem à fortiori valet de non sectante consilia Evangelica, ad quæ à Deo invitatur &c. At certum est ejusmodi conversationes ex se non esse peccata; sicut peccatum non est, omissis consiliis, in sæculo vivere. Itaque ut major sit vera, peccatum, quod imminet, debet esse peccatum formale, & periculum valdè magnum, tunc enim obligamur ad illud evitandum. At si periculum non sit adeò magnum nulla ejus vitandi datur obligatio. Minor locum non habet nisi de periculo peccati materialis, cum certitudine, quod peccatum formale vitetur. Consequentia est nulla.

Qui sequitur partem minùs tutam non peccat, si non erret.

6. Et sanè miror cur Adversarii semper recurrant ad casum erroris, cùm eadem sit ratio sive erret, sive non erret intellectus. Unde sic arguo in contrarium. Qui sequitur conscientiam probabilem non erroneam non peccat peccato imputabili ratione sui. ergo excusatur qui bonâ fide sequitur conscientiam probabilem erroneam. Antecedens patet, quia nec peccat contra legem, nec contra conscientiam. Consequentia probatur 1. ex opposito, quia si sequens conscientiam erroneam probabilem peccaret, peccaret etiam sequens conscientiam veram; quia cum in utroque casu veritas ipsa æquè sit incerta, idem datur locus formidini, ne lex violetur. ergo idem semper est periculum sectandi falsam opinionem. ergo si sequi dictamen probabile sed errans est peccatum, & intrinsecè malum; utique sequi dictamen probabiliter errans peccato non caret, quia est se exponere evidenti periculo peccati formalis. At sequi conscientiam probabilem veram non

 est

est peccatum. ergo nec sequi erroneam. Probatur hæc eadem consequentia 2. directè. Quando duo habent similes penitus actus in intellectu & voluntate, impossibile est unum peccare aut excusari, quin alter pariter peccet aut excusetur, quia fieri nequit, ut unus laudabiliter operetur, si aliter non se habeat in seipso, quàm alter, qui peccati actualis est reus. Sint duo ex diversis diœcesibus, qui ex similibus motivis probabilibus credant se non obligari ad jejunandum tali die, sed alter erret, alter verum dicat. Certè si uterque sequatur suum dictamen, aut uterque aut neuter peccabit, quia uterque habet eosdem actus in intellectu & voluntate. At verum dicens non peccat. ergo nec errans.

Solvitur ratio secunda.

Ratio secunda.

Demonstratio imaginaria Mercori.

7. VT quis rectè operetur, inquit Mercorus, regulari debet à dictamine practico absolutè dictante opus hic & nunc esse licitum. Sed intellectus constitutus inter motiva contraria utrimque probabilia nequit formare judicium ejusmodi, saltem pro parte minùs probabili. ergo qui sectatur partem minùs probabilem minusque tutam non operatur honestè. ergo peccat. Hanc rationem Mercorus existimat esse absolutè demonstrativam.

Refellitur prætensa demonstratio.

8. Resp. minorem, quoad majorem probabilitatem directam, esse evidenter falsam, ut demonstratum est, *qu. 7.* At quoad probabilitatem parem vel minorem eadem propositio est probabilissimè falsa, uti ostensum est *quæst. 8. & 9.* Sed quidquid sit, utrum quis ex vi probabilitatis directæ paris vel minoris possit conscientiam formare, certum est, quòd ex vi rationum reflexè probantium eam formare possit; nam quod est directè minùs probabiliter honestum, ejus honestas, si omnia inspiciantur, est longè probabilior ejusdem inhonestate, uti demonstratum est *quæst. 22. & 23.* ergo certum est, quòd in omni casu certæ probabilitatis directæ de honestate operis formari possit judicium conscientiæ dictantis, illud opus esse licitum. Nulla proinde est demonstratio prætensa Mercori, utpotè cujus minor est evidenter falsa.

Tertia ratio Mercori.

Ratio tertia ex Mercoro.

9. NUlla operatio est honesta, quæ non est conformis legi æternæ seu primæ morum regulæ, vel conformitate reali, vel saltem apparente. At qui sectatur opinionem minùs probabilem minúsque tutam, elicit operationem nec realiter nec apparenter conformem legi æternæ, quia stante majore probabilitate in oppositũ, illa potiùs apparet repugnare, quàm conformari legi æternæ, nam motiva probabiliora magis suadent minùs probabilibus. ergo operatio conformis sententiæ minùs probabili minúsque tutæ numquam est honesta. Ita Mercorus *part. 2. art. 8.*

Mercorus aliam instat demonstrationem.

Atque hinc infert, opinionem minùs probabilem non posse esse, ne quidem quoad nos, regulam morum. Secunda enim regula in tantum est regula, in quantum censetur conformis primæ regulæ. Sic horologium in tantum est regula temporis, in quantum vel est, vel certè in quantum motui corporum cælestium, id est primæ temporum regulæ, conforme creditur. Jam si haberemus horologium, de quo nulla esset moralis certitudo, quòd conformaretur motui cælesti, sed crederemus illud æquè verisimiliter ostendere horam decimam ac quartam, quando quarta esset monstranda, nemo nisi irrationabiliter uteretur tali horologio pro regulâ actionis horâ quartâ peragendæ. Hic est casus noster. Minor probabilitas partis minùs tutæ non est aptior ad ostendendam conformitatem cum primâ regulâ morum, quàm difformitatem

mitatem cum eadem. Immò argumenta potiora pro ejus inhonestate efficaciùs ostendunt ipsius difformitatem, quàm argumenta honestatem arguentia conformitatem ejusdem cum divinâ lege. ergo minor probabilitas favens parti minùs tutæ non est sufficiens regula honestatis. His ita deductis Mercorus his verbis concludit. *Hæc demonstratio ita evidens est, ut nec apparentem responsionem quis fingere possit, nisi subvertat principia moralis Theologiæ.*

Contendit Mercorus Deum non posse permittere usum nostræ sententiæ pro regulâ conscientiæ.

10. Rursus sic arguit Mercorus: sæpè nobis incompertum est, quid lex æterna præcipiat. ergo ut tunc etiam possimus operari secundùm præscriptum legis æternæ, debuit Deus regulam quoad nos constituere, quâ utentes, saltem ut plurimùm, operemur veram virtutem. At usus sententiæ minùs probabilis minúsque tutæ, relictâ probabiliore, plerumque non ducit nos ad opus honestum simpliciter, sed potiùs ad inhonestum, cùm credibilius sit, illud contrariari legi æternæ, quàm illi conformari. ergo Deus, si velit nos vivere secundùm virtutem, non potest statuere pro regulâ quoad nos usum opinionis minùs probabilis minúsque tutæ, probabiliore relictâ.

Idipsum exemplo corroborat.

11. Rem exemplo declarat. Dux jubeat militibus aggressionem urbis obsessæ mediâ nocte, quia pepigit fœdus cum civibus, ut eâ horâ portas urbis aperiant. Verùm, ne errent in dignoscendâ illâ horâ, det illis horologium, quo dirigantur ad aggressionem urbis tempore statuto. Certè talis dux non daret illis horologium quodcumque, sed quod ut plurimùm motui cæli conformari putaret. Si enim daret illis horologium non magis aptum ad monstrandam horam 12. quàm nonam, signum esset ducem illum non velle serìò urbis deditionem, quia non curaret utrum miles aggrederetur urbem potiùs horâ 12. quàm 9. ergo similiter Deus, si velit nos vivere secundùm virtutem à lege æternâ præscriptam, non potest nobis præscribere usũ opinionis minùs probabilis minúsque tutæ, per quẽ aut æquè, aut etiam verisimiliùs contingit oppositum virtutis poni à nobis, quàm ipsam virtutem. Ita Mercorus.

Ratio tertia solvitur.

Responsio.

Lex æterna alia per se, alia per accidens dirigit nos.

12. Revocandum est in memoriam discrimen inter legem æternam, quæ talis est per se, & quæ talis est per accidens. Lex æterna per se est, quæ ordinat de rebus independenter ab errore, vel ignorantiâ mentis humanæ. Lex æterna per accidens est, quæ ex suppositione erroris vel ignorantiæ humanæ de rebus ordinat. Utraque hæc lex debuit in Deo existere stante providentiâ ordinariâ, quâ homines nostri similes ad finem ultimum dirigit. Hæc certa sunt, & fusè declarata *quæst. 11. n. 11.* similiter certum est, actum conformem legi æternæ, existenti per accidens, esse honestum, Deóque placere, quamvis objectum, quod ponit, non conformetur legi æternæ, quæ per se disponit de rebus.

Legislatores humani utuntur vocibus communis significationis, ac actibus præcisivis.

13. Hoc ut rectè intelligatur, notandum, quòd homines condentes leges utantur vocibus habentibus significationem communem, per quas exprimunt conceptus suos præcisivos & imperfectos, quibus sub notione universali tendunt tam in objecta, quàm in personas legibus obstrictas. Unde fit, ut sensus verborum sæpè plura includat, quàm legislator voluerat comprehendi. At Deus nullas in suis legibus ferendis præcisiones aut confusiones admittit. Ponamus Petrum ex errore penitus invincibili existimare se posse, aut etiam debere dimidiare confessionem suorum peccatorum; in hoc casu Petrus dimidians suam confessionem nulli legi æternæ contrariatur, nec ullam vel materialiter transgreditur. Nulla enim datur lex æterna quæ universim dicat, *nulli unquam liceat confessionem dimidiare*, quia

Deus in lege ferendâ nullam præcisionem, aut confusionem admittit.

Deus habet aliam legem æternam dicentem. *Petro hîc & nunc liceat suam confessionem dimidiare.* At hæ leges sunt contradictoriæ. ergo cùm certum sit secundam existere, certum est primam non dari. Lex ergo æterna vetans omnibus dimidiare suam confessionem non est universalis juxta latissimam illarum vocum significationem, sed restringitur ad hunc sensum, *nolo quemquam suam confessionem dimidiare, cui hanc meam voluntatem sufficienter significavero*: quæ voluntas æterna solùm dicit, *nolo illum & illum & reliquos, quibus hoc ipsum sufficienter intimatum est, suas confessiones dimidiare.* ergo hæc lex non afficit Petrum, nec in eum tendit, cui hæc Dei voluntas numquam fuit intimata, ut suppono. Non tamen nego, quin hæc lex æterna conjungi possit cum aliâ pariter æternâ, quæ obliget aliquos ad hoc ipsum Petro denunciandum, &c. quam legem ille violavit, qui cùm teneretur, non docuit Petrum, ut debebat. Ex quo sequitur, Petrum hîc & nunc dimidiantem suam confessionem nullam legem æternam vel materialiter violare. Ratio est, quia lex æterna non fertur per actus præcisivos facientes universale, sicut lex humana, sed Deus quando revelat legem suam, aliquo modo alloquitur suas creaturas, illisque dicit, *nolo vos dimidiare confessiones vestras. Insuper volo vos hoc ipsum alios docere nomine meo, sic enim volo illis meam voluntatem intimare, illosque etiam obligare ad non dimidiandas confessiones suas.* Jam quando Pastores, aut parentes nomine Dei docent filios suos, ne confessionem dimidient, Deus illos aliquo modo alloquitur; dicitque illis sicut ab initio dixerat prioribus. *Nolo vos confessiones vestras dimidiare.* Itaque lex æterna vetans dimidiare confessionem non fertur nisi in has determinatas personas, & non in illas. Similiter lex præcipiens aliis, ut hanc Dei voluntatem alios doceant, est lex æterna, quæ nullo modo afficit Petrum; & ab eo non violatur. Rursus prior illa lex non fertur ad Petrum, nec illum obligat. Ergo Petrus nullam legem æternam, ne materialiter quidem violat. His positis.

Qui bonâ fide sequitur opinionem minùs probabilem, etsi falsam, nullam violat legem æternam ne materialiter quidem.

14. Resp. argumentum Mercori eò solùm tendere, ut ostendat, regulam conscientiæ à Deo hominibus in incertis datam, debere esse saltem apparenter plerumque connexam cum veritate. Hoc effatum verum est, non tamen contrariatur nobis, nam ipsa probabilitas, etiam minor, est apparentia veritatis, quæ ex vi suæ magnitudinis plerumque connectitur cum veritate, ut fusè ostensum est *qu. 2. nu. 11. & seq.* Itaque quando sequimur lumen certò probabile, sequimur lumen, quod plerumque connectitur cum veritate, idque verum est, non obstante majore probabilitate partis oppositæ, ut fusè declaratū est loco citato. Præterea certum est, omnem opinionem directè probabilem ita roborari per argumenta reflexa benignæ sententiæ faventia, ut ejus honestas, etsi directè minùs probabilis, omnibus consideratis, sit longè probabilior ejusdem inhonestate. Itaque reipsâ semper docemus honestatem tantùm probabiliorem esse regulam actionis bonæ. Adversarii autem, qui nondum intellexerunt hoc mysterium, aërem verberant, dum minorem probabilitatem obtrudunt, quasi verò nos probabilitatem nec directè nec indirectè majorem requireremus pro magis propinquâ regulâ conscientiæ. Verum errant, cùm expressè doceamus contrarium.

Principium, quo Mercorus utitur, verum est, sed nobis favet.

15. Jam ergo ad argumentum in formâ respondeo, & distinguo majorem: nulla operatio est honesta, quæ non conformatur legi æternæ, quæ talis est per se, nego: quæ talis est aut per se, aut per accidens concedo majorem. Similiter distinguo minorem: sequens opinionem directè minùs probabilem elicit operationem, quæ nec realiter nec apparenter conformis est legi

Respondetur argumento.

legi æternæ per se existenti, transeat minor; existenti saltem per accidens, nego minorem, & consequentiam; quia talis operatio juxta dicta certò conformis est legi æternæ, saltem per accidens existenti. Cæterùm minor, ut jacet, falsa est. Nam dicentes licitum esse sequi opinionem minùs probabilem, non dicunt illud esse licitum, quando intellectus hæret dubius inter motiva probabilia opposita; sed solùm quando ex imperio voluntatis judicat objectum esse Deo gratum. In hoc casu evidens est tale opus in existimatione operantis esse conforme legi æternæ etiam per se existenti. Unde respondetur ad confirmationem minoris, quod etsi motiva opposita & sint directè probabiliora, & in actu primo, prout merè existunt in simplici apprehensione, vehementiùs ostendant objectum illud Deo displicere, quàm argumenta directa monstrent illud Deo placere; nihilominus in actu secundo aliter se res habet, quia objectum illud per absolutum judicium certò prudens directè creditur Deo placere; & idipsum per motiva indirecta longè certiùs cognoscitur. At quod refundit bonitatem vel malitiam in actum deliberatum voluntatis, non est apprehensio prævia, sed absolutum judicium, à quo solo actus deliberatus rationem voluntarii desumit, ut est in confesso apud omnes; tum quia alioquin scrupulosi, qui vexantur apprehensionibus Dei offensam præ se ferentibus, semper peccarent; tum quia ratio pleni voluntarii non sumitur nisi ab objecto per judicium proposito; nam sicut motus primò primi, utpotè actus imperfecti & indeliberati, necessariò consequuntur ad apprehensiones, ita motus liberi deliberati, utpotè actus perfecti voluntatis, non consequuntur nisi ad judicia, quibus, utpotè actibus mentis perfectis, honestas vel inhonestas objecti completè, & juxta conditionem humanam perfectè proponitur.

Judicium, non sola apprehensio, refundit moralitatem in actum voluntatis.

16. Rursus ut argumentum habeat vim, intelligi debet de ultimo judicio practico, quo voluntas regulatur, quivis enim alius sensus est abs re. At in hoc sensu absolutè concedo majorem, sed nego minorem; nam operatio realiter conformatur legi æternæ, per ultimum conscientiæ dictamen certò propositæ. Nec obstat major probabilitas directa de inhonestate objecti positi; nam hæc duo, scilicet operationem esse certò honestam, & incertum esse utrùm objectum volitum secundùm se sit malum, sunt separabilia; ut videre est in uxore reddente debitum, & subdito obediente, etsi probabilius sit & copulam esse adulterinam, & rem præceptam esse à Deo prohibitam. Porrò quomodo ex minore probabilitate directâ surgat intellectus ad formandum ultimum conscientiæ dictamen certum & evidens, fusè explicatum est in superioribus. Et sanè ipsi Adversarii in exemplo possessoris retinentis rem probabiliùs ad alium spectantem, item in exemplo subditi, aliisque ejusmodi, huic argumento tenentur respondere, eandemque solutionem, aut aliam æquivalentem afferre. Eadem autem responsio æquè valet in casu nostro.

Alia ejusdem argumenti solutio.

17. Præterea sic arguo: Lex æterna dictans illud unicuique esse licitum, quod prudenter creditur esse honestum, & non sufficienter probatur esse inhonestum, &c. certissimè existit. Huic legi conformatur praxis opinionis minùs tutæ minúsque probabilis, ut constat ex dictis. ergo illa praxis est honesta.

Respondetur iterum arguendo in contrarium.

18. Et sanè si loquamur de objecto solùm proposito per simplices apprehensiones, illud nondum intelligitur esse absolutè conforme aut difforme legi æternæ. Si enim objectum hinc inde probabiliter apprehensum judicetur malum, repugnat legi æternæ, si autem prudenter existimetur honestum, eidem conformatur. Ergo dispositio illa in puris apprehensionibus consistens in-

Objectum per apprehensiones propositum est indifferens ad bonum & malum.

differens.

differens est, ut illi superaddatur judicium, per quod evadat conforme, aut judicium per quod evadat difforme legi æternæ. Nec mirum, quia idem objectum ut substans huic conscientiæ dictamini est licitum & conforme legi æternæ, quod ut alteri dictamini substans legi æternæ repugnat, & est illicitum.

Regula morum quoad nos, est judicium prudens, quod objectum sit licitum.

19. Jam quando opinio directè minùs probabilis dicitur esse regula morum quoad nos, sermo non est præcisè de simplici apprehensione prævia, motiva enim solùm ut apprehensa sunt regula tantùm remota, quatenus sufficiunt, ut intellectus superaddat complementum, per quod voluntas proximè disponatur ad honestè operandum, etiam quando sectatur partem minùs tutam. Hoc complementum, seu judicium conscientiæ prudenter dictans objectum esse licitum, est regula objectiva morum quoad nos. Verùm illa non est indifferens ut sit, vel non sit conformis legi æternæ, quia fundat judicium reflexum evidens, quo intellectus certificatur, quod objectum substans tali dictamini sit hîc & nunc conforme legi æternæ. Itaque minor probabilitas directa non est sicut horologium, de quo nec scitur, nec prudenter creditur quòd sit dispositum potiùs ad horam decimam, quàm quartam indicandam, quando verè instat decima; sed est sicut horologium ex se indifferens ad utramque ostendendam, cui tamen, si dominus velit, superaddi potest dispositio, quâ stante, determinatur ad indicandam horam veram. Nam sicut horologium per talem motum prævium ritè disponitur ad veram horam indicandam; ita objectum directè minùs probabile, si prudenter credatur esse licitum, taliter disponitur, ut non sit amplius indifferens ad bonum & malum, sed determinatè connectitur cum certâ veritate ultimi dictaminis, & cum honestate formali electionis ad ipsum terminatæ; quæ proinde certò conformatur legi æternæ, saltem latæ per accidens. Ecce absque ullorum in morali Theologiâ principiorum subversione, sed ex certis Theologiæ principiis, & efficacissimis rationibus argumentum Mercori non solùm solvitur; sed fallax atque falsum esse concluditur.

Hæc regula non est indifferens ut conformis sit, vel difformis legi æternæ.

20. Cæterùm quando opinio etiam minùs probabilis dicitur esse sufficiens regula morum, sensus non est, quod ratio minoritatis, seu defectus in probabilitate sit ratio propter quam detur ut regula; hic enim defectus non est participatio luminis, aut entis divini, & consequenter non est regula, quæ quà talis participat perfectionem primæ regulæ; sed sensus est, quòd probabilitas practica sit regula remota, cui nec minoritas in gradu, nec quidquam compossibile cum verâ probabilitate tollit rationem regulæ, quia quamdiu manet certa probabilitas in ullo gradu, tamdiu irrefragabiliter manet, quod lex non sit sufficienter promulgata; manet quòd intellectus directè vel indirectè possit prudenter bonâ fide credere rem esse licitam; manet quòd melior sit conditio possidentis, quodque voluntas jure certo privanda non sit ob rationes dubias & incertas; aliaque manent, quibus stantibus, omnis obligatio sectandi tutiora tollitur; & honestas in electionem partis minùs tutæ certò refunditur. Quocirca minor probabilitas directa solùm est regula remota, quatenus sufficit ut per novam consultationem prudenter formetur bona fides, quæ est regula proxima à Deo concessa, & numquam exorbitat ab honestate formali electionis, quam regulat. Itaque tantùm abest, ut Deus non possit nobis concedere minorem probabilitatem directam pro regulâ remotâ, si velit nos secundùm præscripta legis æternæ vivere; ut è contrario talem usum ex naturâ rei prohibere non possit, quia usus fundatus in bonâ fide prudenter conceptâ jure naturæ est licitus.

Probabilitas quæ minor non est regula conscientiæ, sed solùm probabilitas ut illi bona fides prudenter superadditur.

licitus. ergo ex naturâ rei non potest evadere illicitus.

Fundamentum 4. ex Mercoro.

Ratio quarta proponitur.

21. Si usus opinionis minùs probabilis minúsque tutæ esset licitus, ideò esset, quia qui facit quod probabiliter & prudenter apparet honestum, non peccat. At hæc ratio nil probat; nam inde sequitur oppositum. Sic enim arguit Mercorus: si ex præscripto divinæ legis id solùm licitum est, quod probabiliter saltem apparet honestum; ita ex eodem præscripto peccatum est amplecti quod probabiliter & prudenter apparet inhonestum; eadem enim est regula oppositorum. Sed qui sequitur opinionem minùs tutam minúsque probabilem, facit quod probabiliter immò probabiliùs apparet inhonestum. ergo peccat. Nec mirum: quia per se ratio formalis regulæ excusantis à peccato est ipsa probabilis apparentia honestatis in opere. At simul adest validior apparentia inhonestatis in eodem. ergo à fortiori adest regula inhonestans, quàm honestans electionem talis operis.

Mercorus rationem exemplo confirmat.

22. Rationem hanc Mercorus exemplo corroborat. Præcipiat Rex Duci exercitûs, ne prælium ineat, nisi ex consilio septem sapientum, quos ei ideò collaterales constituit. Dux ille, datâ opportunitate prælii, convocet collaterales ad consilium, ex quibus quatuor dissuadeant, tres suadeant prælium. In hoc casu Dux violaret præceptum Regis, si acie dimicaret; nec excusaretur dicendo, egi juxta Regis præceptum, quia sequutus sum consilium prudentum, quos Rex mihi collaterales constituit, & quorum consilium me sequi voluit; nam statim validâ objurgatione redargueretur, immò non obtemperasti mandato Regis, quia dimicasti contra consilium quatuor collateralium, quorum sententiæ acquiescere tibi Rex præceperat. Hic est casus noster. Deus præcipit nobis, ut sequamur ductum rationis probabilis atque prudentis. ergo vetat praxim sententiæ minùs tutæ, si illa simul sit minùs probabilis, quia plura & fortiora motiva militant contra honestatem, quàm pro honestate talis praxis, sicut in casu allato plures prudentes dissuadent, quàm suadent prælium. Hîc iterum Mercorus triumphat ante victoriam, & petit à cordato moralis Theologiæ Professore, utrum fundamentum hoc, quod est potissimum pro nostrâ sententiâ, certificare possit conscientiam de honestate operis, quod ponit.

Mercorus triumphat ante victoriam.

Solvitur ratio quarta.

Responsio.

23. Respondeo, Mercorum hic iterum confundere probabilitatem directam & indirectam. Supponit enim objectum, cujus honestas directè loquendo est minùs probabilis quàm ejusdem inhonestas, semper manere cum eodem defectu probabilitatis; quod tamen est evidenter falsum, quia argumentis directè probantibus honestatem talis objecti, superaddenda sunt omnia argumenta suadentia objectum illud esse licitum. Illa autem evidenter præponderant omnibus in contrarium, ideóque omnibus pensatis, absolutè reddunt honestatem talis objecti probabiliorem ejusdem inhonestate.

Mercorus non distinguit probabilitatem reflexam à directâ.

24. Rursus Mercorus hîc iterum confundit motiva minùs probabilia, ut præcisè apprehensa pro priori ad omne judicium, cum eisdem ut creditis seu absolutè judicatis. Itaque confundit regulam remotam & radicalem cum proximâ & immediatâ: quæ tamen, si distinguantur, nulla est difficultas in argumento. Ratio enim proxima & immediata, propter quam sequens opinionem minùs probabilem non peccat, est, quia vel directè vel indirectè prudenter judicat

Iterum confundit motiva ut apprehensa, cum eisdem ut judicatis.

judicat objectum esse licitum. Itaque probabilitas hoc tantùm modo per judicium proposita est ratio proximè excusans operantem à peccato, quia objectum non per solas apprehensiones, sed per judicium applicari debet, ut moralitatem in actum voluntatis refundat. In hoc sensu prior pars argumenti vera est, & efficaciter convincit intentum; sed retorsio Mercori nulla est, quia minor subsumpta non est ad rem, cùm procedat de inhonestate objecti ut merè apprehensâ ex vi motivorum directè probantium. At ut quidquam probaret, deberet subsumi de motivo affirmato, & per judicium de absolutâ rei inhonestate applicato. Evidens autem est nullum dari posse tale judicium, quia judicium de absolutâ honestate partis minùs tutæ supponitur existere, quod necessariò excludit absolutum judicium de ejusdem inhonestate, etsi apprehensio unius alterius apprehensionem non excludat. Et sanè ipse Mercorus aliique omnes ita respondere debent in possessore retinente rem probabiliter alienam, in obediente &c.

Replica.

Exemplum Ducis à Mercoro perpensum non urget nos.

25. Porrò exemplum allatum non urget. Quod ut videas, observa Regem multipliciter posse vetare prælium. Inprimis vetare potest prælium, nisi omnes aut plures saltem ex consiliariis assensum præbeant. Similiter fieri potest, ut nolit prælium solius ducis arbitrio relinqui, idcóque exigat unius saltem, aut plurium consiliariorum consensum. Jam si Rex primo modo mentem suam explicaret, dux ille præliando transgrederetur ejus præceptum, cui obediret, si Rex secundo modo mentem suam expressisset. Quòd si Rex solùm dicat: *Noli præliari nisi ex consensu horum collateralium*: illi autem instante opportunitate præliandi dissentiant, uti præfatum est, & mens Regis explorari non possit nisi per conjecturas probabiles, tunc casus iste est ad rem, modò supponamus probabile esse, ducem facturum rem Regi gratam, quamcumque partem tenuerit. Dux enim ille ex trium consilio dimicans argui non posset tamquam transgressor mandati regii, quia bonâ fide non solùm fecit, quod ex trium prudentum consilio prudenter credidit fore regi gratum, sed illud omisit quod regi foro ingratum magno ductus fundamento prudenter existimavit. Quod si dux in hoc judicio suo erraverit, tribuat sibi Rex, quod mentem suam clariùs non expresserit, non autem redarguat ducem bonâ fide prudenter operantem.

Immò in ipsum Mercorum retorquetur.

26. Retorquetur etiam idem exemplum contra adversarios. Deus ita præcipit, ut ductum rationis sequamur, ut etiam consulat, ne quis in propriâ causâ suæ prudentiæ confidat. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.* Prov. 3. In dubiis ergo juxta Dei intentum standum est eorum consilio, quos Deus pro aliis dirigendis instituit. Hi autem sunt Ecclesiæ doctores. Verùm quia non omnes in dubiis conveniunt, vel præsumendum est Deum velle nos sequi quosvis pro arbitrio, vel exigere ut plurium directionem sequamur. ego dico Deum non exigere ut sequamur plures, sed solùm nè temerè credamus aliquid esse licitum, & ne absque conscientiâ prudenter constitutâ quidquam agamus &c. sed esto, præsumendum sit Deum velle nos plurium sententiæ adhærere. adhuc sic arguo: sit homo constitutus in dubio, utrùm liceat sequi opinionem directè minùs probabilem. Deus in hoc etiam casu consulit, ne propriæ innitatur prudentiæ. Doctores ergo consulendi sunt; & si plures inveniantur, qui usum talis opinionis dicant esse licitum, quàm qui dicunt esse illicitum, poterit ille proculdubio absque periculo Deum offendendi eorum sententiæ stare. At si Doctores interrogentur, viginti contra unum respondent, licitum esse sequi opinionem directè minùs probabilem minúsque tutam. Et quidem ex

Præsumendum est Deum velle nos posse sequi opinionem plurium Doctorum.

illis

illis viginti vix ullus est, qui totam quæstionem, ac omnes obligationis titulos à fundamentis non examinavit. Præterea constat, neminem illorum viginti vel propter diligentiam, vel propter ingenium aut probitatem ulli eorum postponendum esse, qui contendunt usum talis opinionis esse illicitum. Ergo juxta manifestam præsumptionem beniplaciti divini licet unicuique sequi opinionem directè minùs probabilem, nec ideò redargui potest tamquam divinæ legis transgressor; sicut dux militiæ à Rege damnari non posset, si unanimi consilio sex è septem collateralibus acquievisset, unius tantùm consilio neglecto. Ecce argumentum hoc manifestè sufficit ad moraliter certificandam conscientiam sectantis benignam sententiam.

Ratio quinta proponitur.

Fundamentum 5 ex Mercoro.

27. **U**Sus opinionis minùs probabilis minúsque tutæ repugnat legi charitatis in Deum. ergo est illicitus. Probatur antecedens. Ex lege charitatis tenemur velle Deo bonum, quantum possumus. Inter hæc bona unum est observantia mandatorum Dei. ergo ex lege charitatis tenemur velle Deo observantiam mandatorum ipsius, idque quantum possumus. At qui sequitur opinionem minùs probabilem minúsque tutam, & qui consulit ejus usum, nec vult, nec procurat Deo observantiam mandatorum, quantum potest, quia sectando partem tutiorem certò scit se nil egere contra legem Dei; at sectando partem minùs tutam hoc certò non scit; immò facit, quod apparet contra Dei præceptum, quodque fortassè præcepto illi contrariatur. ergo tam sequens, quàm consulens usum sententiæ benignæ peccat contra charitatem. Ita Mercorus *parte 2, art. 12.* Confirmat, hoc ipsum exemplo humano: qui facit, quod probabiliùs judicat allaturum esse displicentiam suo amico, violat amicitiam, quia ita operatur, ut non curet, si contingat amicum offendi. nam si curaret, vitaret etiam periculum eum offendendi. Ecce major probabilitas offensæ clarè arguit rem illam absque amici contemptu amari non posse. Nec excusatur per hoc, quod simul credat probabile esse amicum non fore offendendū. ergo à fortiori minor probabilitas non excusat, quin sequens, aut consulens usum opinionis minùs probabilis minúsque tutæ Deum contemnat, ejusque amicitiam violet.

Solvitur ratio quinta.

Responsio.

Argumentum hoc evidenter nimis probat.

28. **R**Espondeo 1. retorquendo argumentum, quia æquè probat usum opinionis probabilioris, sed minùs tutæ, esse illicitum. Immò probat integrum non esse sequi opinionem probabilissimam, contra partem tutiorem, pro quâ leves tantum, & nullæ probabiles rationes militant. Operans enim in istis casibus non facit quantum in se est ad observandam Dei legem. At certum est, quòd liceat sequi opinionem probabilem minùs tutam in utroque casu dicto. ergo argumentum nimis probat, & ab ipso Mercoro solvendum est.

Lex charitatis ad quid obliget?

29. Resp. 2. & fateor, omnium Dei mandatorum observantiam esse unum ex bonis extrinsecis, quæ illi ex lege charitatis tenemur præstare, omnium, inquam, mandatorum verè obligantium, non tamen omnium quomodocumque apparentium; alioquin numquam liceret amplecti partem minùs tutam, ne quidem quando levissima tantum apparentia inhonestatis animo appareret. At sequela est evidenter falsa, ut patet in marito petente debitum contra levem apparentiam de invaliditate sui matrimonii, in possessore retinente rem probabiliter alienam &c. Ratio à priori est, quia lex charitatis est lex prudens & suavis,

ideóque non obligat nisi ad implenda præcepta certò obligantia. At quando pars minùs tuta est probabiliter licita, nulla est lex certò prohibens ejus electionem. ergo charitas non obligat ad eam non eligendam.

Argumentum Mercori distinctione diluitur.

30. Resp. 3. in formâ, & distinguo minorem subsumptam. Qui sequitur, aut consulit usum opinionis minùs probabilis minúsque tutæ, non vult Deo, quantum potest, observantiam mandatorum objectivè tantùm existentium in apprehensione, quæque vocaliter tantùm & grammaticaliter sunt mandata, & prudenter creduntur non existere, concedo minorem; observantiam mandatorum ipsum arctantium & onerantium, nego minorem, & consequentiam. Nam ex lege charitatis solùm debemus Deo observantiam mandatorum actu obligantium, non quomodocumque apprehensorum; ut constat; quia illa sola respectu cujusvis operantis sont mandata; nam quæ probabiliter & prudenter creduntur à Deo non fuisse lata, solùm voce tenus sunt mandata respectu operantis, quæ nullam vim obligatoriam relatè ad illum exercere possunt. Sed neque sunt objectum, quod lege reflexâ postulat prohiberi, ut fusè ostensum est *quæst. 23.*

Exemplum Mercori non probat intentum.

31. Quod attinet ad exemplum à Mercoro allatum, dico hominem, cui probabile est amicum ex suâ actione nullatenus esse offendendum, non violare amicitiam ponendo actionem illam, modò sic operans bonâ fide prudenter credat amicum suum non offendendum. Ratio est, quia sicut charitas formaliter consistit in mutuâ redamatione non latente, ita formaliter non violatur nisi per mutuam pugnam, & voluntatum dissensionem non latentem. At in casu nostro nulla est ejusmodi pugna; tum quia operans absolutè & prudenter credit suam voluntatem cum amici voluntate in omnibus concordare, tum quia animum ita paratum gerit, ut si oppositum credidisset, libenter actionem illam amici causâ omisisset. Hinc si alter videret internam animi sic operantis dispositionem, ex ejus intuitu offendi non posset, nec mutuæ benevolentiæ vinculum rationabiliter frangere. Ecce paritas hæc nobis favet magis quàm adversariis, nobisque clariùs adhuc faveret, si paritas esset adæquata, scilicet si indirectè longè probabilissimum esset amicum illa actione non esse offendendum; nam in hoc tantùm sensu paritas debitè procedit.

Replica ex Mercoro.

32. Dices: qui consulit alteri usum opinionis minùs probabilis, peccat contra charitatem. ergo peccat etiam qui eam in praxi sectatur. Tenet consequentia, quia quod non est peccatum si fiat, non est peccatum consulere, ut fiat. Probatur antecedens. Consulens talem usum exponit proximum periculo damni spiritualis gravissimi; nam etsi sequens consilium illud fortè excusaretur à formali peccato, adhuc non operaretur secundùm virtutem simpliciter, si fortè erraret. Hoc autem est malum ingens, tum quia opus illud connectitur cum ignorantiâ, quæ est vulnus animæ, etsi à peccato excuset, ut tradit *Aug. lib. de naturâ & gratiâ cap. 67. & 1. Retract. cap. 9.* Et S. Thomas *1. 2. quæst. 85. art. 3.* dicit ignorantiam in tantum esse vulnus *in quantum ratio, in quâ est prudentia, destituitur suo ordine ad verum.* Tum quia Ecclesia & omnes fideles postulant gratiam, ne ex ignorantiâ à vero aberrent, & operentur quod revera malum est. At cur postularent ab ignorantiâ liberari, nisi eam malam reputarent? Demum ex charitate tenemur ignorantes docere; quia omne malum, ex ignorantiâ patratum, est perniciosum; alioquin ex charitate non teneremur proximos ab errore revocare. ergo qui consulit usum sententiæ benignæ, exponit proximum periculo incurrendi grave malum spirituale. Ergo peccat contra charitatem. Ita Mercorus *parte 2. art. 13.*

Ignorantia quantum sit malum?

33. Resp.

Sæpè peccat qui consulit, quæ licitè fiunt. & cur?

33. Resp. consulentem petere à consiliario, ut dicat quid è duobus vel pluribus ipsi magis expediat. Jam si dans consilium judicet unum magis expedire, & alterum suadeat, mentitur, & peccat abutendo officio, ac munere consiliarii, per quod ex naturâ rei tenetur respondere juxta id, quod magis opportunum judicaverit; hoc enim & consulens petit, & hoc explicare debet, qui dat consilium. Sic consultus ab aliquo, an ipsi expediat religiosum statum ingredi, proculdubio peccaret, si talem statum dissuaderet, modò statum religiosum illi conducibiliorem esse existimaret. Præterea qui quasi ex officio dissuaderet homines à statu religioso capessendo, gravissimè peccaret, etsi nemo illorum peccaret, qui consilio abducti statum religiosum non assumerent. Unde negatur consequentia argumenti, quia sæpè peccatum est dissuadere meliora, etsi ea non amplecti sit licitum. Ratio à priori est, quia quæspectant ad consilia sunt bona perfecta, quæ quia perfecta sunt & difficilia, sub præceptum non cadunt. Deus autem etsi bona hujusmodi non præcipiat, præcipit tamen, ne quis nisi rationabili de causâ aliis meliora dissuadeat. Si enim liceret meliora dissuadere, consilium Dei vocantis nos ad perfectiora aut omninò, aut magnâ ex parte redderetur irritum. Atqui datâ operâ, ut facit consulens, irritum reddere tale Dei consilium in proximo, manifestam turpitudinem involvit. Jam Authores benignæ sententiæ non hortantur homines ad usum suæ sententiæ, nisi quando justis de causis ob peculiares circumstantias usum illum bono spirituali proximi conducibiliorem judicant. Consulunt quidem omnes, ut credant licitum sibi esse sequi opinionem minùs tutam, etsi minùs probabilem; sed in hoc eos hortantur ad procurandam veritatem in intellectu, & ad amovendum peccati periculum in voluntate. Posita autem hac persuasione, & peccandi periculo amoto, hortamur omnes ad tutiora sectanda, quia hoc honestius est & præstantius quàm minùs tuta sectari.

Authores benignæ sententiæ universaliter non consulunt usum suæ sententiæ.

Argumentum retorquetur.

34. Atque hinc argumentum hoc efficacissimè retorqueretur non solùm in usu partis probabilioris, sed etiam in usu partis directè minùs probabilis. Adversarii enim non solùm consulunt usum partis tutioris, sed illum ut necessarium ad vitandum peccatum deprædicant; atque ita suadent hominibus ut sententiam rigidam pro regulâ suarum actionum assumant, in quo & persuadent falsum in intellectu, & plurimos in morale periculum formaliter peccandi conjiciunt; atque ita grave damnum spirituale proximo inferunt, ad quod non inferendum, si loquamur secundùm rei veritatem & ex objecto, ex lege charitatis graviter obligantur, etsi ob bonâ fidem eos à formali peccato excusari omninò crediderim.

Adversarii suadendo suam opinionem an peccent contra charitatem?

Usus benignæ sententiæ aliquando suadetur licitè.

35. Jam quòd aliquando liceat consulere usum opinionis minùs tutæ inde probatur, quòd aliquando alia non supersit via ad proximum à peccandi periculo liberandum, quàm si minùs tuta sectetur. Aliquis v. g. magnam in jejunando difficultatem patitur, & propter strictas tam de quantitate quàm de qualitate refectiunculæ vespertinæ opiniones frequenter ob impatientiam, eibi appetentiam, aliasque fragilitates jejunium violat. Jam si spes esset hominem talem servaturum esse jejunium, si major quantitas, & melior qualitas ciborum illi concederetur, tunc usus maximæ quantitatis, & optimæ qualitatis, quas ulla opinio certò probabilis concedit ut licitas, illi consulendus esset, ut sic & coram Deo peccato careat, & magnæ ciborum appetentiæ competenter satisfaciat.

Sic consulens proximum periculo damni gravissimi liberat.

36. At, inquit Mercorus, consulens hunc usum exponit proximum periculo gravis damni spiritualis. Itane verò? immò verò cum gravissimo formaliter peccandi

periculo liberat. Sed dices: proximus exponitur periculo non operandi secundùm virtutem simpliciter. Verùm hoc fallum est, quia operans, formaliter loquendo, operatur secundùm virtutem, cùm ponat actionem licitam & honestam, utpotè prudenti conscientiæ regulæ conformem.

Tenemur ignorantes instruere, & quando?

37. Quod additur de obligatione instruendi ignorantes minùs facit ad rem, quàm priora. Tenemur quidem sæpè ignorantes illa docere, quæ necessaria sunt ad salutē æternam necessitate medii, sæpè etiam alia tenemur docere, maximè quando spes emolumenti ex tali doctrinâ affulget; sed numquam datur obligatio instruendi ignorantes, nisi ubi veritas est indubitata. At in casu nostro utraque pars est probabilis, & quæ directè est minùs probabilis, omnibus pensatis, est longè probabilior oppositâ. Ecce nemo novit quæ pars ex vi rationum directè probantium sit vera; ergo nemo tenetur talem ignorantiam amovere, alioquin teneretur ad impossibile. At reflexè loquendo scimus sententiam nostram esse veram, & moraliter certam. Hanc in bonum commune omnium animis illabi cupimus, ut per eam omnes à periculo peccandi remotiores fiant.

Solvitur sexta ratio.

Ratio 6.

38. MErcorus *parte 2. art. 15.* sic arguit. Non licet medico præscribere medicinam probabiliùs nocituram, quàm profuturam ægroto. ergo Confessario, qui animorum est medicus, non licet in foro conscientiæ sequi opinionem minùs tutam contra probabiliorem ac tutiorem. Probat antecedens Mercorus ex multis, quæ non affero, quia admitto antecedens ut verum. Consequentia tenet à pari, quam Mercorus multis persuadere conatur, sed ea omitto, quia coincidunt cum iis, quæ in ratione quintâ expensa sunt & soluta.

Resp. argumentum hoc æquè impetere usum partis minùs tutæ etsi probabilioris; quia extra casum gravissimæ necessitatis & valetudinis fermè desperatæ, non licet medico præscribere medicinam periculosam, etsi probabiliorem, relictâ tutâ, ac minimè periculosâ. ergo argumentum nullum est, quia nimis probat.

Solutio. Retorquetur argumentum.

39. Deinde exemplum Medici procedit de probabilitate speculativâ, non de practicâ. Nam licèt probabile sit, medicamentum allaturum esse sanitatem, non tamen est probabile, quòd extra casum gravissimæ necessitatis licitè præscribi possit, quamdiu probabile est, illud esse graviter nociturum. At nos loquimur de probabilitate practicâ. ergo exemplum à medico petitum non est ad rem. Deberent adversarii, si ritè procederent, supponere probabile esse, quòd medico liceat sequi opinionem minùs probabilem minusque tutam, & tunc probare, medicum, hoc etiam supposito, peccare, si bonâ fide opinionem illam sequatur. Nisi enim hoc probetur, nil affertur, quod nos urgeat. At hoc probari non potest, cùm certum sit, hominem taliter operando nullam legem sufficienter propositam violare, & consequenter non peccare.

Disparitas assignatur.

40. Deinde resp. directè. Transeat antecedens; negatur consequentia. Disparitas est duplex, prima jam dicta, quia argumentum procedit à probabilitate speculativâ ad practicam. Secunda est, quia etsi tam medicus, quàm ægrotus forment bonam fidem, & absolutè credant medicinam fore proficuam, non ideò arcetur malum, quod ex opposita probabilitate imminere cognoscitur. At bona fides pœnitentis & Confessarii utrumque excusat à peccato formali, ut constat, id est à malo, quod, nisi bona fides formata fuisset, timeri poterat, illâ autem positâ timeri non potest. Atque hinc argumentum retorquetur; quia si bona fides medici & patientis

tis redderet medicinam non solùm innoxiam sed proficuam, illa utique & posset, & fortasse aliquando deberet tam præscribi quàm sumi. At hic est casus noster, quia bonâ fide credere Confessario docenti benignam sententiam arcet peccatum, id est mortem animæ, casu quo pœnitens ex fragilitate sectetur opinionem directè minùs probabilem minùsque tutam. Atque hinc est, quòd Confessarius aliquando teneatur instruere pœnitentem de veritate benignæ sententiæ, tunc scilicet, quando pœnitens ita constitutus est, ut nisi utatur benignâ sententiâ, grave periculum peccati mortalis immineat. Tunc enim Medicus animæ prudenter præscribit usum talis sententiæ, quia per hoc præscribit medicinam certò non nocituram, à quâ præscribendâ si abstineret, patientem suum mortis periculo sciens & volens exponi permitteret. Ecce argumentum à paritate Medici deductum non impugnat sed confirmat nostram sententiam.

Aliæ objectiones solvuntur.

Objectio prima. 41. Objicies 1. sententia benigna non est à Spiritu sancto, sed à carne & sanguine. ergo non est admittenda. Probatur antecedens. Spiritus S. est optimus magister veritatis, qui ex æquo discipulos instruit. ergo æquè expurgat Ecclesiam ab erroribus laxarum, ac rigidarum opinionum. ergo ubi hæc æqualitas non invenitur, ea doctrina non est à Spiritu sancto. Sed hæc æqualitas non invenitur in opinionibus recentiorum Theologorum; nam spatio 50. circiter annorum plusquam centum opiniones laxæ in scholas introductæ sunt, &, cum antea essent singulares, factæ sunt communes, oppositis tutioribus jam antiquatis. E contra toto hoc tempore non invenies vel unam laxam olim communem nunc antiquatam. Ecce dicta æqualitas non invenitur in doctrinâ Recentiorum, quæ proinde non est à Spiritu sancto. Ita Mercorus. *3. p. art. 5.*

Responsio. Resp. plures opiniones laxas & improbabiles esse in scholas nuper introductas, quas omni conatu rejicio. Sed quid refert ad rem præsentem plures Recentiores alicubi à rectâ viâ exorbitasse? Deinde respondeo sententiam benignam esse verissimam, & optimæ Ecclesiæ parti, quæ illam tenet, probatam, adeóque eam à Spiritu sancto ortum traxisse, à quo omnis veritas, & rationabilis ratiocinatio ortum sumit. Jam ergo si aliqua opinio de novo inventa sit certò probabilis, & rationabili fundamento nitatur; hæc inventio ex aliquâ gratiâ Spiritus S. profecta est, per quam etiam fit, ut usus ejus liceat. Neque moveor ab illa prætensâ æqualitate opinionum rigidarum, atque laxarum, non enim necesse est hanc semper intervenire, ut series aliqua opinionum à Deo sit, non à Diabolo.

Sententia benigna non a diabolo, sed à Deo ortum traxit.

42. Resp. 3. Recentiores, si omnia inspiciantur, multùm restrinxisse conscientias, plurimæ enim opiniones laxæ, quæ ante centum annos erant communes, nunc antiquatæ sunt, & certò improbabiles habentur. Legatur Caramuel in Apologemate *à n. 265. usque ad 282.* ex quo aliqua exempla volui exscribere. Richardus, Gerson, & Angelus consuetudinem omittendi horas canonicas culpæ lethalis damnant, non autem unius vel alterius diei negligentiam. At juniores longè strictiores sūt; laxus enim haberetur qui unius Tertiæ omissionem à gravi peccato excusaret. Cardinalis *in cap. 2. de observat. jejuniorum* docet, non observantem jejunia ab Ecclesiâ præscripta solùm peccare venialiter, nisi ex contemptu solvat jejunium. Cardinalis pro se citat Archidiaconum. Eandem sententiam tenet Joannes de Fontana, & Angelus *verbo jejunium n. 14. & verbo inobedientia in principio.* Pro eadem sententiâ Angelus citat Richardum à Mediâ-Villâ *quodl. 1.*

Recentiores restrinxerunt, non laxarunt conscientias.

quæst. 19. Cajetanus *in summâ verbo jejunium* docet non esse mortale carnes per quadragesimam manducare. At inter recentiores laxi censentur, qui dicunt 8. uncias sumi posse pro refectiunculâ vespertinâ, aut qui docent ova & lacticinia comedi posse in dominicis quadragesimæ, & in diebus jejunii extra quadragesimam. Plures ex antiquis, ut Angelus *verbo opinio*, Martinus Cromerus *lib. 2. Colloquiorum de Relig.* & Joannes Ferus agens de præceptis Ecclesiæ, omnes expressè tradunt, præcepta Ecclesiæ non obligare sub mortali, si absit scandalum, & contemptus. Cajetanus tenet Clericum secluso contemptu & scandalo non teneri ad habitum & tonsuram; quia præcepta Ecclesiæ secluso contemptu & scandalo non obligant in conscientiâ. Vide Decastillum *tom. 1. de sacr. tract. de Sacram. Ordinis*, ubi impugnat Cajetanum. At hæc omnia longè strictiùs à recentioribus traduntur; omnes enim sententias hasce (quæ involvunt totam observantiam legum humanarum) ut improbabiles rejiciunt. Hæc aliaque plura tam ex materiâ fidei quàm morum coacervat Caramuel loco citato. Nos etiam plura adduximus *quæst. 22.* Antiquorum verbis citatis. Ex quibus evidenter sequitur, Recentiores si omnia inspiciantur non laxasse sed potiùs restrinxisse conscientias. Frustra ergo laborant Adversarii, dum conantur contrarium persuadere. Et sanè plures Recentiorum laxitates sunt fermè de minutiis ut de quantitate aut qualitate refectiunculæ vespertinæ in die jejunii &c. cùm Antiquorum laxitates sint de rebus summi momenti, immò de totâ juris humani obligatione abolendâ.

Objectio secunda.

43. Objicies 2. ex Wendrockio. Si utraque opinio probabilis sufficiat ad securitatem conscientiæ, frustra litigant Theologi, utrùm aliquid liceat nec ne. Imò quod plus est, si probabilitas sufficeret, frustra Sancti tot gemitibus (quot legimus in eorum actis & libris) peterent veritatem; melius enim peterent probabilitatem, quia hæc excusat à peccato, & latam reddit viam salutis, quam veritas arctat.

Resp. Theologos necessariò debere quæstiones ventilare, ut possint prudenter & suam & aliorum conscientiam regulare; nam ante debitum examen conscientia non nisi temerè formari potest. At post diligentiam debitam præmissam certa probabilitas de honestate operis ad conscientiam prudenter formandam sufficit.

Omnes probi & docti veritatem enixè desiderant; & illa præ probabilitate optanda est.

44. Cæterùm Sancti sanctè faciunt, dum enixè Deum postulant, ne dicant malum bonum, & bonum malum. Sed nos quoque pro imbecillitate nostrâ eos conamur imitari; neque aliud, quàm veritatem desideramus. Ideò autē tam illi quàm nos ipsā veritatem desideramus, quia in omnibus cupimus Dei voluntati per se existenti conformari. Nec melius esset veritatem non petere sed probabilitatem, id enim & animum argueret erga Deum pravè dispositum, qui veritatem ipsam non curaret, sed excusationem quæreret; & nobis ipsis esset minùs proficuum; nam sine dubio si veritas ipsa in omnibus certò pateret, via salutis multò facilior evaderet; quis enim timoratæ conscientiæ non tam hilariter in omnibus Deo obediret, ac nunc in audiendâ missâ die festo obedit, si æquè certò Dei voluntas in omnibus innotesceret? At nunc dum versamur in tenebris, durum est collum certo jugo, propter incertam obligationem supponere. Errat ergo Wendrockius dum putat legem Dei per probabilitatem fieri faciliorem, quàm esset, si voluntas Dei in omnibus certò innotesceret.

Lex Dei suavior esset, si omnia Dei præcepta certo innotescerent.

Cæterùm ita nos cum Sanctis petimus veritatem ipsam, ut, ex suppositione quòd Deus super hoc nolit nostras preces admittere, simul petamus, ne saltem permittat nos ex passione aliquâ, sed solùm ex animo sincero judicium ferre, illudque non temerè

ex levi indicio, sed ex prudenti, & rationabili tantùm motivo elicere. Atque ita spectamus Deum ex hac parte nostris postulatis aurem benignam præbuisse, ut tamen timeamus, ne in aliquo minùs rectè discursum texuerimus. Cæterùm quidquid rationabiliter conclusum est, aut probabiliter dictum, id totum Deo soli, divinæque tantùm gratiæ adscribimus.

Objectio tertia.

45. Objicies 3. Opinio non est virtus intellectualis. Prudentia est virtus intellectualis. ergo opinio non est prudentia. ergo qui sequitur opinionem non agit prudenter. ergo peccat.

Responsio.

Resp. concedo totum primum syllogismum; sed distinguo secundum consequens, qui sequitur opinionem probabilem non agit prudenter, (sumpto nomine *prudenter* in sensu majoris pro virtute intellectuali, quæ numquam falsum dicit) si aliunde certiùs non dirigatur, concedo consequentiam. Si aliunde per ultimum conscientiæ dictamen certò & evidenter dirigatur, ut fit in casu nostro, nego consequentiam hanc, atque etiam sequentem, quia ex opposito evidenter sequitur, quod agat prudenter, & non peccet. Cæterùm opinio certò probabilis est judicium prudens, & prudenter elicitur, etsi non sit actus elicitus à prudentia, quæ est peculiaris virtus intellectûs, & numquam fallitur.

Objectio quarta.

46. Objicies 4. In negotio salutis æternæ ad minimum ea diligentia adhibenda est, quam unusquisque prudens adhibet saltem in gravioribus negotiis ad rem familiarem spectantibus. At in his non sectamur nisi partem tutiorem. ergo idem à fortiori in illo faciendum est.

Responsio.

Majorem exigimus sollicitudinem pro bono animæ, quàm corporis.

Resp. nos requirere longè majorem diligentiam in negotio salutis, quàm in ullo temporali negotio. Exigimus enim tantam diligentiam, ut intellectus consurgat ad formandum judicium certum & evidens, quòd hæc actio non impediat salutem æternam; qualem diligentiam nemo adhibet, aut adhibere potest pro securitate negotii temporalis. Porrò discrimen inter negotium salutis, & temporalia negotia illud potissimè observandum est, quod bona fides non impediat damnum temporale, si illa fundetur in errore, quia error materialis non minùs quàm formalis idem in his rebus damnum causat. Sic mors non minùs sequitur si bonâ, quàm si malâ fide haurias venenum. At in negotio animæ bona fides sufficit, quia cùm Deus sit essentialiter incapax omnis damni, nulla est Dei offensa, nec ejus periculum ubi cor benè affectum est. Deus enim cordis obsequium intuetur, illoque unicè delectatur. Si ergo contingat habentem bonam fidem errare, opus ex errore illo causatum non imputatur ad animæ detrimentum, sed ad meritorum incrementum deputatur.

Disparitas inter negotia temporalia, & negotium salutis.

Objectio quinta.

47. Objicies 5. Ex usu opinionum probabilium sequitur bellum justum inter superiorem & subditum. Ponamus enim superiorem prohibere jejunium, aut sumptionem Eucharistiæ, aliamve rem bonam, de quâ utrimque pobabile sit superiorem posse, & non posse rem illam vetare. In hoc casu superior posset præcipere, & subditus posset non obedire; quia uterque sententiæ probabili se accommodaret. Aliud exemplum sumi potest de superiore, quando propter diversitatem opinionum dubium est, an homo ille jurisdictionem habeat. Tunc enim subditus posset sequi opinionem probabilem, quod superior nequiret rem illam præcipere, ob defectum jurisdictionis. Tertium exemplum est, quando de præcipientis jurisdictione constaret, sed dubitaretur, an res præcepta esset licita, necne. In his casibus dari posset bellum justum inter superiorem & subditum. Ita Mercorus *3. p. art. 19. 20. & 21.*

Resp. non esse probabile, quod subditus non teneatur obedire superiori legitimo præcipienti

Subditus certò tenetur obedire legitimo superiori præcipienti probabiliter honesta.

præcipienti rem probabiliter licitam. Itaque in primo casu nulla est difficultas, quia certum est subditum debere obedire. In tertio etiam casu, certum est subditum posse obedire, si dubium sit rationabile, & consequenter si post debitam diligentiam res dubia manserit, debet subditus practicè dubium deponere, & se superioris voluntati accommodare. Ratio hujus rei in eo consistit, quòd vovens obedientiam simul spondeat omnia, quæ necessaria sunt ad gubernationem voventis. Ergo vovet se velle sequi opinionem, quam superior prudenter judicat opportunam; alioquin nemo posset imperare; totum enim regimen subverteretur, si subdito reclamare liceret, dicendo rem præceptam sibi probabiliùs videri aut illicitam, aut talem, quam superior non possit præcipere.

Quando probabile est præcipientem non esse legitimum superiorem, probabile est subditum non teneri ad obediendum.

48. Quòd si non constet, utrum præcipiens sit legitimus superior. Tunc plures docent, subditum posse sequi opinionem probabiliter asserentem superiorem legitimâ jurisdictione carere, atque ita se ab obediendi obligatione eximere, ut tradit Vasquez. *1. 2. disp. 62. n. 34.* ubi pro se citat Gersonem *Alphabeto 62. littera* N. Jam in hoc casu bellum non est inter superiorem & subditum, sed lis est an ille sit superior, hic subditus.

Ex hoc nil absurdi sequitur.

Porrò bellum hoc objectivè non est utrimque justum, hoc enim repugnat, sed formaliter utrimque justum est, quia uterque prudenter procedit, ut constat ex hypothesi. Formalis justitia hujusmodi belli evidens est in duobus de suo jure litigantibus. Uterque enim justè litigat propter rationes probabiles utrique faventes; quamvis jus ad rem ex parte objecti uni tantùm faveat. Idem dicendum in casu præsenti, in quo uterque suum sibi jus asserere conatur, ille superioritatis, hic libertatis. cæterùm subditus in hoc etiam casu potest, si velit, alterius præcepto se subdere, illique obedire, modò adhæreat opinioni dicenti illum esse legitimum superiorem.

Mereorus hoc ipso loco reipsâ tradit sententiam benignam.

49. Cæterùm adverto, Mereorum tribus illis articulis reipsâ tradere communem sententiam, scilicet praxim opinionis probabilis contra probabilem esse licitam. Asserit enim, subditum æquè doctum, imò doctiorem superiore, debere obedire, quoties legitimus superior arbitratur partem suæ authoritati faventem esse licitam, & judicat se certò posse illud præcipere, quamvis subditus probabiliter credat rem præceptam esse illicitam. Eandem obligationem tribuit subdito, quando superior est vir probus, & asserit se ita dispositum esse, uti jam præfati sumus. Ponamus jam superiorem dicere, se tenere subditum licitè posse sequi opinionem minùs tutam, atque directè minùs probabilem, & certò credere sibi licitum esse eam præcipere. Ergo subditus juxta Mereorum tenebitur obedire. Itaque Mereorus reipsâ tenet, quod nos docemus.

Objectio sexta ex Sinnichio.

50. Objicies 6. ex Sinnichio *in Saule lib. 1. cap. 97.* In statu integritatis ante lapsum intellectus hominis nullius erat capax erroris.

In statu innocentiæ nullus fuisset error; sed nec ulla opinio.

Testatur id palam S. Thomas *quæst. 18. de veritate art. 6.* ubi hæc habet. *Non solùm in statu innocentiæ non potuit error esse, sed qualiscumque falsa opinio. Quamvis enim in statu innocentiæ potuerit esse alicujus boni carentia, nullatenus tamen esse poterat aliqua corruptio boni. &c. Falsitas autem non solùm est carentia veritatis, sed etiam ipsius corruptio. &c. Vnde sicut verum est bonum intellectûs, ita falsum est malum ipsius. &c. Vnde cum in statu innocentiæ non fuerit aliqua corruptio vel aliquod malum, non potuit esse in statu innocentiæ aliqua falsa opinio. Vnde dicit etiam Commentator in 3. de Animâ, quod falsa opinio ita se habeat in cognoscibilibus, sicut monstrum in naturâ corporali:* & rationem dat, quia utrumque evenit præter intentionem causæ à quâ procedit, *quia omne malum est præter intentionem,*

Error in intellectu est sicut monstrum in corporali fœtu.

tionem, ut dicit Dionysius cap. 4. de divin. nomin. Et paulò post S. Thomas assertionem suam extendit ad omnem opinionem tam veram quàm falsam. Ait enim: *Proprium motivum intellectûs est verum id, quod habet infallibilem veritatem: unde quandocumque intellectus movetur ab aliquo fallibili signo est aliqua inordinatio in ipso, sive perfectè sive imperfectè moveatur. Vnde cùm nulla inordinatio in statu innocentiæ in intellectu hominis esse potuerit, numquam intellectus hominis inclinatus fuisset magis in unam partem, quàm in aliam, nisi ab infallibili aliquo motivo. Ex quo patet quòd non solùm in eo nulla falsa opinio fuisset, sed penitus nulla opinio in eo fuisset, & quidquid cognovisset, secundùm certitudinem cognovisset.*

Sinnichius insultat probabilitatum sectatoribus.

Hoc posito sic arguit Sinnichius n. 364. *Videmus hinc quàm caduca sint fulcra, super quibus novelli Laxitatum patroni fundant eam rectè agendi securitatem, quam sequentibus probabilitatum dictamina spondent. Fulcra quippè illa sunt monstrosi fœtus humanæ mentis peccato jam corrupta, ac per hoc inordinata: quales fœtus mens sana numquam peperisset, si in primævâ sua sanitate incolumis perstitisset. &c.* & paulò post. *Hi autem nostri æqualem agendi securitatem arrogant sequentibus quamcumque opinionem probabilem, sive veram, sive falsam. Ex quo fit, ut totius securitatis ab eis venditatæ fulcrum nihil aliud sit, quàm humanæ conceptionis monstrum, vel certè quidpiam æquivalens monstro. Humana quippè opinio quando falsa est, monstrum est: quando vera, monstro æquivalet, quia nil amplius monstro præstat.* quia, teste S. Thomâ, in omni opinione est aliqua inordinatio, ad quam vitandam Deus ordinaverat, nullam opinionem habituram fuisse locum, durante statu innocentiæ.

Sinnichius citat Aug. quem perperam intelligit.

51. His peractis Sinnichius citat locum Aug. *ex lib. 6. de utilitate credendi cap. 11.* quem perpendimus *qu. 27. n. 43. & seqq.* ex quo, ut ibi ostendimus, perperam intellecto intendit probare, omnem opinionem esse malam, monstrosam, vitiosam, naturæ rationali dissentaneam. Sed quia Aug. *ibidem cap. 19.* dixerat: *In quibusdam rebus magno, in quibusdam parvo, in quibusdam nullo malo, in quibusdam etiam nonnullo bono fallimur*, & ex eo videbatur Aug. posse ita exponi, ut dictum ipsius nos non urgeret, statim subdit Augustinum eodem capite sese explicantem in hunc modum. *Cum dico: in quibusdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli, non ipsum errorem dico nullum malum, vel nonnullum bonum: sed malum quo non venitur, vel bonum quo venitur errando*; id est ex ipso errore quid non eveniat, vel quid proveniat. *Nam ipse per seipsum error, aut magnum in re magnâ, aut parvum in re parvâ, tamen semper est malum.* Unde sic arguit Sinnichius. *Cùm ergo error in seipso semper sit malus, profectò ejus periculo se spontaneè exponere, censeri debet malum, siquidem, qui amat periculum, in illo peribit. Cæterùm spontaneè exponit se periculo, qui absque premente necessitate prorumpit in actum opinandi. Porrò non videtur umquam occurrere necessitas, quæ eum premat ad prorumpendum in ejusmodi actum; quia poterit quis semper & ubique elidere quamcumque prætensam necessitatem imitando homines pro statu primæ integritatis, quorum de unaquaque re semper aut verum mentis judicium futurum fuisset, ut de rebus cognitis; aut nullum, ut de rebus prorsus incognitis; aut suspensum, ut de rebus animo quidem oblatis, sed incertis aut ambiguis. Qui postremo isto casu in assensum opinativum prorumpit, quadam mentis inordinatione affectum se prodit, erroris periculo se citra necessitatem exponit, adeoque reatum erroris incurrit; temeritatis sibi notam inurit, monstrosum mentis fœtum parit, & quasi jam sufficiente notitiâ ad rectè agendum instructus studium ulterioris indagationis deponit.* Hactenus Sinnichius.

Sinnichius insinuat se omnia ex infallibili tantùm veritate in suo libro determinasse.

Responsio.

52. Resp. & dico cum S. Thomâ omnem opinionem continere deordinationem statui innocentiæ incongruam, & quod plus est omnem opinionem aliquam de facto

Plura de facto sunt inordinata in naturâ lapsâ, quæ in statu naturæ puræ inordinata non fuissent.

etiam in nobis deordinationem continere; cùm enim omnes in Adâ possederimus statum innocentiæ, proculdubio aliquatenus deordinamur per singula, quæ de facto solùm in pœnam peccati nobis infliguntur. Talia sunt morbi, dolores, & mors corporis; error & fallibilitas in intellectu, atque difficultas benè operandi in voluntate. Hæc tamen omnia, saltem dempto errore, non sunt deordinationes naturæ secundùm se, quia homo in statu puræ naturæ constitutus & morbis & morti, & difficultati in amplectendo bono, & fallibilitati in discurrendo subjacuisset. Imperitè ergo Sinnichius utitur hoc loco S. Thomæ, ad ostendendum omnem opinionem, etiam veram, esse secundùm se malam, ac naturâ rationali indignam, cùm S. Thomas hoc non doceat, & omnes sciant, optimum, ad quod natura secundùm se possit pervenire, in multis esse solam probabilitatem. Jam mirum non est naturam ex se debilem, & in statu lapso constitutam non habere aliam regulam ad operandum, aut fulcrum ad non labendum in peccatum, quàm optimum ad quod pertingere potest. Quid enim insulsum magis, quàm parem regulam operandi exigere aut pro imperfecto statu hominis secundùm se, aut misero statu naturæ lapsæ, ac pro felici statu innocentiæ? Sed hæc leviora sunt.

Sinnichii doctrina evertitur. Ipse sibi respondere tenetur.

53. Quæro ergo à Sinnichio, an existimet se hoc medio rectè impugnare sententiam benignam? Utique respondebit, sic puto; quia partus monstrosus mentis non potest honestare actum voluntatis. Itane verò? Quid ergo dicet ad S. Thomam? Quid ad Augustinum? Quid ad Jansenium? Quid ad seipsum? Quid ad omnes fermè Theologos expresè docentes, errorem invincibilem cujuscumque facti, omnisque etiam juris positivi tam divini quàm humani excusare unumquemque à peccato? Hæc meminerit, & iterum relegat hunc suum paragraphum, ac dicat, quo tandem fulcro, & quàm caduco securitas rectè agendi fundetur, quando homines per errorem invincibilem à peccato excusantur? Fieri ne potest, ut monstrum humanæ conceptionis pulcherrimum honestatis fœtum pariat? Si hoc semel, si sæpè admittat Sinnichius; quid mirum, si quævis opinio probabilis, utpotè quæ vel erronea non est, vel certè est invincibiliter erronea, semper sufficiat ad unumquemque excusandum? Hæc si Sinnichius cogitasset, numquam ita lusisset in monstro opinationis humanæ.

Affingit S. Thomæ sensum alienum à mente ipsius.

54. Præterea mirùm hallucinatur in acceptione ac usu vocis *monstrum*. Nam S. Thomas ex Commentatore aliud nomine monstri non intelligit, quàm ens per accidens productum præter intentionem naturæ; nec majorem monstruositatem in opinione probabili falsâ, quàm in tibiâ curvâ agnoscit. Jam licet tam tibia curva, quàm falsa opinio simpliciter sit mala, quia bonum componitur ex integrâ causâ, malum autem ex quolibet defectu resultat, utraque tamen multum commodi secum fert; & quidem opinio falsa intrinsecè non differt à verâ, cùm nulla opinio nisi à conformitate cum suo objecto aut sit aut denominetur vera; notum autem est apud Philosophos eundem actum, qui de facto suo objecto conformis est, eidem esse potuisse difformem, & è contra. Nihilominus cùm Augustinus hoc eodem libro dicat. *Quis, nisi errans, malum neget approbare falsa pro veris, aut improbare vera pro falsis, aut habere incerta pro certis, vel certa pro incertis?* ultrò fateor omnem assensum falsum continere aliquid mali, quatenus aliqualiter removet intellectum à fine suo, & voluntatem ad ea disponit, à quibus aversa esset, si illa perfectiùs cognoscerentur; nihilominus talis assensus, si in firmitate adhæsionis non excedat meritum motivi, juxta Aug. non est malum

Opinio falsa non differt intrinsecè ab opinione verâ.

Omnis error est simpliciter malus.

malum monstrosum, quale Sinnichius depingit, cùm Augustinus toto eo libro aliud non contendat, quàm ostendere fidem rationabilem, motivoque suo per omnia proportionalem, nobis esse utilissimam, eamque, etsi aliquando per accidens sit falsa, semper longissimè ab opinantium temeritate distare. Illi enim ideò per Aug. dicuntur opinari, quia incertis inhærebant, ac si essent certa, uti loco citato ostensum est. Jam Sinnichius longè aliter accipit vocem *monstrum*, quasi verò omnis error, imò omnis opinio, etiam vera, esset res adeò abominabilis ac mala, ut absque intolerabilis turpitudinis notâ in intellectum admitti non posset. Quid autem est hoc aliud, quàm abuti authoritate SS. Aug. & Thomæ? S. Thomæ quidem; qua sub specie identitatis vocis æquivocæ, illi affingit sensum quem S. Doctor ne quidem per umbram intellexit: Augustini verò, quia illum citat pro fonte suæ doctrinæ, cùm Aug. toto eo libro aliud non contendat, quàm fidem fallibilem nobis esse utilissimam, nullamque temeritatem continere, nec esse malum, aut monstrum adeò horrendum, quale Sinnichius illam esse proponit. Nec hic cessat admiratio. Nam Augustinus in verbis à Sinnichio citatis tale malum admittit in errore, ut expressè dicat, *in quibusdam rebus nullo malo aliquem, vel nonnullo etiam bono falli*, idque ita deinde exponit, non quòd error secundùm se sit bonus, & nullo malo vitietur; sed quòd error ille sit utilis, quatenus secum fert bona, & removet mala plurima (inter quæ certum est tam in errore facti, quàm juris positivi peccata juxta mentem Aug. debere numerari) hoc enim significant illa verba: *Non ipsum errorem dico nullum malum, vel nonnullum bonum: sed malum quo non venitur, vel bonum quo venitur errando.* Sinnichius è contra his Augustini verbis utitur ad probandum ex ipsius authoritate, nec errorem, nec opinionem etiam veram ullam vim habere ad removendum malum, & peccatum, sed illam & in se turpissimum esse monstrum, & ad arcendam peccati imputabilitatem ineptam. At quid magis contra mentem Augustini dici possit non video.

Sinnichius citat Aug. contra expressam ejus mentem.

Immò expresse citat Aug. contra sensum in ipsis verbis citatis contentum.

55. Jam præterquam quòd argumentum Sinnichii æquè procedat contra omnem opinionem, etiam probabiliorem, etiam probabilissimam, etiam quando pars tutior est improbabilis, etiam in materiâ juris positivi, etiam humani, etiam circa factum quodvis, adeóque evidenter sit nullum, cùm indubitanter nimis probet, adhuc prætereà Sinnichius aut non intelligit, aut certè dissimulat se intelligere opinionem, quam impugnat. Nos enim, qui dicimus probabilitatem certam præbere securitatem conscientiæ, non adeò cæcutimus, ut putemus ipsam probabilitatem, utpotè apparentiam fallibilem & formidolosam, esse certitudinem, quâ operans certificatur de honestate suæ operationis; sed docemus, & reflexè probamus, imò demonstramus probabilitatem directam, reflexè evidenter cognitam, esse objectum, ex quo intellectus per principia synderesis reflexa, post novam consultationem, assurgit ad formandum dictamen conscientiæ certum & infallibile de honestate suæ operationis. Hæc certitudo, non probabilitas secundùm se, est fulcrum, super quo spondemus securitatem sectantibus opinionem etiam directè minùs probabilem. Fulcrum hoc nec Sinnichius, nec alius quispiam hactenus concussit.

Retorquetur argumentum Sinnichii.

Sinnichius aut non intelligit, aut dissimulat se intelligere opinionem quam impugnat.

Non intelligit nec impugnavit ejus fundamentum.

Solvuntur aliæ objectiones.

56. Vincentius Baronius *disp. 1. sec. 2. art. 3. parag. 1.* & jactat se omnia pro utraque sententiâ paucis exposuisse, & quæstionem demonstrativè contra nos determinasse. Sic autem arguit. Non omnis

Objectio prima ex Baronio.

opinio probabilis est tuta, quia evidens est opinionem faventem legi esse tutissimam, illique præferendam, quæ favet libertati contra præceptum, quia semper in hac formido peccati remanet, & torquet animum. Præterea si quævis probabilitas esset tuta conscientiæ regula, omnes Athei & Epicurei excusarentur, quia pro parte sua habent argumenta difficillima. Hæc sunt omnia ex quibus hoc loco sibi quasi victori applaudit Baronius.

Responsio. Resp. omnem opinionem practicè probabilem esse radicaliter tutam, & immunem ab omni periculo peccati formalis, etsi periculum aliquod peccati materialis immineat, de quo certè sæpè formidat, qui certus est de honestate suæ electionis, ut videre est in eo, qui tutâ conscientiâ retinet rem possessam, etsi formidet an illa jure spectet ad competitorem, & in uxore reddente debitum, quando probabiliter formidat, ne copula sit fornicaria, quia probabile est matrimonium initum esse irritum, &c. Porrò periculum peccati tantùm materialis non obstat quieti conscientiæ, quia propriè loquendo sola formido peccati formalis conscientiam cruciat, cùm omnis alia formido peccati prudentissimè contemni possit.

Opinio probabilis est tuta ab omni peccato formali si quis eâ debitè utatur.

Objectio secunda. 57. Objicit 2. Baronius *disp. 1. sec. 2. art. 3. parag. 1.* Cicero *lib. 1. Officiorum*, initio dissertationis de justitiâ hæc habet. *Quocirca benè præcipiunt, qui vetant quidpiam agere, quòd dubites æquum sit, an iniquum. Æquitas enim lucet per se. Dubitatio autem cogitationem significat injuriæ.* Unde exclamat Baronius, se pudore ac dolore affici, dum videt Theologos summæ æquitatis leges corrumpere, quas Ethnici religiosè sanciverunt. Isti enim dicunt dubitationem inferre in honestatem: illi verò tradunt oppositum, quia in probabilibus volunt utramque partem licere pro arbitratu; & quod plus est, contendunt hanc suam sententiam esse communem Ecclesiæ sensum.

Responsio. Resp. Ciceronem loqui de dubio propriè dicto, ut patet ex contextu. Jam Theologi omnes unanimiter idipsum tradunt, & in hoc superant doctrinam Ciceronis, quòd habeant pro certissimo dogmate, *nemini licitum esse sectari minùs tuta in dubio practico de honestate suæ operationis*, cùm Cicero hoc laudet ut rationabile, non tradat ut rem omninò indubitabilem. Porrò quod sententia nostra sit communis Ecclesiæ sensus, certissimum est, ut constat ex dictis, modò quæstio intelligatur in sensu à nobis exposito. Jam quid hic sit, ob quod Baronius, tam patheticè exclamârit, non apparet.

Cicero loquitur de dubio practico & non discrepat à Theologis.

Objectio tertia ex Baronio. 58. Objicit 3. *disp 2. sec. 1. art. 2. parag. 3.* futilem esse distinctionem honestatis objectivæ & formalis in eodem actu, ex quâ intulimus intellectum esse posse certum de formali honestate suæ electionis, etsi dubitet de objectivâ honestate ejusdem. Sic enim arguit. Distinctio hæc est prodigium ignorantiæ aut temeritatis, quia supponit dari certitudinem formalem, cui nulla objectiva respondeat. Hoc autem perinde est ac dicere, dari veritatem formalem, cui nulla objectiva respondeat, quod ne Deo quidem concedi potest; nempè ut habeat scientiam rei non scibilis, id est veritatem formalem rei, quæ caret objectivâ.

Responsio. Resp. distinctionem hanc jam à temporibus Aristotelis fuisse agnitam, & approbatam. Philosophus enim *7. Eth. cap. 1.* expressè tradit, *quem esse incontinentem per se, si facit quod per se est contra continentiam; alium verò per accidens, quia putat sic esse. Quem similiter continentem esse per accidens, si putaret sic esse, licèt per se non sic esset.* Ecce Philosophus operantem juxta conscientiam non temerè errantem asserit esse continentem & laudabilem, in quo uno effato & nobis evidenter subscribit, & adversariis apertissimè

Aristoteles nobiscum est

Baronius reprehendit doctrinam evidenter veram.

apertissimè contrariatur. Quid in hac doctrinâ prodigiosæ ignorantiæ aut temeritatis lateat non facilè dixerit Baronius. Mirandum certè est veritatem tam palmarem, & in scholis ab Aristotelis tempore notissimam à Theologo veterano esse ignoratam. Nonne conjux, explosâ levi credulitate de nullitate sui matrimonii, licitè petit debitum? Si licitè petat, ergo illa petitio est honesta; aliquando tamen contingit, copulam illam verè esse fornicariam. ergo tunc invenitur honestas formalis operationis, etsi objectum in quod illa fertur secundùm se sit malum & prohibitum. Quid hic monstri inveniet Baronius? At nos aliud non asserimus. Nec tamen negamus, quin materialis illa fornicatio, prout substat prudenti credulitati de matrimonii validitate, permissa sit, & aliquo modo honesta. In hoc enim sensu nemo asserit honestatem formalem posse ab objectivâ separari, cùm oppositum sit evidenter impossibile. Itaque Baronius sensum à se excogitatum impugnavit, & ut absurdum rejecit, sed nobis in hoc non adversatur, quibus in sensu à nobis intento repugnare nemo potest, nisi apertam veritatem impugnet.

Objectio quarta.

59. Objicies 4. cum Baronio. Sententia rigida non est onus intolerabile, nec lex servatu moraliter impossibilis; quia potest quis voto se obligare ad eam sectandam. In hoc casu sic vovens tenetur sectari tutiora, qui tamen ad impossibile non tenetur.

Responsio. Homo per imprudentiam potest se conjicere in moralem necessitatem peccandi vovendo rem honestam.

Resp. potest quis per imprudentiam se conjicere in moralem quandam necessitatem peccandi; ut si quis, rebus sæcularibus implicatus, voveret se semper facturum quod sibi visum fuerit perfectius, quale votum S. Teresia, Christo suadente, emisisse legitur. Talis homo esset moraliter impotens ad votum servandum, quia injiceret sibi onus intolerabile, quod certè non ideò probatur esse tolerabile, quia quis potest se voto adstringere ad illud ferendum, ut patet. Idem dico in casu nostro. Si quis non in unâ determinatâ materiâ, sed in omnibus indiscriminatim voveret se in omnibus tutiora secuturum, ille, maximè si negotiis sæcularibus implicaretur, imprudenter sibi injiceret onus difficillimum, & moraliter importabile, ut constat ex dictis.

Objectio sexta.

60. Demum Baronius *dis. 2. sec. 1. art. 3.* ponit 4. regulas, per quas putat totam quæstionem præsentem dilucidè explicari. Prima regula. Quamvis sapientis sit in omnibus præponere probabiliora minùs probabilibus, hic tamen delectus magis necessarius est ad partem moralem, quam ad theoricam.

Regula prima.

Regula secunda.

Secunda regula. *Ea opinio est tuta, quæ argumentis, quantum materia moralis patitur, validis fulta, nullâ aliunde ratione, aut opinione adversâ colliditur.* Unde infert possessorem licitè uti re possessâ, etsi evidens non sit eam ad alium non pertinere, quamdiu nullum habet argumentum dicendi, quod spectet ad alium. Huc etiam refert casum, quo quis licitè accedit ad Eucharistiam, etsi certus non sit de statu gratiæ.

Regula tertia.

Tertia regula. Quando ambæ opiniones probabiles contrariæ favent legi, locum habet illa regula. *E duobus malis minimum est eligendum.* Sic quando moribundus, de quo non certò constat an sit debitè dispositus, est absolvendus, & opiniones variant; aliâ docente eum non posse, aliâ dictante eum debere absolvi, considerandum est, quodnam ex malis prævaleat, & minus est eligendum. Cùm enim veritas lateat, & utrumque collectim vitari non possit, æquum est, ut minimum eligatur.

Regula quarta.

Quarta regula. *Pugnantibus inter se, paribus aut parum disparibus rationum momentis, opinionibus hinc pro lege, inde pro libertate, numquam deserenda est prima opinio unicè tuta; maximè si præscribat media per se instituta*

ad salutem. Tum huic regulæ aliam addit, quasi partem illius. *Non est recedendum ab opinione favente legi circa rem ex solo præcepto necessariam, nisi adversa opinio pro libertate infinitis partibus ita vincat, ut vix tenuissima probabilitas illi reliqua sit.*

Responsio.

Resp. distinctionem hanc non solvere præsentem quæstionem, ut patebit ex ponderatione singularum. Prima regula continet quidem consilium non præceptum; neque in hoc ulla est diversitas inter opiniones speculativas & practicas, modò utraque sit certò probabilis; quia nemo probabiliter opinans in ullâ materiâ reprehendi potest, ut inconsideratus, vel temerarius. Hoc tamen diversitatis intercedit inter has opiniones, quòd in moralibus plus requiratur ad probabilitatem practicam, quàm ad speculativam; sic plus requiritur ut probabile sit sagittam posse licitè emitti ad necandam feram, quàm ut probabile sit animal inter vepres conspectum non esse hominem, sed feram.

Prima regula continet merum consilium.

Secunda regula, quam Baronius dicit tutam, in ejus sententiâ dici non potest tuta.

61. Secunda regula coincidit cum statu *quæstionis 19.* in quâ pars minùs tuta est probabilis, pars autem opposita non est probabilis. Libens ergo fateor talem opinionem ex vi argumentorum reflexorum probari tutam, & immunem ab omni periculo peccati formalis; sed certè simpliciter loquendo non est tuta, cùm non excludat formidinem erroris & peccati saltem materialis. Jam si Baronius conatus fuisset probare talem opinionem esse tutam, invenisset easdem rationes evincere, omnem opinionem probabilem esse tutam. Nec dicas veritatem regulæ ex terminis esse evidentur veram; nam non solùm ex dictis constat eam, ut jacet, esse evidenter falsam, sed idipsum ulterius evincitur, quia motiva probabilia absque luctâ contrariorum sæpè sunt tam debilia, ut non magis moveant ad assensum, quàm argumenta fortiora, quibus alia probabilia, sed minùs fortia opponuntur. ergo non est minor formido in uno, quàm in alio casu. ergo in neutro opinio favens libertati est absolutè tuta à formidine peccati, saltem materialis. ergo non patet ex terminis, sed probandum est unamquamque illarum esse tutam à peccato formali.

Tertia regula nil lucis affert ad præsentem quæstionem.

62. Tertia regula nil lucis affert ad dirimendam præsentem quæstionem, quia numquam collocamur inter duo verè, sed solùm inter duo apparenter mala, disjunctivè necessaria. Ratio est, quia altera saltem ex illis opinionibus est falsa. siquidem utraque non potest esse vera. Ergo una saltem immunis est ab omni incommodo reali, quia falsò affirmat objectum suum esse vetitum, vel præceptum. Hoc posito, peto, an in hoc casu positum sit in arbitrio nostro eligere quodvis eorum pro arbitratu? Si affirmes, nobiscum sentis; & locum non habet regula illa, *è duobus malis minimum est eligendum.* Si neges; distinctio hæc & regula est inutilis. Nam cùm certò non constet, quodnam sit majus malum, nemo scire potest quânam ex parte verum malum lateat; quia ex unâ tantùm parte opus repugnat legi, sed ignoratur ex quâ, eo quòd unaquæque opinionum contrariarum probabiliter arguat se nulli vero malo obnoxiam, sed oppositam illi subesse. Ergo regula illa locum non habet. Quod si dicas malum, quod existimatur majus, debere repudiari, & alterum admitti; iterum nobiscum sentis, quia liberum cuique erit suam sectari opinionem, illudque facere, quod absolutè credit esse licitum, in quo nullius peccati formalis reus argui poterit, etsi reipsâ sectetur opinionem falsam, & verè eligat majus malum, etiam cum formidine illud eligendi. At nos aliud non docemus in hoc casu. Nam etsi dicamus utramque partem posse eligi pro arbitratu, semper tamen requirimus judicium, quo operans absolutè credat operationem suam

esse

esse honestam, & objectum, quod ponit, in istis circumstantiis esse licitum.

Baronius per quartã regulam tenetur subscribere sententiæ, quam impugnat.

63. Quod spectat ad 4. regulam, illa continet duas partes, quarum secunda admittit tenuem probabilitatem partis tutæ non obstare honestati electionis partis minùs tutæ, modò pars minùs tuta sit multò probabilior oppositâ, quod paulò ante etiam disertè concesserat Baronius. Hinc autem cogitur nobiscum in omnibus sentire; quia probabilitas nostræ sententiæ & est, & à nobis scitur esse incomparabiliter major probabilitate sententiæ contrariæ. ergo ex mente Baronii nobis omnibusque nobiscum sentientibus licet sequi quamcumque opinionem practicè probabilem.

Doctrina hujus regulæ repugnat toti intento Baronii.

64. Præterea doctrina hujus regulæ repugnat cum toto intento Baronii. Nam hic universaliter concedit exiguam probabilitatem partis tutæ non impedire securitatem conscientiæ sectantis partem minùs tutam longè probabiliorem. At quomodo hoc licet, cùm taliter operans non sit certus de veritate sententiæ quam sequitur? certè ratio & authoritas non contemnenda arguunt opinionem, quam sequitur, esse falsam. ergo qui sequitur illam discrimini se committit. ergo peccat. Præterea ostendat disparitatem Baronius, cur iste non peccet, & peccet ille, qui sequitur partem minùs tutam sed probabiliorem, etsi non cum tanto excessu. Hanc disparitatem numquam assignabit, quia casus solùm differunt secundùm magis & minùs; adeoque si charitas, aut quævis alia virtus obliget ad unum, ad alterum etiam obligabit. Hinc pergat & comparet probabiliorem cum directè æquè probabili, & hanc cum directè minùs probabili, & eò se adactum ex propriis principiis inveniet, ut cogendus sit fateri, omnem probabilitatem practicam ad securitatem conscientiæ sufficere.

Distinctio, quâ utitur in quarta regula non conducit ad resolutionem quæstionis.

65. In primâ parte hujus quartæ regulæ distinguit inter præcepta, quorum observatio est, & quorum observatio non est necessaria necessitate medii ad salutem, & bonum proprium vel alienum. Verùm distinctio hæc nil conducit ad quæstionem præsentem; quia nulla ratio excogitari potest, cur liceat sequi opinionem practicè probabilem in unâ, & non in aliâ materiâ. Non enim minùs peccatum est non obedire Deo præcipienti auditionem sacri, quàm fornicari. Imò Deus in sacrâ Scripturâ legitur non minùs aversari peccata inobedientiæ contra præcepta positiva, quàm simplicem fornicationem lege naturæ vetitam. ergo si gradus aliquis probabilitatis, quòd hoc objectum non sit lege positivâ prohibitum excusat à peccato inobedientiæ; cur par probabilitas non excusabit à peccato luxuriæ? Deinde si quid obstet in ullo ex istis casibus, maximè timor offensæ Dei, hoc enim dempto, nil urget ad abstinendum ab ullâ actione. At hæc ratio æquè valet in utroque casu. ergo quoad præsens intentum nil conducit allata distinctio.

Sola formido offensæ divinæ arguit aliquid esse illicitum.

Nec dicas disparitatem esse, quòd in primo casu res sit necessaria necessitate medii, non autem in secundo; nam quid inde? certè nisi hæc medii necessitas probet Deum præcipere partem tutiorem, & convincat oppositum non esse probabile, non probat peccatum in uno potiùs, quàm in alio reperiri, quia omne peccatum in solâ violatione præcepti divini consistit.

Regula hæc quarta continet doctrinam falsam.

66. Præterea tota hæc distinctio continet doctrinam falsam; quia in materiâ justitiæ possessor non tenetur alienare rem, etsi urgeatur paribus aut etiam majoribus argumentis, donec Judex proferat sententiam in favorem competitoris. At reddere aliena, cùm potest, est necessarium necessitate medii ad salutem, sicut & abstinere ab omni peccato mortali. Rursus licet obedire, etsi sit æquè probabile, aut probabilius rem præceptam esse illicitam.

67. Denium regulæ istæ vel sunt inutiles ad-

Regulæ à Baronio allatæ sunt inutiles ad praxim. Favent etiam nostræ sententiæ, eamque confirmant.

ad praxim, vel certè nobis favent, & Baronium convincunt. Sunt inutiles, quia unde poterit quis scire an excessus probabilitatis sit talis, qualem ille exigit, ut illam sequi liceat? Unde constabit oppositam probabilitatem esse tenuissimam, cùm illa multis videatur major oppositâ? Quod si regula deservire possit ad praxim, & excessus probabilitatis ex eo innotescat, quod paucissimi inhærent uni, cùm reliqui unanimiter tradant alteram, eamque constituant incomparabiliter probabiliorem oppositâ; fingamus aliquem non adeò peritum Theologiæ investigare probabilitatem nostræ, & contrariæ sententiæ; inveniet nostram esse incomparabiliter probabiliorem, cùm paucissimi stent pro oppositâ, innumerabilis autem Doctorum multitudo tradant nostram pro securâ conscientiæ regulâ. Immò hinc inferet sententiam benignam esse etiam intrinsecè incomparabiliter probabiliorem rigidâ. Ergo juxta regulam Baronii licitè poterit sequi quamcumque opinionem practicè probabilem. Nec mirum: quia omnis opinio directè probabilis practicè, si omnia argumenta etiam reflexa inspiciantur, tantam habet probabilitatem honesti, ut oppositum aut vix, aut ne vix quidem sit probabile.

Fallitur Baronius in assignandâ regulâ quâ Pontifices usi sunt in dispensationibus, quando Authores differunt de honestate dispensationum.

68. Atque hinc apparet hasce Baronii regulas quâ falsas esse, quâ intento ipsius repugnantes, quâ demum insufficientes ad quæstionis nostræ resolutionem. Nec minùs aberrat à vero dum dicit, summos Pontifices numquam dispensasse contra quartam regulam, sed solùm aut juxta tertiam regulam dispensationes suas indulsisse, aut certè non nisi juxta secundam partem quartæ regulæ, quæ admittit facultatem recedendi ab opinione favente legi, si illa dispensanti videatur tenuissimæ probabilitatis, quæ nequeat cum adversâ parte non nisi multo infra æqualitatem contendere. Hæc liberaliter dicit Baronius, sed nullo argumento probat, hac unicâ contentus ratione: *ipse dixit.*

69. Verùm hoc nobis non sufficit. Et quod spectat ad usum 3. regulæ, illa in similibus locum non habet, cùm ex unâ tantum parte peccatum timeatur. Præterea vix umquam intervenit necessitas dispensandi in gradibus affinitatis, aut aliis, ut evidens est, & per se, & ex allatis exemplis manifestè constat. Quod si malum aliquod, cavendum per dispensationem, suadebat illam esse concedendam; illud plerumque erat malum temporale, aut certè peccatum aliorum, ad quod cavendum non licet Pontifici peccare, & dispensare contra legem Dei, circa quam validè dispensare non potest. Pontifices ergo ita erant constituti, ut non dispensando certò non peccarent, dispensando autem probabile erat eos potestatem sibi concessam extendere ad ea, ad quæ Deus noluit, immò vetuit eam extendi. Quæ ergo verisimilitudo est, quòd se regulaverint juxta 3. regulam?

Non sunt regulati Pontifices per illud effatum, è duobus malis minus est eligendum.

70. Jam quod non dispensaverint juxta secundam partem quartæ regulæ nimis clarum est ex historiâ dispensationum indultarum. Peto enim an talis fuerit dispensatio Adriani sexti, de quâ supra in exemplis Pontificum facta est mentio? Nugæ. Præterea quomodo fieri potuit, ut Pontifices prudenter existimarent tot Doctorum sententias, validissimis argumentis munitas, esse tenuissimæ, ac fermè nullius probabilitatis? Demum ex hoc Baronii dogmate sequitur usum nostræ sententiæ esse illis licitum, quibus apparet incomparabiliter probabilior oppositâ. At ita nobis apparet, & à nobis scitur esse talis, omnique talis est, qui rationes illi faventes absque animi passione considerat. Atque in hoc sensu fatemur Pontifices numquam dispensasse, quin ex vi rationum reflexarum nostræ sententiæ faventium longè probabilissimum illis fuerit

Neque solùm dispensarunt, quando pars tutior vix ullam haberet probabilitatem.

suam

suam dispensationem esse licitam. At hoc asserere etiam de rationibus directè probantibus, ut vult Baronius, est nimis patenter absurdum, & nullam verisimilitudinem præ se fert.

Replica. 71. Demum dices cum Baronio *disp. 2. sec. 4. art. 2. parag. 1.* Inter opiniones contrarias altera est falsa, ergo non potest esse tutum sectari, aut suadere utrumque, quia certum est malum latere. Unde non licet Advocato utrique parti patrocinari, quia certus est uni parti falsum subesse; ac proinde se iniquam causam defensurum si adsit utrique.

Solutio. *Resp.* etsi altera opinionum contrariarum sit falsa, numquam tamen certum est malum latere, quando altera pars favet libertati, altera præcepto. Sic non certum est malum ullum latere, si picturam exerceas die festo. Quod si malum certò lateat ex alterâ parte, nescitur ex quâ parte lateat; quocirca cùm periculum omne vitari non possit, ille excusatur, qui facit id, in quo prudenter credit nullum malum latere. Quod attinet ad Advocatum, ille non potest simul utrique parti patrocinari in eadem causâ coram eodem Judice, quia deberet omnia destruere ac solvere, quæ affert pro suis clientibus. At hoc est contra munus ipsius. Cæterùm in duabus causis similibus potest diverso tempore patrocinari modò uni, modò alteri causæ; imò & eodem tempore, si agat coram diverso Judice, & ita agat, ut per hoc non noceat causæ, quam agit coram altero Judice. Ecce exempla ista aut ad rem non sunt, aut ritè perpensa nobis favent.

Advocatus non potest simul patrocinari utrique causæ contrariæ. successivè potest

QUÆSTIO VIGESIMA-NONA.

Vtrùm S. Thomas stet pro sententiâ benignâ, vel rigidâ?

Status quæstionis. 1. ADVERSARII nil frequentiùs obtrudunt, quàm S. Thomæ authoritatem, quæ si ipsis faveret, meritò de tantâ authoritate gloriari possent. Verùm adversarii non minùs decipiuntur in intelligendâ mente S. Thomæ, quàm in aliorum S. Patrum doctrinâ interpretandâ. Hoc ut palam fiat, mens S. Thomæ in præsenti quæstione excutienda est. Locus potissimus S. Thomæ, in quo Adversarii se fundant, est *art. 13. quodlibeti 8.* Jam *in hoc art.* videtur expressè tractare quæstionem præsentem, nam ad initium *quæstionis 6* ubi ordinatim proponit, quæ in illâ examinanda suscepit, tertio loco quærit: *Vtrum quando sunt diversæ opiniones de aliquo facto, ille qui sequitur minus tutam peccet, sicut de pluralitate prebendarum.* Huic quæstioni respondet dicto *articulo 13.* quem unà cum proprio ipsius titulo hîc exscriptum habes de verbo ad verbum, ut rectiùs formes judicium de mente S. Doctoris.

ARTICULUS XIII. QUODLIBETI 8. S. THOMÆ.

Articulus 13. quodl. 8 S. Thomæ.

Vtrùm ille, qui habet plures prabendas, peccet?

Circa 3. sic proceditur. Videtur quod ille qui habet plures prabendas peccet ex hoc ipso, quòd opiniones Magistrorum sunt in contrarium. Quicumque enim committit se discrimini in his, quæ sunt ad salutem, peccat: sed iste committit se discrimini, ut videtur, cùm faciat contra multorum

multorum peritorum sententiam. ergo videtur quòd peccet.

Sed Contra. Potest esse, quòd in tali casu aliquis adhibet diligentiam, inquirens an habere plures præbendas sit licitum, nec invenit aliquid, quod eum moveat ad hoc quòd sit illicitum. Ergo videtur, quòd sine peccato possit plures præbendas habere.

Resp. dicendum, quòd duobus modis aliquis ad peccatum obligatur. Uno modo faciendo contra legem ut cum aliquis fornicatur, alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem, ut si conscientia dictat alicui, quòd levare festucam de terrâ sit peccatum mortale. Ex conscientiâ autem obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, sive etiam habeat opinionem cum aliquâ dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam. Et similiter quod est contra conscientiam est malum, quamvis non sit contra legem. Quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum. Dicendum est ergo, quod quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille, qui facit contra opinionem magistrorum, utpotè habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & sic cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam, sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quòd verè licet habere plures præbendas: & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem, aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic proculdubio peccat, utpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat. Unde patet solutio ad objecta. Hactenus S. Thomas.

Quæstionis resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio prima.

S. Thomas non est in eâ opinione, quod ad vitandum peccatum formale, ac ratione sui imputabile, operans in obscuris sequi debeat partem tutiorem, quando sunt hinc inde contrariæ Authorum sententiæ.

2. Probatur. S. Thomas (sicut quivis alius Doctor de se existimat) tenet, licitum esse sequi opinionem, quam ipse post maturam deliberationem prudenter resolvit esse veram, & licitè in usum reducibilem; alioquin frustra in ejus resolutionem desudaret. At evidens est S. Thomam sæpissimè resolvere quæstionem, de quâ contrariæ Doctorum sententiæ & vigebant, & vigent, in favorem partis minùs tutæ; idque tam de iis quæ spectant ad jus naturæ, quàm ad jus positivum; ut videre est in plurimis ejus tractatibus. ergo evidens est S. Thomam existimasse licitum cuique esse sequi opinionem minùs tutam, quamvis opposita sententia tutior ab aliis doceretur. Idque locum habet etiam pro casu, quo Doctorum dissensio petenti consilium innotescit, quia resolutio quæstionis fit ad instantiam partis, non obstantibus rationibus in contrarium. Sola difficultas potest esse in minore, quæ sic probatur. Inprimis 2. 2. quæst. 67. art. 2. docet, Judicem posse judicare secundùm allegata & probata, contra veritatem evidenter notam; atque ita innocentem interficere. Cùm tamen plurimi teneant oppositum, & dicant cum lege naturæ, supra quam

S. Thomas non tenet tutiorem partem in obscuris esse accessendo tenendam.

Demonstratio.

S. Thomas in re spectante ad jus naturæ sequitur partem minùs tutam.

quam respublica nullum habet jus, debere suo officio renunciare, si alia non suppetat via, & in judicio testificari innocentiam alienam. Ad legem enim naturæ spectat illud effatum Dei, *exodi. 23. ver. 7. insontem & justum non occides: quia aversor impium.* Et sanè cùm certum sit, neminem licitè posse cognoscere fæminam, quam certò novit esse non suam, quamvis per sententiam judicis sub pœnâ excommunicationis cogatur ad reddendum debitum; ita multò minùs poterit Judex condemnare innocentem, etsi apparens probatio juxta leges sit sufficiens; quia Judex novit probationes esse calumnias, &c.

Judex non potest condemnare, quem certò novit esse innocentem.

3. Possem innumera alia afferre, ut quòd circumstantiæ aggravantes non sint confitendæ &c. sed libet exscribere, quid S. Antoninus de hac re dicit *part. 1. tit. 3. cap. 10. parag. 10.* ubi hæc habet. *Quod sint contraria opiniones inter Doctores sanctitate & scientiâ maximos in materiâ morali, aliquando etiam ad salutem necessariâ patet per exempla. Nam B. Thomas in 4. tenet quod post lapsum in mortale non oportet aliquem statim confiteri sub præcepto, habitâ copiâ confessoris, nisi in paucissimis casibus, qui ibi ponuntur distinct. 17. & cum eo tenet Richardus. Sed Hugo de S. Victore & B. Bonaventura sunt in hoc contraria opinionis &c. Neutra illorum opinio reprobatur. Etsi B. Thomæ opinio communiùs teneatur, quæ tamen minùs tuta videtur. Raymundus decretista & Sanctus in summâ tenet, quod participare cum excommunicatis majori excommunicatione in loquelâ, cibo, & hujusmodi in casu non concesso sit mortale universaliter. Sed B. Thomas in 4. & Ioan. Andreas, & Archidia. tenent contrarium &c. & sic exempla innumera possent poni.* Hactenus Antoninus, ex quo nota illud, *sic exempla innumera possent poni*; nam illud abundè demonstrat præsens intentum. Audi etiam Conradum *de contract. qu. 100.* S. Thomas, inquit, in multis tenet partem minùs tutam. Inprimis tenet fictè confessum non obligari ad reconfitenda peccata fictè confessa, sed quòd confessio fictione cessâte erit valida. Alii cõmuniter tenent oppositum. Item tenet, quòd excusentur, qui non solvunt quotam decimæ, ubi invaluit consuetudo eam non solvendi. Canonistæ autem communiter docent, quòd non excusentur, & quòd opinio Theologorum in hac parte sit quasi hæretica. Ita Conradus. Ecce minor est notoriè vera. consequentia autem legitimè deducitur. Ergo S. Thomas aliique omnes, qui in dubio opinionum resolvunt quæstionem in favorem partis minùs tutæ (id est omnes omninò Theologi, qui de rebus moralibus scripserunt) tenent sententiam benignam, & aperte supponunt homines posse licitè eam in praxi amplecti absque peccato; idque tam in rebus spectantibus ad jus naturæ, quàm ad jus positivum.

S. Antoninus affertur in confirmationem.

4. Dices cum Baronio, exempla è S. Thoma allata non sunt ad rem, quia Judex condemnans innocentem non sequitur partem minùs tutam, eò quòd versetur inter duo præcepta contraria sibi proposita, quorum alterum dicit eum debere convictum condemnare, alterum dicit eum debere illum non condemnare. Reliqua exempla procedunt de opinionibus contrariis omninò improbabilibus. Ergo numquam licet sequi opinionem minùs tutam, tutiore probabili relictâ, ex mente S. Thomæ.

Replica Vin. Baroni.

Resp. Baronium merum fucum facere. Peto enim quæ sit illa sententia, quæ probabiliter dicat, Judicem de facto debere absolutè condemnare innocentem in foro externo convictum? Lex ista nec à Deo nec ab hominibus ullibi lata cognoscitur. Nonne Judex potest, si velit, officio suo renunciare, & si non sit uxoratus, religionem ingredi &c. Quis hoc illi prohibuit. Dico ergo, quod si alia via liberandi innocentem non suppetat, ad non condemnan-

Solutio.

Nulla lex jubet Judicem condemnare innocentem.

condemnandum innocentem debeat aliquid horum facere, aut fugere &c. Sed esto, probabile sit, dari præceptum civile illum arctans ad condemnandum innocentem, quid inde? nonne adhuc versatur inter duo mala, & violationem duorum præceptorum illum apparenter obligantium? Ergo è malis illis minimum est eligendum. At longè minus malum est esse inobedientem reipublicæ, & transgredi legem positivam in ignorantiâ hominis fundatam, quàm violare legem naturalem à Deo omnibus injunctam, idque non ex ignorantia, sed ex plenitudine scientiæ dictantis quid omnibus expediat. Ergo Judex tenetur non condemnare innocentem. Præterea S. Thomas non insinuat hanc esse rationem, in quâ fundatur. Ergo hæc ratio illi merè affingitur à Baronio. Demum Ecclesia *in cap. inquisitioni, de sent. excom.* expressè docet, certum de invaliditate matrimonii non posse licitè debitum reddere, etsi in foro externo sit convictus de ejus validitate, & jubeatur sub pæna excommunicationis illud reddere consorti petenti. Quomodo ergo non magis tenetur non condemnare innocentem, etsi respublica absque ullo aditu ad se eximendum ab illo onere (quod tamen non facit) certò præciperet absque ulla replica hoc facere? Demum cùm casus iste sit de rarò contingentibus, expediret reipublicæ ut Judex officio suo se abdicaret, quia nullum immineret periculum deceptionis, rarò enim invenirentur, qui pro liberandâ vitâ pauperis, à quo nil sperari potest, officium deponeret. Quòd si aliquando in judicio potentium timeri posset corruptio, illud rarò contingeret, & facilè esset alium judicem invenire, qui accusati innocentiam nesciret, illumque licitè condemnaret.

Conscius nullitatis matrimonii numquam licite reddit debitum.

Quod spectat ad alias opiniones resolutioni S. Thomæ contrarias, Baronius dicit, sed non probat, eas esse improbabiles. Quid? est improbabile, quòd non teneamur confiteri circumstantias in eadem specie aggravantes? Sed quo argumento id probari potest? Certè communis hodieque opinio est, quòd illæ sint necessariò confitendæ; & ego cum plurimis aliis existimo, id, si directè examinetur, esse longè probabilius opposito.

Præterea omnes fermè ex opinionibus è S. Thomâ hactenus rejectis sunt etiam hodiè valdè probabiles; & quamvis una aut altera hoc tempore non sit recepta, illæ tamen tempore S. Thomæ communes erant, & à summis Theologis approbatæ. Certum ergo est, S. Thomam nobiscum sentire, & has Baronii exceptiones non subsistere.

ASSERTIO SECUNDA.

Assertio secunda.

S. Thomas expressè tenet, posse nos non obstante opinionum contrarietate ita assurgere ad existimandam alteram contradictionis partem esse licitam, ut nullatenus de opposito dubitemus.

Probabilitas contrariarum opinionum non obstat certitudini conscientiæ.

5. Probatur. Ultima pars resolutionis in articulo supra posito citatæ ita se habet. *Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Ecce juxta S. Thomam fieri potest, ut non obstante opinionum varietate, aliquis consurgat ad formandam conscientiam omnis dubitationis exclusivam. Nos quidem explicavimus quomodo hæc certitudo consurgat, hoc S. Thomas hîc non explicat, sed solùm supponit, assensum dari posse absque ullâ formidine, atque ita operationem illam nec contra legem fieri, nec contra conscientiam; esset autem contra conscientiam, nisi procederet ex omnimodâ certitudine, quia S. Thomas paulò ante dixerat, sequentem sententiam veram peccare contra conscientiam,

Probatio.

quamvis

quamvis eam veram reputet, modò adhuc propter opinionum varietatem vacillet adhuc an sit vera nec ne. Ergo ut operans non peccet contra conscientiam, debet juxta S. Thomam esse certus de honestate suæ operationis.

Mercorus errat in intelligendâ mente S. Thomæ.

Errat ergo Mercorus *part. 2. art. 21.* dum ex hoc loco putat se ad mentem Angelici Doctoris demonstrare, sequentem opinionem minùs probabilem minúsque tutam esse peccati reum, quia agit contra conscientiam. Arguit enim sic. *Per S. Thomam ex conscientiâ obligatur aliquis ad peccatum, sive habeat certam fidem de opposito ejus, quod agit, sive habeat opinionem cum aliquâ dubitatione.* At quando aliquis sequitur opinionem minùs probabilem contra probabiliorem tutiorem, habet opinionem cum aliquâ dubitatione de contrario ejus, quod agit. Ergo ex doctrinâ S. Thomæ peccat contra conscientiam, si sectetur partem minùs probabilem minúsque tutam. Errat, inquam, quia S. Thomas supponit hîc, quòd intellectus assurgere possit ad certitudinem de honestate partis, quàm sequitur, alioquin non potuisset concludere, sicut concludit, fieri posse ut quis, non obstante Authorum discrepantiâ, excusari possit à peccato, modò sectetur veram opinionem, & de ejus veritate non formidet, quia nec peccat contra legem nec contra conscientiam. Falsa ergo est minor, quia operans potest esse certus de honestate suæ operationis, non obstante varietate opinionum de inhonestate objecti, quod eligit; uti supponit S. Thomas, & nos alibi fusè ostendimus. Neque obstat huic certitudini formido de absolutâ honestate objecti secundùm se, quia illâ stante consurgere potest ultimum conscientiæ dictamen certum & evidens de honestate operationis, ut ostensum est.

6. Nec obstat minor probabilitas directa partis minùs tutæ, etiam credita minor; quia intellectus adhuc ex vi considerationis reflexæ (quæstio enim præsens est reflexa) consurgere potest ad certitudinem de honestate formali suæ operationis hîc & nunc ponendæ; quo posito, non peccat per S. Thomam, quia regulatur per dictamen conscientiæ quod certò proponit honestatem electionis hîc & nunc ad hoc objectum terminatæ. Modus porrò, quo intellectus ex illâ consideratione reflexâ ad certitudinem consurgit, fusè explicatus est *qu. 23. num. 138. & seqq.*

ASSERTIO TERTIA.

Assertio tertia. Effatum in quo adversarii funduntur, juxta sensum ab illis intentum est evidenter falsum, & evidenter repugnat menti S. Thomæ.

Dictum illud S. Thomæ in hoc articulo, quod agitur contra legem semper est malum nec excusatur per hoc quod est secundùm conscientiam, *si sumatur universaliter, & ad literam, est in se falsum, & repugnat doctrinæ indubitatæ S. Thomæ.*

Probatio

7. Probatur. Et quidem effatum illud esse falsum ex eo constat, quòd conjux formidans de validitate matrimonii licitè reddat debitum conjugale, uti traditur in cap. *inquisitioni de sent. excom.* etsi reipsâ ponat actum fornicationis, quæ est contra legem. Idem valet de omni eo, qui ex bonâ conscientiâ, & ignorantiâ invincibili operatur contra legem; excusatur enim à formali malitiâ peccati, etsi agat contra legem. Quòd autem idipsum contrarietur certissimæ doctrinæ S. Thomæ probatur, quia S. Thomas multis in locis constantissimè docet, ignorantiam invincibilem excusare à peccato. Legatur *1. 2. qu. 6. art. 8. & qu. 76. art. 2. 3. & 4.* ergo tenet multa fieri contra legem, quæ tamen ad peccatum imputari non possunt, quia bona fides operantis conjuncta cum ignorantiâ invincibili excusat à peccato. Præterea illa propositio, si sumatur universaliter, apud

S. Thomas tenet ignorantiam invincibilem excusare à peccato.

 nullum

nullum alium Theologum invenitur, nec ab ullo ut vera admittitur. Ergo illa ut jacet non est ex mente S. Thomæ, qui certè in rebus & principiis moralibus nunquam sequitur opinionem singularem contra communem omnium sententiam. Ergo alia est mens S. Thomæ, quàm quæ primo aspectu apparet in illis verbis.

Assertio quarta.

ASSERTIO QUARTA.

S. Thomas explicatur.

Propositum sit hunc locum S. Thomæ interpretari juxta genuinam ejus doctrinam, & sensum à S. Doctore hoc loco intentum.

8. Prima interpretatio est, quòd S. Thomas hoc loco intelligendus sit de eo, qui ex vincibili ignorantiâ operatur contra legem; ille enim verè non excusatur. Jam hoc potest contingere in casu articuli propositi; ut puta, si quis absque sufficienti veritatis examine plures præbendas admitteret, temerè & erroneè existimans id sibi licere. In hoc casu, qui sequeretur opinionem falsam, peccaret contra legem, etsi non peccatet contra conscientiam. Hæc interpretatio salvat omnia, semper enim peccat, qui sic operatur, quia facit contra legem, nec excusatur per hoc quòd agat secundùm conscientiam. Et sanè si ita legatur hic locus, tota hujus articuli doctrina perfectè cohæret cum stabili doctrinâ S. Thomæ de ignorantiâ, & causis excusantibus violatores legis à peccato. Si verò contrario modo sumatur, manifestum est, quod locus hic contrarietur innumeris locis sancti Doctoris. Itaque interpretatio genuina est, stabilique doctrinæ S. Thomæ conformis.

S. Thomas loquitur de conscientiâ vincibiliter erroneâ.

9. Huic nostræ interpretationi accedit alia non multùm dissimilis S. Antonini *p. 1. tit 3. cap. 10. parag. 10.* ubi hæc habet. *Quòd autem dicis B. Thomas in quodlibeto.... quæst.... art....quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram esse veram, & alteram falsam. Si ergo ille qui facit contra opinionem magistrorum, ut puta in habendo plures præbendas, faciens contra veram opinionem non excusatur à peccato, cùm faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra conscientiam. Hæc enim verba B. Thomæ non possunt intelligi, nisi de his, ubi manifestè patet ex Scripturâ vel Ecclesiæ determinatione, quòd sit contra legem Dei; & non de illis intelligit, ubi non apparet, aliàs sibi contradiceret in eodem libro, quod non est credendum.* Hactenus Antoninus, cujus interpretatio inde potest confirmari, quòd S. Thomas in *quodl. 3. art. 10.* quærat, an discipuli sequentes diversas opiniones Magistrorum excusentur à peccato erroris; & respondet, quòd in rebus ad fidem & mores pertinentibus non excusentur, si sequantur opinionem erroneam; *alioquin*, inquit, *immunes à peccato fuissent, qui sequuti sunt opinionẽ Arii, Nestorii, & aliorũ hæresiarcharum* &c. unde concludit. *Qui ergo assentit opinioni alicujus magistri contra manifestum scripturæ testimonium, sive contra id quod publicè tenetur contra Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Hæc ultima S. Thomæ clausula expresse arguit, ipsum tenere, quòd discipuli in aliis omnibus excusentur à peccato erroris, nisi in rebus, quæ sunt contra communem Ecclesiæ authoritatem, vel manifestum locum sacræ Scripturæ. At nos aliud nec dicimus, nec docemus; nam loquimur de usu opinionis certò probabilis; qualis certè non est illa, quæ aperto S. Scripturæ testimonio, aut unanimi Ecclesiæ consensui repugnat. Eodem modo ante Antoninum hunc locum S. Tho. interpretatus est Jo. Nider *in consolatorio timoratæ conscientiæ*, eandemque interpretationem amplexus est Silvester *in summâ verbo opinio quæst. 1.*

Secunda interpretatio S. Antonini.

S. Thomas loquitur de formante conscientiam contra expressum S. Scripturæ testimonium, vel contra apertam Ecclesiæ determinationem.

10. Confirmatur hæc interpretatio, quia S. Thomas tam in allato articulo *ex quodl. 8.* quàm

Confirmatur hæc interpretatio

ex alio loco S. Thomæ.

quàm in *art. 10. quodl. 3.* loquitur in genere de Magistrorum opinionibus; præscindendo ab eo, an Magistri probati sint, aut meritò reprobādi. ergo utrobique eodē modo accipiendus est. At in *quodl. 3.* solùm resolvit, sequentem opinionem sui Magistri non semper excusari; imò resolvit illum tunc solùm non excusari, quando opinatur contra expressum sensum sacræ Scripturæ, aut Ecclesiæ authoritatem. Ergo ita intelligendus est etiam in *quodl. 8.* quoad ipsum operari. Nam eadem est ratio, ut quis excusetur à peccato in opere, ac ut excusetur ab errore, & à peccato erroris in opinione. Jam resolutio S. Thomæ respondens quæsito illi universali non contrariatur nobis, qui solùm loquimur de usu opinionū certò probabiliū, quæ traduntur à Doctoribus, de quibus nulla est præsumptio aut prudens dubitatio, quòd sint novatores aut hæretici, sed habent bonam famam in Ecclesia. De his autem certum est, eorum doctrinam non repugnare authoritati Ecclesiæ, aut expresso Scripturæ testimonio. Ergo nulla resolutio S. Thomæ repugnat nostræ sententiæ; imò illa *articuli 10. in quodl. 3.* illi expressè favet. ergo & illa *articuli 13. quodl. 8.* Vtraque enim resolutio cum eisdem limitationibus accipienda est.

Adrianus eodem modo intellexit S. Thomam.

11. Similem interpretationem invenies traditam ab Adriano *in quarto. de restitut. par. sg. Quia jam dictum est.* ubi quærit, an excusetur à peccato, qui ex consilio prudentum format conscientiam, & retinet alienum, non obstante quòd sciat alios peritos tenere oppositum; quam quæstionem ita resolvit, ut qui, non obstante aliorum Authorum contradictione, consurgit ad formandam conscientiam de honestate partis, quam sectatur, & dubius non manet, excusetur à peccato, quamvis sectetur partem minùs tutam; modò non peccet vel ratione temeritatis, quâ absque sufficienti motivo adhæret parti minùs tutæ; vel ratione rei, quam operatur, quatenus illam ponit vel ex crassâ facti ignorantiâ, vel ex vincibili divini juris. Porrò Adrianus ante hanc solutionem objecerat sibi *articulum istum 13.* S. Thomæ, cumque ex integro recitaverat. Verùm illicò sic respondet. *Quod autem dicit B. Thomas, si agit contra opinionem veram, sequendo aliam falsam peccat: quia facit contra legem Dei; limitari debet ad eum casum, ubi quando tenetur hoc scire. Nam si fuerit vel facti, aut juris ignorantia, quod non obligatur scire, quamvis factum in se sit contra legem, excusatur nihilominus per ignorantiam ab omni culpâ. Neque obstat si factum in se fuerit contra legem; si modus faciendi, puta sub tali ignorantiâ &c. fuerit concessus, vel permissus à lege.* Hactenus Adrianus, qui eodem modo, quo nos, interpretatur S. Thomam, & in omnibus nobiscum sentit; nam nos etiam dicimus ac docemus, unumquemque, ut excusetur sectando partem minùs tutam, debere non temerè, sed ex sufficienti motivo, eoque certò probabili, imò omnibus pensatis probabiliori, formare bonam credulitatem de honestate suæ electionis, idque in materiâ, circa quam non habet aut crassam ignorantiam facti, aut vincibilem juris divini.

12. Deinde ut iterum interpreter S Thomam, dico ante omnia, quod hoc loco nobis nullatenus contrarietur. Quæstio enim præsens reflexa est. ergo qui bonâ fide & absque ulla dubitatione illam in praxi sectatur, non peccat ex mente S. Thomæ, nisi opinio nostra sit falsa. At S. Thomas nec probat, nec supponit opinionem benignam esse falsam, ut ex contextu patet. ergo nobis non contrariatur. Immò certum est S. Thomam hoc ipso loco nobiscum sentire, si nostra sententia sit vera. Est autem verissima, & ad minimum moraliter certa, ut constat ex dictis *quæst. 22. & 23.* ergo S. Thomas hoc loco fa-

S. Thomas hoc oco favet nostræ sententiæ.

vet

vet non contrariatur benignæ sententiæ.

Alia mentis S. Thomæ interpretatio.

13. Jam redeo ad interpretandum S Thomam, & assero dictum illud, *quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundùm conscientiam*, multipliciter accipi posse; primò ut sensus sit, quidquid est quomodocumque contra legem etiam grammaticaliter sumptam, seu contra verba legis in sensu latissimo, quem verba illa præ se ferunt, illud est peccatum verè imputabile, nec excusatur per hoc, quòd fiat secundùm conscientiam. Secundò ut sensus sit, quidquid repugnat legi veræ sufficienter promulgatæ, id est legi habenti & exerenti vim legis, illud semper est malum, & non excusatur per hoc quod fiat secundùm conscientiam Tertiò lex sumi potest pro voluntate æternâ; quâ Deus aversatur objectum in aliquibus circumstantiis, & constituit pœnam infligendam illi, qui illud in illis circumstantiis posuerit; & tunc sensus est, illud esse malum, quod fit contra talem legem, nec excusari per hoc, quòd fiat secundùm conscientiam. Jam certum est S. Thomam in primo sensu locutum non esse, cùm evidenter constet, plurima non esse peccata, quæ fiunt contra legem in eo sensu acceptam. Itaque etsi sequens benignam sententiam ageret contra legem hoc modo sumptam, non ideò malè operaretur, neque S. Thomas eum ideò peccati reum censeret. Quòd si lex sumatur in reliquis duobus sensibus, admitto effatum illud S. Thomæ esse verum, saltem de peccato verè imputabili vel ratione sui vel certè ratione alterius. Verùm hinc nil sequitur contra sententiam nostram, quia sequens opinionem minùs tutam sed certò probabiliter veram, nulli legi sufficienter ipsi promulgatæ, aut actu obliganti contrariatur. Manifestum enim est, quòd quamdiu honestas partis minùs tutæ est directè certò probabilis, nulla lex obligans ad eam vitandam sufficienter promulgata sit, adeóque certum est neminem sequentem partem minùs tutam facere contra legem obligantem. ergo certum quoque est sic operantem non peccare; idque verum est ex mente S. Thomæ.

Qui bonâ fide sectatur partem minùs tutam nullam legem obligantem violat.

14. Præterea sequens opinionem minùs tutam nullam legem æternam ne quidem materialiter violat; quia nil ponit contrarium ulli voluntati divinæ quidquam vetanti. Ratio est, quia nullum datur objectum, cujus honestas sit certò probabilis, quod usque adeò malum sit, ut per aliquas circumstantias honestari non possit. v. g. Fornicatio, & homicidium sunt objecta ex se mala lege naturali prohibita. nihilominus fornicatio & homicidium in aliquibus circumstantiis non prohibentur. Sic uxor dubia de validitate sui matrimonii, non peccat reddendo debitum, etsi reipsâ fornicetur. Similiter qui, resistendo ne fur nocturnus in domum irrumpat, & furetur, aggressorem servato ordine justæ defensionis interimit, non est reus homicidii, quia nulla lex, seu nulla Dei voluntas pœnam statuit pro copulâ aut homicidio in dictis circumstantiis. ergo tales actiones factæ in illis circumstantiis non sunt contra legem. Quod dicitur de his, dici debet de aliis etiam circumstantiis ejusmodi, quæ eximunt objectum alioquin vetitum ab omni prohibitione. Imò hoc ipsum non solùm habet locum in circumstantiis directis, sed etiam reflexis, ut in ignorantiâ invincibili, quæ honestat omne objectum cæteroquin prohibitum, & efficit ne pro illâ circumstantiâ sit prohibitum. Idem valet de probabilitate directâ; quamdiu enim per eam certò constat objectum quodvis esse probabiliter honestum, nec datur, nec dari potest lex illud prohibens, quia illud sub hac consideratione, nisi alia circumstantia accedat, prohiberi non potest; imò si voluntas deponat dubium, & imperet assensum de absolutâ objecti honestate, idque sive

Sed neque ulli legi æternæ vel materialiter contravenit.

five ex vi solarum rationum directè probantium, sive ex vi motivorum reflexorum illum imperet, additur circumstantia certò & evidenter honestans objectum illud prout substat hisce conditionibus, ut constat ex rationibus, quibus nostram sententiam comprobavimus. Ergo per talem actionem certum est nil fieri contra legem. Unde iterum efficaciter infertur S. Thomam non opponi sententiæ benignæ, sed illi favere, imò satis apertè subscribere, quia sequens opinionem benignam nec operatur contra conscientiam neque contra legem. Ergo per S. Thomam non peccat.

Ratio secunda.

15. Confirmatur. S Thomas *quodl. 3. art. 10.* absque ullo discrimine aut distinctione apertè supponit unumquemque excusari à peccato erroris, qui sequitur sententiam sui magistri, nisi in illis, quæ sunt contra expressum textum sacræ Scripturæ, aut communem Ecclesiæ authoritatem, quia nemo sic opinando facit contra legem. Eadem autem est ratio ad excusandum quemquam à peccato operis, dum sequitur doctrinam sui Magistri. Ergo juxta S. Thomam, qui nobis credunt, & sequuntur nostram sententiam excusantur à peccato erroris & operis. Confirmatur idipsum; quia etsi objectum minùs tutum sit directè minùs probabile, tamen omnibus inspectis semper est magis probabile, quàm oppositum, imò ad minimum est moraliter certum. Ergo juxta mentem S. Thomæ, qui sequitur nostram sententiam, excusatur ab omni peccato.

An sequēs opinionem sui magistri peccet?

Solvuntur objectiones.

Objectio prima ex Mercoro.

16. Objicies 1. ex Mercoro. Hic articulus S. Thomæ interpretandus est juxta titulum propositum in initio quæstionis; ut sensus sit iste: quando sunt diversæ opiniones de aliquâ re, ille necessariò peccat, qui sequitur minùs tutam, si illa falsa sit; nec excusatur per hoc quod agat secundùm conscientiam opinativam; nam excusaretur, utique si ageret secundùm conscientiam erroneam certam, quæ nil suspicaretur de errore. Ita Mercorus *2. p. art. 21.*

Responsio. Sensus articuli hujus declaratur.

Resp. intentum S. Thomæ *in hoc art.* solùm fuisse, ut ostenderet, eum non necessariò peccare, qui sequitur partem minùs tutam, non obstante, quòd plures teneant objectum, quod eligit, esse inhonestum. Constat hoc tam ex resolutione quæstionis, quàm ex modo discurrendi in articulo; qui certè longè aliter componi debuisset, si S. Thomas intendisset ostendere eum non posse salvari à peccato, qui sectatur partē minùs tutam, si eam falsā esse cōtingat. Certè articulus iste ita concinnatus est, ut nil elegātius legi possit, ad ostendendum, quòd sequens minùs tutā partē non necessariò peccet; huc enim tendunt rationes dubitandi, huc spectat argumentum *sed contra*, ad hoc corpus articuli & solutio argumentorum unicè conducunt, ut patet. E contra articulus verè frigidus est & inefficax, si contendat sectantem minùs tuta necessariò peccare. errat ergo Mercorus in intelligendâ mente S. Thomæ & intento articuli.

17. Deinde concedo Mercoro sectantem minùs tuta peccare, nisi surgat ad judicium certum, & conscientiam certam de honestate suæ operationis. Constat autem, quòd ex mente S. Thomæ intellectus possit ad eam consurgere, non obstante opinionum contrarietate, ut evidens est ex ultimâ & primariò intentâ resolutione quæstionis ab eo propositæ. Ergo si operans gerat se, sicut nos diximus eum gerere se debere, consurget ad formandam conscientiam certam (non tamen erroneam, ut putat Mercorus, sed veram) & excusabitur à peccato. idque verum est juxta Mercorum ex mente S. Thomæ.

Mercori doctrina confirmat nostram sententiam.

18. Cæterùm errat Mercorus, dum dicit,

Conscientia erronea, etsi certa, non semper excusat ex mente S. Thomæ.

conscientiam erroneam certam semper excusare; solùm enim excusat, quando oritur ex ignorantiâ invincibili, nam si ex vincibili oriatur, ut in hæreticis, non excusat. Præterea hoc Mercori assertum expressè contrariatur sancto Thomæ, qui in hoc ipso articulo asserit aliquem aliquando peccare, etsi non agat contra conscientiam. At per Mercorum hoc non est verum; quia qui operatur ex conscientiâ erroneâ certâ non peccat; at qui operatur cum dubio aut formidine oppositi per S. Thomam peccat contra conscientiam. Ergo juxta Mercori interpretationem omne peccatum esset contra conscientiam; quod clarè opponitur verbis S. Thomæ.

Objectio secunda.

19. Objicies 2. Ex mente S. Thomæ peccat, qui sequitur partem minùs tutam, si opinio, quam sequitur, non sit vera; nec excusatur à malo, etsi certò credat objectum, quod eligit, esse licitum.

Responsio.

Resp. juxta superiores interpretationes. Inprimis peccat si teneatur veritatem ulteriùs investigare, secus ex mente S. Thomæ non peccat. Secundò peccat ex mente S. Thomæ, si lex sufficienter promulgetur &c. alioquin non peccat. At omnia hæc cessant in eo, qui bonâ fide sequitur opinionem certò probabilem, ut dictum est.

Objectio tertia ex Mercoro.

20. Objicies 3. ex Mercoro: Clericus ex mente S. Thomæ peccat habendo plures præbendas, nisi verum sit, quòd illi liceat eas simul habere; & nisi certò credat id sibi esse licitum. Sed sequens opinionem directè minùs probabilem in contradictione probabilioris oppositæ & tutioris numquam potest esse certus de honestate operationis. Ergo semper peccat ex mente S. Thomæ.

Responsio.

Resp. concedendo majorem, si sermo sit de ultimo conscientiæ dictamine. Sed si sermo sit de conscientiâ probabiliter constitutâ per dictamen conscientiæ non ultimum, respondeo talem clericum peccare quidem materialiter, nisi res ita se habeat, ut judicat; qui tamen, omnibus spectatis, non peccat, quamvis primum illud judicium non sit verum, modò ultimum judicium certum non contineat errorem vincibilem. & hoc est, quod S. Thomas docet & intendit. Quòd ad minorem attinet, illa est contra mentem S. Thomæ, qui ita resolvit quæstionem, ut supponat operantem, non obstante opinionum diversitate, posse habere judicium certum de objecto, quod amplectitur, atque ita excusari à peccato contra conscientiam. Et sanè si S. Thomas existimasset contrarietatem opinionum necessariò inducere dubitationem in mentem operantis, resolvisset quæstionem, concludendo numquam licitum esse sequi partem minùs tutam, quia operans semper se exponeret periculo peccati. At ex opposito concludit dicens, eum nulli periculo se exponere, si ex opinionum varietate in nullam dubitationem inducatur. Præterea eadem minor est falsa, quia qui probabiliter assentitur parti probabiliori, aut minùs probabili, etsi formidet de veritate oppositi, adhuc tamen elicit judicium ultimum conscientiæ certum & evidens de honestate suæ operationis; ut sæpiùs dictum est.

Replica.

21. Dices. sæpè quidem dictum est, ultimum conscientiæ dictamen esse certum de honestate electionis hic & nunc ponendæ, quamvis judicium conscientiæ antecedens formidet de honestate objecti, quod eligitur. At hæc duo sibi non cohærent, quia intellectus simul esset certus & formidaret de eodem. Nec dicas, intellectum solùm formidare de honestate objecti secundùm se, & esse certum de honestate electionis in istis circumstantiis, quæ sunt objecta realiter diversa, de quorum altero formidari potest, etsi de altero non formidetur; nam contra: quia formidare, an objectum secundùm se sit inhonestum, est formidare an electio illius sit mala; & certum esse,

quòd

quòd electio objecti sit honesta, est esse certum, quòd objectum sit licitum. Ergo intellectus simul certus esset & formidaret de eodem, quod est impossibile.

Formidans de honestate operis secundùm se, potest esse certus de honestate operationis. Resp. judicium illud antecedens & formidolosum esse conclusionem, quæ universaliter enunciat de suo objecto relatè ad circumstantias omnibus communes, & absolutè affirmat tam objectum illud, quàm ejus electionem in illis circumstantiis esse licitam, quamvis non affirmet hoc ipsum absque aliquâ formidine de opposito. At posito semel hoc judicio universali formidoloso, consurgit aliud judicium non formidolosum, sed certum & evidens, quòd fundatur in hoc priori judicio ut in objecto, & est conclusio hujus syllogismi. *Quod prudenter à me creditur omnibus esse licitum, illud hic & nunc est mihi licitum. At habere plures præbendas prudenter à me creditur esse omnibus licitum. ergo hîc & nunc mihi licitum est habere plures præbendas.* Hæc conclusio est ultimum conscientiæ dictamen, quod certò enunciat, electionem hujus objecti, terminatam ad circumstantias, quas repræsentat, nominatim ad conscientiam directam prudenter constitutam, esse honestam, id est, affirmat objectum hoc, ut substans his circumstantiis, esse licitè eligibile; & de hoc non formidat; at prius illud judicium enunciat de electione ad alias circumstantias terminatâ, seu de objecto illo ut substante diversis circumstantiis, nempè illis tantum, quæ ab illo judicio repræsentantur. ergo duo hæc judicia terminata ad idem objectum materiale, quorum alterum est certum, alterum formidolosum, non sibi contrariantur, quia respiciunt varias electiones, & varias circumstantias. At evidens est idem objectum materiale prout substat variis circumstantiis esse modò honestum modò inhonestum, modò certò, modò probabiliter licitum vel illicitum; ut videre est in innumeris exemplis cuique obviis.

22. Objicies 4. S. Thomas *quodlibeto 9. art. 15.* inter reliqua in corpore hæc habet. *Error, quo non creditur peccatum mortale, quod est peccatum mortale, non excusat à toto, licet fortè à tanto.* Ergo qui sequitur partem minùs tutam, minusque probabilem ex mente sancti Thomæ non excusatur à toto, si erret in suo judicio, etsi fortassis excusetur à tanto. Ita Mercorus. Objectio quarta ex Mercoro.

Resp. argumentum æquè procedere contra probabilitatem majorem. Deinde dico propositionem illam sancti Thomæ veram esse de errore vincibili, sed locum non habere de errore invincibili, quem homo aut nequit, aut non tenetur vitare. Neque de hoc dubium esse potest, quia hæc est certissima doctrina S. Thomæ, & aliorum omnium. Jam in concursu opinionum contrariarum certò practicè probabilium datur locus errori invincibili, sed non vincibili, quia homo aut non potest, aut certè non tenetur errorem illum vitare. Ergo qui bonâ fide credit opinionem minùs tutam esse veram, excusatur à toto, etiam ex mente S. Thomæ, & omnium ritè sentientium. Responsio.

23. Objicies 5. S. Thomas in eodem *art. 15. quodl. 9.* in solvendâ quæstione cautè se gerit; ait enim: *omnis quæstio in quâ de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur.* At si occurrentibus opinionibus probabilibus sibi contrariis licitum esset sequi quamlibet pro arbitratu, & hoc ipsum esset verum juxta mentem S. Thomæ, cur quæso tam operosè laboraret in quæstione hac determinandâ? certè de illâ jam tum contrariæ extabant tam Theologorum, quàm jurisperitorum sententiæ, ut testatur S. Doctor. Ergo sine labore & periculo eam determinare poterat dicendo, cuique licitum esse quamcumque illarum sectari pro libito. At sanctus Thomas non ita resolvit quæstionem, quo tamen modo recentiores absque scrupulo quæstiones resolvunt. Ergo alia Objectio quinta ex Mercoro.

longè est mens & opinio S. Thomæ, alia recentiorum circa hanc quæstionem, utrùm ex opinionibus probabilibus licitum sit sectari quamcumque pro libito. Ita Mercorus.

Respondetur retorquendo argumentum.

Resp. inprimis retorquendo argumentum. Si inter opiniones contrarias non esset licitum sequi minùs tutam, eaque esset mens S Thomæ, & universalis Ecclesiæ traditio, ut contendit Mercorus, cur quæso S. Thomas in solutione quæstionis propositæ adeò diligenter & cautè laborat? nonne manifestum erat, alteram illarum opinionum esse tutiorem, alteram minùs tutam? cur ergo non respondet in re clarâ, suisque principiis consentaneâ, partem tutiorem indubiè sectandam esse? scis cur? quia S. Thomas nil ejusmodi existimavit esse verum, nam hanc ipsam quæstionem ita resolvit, ut concludat in favorem partis minùs tutæ. Dicit enim quod, spectato jure naturæ, deordinationes, quæ comitantur possessionem plurium præbendarum, evacuari possint per alias circumstantias eamdem honestantes; quodque proinde licitum esse possit absque ullâ dispensatione plures præbendas habere. Ecce argumentum non solùm in eisdem terminis, in quibus objicitur, retorquetur; sed etiam ex ipsâ resolutione S. Thomæ manifestum est, totam doctrinam & intentum objectionis repugnare veritati, & menti Angelici Doctoris.

Respondetur 2. directè.

Alia est obligatio. Theologi resolventis quæstionem, alia sectantis resolutionē Theologi.

24. Resp. 2. directè. Illud effatum S. Thomæ, *quævis quæstio de peccato mortali periculosè determinatur*, respicit obligationem Theologi quæstionem resolventis, non alterius, qui Theologi resolutioni acquiescit, ut patet. Ergo hoc effatum abs re objicitur. Itaque æquè peccare potest Theologus, juxta S. Thomam, resolvendo quæstionem pro parte tutiore, ac pro minùs tutâ; quòd verum non esset, si stante probabilitate utriusque partis, non liceret sequi partem minùs tutam. Nam Theologus resolvens in favorem partis tutioris in tantum peccat, in quantum indebitè conscientias consulentium nimis arctat. At si sententia rigida esset vera, numquam indebitè arctaret conscientias. Ergo per hoc non peccaret. At sequela & repugnat rationi, & expresè contrariatur huic effato S. Thomæ. Ergo S. Thomas non censuit illicitum esse sequi partem minùs tutam. Idque ex hoc ipso effato efficacissimè probatur, & ex ipsâ resolutione articuli non minùs validè confirmatur, quia, ut dictum est, resolvit quæstionem in favorem partis minùs tutæ.

Obligatio Theologi convincit veritatem benignæ sententiæ.

Nos resolvimus quæstionem hanc secundum quod certò scimus esse probabilius.

25. Jam etsi quævis certa probabilitas sufficiat ad licitè resolvendam quæstionem propositam, do tamen adversariis Theologum obligari ad resolvendam quæstionem in favorem partis, quam omnibus pensatis probabiliorem judicat. Nos certè ita resolvimus quæstionem præsentem, quæ reflexa est super opinionem directè minùs probabilem ut objectum; & petit, an liceat tali opinioni in praxi se accommodare. Nos resolvimus hanc quæstionem secundùm partem affirmativam, quia evidenter scimus, illam esse incomparabiliter probabiliorem oppositâ. Atque hinc evinco S. Thomam pro nobis stare. Peto enim, an Theologus non possit resolvere quæstionem in favorem partis minùs tutæ, quando scit, aut prudenter credit eam esse oppositâ probabiliorem? Si negas; nullus es; quia omnibus contradicis, & operam Theologorum in dubiis determinandis frustraneam reddis. Præterea hoc ipsum est contra mentem S. Thomæ, qui asserit oppositam resolutionem non esse istâ minùs periculosam. Si concedis; iterum peto, utrùm S. Thomas & reliqui omnes sæpè non resolvant in favorem partis minùs tutæ, non obstante probabilitate partis oppositæ? Utique dices, sæpè ita resolvunt, alioquin periculosè nimis

Theologus resolvens quæstionem in favorem partis probabilioris non peccat.

nimis agerent. Ergo si liceat sequi eorum resolutionem, & ipsi ita sentiant, utique licet adhærere parti minùs tutæ, etsi ejus veritas sit solùm probabilis, & pars opposita tutior probabilitate non careat. Idque tam S. Thomas, quàm omnes Theologi ut dogma in rebus moralibus certum supponunt.

Qui bonâ fide benignæ sententiæ acquiescunt, tuti sunt in conscientiâ.

26. Hinc ergo infertur, omnes posse, juxta mentem tam S. Thomæ quàm omnium universim Doctorum, nostræ sententiæ acquiescere, atque illam pro regulâ suæ conscientiæ accipere, modò tantæ apud eos simus authoritatis, ut ipsi prudenter nostræ potiùs quàm adversariorum sententiæ acquiescere possint. Similiter sequitur, omnes hâc ratione nostræ sententiæ acquiescentes, juxta mentem S. Thomæ aliorumque omnium Doctorum, tutos esse in conscientiâ, & à peccato omnisque peccati formalis periculo immunes, quando ex eâ persuasione bonâ fide in praxi sequuntur opinionem directè minùs probabilem minusque tutam. At nos aliud non docemus; quia ut quis nostræ se sententiæ accommodet, & per illam evadat tutus in conscientiâ, debet non temerè sed prudenter eam pro regulâ admittere, & in operando se gerere juxta aliquem ex modis supra explicatis, vel juxta alium illis æquivalentem. Et ita omnes Doctores de suis resolutionibus existimant. Itaque aliud non docemus, quàm quòd S. Thomas, omnesque Doctores supponunt esse verum, & habent pro dogmate certissimo in re morali.

Soli adversarii, aliique ab ipsis territi excluduntur à beneficio benignæ sententiæ.

27. Nulli ergo excluduntur à beneficio benignæ sententiæ præter adversarios, & paucas illas animas, quas suis clamoribus & paralogismis aut deceperunt, aut adeò perplexas reddiderunt, ut non audeant nostræ sententiæ acquiescere. Illi quidem à beneficio benignæ sententiæ excluduntur, quia elegerunt sententiam oppositam pro regulâ suæ conscientiæ. peccant ergo contra conscientiam, quando eligunt partem minùs tutam & directè minùs probabilem; nec à peccato excusari possunt, nisi suam sententiam in actu exercito deponant, quam existimo plures eorum sæpè deponere, atque ita excusari à peccato, quia in operando opinioni nostræ assentiuntur. Quòd si tanto beneficio priventur, sibi tribuant, quia novam opinionem, eamque falsam invehentes, ipsi sibi durissimum onus absque necessitate imposuerunt. Reliqui autem horum persuasionibus aut decepti aut territi, simili de causâ beneficio nostræ sententiæ frui non possunt, quia aut assensum adversariis præbuerunt, aut certè perplexi & dubii in hac re manserunt, quo dubio stante, eidem oneri subjacent, cui subjacerent, si adversariis absolutè crederent. Sed spero fore, ut, auditis rationibus nostris, omnes dubium sint deposituri, & benignæ sententiæ acquieturi, ut ita liberiori corde Deo serviant, & à peccandi periculo remotiores evadant.

Cur S. Thomas aliter resolvat suas quæstiones quàm Summistæ.

28. Jam verò quòd S. Thomas eo modo non respondeat quæstioni propositæ in articulo citato, quo Summistæ recentiores suas resolutiones ponunt, ea est ratio; quia S. Thomas quæstionem illam rationibus directis agitandam assumpserat. Non debuit ergo eam resolvere nisi rationibus hinc inde adductis ac perpensis. At recentiores summistæ reflexè procedentes summâ industriâ resolverunt quæstionem præsentem, omnesque eam adeò manifestam invenerunt, ut quasi primum principium in re morali unanimiter teneant, *cuique licitum esse, sequi quamcumque opinionem certò probabilem, etsi illa sit directè minùs probabilis minusque tuta.* Quo stabilito, in sensu reflexo procedentes facilè resolvunt quæstionem quamvis propositam, quia legendo Authores facilè ex eorum rationibus & authoritate vident, utrùm eorum sententia sit probabilis nec ne, & si quam invenerint certò

 probabilem,

probabilem, meritò eam afferunt esse tutam in conscientiâ. At S. Thomas aliâ viâ progreditur, & ideò aliâ methodo quæstionem resolvit. Verùm peto ulteriùs; nonne Medina, Bannez, Suarez aliique indubitati sententiæ benignæ fautores plures quæstiones eodem tenore, quo S. Thomas hoc loco resolvunt? Quid ergo miratur Mercorus? aut unde ex hoc infert, S. Thomam contrariæ sententiæ favere? Eadem certè de utrisque est ratio, quia aliud tenent ex vi rationum directè, aliud ex vi rationum indirectè & reflexè probantium. Itaque Theologi omnes procedunt & processerunt in suis resolutionibus, sicut S. Thomas in suis. Similiter Summistæ antiqui, qui potiùs erant opinionum probabilium collectores quàm authores, eâdem methodo usi sunt, qua recentiores; imò utrique eisdem principiis inhæserunt, & unanimiter supposuerunt, unicuique licitum esse quamcumque opinionem verè & certò probabilem in praxim reducere, modò praxim illam sibi licitam esse prudenti judicio credat.

Mens S. Thomæ aliunde investigatur.

Sanctus Thomas in aliis locis favet benignæ sententiæ.

29. Quòd sanctus Thomas benignæ subscribat sententiæ ex duobus aliis locis manifestè infertur: primus sumitur ex *quodl. 9. art. 15.* ubi in argumento *sed contra*, quod nullibi improbat, aut in dubium revocat in toto articulo, hæc habet. *Quod vergit in commune periculum non est ab Ecclesiâ sustinendum. Sed Ecclesia sustinet.* (scilicet clericos habere plures præbendas &c. de hoc enim procedit quæstio) *ergo non est periculum peccati mortalis.* Hoc principium S. Thomæ est verissimum, tum autem vel maximè, quando facillimum est Ecclesiæ aliquid ejusmodi non tolerare; nam si Ecclesia ex quadam necessitate ad majora mala vitanda aliquid toleret, ex eâ tolerantiâ non probatur rem toleratam non esse malam, quia Ecclesia quasi cogitur ad illud tolerandum, adeóque ad illud removendum non obligatur; At in aliis, quæ absque difficultate amoliri possunt, eo ipso quod tolerentur, clarum est illa peccatum non involvere, quia Ecclesia obligaretur ad ea prohibenda, & ad illa, prout facilè potest, impedienda. His positis subsumo. Sed Ecclesia jam à multis annis toleravit, & tolerat opinionem ab Authoribus practicè propositam pro regulâ conscientiæ docentem, *quòd liceat cuique sequi opinionem etiam directè minùs probabilem minùsque tutam.* Ergo in hac doctrinâ, seu in hac regulâ practicâ, ejusque usu nullum est periculum peccati mortalis. Major est doctrina S. Thomæ. Minor est evidens, etiam post tot Jansenistarum, & aliorum, qui nobis adversantur, clamores. Conclusio est in formâ, imò est ipsissima S. Thomæ, absque vel minimâ formæ, aut verborum diversitate. ergo nostra sententia est ipsissima mens S. Thomæ, & ex ejus doctrinâ efficacissimè concluditur. Nec tamen ideò dico, quamcumque opinionem de novo excogitatam, aut etiam publicè impressam esse probabilem, aut tutam conscientiæ regulam, quandiu non constat eam esse rejectam ab Ecclesiâ ut improbabilem; nam Ecclesia hoc ipsum condemnavit, ut fusè demonstravi *quæst. 6. nu. 25.* quia Ecclesia ad tot & tam parva quotidie emergentia non potest statim attendere, eo quòd gravioribus negotiis impediatur &c. ergo quòd Ecclesia nondum rejecerit talem opinionem, nullam illi confert probabilitatem. Loquor ergo de doctrinis Ecclesiæ notissimis, iisque maximè universalibus, quæ si falsæ sint, ingens fidelibus detrimentum afferunt; de his enim procedit hoc S. Thomæ principium, maximè quando, ut præfatum est, facile est Ecclesiæ

remedium

remedium opponere. Nec S. Thomas tantùm ad hanc Ecclesiæ tolerationem recurrit, sed alii omnes eam expressè requirunt, ad hoc ut opinio aliqua sit certò probabilis; nam nulla opinio ab Ecclesia non tolerata potest esse practicè probabilis, ut patet & sæpè dictum est.

Toleratio Ecclesiæ favet nostræ sententiæ.

30. Confirmatur hæc ratio; quia Ecclesia potest facillimè obviare omni malo, quod imminet ex doctrinâ nostrâ ejusque usu; statim enim ac declararet (quod facillimum est) talem doctrinam aut falsam esse aut periculosam, omnes unanimiter absque ullâ hæsitatione obedirent, usumque ejus illicitum esse docerent; quia Authores illam tradentes, sunt filii obedientissimi, non refractarii duræque cervicis, quales sunt Jansenistæ hæretici, à quibus contraria sententia ortum traxit, qui nondum Ecclesiæ definitionibus volunt acquiescere. Itaque si sententia benigna ea mala involveret, illaque pericula contineret, quæ adversarii objiciunt, Ecclesia non deberet eam tolerare, sed peccaret universale scandalum patiendo, cui facillimè posset obviare. At ineptum est, ne dicam impium, matrem ac magistram supremam peccati in hac re arguere. Ergo ineptum est, & irrationabile existimare sententiam benignam, ejusque usum continere peccati periculum. Caret ergo omni periculo, & est secura regula conscientiæ.

Bannez eodem principio utitur, ex quo nostra sententia stabilitur.

31. Juvat in hanc rem expendere locum Dominici Bannez qui in *1. par. qu. 1. art. 8. dubio 4.* immediatè *ante 7. conclusionem* hæc habet. *Si Ecclesiâ prudente & sciente hæc inter Theologos varietas permittitur; perinde est, ac si Ecclesia diceret, unusquisque in suo sensu abundet, dummodo fidei veritas, Ecclesiaque Catholica authoritas defendatur.* Hæc ille in re summi momenti, qualis est illa, de quâ ibi disputat, nempè utrùm vulgata editio sacræ Scripturæ sit per omnia authoritatis irrefragabilis, an alicubi erroneè & contra verborum sensum translata sit, & pati possit exceptionem. Optimè enim videbat tolerationem Ecclesiæ in re tanti momenti clarè arguere licitum cuique esse in suo sensu abundare. Hæc ille non diu post editum in Concilio Tridentino edictum de retinenda editione vulgatâ ut authenticâ. Si hæc toleratio Ecclesiæ in re tanti momenti sufficiat juxta mentem Bannez, ut unusquisque licitè abundet in sensu suo, certè longè à fortiori eadem toleratio suffragatur doctrinæ nostræ, ejusque usui; nam prudente & sciente Ecclesiâ, quæ si opus esset facillimè posset remedium apponere, toleratur, & Pontificum exemplis certissimis, communique fidelium bonâ fide operantium praxi, ac voce communi comprobatur. Quid simile habent adversarii pro sententiâ rigidâ?

S. Thomas aliunde; etiam nobiscum sentire probatus.

32. Alter locus S. Thomæ sumitur ex *quæst. 17. de Veritate art. 3. & 4.* In 3. quidem *art. in corpore* hæc habet. *Nec aliquis ignorans præceptum Dei ligatur ad præceptum faciendum, nisi quatenus tenetur scire præceptum. Si autem non teneatur scire, nec sciat, nullo modo ex præcepto ligatur.* Rursus consequenter ad hæc in responsione *ad 4.* hæc subjungit. *Tunc conscientia erronea non sufficit ad absolvendum, quando in ipso errore peccat; ut quando errat circa ea, quæ scire tenetur. Si autem esset error circa ea, quæ quis non tenetur scire, ex conscientiâ suâ absolvitur.* Præterea ibidem *artic. 4. ad tertium* in eundem sensum hæc habentur. *Conscientiam (erroneam) sequens, & eam opere implens contra legem Dei sciens mortaliter peccat, quia in ipso errore peccatum erat, cùm contingeret ex ignorantiâ ejus, quod scire debebat.*

Interpretatio articuli superius exscripti probatur esse conformis menti S. Thomæ.

33. Ex hisce sententiis Divi Thomæ duo inferuntur; primum est interpretationem allatam circa sensum *art. 13 quodl. 8.* esse conformem certissimæ, uniformi, atque stabili doctrinæ S. Doctoris. Cùm enim S. Thomas tum hic tum alibi expressè doceat

doceat conscientiam invincibiliter erroneam excusare, ac absolvere operantem, etsi contra Dei legem agat; certum est S. Doctorem *dicto art.* dicentem, *omne quod fit contra legem semper esse peccatum*, intelligendum esse de eo, quod aut scienter, aut ignoranter, sed ex errore vincibili, contra legem patratur, alioquin evidentissimè sibi contradiceret. Errant ergo qui locum illum contra nos citant, quasi S. Doctor ibi intenderet ex professo probare neminem operantem contra legem posse excusari, manifestum enim est illum nil ejusmodi intendere; quia si talis titulus præponeretur illi articulo, articulus ille nec per rationem dubitandi, aut argumentum *sed contra*, vel declarationem doctrinæ aptari posset ad congruè respondendum quæsito. Itaque S. Thomas eo loco solùm intendit probare eum non necessariò peccare, qui stante contrarietate opinionem eligit minùs tutam, quia fieri potest ut nec contra legem, nec contra conscientiam operetur. Hoc autem contra nos nil probat, sed manifestè favet benignæ sententiæ, ut vidimus.

Doctrina S. Thomæ infert veritatem sententiæ benignæ.

34. Alterum quod infertur est, S. Thomam doctrinam illam pro certâ & indubitatâ habere, ex quâ evidenter sequitur, usum opinionis etiam directè minùs probabilis minúsque tutæ omnibus esse licitum. Sed antequam formo argumentum, libet ex *quodl. 8 art. 15.* hunc etiam textum recitare, ut ubique uniformitas & stabilitas doctrinæ S. Thomæ clariùs innotescat. Verba S. Doctoris sunt ista.

Quando, nam conscientia errans absolvat à peccato?

Error conscientiæ quandóque habet vim absolvendi, seu excusandi; quando scilicet procedit ex ignorantiâ ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur. Et in tali casu quamvis factum sit de se mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter. &c. & infra.. *Quandóque verò error conscientiæ non habet vim absolvendi vel excusandi, quando scilicet ipse error peccatum est, ut cum procedit ex ignorantiâ ejus, quod quis scire tenetur, & potest.* Huic doctrinæ ubique consonat S. Thomas in summâ, ubi de illa agit. Hoc posito sic arguo. Qui sequitur conscientiam erroneam excusatur à peccato, modò non peccet admittendo judicium illud quod constituit conscientiam erroneam. Sed qui sequitur opinionem directè minùs probabilem, reipsâ falsam, ita sequitur conscientiam erroneam, ut non peccet aut sententiam nostram admittendo, aut directè existimando objectum illud esse licitum. Ergo qui sequitur opinionem minùs probabilem minusque tutam, etsi falsam, excusatur à peccato. Major est sententia expressa S. Thomæ plurimis in locis. Minor est evidens; tum quia nulla opinio certò probabilis digna est ullâ censurâ, quâ digna esset, si intellectus sine peccato illi assentire non posset; tum quia etsi intellectus directè non assentiatur opinioni minùs probabili propter majorem probabilitatem oppositam, tamen indirectè assentiri potest nostræ sententiæ, & absolutè credere objectum illud esse honestum propter manifestum excessum probabilitatis sententiæ benignæ. Et sanè nos qui rem à fundamentis examinavimus, ita adhæremus nostræ sententiæ, ut nec post omnem conatum possimus in ulla aliâ veritatem hîc quæsitam reperire, nec teneamur ulteriùs eam investigare; idemque valet de iis omnibus, qui absque peccato possunt nostræ sententiæ subscribere, qui certè sunt plurimi, imò omnes qui nec animum irrationabiliter immotũ tenẽt in persuasione oppositâ, nec stultè instar Academicorum semper dubii volunt hærere; & quoad hos omnes minor est evidenter vera. Conclusio autem est in formâ. Ergo juxta certissimam doctrinam S. Thomæ, eamque in se certam, apertè concluditur omnes dictâ ratione bonâ fide subscribentes nostræ sententiæ excusari à peccato, quando sequuntur opinionem directè minùs probabilem, etsi contingat eos

reipsâ


reipsâ decipi. Verùm si nostræ sententiæ subscribant numquam decipiuntur, etsi fortasse aliquando decipiantur dum ex motivis tantùm directis forment conscientiam probabilem. Ecce ex consequentiâ legitimâ certum est, S. Thomam, omnesque, qui in materiâ de conscientiâ erroneâ rectè sentiunt, nobiscum sentire.

QUÆSTIO TRIGESIMA.

Vtrùm liceat operari contra propriam sententiam, aut contra eam consilium dare?

Status Quæstionis.

Quæstio hæc pro praxi est parvi momenti.

1. 
PLVRES putant quæstionem hanc summi esse momenti; verùm pro praxi ejus resolutio parū refert; nam in rebus obscuris unusquisque suspendere potest judicium ulli parti affixum. Ergo licèt peccatum esset agere contra propriam sententiam actu existentem, facillimum esset se à peccandi periculo eximere, quia suspendendo actuale judicium de veritate objecti, quod habitualiter habetur pro vero, formari posset conscientia per principia reflexa de absolutâ ejus honestate; atque ita posset operans à peccato excusari. Nihilominus ad complementum præsentis tractatûs hanc etiam quæstionem resolvendam accepi.

Quæstionis Resolutio.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio prima. Illicitum sæpè est operari contra propriam sententiam actualem.

Illicitum est operari contra propriam opinionem actualem, si opinio illa absolutè affirmet objectum, quod eligitur, esse peccaminosum. Secus dicendum, si sola major probabilitas directa affirmetur, tunc enim licitum est contra illam operari, modo operans benignam sententiam veram reputet.

2. PRobatur 1. prima pars. Qui absolutè judicat peccatum esse pingere in die festo, habet conscientiam peccati circa præsens exercitium pingendi. Ergo si actu pingat operatur contra conscientiam. ergo peccat. Legatur S. Thomas *quodl. 8. art. 13.* ubi ex professo tradit hanc doctrinam, eamque supponit esse certissimam. Hunc articulum integrum dedi *quæst. 29. nu. 1.* Probatio prima.

3. Confirmatur. *Quod non est ex fide peccatum est.* ad Rom. *14. ver. 23.* id est, quod non est ex persuasione quòd opus sit licitum est peccatum, hæc enim est genuina interpretatio loci illius. At opus illud non est ex persuasione, quòd liceat, sed oritur ex contrariâ persuasione, ut supponitur. ergo sic operans peccat. Confirmatio.

4. Probatur idipsum secundò. Posito tali judicio, necessariò oritur hic Syllogismus reflexus. *Qui absolutè credit aliquid esse illicitum, peccat contra conscientiam, si illud actu ponat. Sed ego absolutè judico hoc esse illicitum. ergo pecco si ponam illud.* Major est principium synderesis per se notum. Minor est cognitio experimentalis reflexa supra statum objecti in animo operantis. Conclusio sequitur in formâ. Probatio secunda.

5. Confirmatur. Peccat qui operatur in dubio Confirmatio.

dubio. Ergo multò magis peccat, qui ponit objectum, de quo absolutè existimat illud esse prohibitum; malitia enim illa magis afficit sic judicantem, quàm merè dubitantem. Ergo multò magis redundat in volitionem elicitam dependenter à tali judicio, quàm dependenter à mero dubio.

Probatio tertia.

6. Ratio à priori est, quia hoc judicium excludit bonam fidem, seu judicium omne de absolutâ rei illius honestate. Ergo excludit dispositionem necessariò prærequisitam ad licitè operandum. Probatur antecedens. Omne judicium de absolutâ rei turpitudine est incompossibile cum judicio absoluto de ejusdem honestate; non enim fieri potest, ut intellectus simul judicet, quòd absolutè illicitum sit, & licitum pingere in die festo. Ergo eo ipso quòd quis absolutè existimet objectum aliquod esse prohibitum, caret bonâ fide ad honestè operandum necessariâ. Peccat ergo quicumque operatur contra propriam sententiam, si omnia intelligantur juxta assertionem positam.

Aliquando licet operari contra propriam sententiam actualem.

7. Probatur secunda pars. Si intellectus solùm judicet probabilius esse directè loquendo, quòd pingere in die festo sit illicitum, tale judicium non opponitur bonæ fidei, seu absoluto judicio, quo pingere, omnibus inspectis, prudenter creditur licitum; argumenta enim pro sententiâ benignâ allata sufficienter convincunt, omne illud, inspectis omnibus, esse absolutè licitum, quod, si sit certò probabile, est & creditur esse directè minùs probabile opposito. Ergo non obstante judicio terminato ad majorem probabilitatem directam de rei inhonestate, elici potest judicium certò prudens & probabile, quo intellectus, omnibus pensatis absolutè judicet licitum esse pingere in die festo. Stante autem hoc judicio, pingens in die festo non peccat. Ergo in hoc sensu cuique licitum est contra suam sententiam operari.

ASSERTIO SECUNDA.

Assertio secunda. Semper licet operari contra propriam sententiam habitualem.

Semper licet operari contra propriam sententiam habitualem, si contraria sententia sit certò practicè probabilis. Immò aliquando licet operari contra propriam sententiam actualem, etsi illa aliquo modo affirmet objectum, quod eligitur, esse inhonestum.

Probatio.

8. Probatur prima pars. Habitus affirmandi ex motivis directis, quod pingere die festo sit illicitum, potest conjungi cum judicio actuali, quo ex vi rationum reflexarum, arguentium quòd liceat sequi quamcumque opinionem certò probabilem, prudenter credam pingendi exercitium esse licitum. At stante hoc judicio statim formatur conscientia evidens & certa de honestate operationis ponendæ. Ergo licet operari contra propriam sententiam habitualem de absolutâ objecti ponendi inhonestate. Porrò semper datur opportunitas formandi conscientiam modo jam dicto. Ergo semper licet operari contra propriam sententiam habitualem.

Aliquando licet operari contra propriam sententiam actualem de operis inhonestate.

9. Probatur secunda pars. Aliquando per propriam sententiam solùm speculativè affirmamus aliquid esse illicitum; tunc scilicet, quando ita de illo enunciamus, ut existimemus ejus inhonestatem fore certam, si veritas ipsa constaret. v. g. multi putant 8. uncias esse quantitatem vetitam pro refectiunculâ die jejunii vespere sumendâ. Hoc dupliciter affirmari potest, primò ut quis absolutè omninò existimet talem quantitatem esse prohibitam, 2. ut ita solùm existimet quantitatem illam esse vetitam, ut judicet id fore certum, si veritas rei constaret. Jam hoc secundum judicium non est omninò absolutum, sed æquivalenter saltem conditionatum modo jam explicato. Primum judicium excludit bonam fidem de honestate

honestate talis operis, ut ostensum est. At secundum compatitur dictamen conscientiæ de ejusdem honestate; nam etsi credam nos certò scituros talem quantitatem esse nimiam, si veritas ipsa constaret, quia tamen non absolutè omninò judico verum esse, quod quantitas illa sit nimia, ideò reflexè possum simul existimare, quòd in hac rerum incertitudine certum sit legem nullam sufficienter promulgatam esse, quæ me arctet ad abstinendum à tali quantitate. Atque ita in hoc casu, aliisque similibus licitum est contra propriam sententiam operari.

Conciliantur Authores apparenter contraria sentientes.

10. Atque hinc interpretandi sunt Authores, qui docent licitum esse agere contra propriam sententiam; cùm enim omnes requirant bonam fidem, seu judicium saltem probabile de absolutâ honestate electionis ponendæ, ut operans excusetur à peccato; solùm docent, tunc licitum esse operari contra propriam sententiam, quando propria sententia non excludit hanc bonam fidem ad honestè operandum necessariam. Hoc autem tunc solùm contingit, quando propria sententia vel sumitur pro habituali, non actuali; vel si pro actuali sumatur, illa solùm affirmat majorem probabilitatem sui objecti, vel certè non omninò absolutè, sed solùm aut expressè aut æquivalenter conditionatè affirmat illud esse inhonestum; nam judicium omninò absolutum de rei prohibitione manifestè opponitur dictamini conscientiæ, in quo bona fides consistit.

Assertio tertia. Simpliciter nemini licet operari contra propriam sententiam.

ASSERTIO TERTIA.

Simpliciter loquendo nulli umquam licet operari contra sententiam propriam.

Probatio.

11. Probatur, quia simpliciter loquendo nomine sententiæ propriæ intelligitur judicium, quo aliquis, omnibus inspectis, enunciat de absolutâ honestate suæ operationis. At numquam licet contra tale judicium operari. Ergo simpliciter loquendo nulli umquam licet agere contra sententiam propriam. Minor constat ex dictis; major declaratur tam in idiotis, qui propriè loquendo non dicuntur, quàm in doctis, qui dicuntur habere propriam sententiam. Et quidem idiotæ aliam sententiam non habent, quàm absolutum conscientiæ dictamen, quo diriguntur ad operandum. At contra illud agere est peccare. Docti verò, qui sententias suas in rebus moralibus stabiliunt, vel assentiuntur benignæ, vel subscribunt rigidæ sententiæ. Si benignæ, cùm illa sit, quæ ultimatè post omnia perpensa enunciat de honestate operationis ponendæ, numquam agunt contra, sed juxta suam sententiam, dum in praxi sectantur minùs tuta; è contra, qui subscribunt rigidæ, eo ipso obligantur ad totum ejus rigorem ferendum, & peccant sectando minùs tuta, quia propriè operantur contra propriam sententiam, quæ ultimatè post omnia etiam reflexè perpensa absolutè docet tale objectum non nisi peccaminosè poni posse. At contrariari tali judicio, id est propriæ sententiæ, peccatum est. Quod si quis doctus hujus quæstionis conscius dubius hæreat, eidem oneri subjacet propter dubium, cui subjacent, qui tenent sententiam rigidam, ut omnes fatentur. Demum omnis vir doctus, qui proprio discursu seipsum regit, tunc tantùm propriam sententiam de aliquo objecto fert, quando post omnia perpensa de illo enunciat. Ergo judicium ultimum, in quo ultimum conscientiæ dictamen fundatur, est propria ejus sententia. At semper malum est tali judicio contraire. Ergo simpliciter loquendo nulli umquam licet operari contra propriam sententiam.

Assertio quarta.

ASSERTIO QUARTA.

Theologus aliquando dare potest consilium contra propriam sententiam directam; si eam suspendat.

Si Theologus propriam sententiam directam suspendat, potest pro rerum exigentiâ alios juxta contrariam opinionem probabilem minùs tutam dirigere, illámque aliquando consulere, modò sententiam benignam admittat ut veram.

Probatio.

12. PRobatur. Inprimis Theologus hâc ratione alios dirigens, aut ita pro opportunitate & rerum exigentiâ consulens, verè eos dirigit, illisque consilium dat juxta suam propriam ac ultimatè definitivam sententiam, quam putat esse verissimam. Ultima enim sententia est illa, quam ex rationibus tam directis quàm reflexis ritè ponderatis profert. At juxta hanc dirigit, & consilium præbet. Ergo non contra sed juxta sententiam propriam operatur. Ergo si propriam sententiam directam suspendat, manifestum est, nil mali in tali consilio aut directione reperiri posse. Theologus enim ille suadet, quod licitum putat; & solùm de licito consilium præbet. Præterea talis homo non mentitur, quia contra propriam mentem non loquitur, nec quidquam facit, quod meritò vituperari possit.

Assertio quinta.

ASSERTIO QUINTA.

Quo modo licet operari, eo modo licet consilium dare contra propriam opinionem.

Omni modo hactenus dicto, quo licet operari contra propriam sententiam, licet etiam contra eam pro rerum exigentiâ consilium dare, aliósque dirigere.

Probatio.

13. PRobatur. Quod non est peccatum in aliquo, si ab eo fiat, non est peccatum si fiat ab alio, qui nullâ singulari obligatione obstringitur, quæ utrique communis non est. Hæc propositio est evidens; ex eâ autem sic intentum conficitur. Non est peccatum dirigere ad id, quod non est malum imputabile; sed neque peccatum est pro rei opportunitate consulere aliquid non imputabile; quia hujusmodi objectum sive ex proprio judicio fiat, sive fiat ex directione vel consilio alieno non est peccatum. Ergo non est imputabile cuiquam, quòd alium ad illud dirigat, aut etiam illud consulat, modò opportunitas rerum postulet directionem ejusmodi. Dixi *modò opportunitas rei talem exigat directionem.* Nam purus consiliarius aliter dirigit, aliter Dominus, vel Superior. Consiliarius ex naturâ rei tendere debet ad meliora, adeoque si quæ consulit, sint omnibus pensatis minùs bona, non implet officium suum, sed peccat. v. g. qui volentem religionem ingredi suo consilio ad matrimonium impelleret, peccaret, etsi bonum sit, quod consulit; quia est minùs bonum, quàm status, quem dissuadet. Nihilominus, etsi status matrimonii sit minùs bonum, quàm status religionis, si tamen tendens ad religionem propter pravam dispositionem, & summam propensionem ad carnis illecebras taliter constitutus esset, ut plus mali de eo timeretur in statu religioso, quàm matrimoniali; utique matrimonium consuli deberet; quia hic & nunc, melius est quod consulitur, quàm quod dissuadetur, etsi objectum consilii secundùm se sit minùs bonum, quàm objectum quod repudiatur. Ergo si opportunitas postulet, non est peccatum consulere alteri contra propriam sententiam, quando non est peccatum ipsi consulenti agere contra propriam sententiam. At Dominus aliter se habet ad servum, nam Dominus non est consiliarius; consiliarius enim alienum, Dominus proprium bonum respicit. Itaque Dominus contra propriam sententiam licitè dirigit servum suum ad opus quodvis, quod ipsi Domino in eisdem circumstantiis est licitum.

Consiliarius aliter debet dirigere, quàm Dominus.

Consiliarius non potest ad ea dirigere, ad quæ Dominus & superior possunt.

ASSER-

Assertio sexta.

ASSERTIO SEXTA.

Explicatur quando liceat, quando non liceat consilium dare contra propriam opinionem.

Aliquando licet, aliquando non licet consilium dare, atque alios contra propriam opinionem dirigere.

14 Dupliciter aliquis se habet ad propriam opinionem, primò ita ut aut evidenter sciat illam esse veram, aut certè absque omni dubio illi absolutè inhæreat, & oppositam reputet improbabilem. Secundò ita ut directè loquendo absolutè quidem credat illicitum esse v. g. comedere octo uncias pro refectiunculâ vespertinâ jejunantis, sed tamen formidet de opposito, illudque credat, imò sciat esse certò probabile. His positis, in primo casu non licet, in secundo licet alios dirigere, illisque consilium dare contra propriam opinionem.

Non licet dare consilium contra propriam sententiam certam & evidentem.

15. Quod in primo casu non liceat consilium dare, aut quemquam contra propriam opinionem dirigere manifestum est. Nam qui evidenter, aut cum certitudine fidei sciret aliquid esse illicitum, mentiretur, si diceret alicui illud esse à Deo permissum. Ergo consilium dans contra propriam opinionem mentiretur, quod numquam licet. Præterea consuleret malum, quod sciret esse peccatum. ergo sciens & volens niteretur, ne indubitatum Dei præceptum impleretur, quod proculdubio est imputabile & illicitum. Neque enim ullatenus excusari potest apud Deum, qui sic alios dirigeret, aut ejusmodi consilium daret; quia procuraret illud poni, quod certò scit Deum prohibuisse. Præterea consulens, & dirigens alios est causa ejus, quod consulit, & ad quod dirigit. ergo si dirigat ad peccatum; aut ad id quod certò credit esse peccatum, est causa peccati, & excusari non potest.

Nemo licite consulit, quod judicat non esse probabiliter honestum.

16. Idem valet, si quis reputaret opinionem suæ contrariam esse improbabilem. ponamus enim aliquem existimare omninò improbabile esse, quòd liceat 8. uncias pro refectiunculâ sumere. Hic si alios dirigeret ad illas sumendas, dirigeret eos ad opus, in quo peragendo juxta mentem dirigentis excusari non possent à peccato. Cùm enim judicet objectum illud esse penitus improbabile, dirigeret alios ad amplectendam partem minùs tutam pro circumstantiis, in quibus ipsi probabiliter non possent judicare objectum illud esse honestum; at qui sic dispositus eligit partem minùs tutam non excusatur à peccato. Ergo nec ille, qui eum ad ita operandum dirigit.

Qui scit aliquid esse certò probabile, potest illud consulere justis de causis contra propriam sententiam.

17. Quòd in secundo casu liceat alios dirigere, aut consilium dare contra propriam sententiam probatur. Ille, cui datur consilium, non tenetur se conformare judicio directo, sed potest se conformare judicio reflexo & ultimato viri quem consulit. Similiter æquè potest aliis prudentibus inhærere, ac illi quem consulit. Ponamus jam aliquem absolutè, sed formidolosè existimare 8. uncias esse quantitatem nimiam; qui tamen optimè novit oppositam sententiam esse communem apud Doctores, illamque ut certò probabilem admittit. Itaque si contingat petentem consilium ita dispositum esse, ut per usum talis sententiæ evadat immunis à periculo violandi jejunium, cui alioquin subjaceret &c. poterit Doctor ille prudenter consilium dare contra propriam sententiam, hoc modo. Scias me ex rationibus directis existimare quantitatem hanc esse nimiam, adeóque ita esse dispositum, ut nisi aliud formem judicium, peccaturus sim, si stante hoc judicio 8. uncias comedam; nihilominus tu non teneris te juxta meam opinionem gubernare, sed potes aliis viris doctissimis fidem dare, illarumque sententiam tutâ conscientiâ sequi, qui dicunt 8. uncias non esse quantitatem nimiam. Adeas ergo talem, & ab illo pete, ille enim expresśè tenet id licitum esse. Et ego ipse scio te tutum fore in conscientiâ, si dubium deponas, & propter illorum authoritatem

authoritatem & rationes judices id tibi licere. Consulo ergo, ut illis potiùs, quàm mihi credas in hac re. Præterea si Doctor consultus nostram sectetur opinionem, ex vi illius dicere potest, quòd omnibus inspectis liceat illi cuicumque opinioni certò probabili se accommodare; quodque proinde tutâ conscientiâ possit 8. uncias edere. Dicere etiam potest consulenti, ne respicias ad meam aut illius opinionem, sed crede illis Authoribus, & mihi, omnibusque fermè aliis, qui unanimiter dicimus licitum tibi esse tot uncias in refectiunculam sumere, si omnia omninò considerentur, tam quæ directè, quàm quæ indirectè arguunt honestatem talis comestionis.

Nemo prudenter dans consilium consulit simpliciter contra propriam sententiam.

18. Ecce in tali directione nil mali est, quia operaturus dirigitur ad actionem illi certò honestam. Et sanè hæc veritas adeò patens est, ut non videam, quomodo quis rationabiliter possit eam in dubium revocare. Præterea si omnia diligenter inspiciantur, qui dat hujusmodi consilium, semper dat illud maximè juxta propriam sententiam; Doctor enim ille tenet consilium posse hâc ratione licitè dari. Tenet etiam consulentem posse prudenter aliorum definitioni stare, ac esse securum in conscientiâ, etsi contra consultoris sententiam directam operetur. Hæc autem sunt, quæ consulit. Ergo semper consulit juxta propriam opinionem, quantum spectat ad opinionem de circumstantiis & honestate consilii, à qua sola honestas dandi consilium proximè regulatur. Quod autem consilium sit contra alias opiniones dantis consilium, ad rem præsentem nil conducit, quia illæ non influunt in moralitatem volitionis imperantis consilium, ut patet.

19. Hæc dicta sunto tamquam corollaria præcedentis doctrinæ, quia facillima sunt, & clarissima. Unum noto & finio; scilicet quæstionem hanc parum necessariam esse pro praxi, quia pro quovis instanti suspendi potest opinio directa; & elici persuasio de veritate benignæ sententiæ, quâ stante, nec directio nec consilium procederet contra, sed solùm juxta propriam persuasionem.

QUÆSTIO TRIGESIMA-PRIMA.

Utrùm sententia benigna animarum saluti expediat?

Status quæstionis.

1. DETERMINATIO quæstionis hic positæ unica causa fuit laboris hactenus suscepti; cùm enim aliquos contra communem receptamque sententiam reclamare, illosque eandem non solùm ut falsam, sed ut noxiam, salutique animarum verè inimicam repellere comperissem; ut mihi aliisque consulerem, laborem hunc in se non parvum, relatè autem ad animi corporisque mei vires verè magnum, subire decrevi, ut veritate rei ante oculos positâ, sententiam benignam omni conatu dissuaderem, si eam aut falsam aut noxiam esse detexissem. Ita tamen in hanc cogitationem incubui, ut si benignam sententiam veram, ac proinde reipublicæ utilem esse deprehendissem, veritatem tanti momenti non supprimerem, sed eam in bonum commune publici juris facerem. Jam autem cum, Deo dante, veritatem sententiæ benignæ post omnia quæ in oppositum hactenus allata reperire potui ritè expensa, satis manifestè stabiliverim;

verim; restat ut epilogi loco omnibus aperiam, quòd opinio ipsa Ecclesiæ utilis sit, ejusque usus nulli periculo peccati formalis subjaceat. Quâ in re duo distinguenda sunt, quæ Adversarii confundunt; scilicet utilitas opinionis benignæ secundùm se, ut opinio quædam, seu persuasio mentis est, & convenientia usûs illius; opinio ipsa secundùm se omnibus semper est utilissima, non ita tamen omnibus ejus usus convenit. Sed quomodo & quâ ratione ista contingant, per assertiones sequentes paucis ordinatim exponam.

ASSERTIO PRIMA.

Assertio prima. Opinio nostra in ratione opinionis est omnibus pro salute animæ opportuna.

Opinio benigna secundùm se accepta, id est, prout est persuasio, quâ aliquis credit & sibi & omnibus aliis in omni materiâ licitum esse sequi opinionem directè minùs probabilem minùsque tutam, est animarum saluti maximè opportuna.

Demonstratio.

2. PRobatur. Imprimis opinio benigna est longè probabilior oppositâ, idque ad evidentiam constat. Ergo intellectus illi prudenter assensum præbet. 2. veritas ipsius est ad minimum moraliter certa; non solùm extrinsecè, propter communem omnium fermè consensum & praxim; sed etiam intrinsecè propter efficacissima argumenta, eaque quamplurima, & quidem longè potentiora argumentis contrariæ sententiæ. Atque hinc evidenter sequitur, intellectum amplectendo sententiam benignam rationabilissimè operari, etiamsi solius intellectûs finis præ oculis habeatur. Jam verò quàm proficua animarum saluti sit hæc persuasio, ex eo patet, quod ex unâ parte per eam nullum excogitabile inconveniens eveniat intellectui, aut voluntati. Non intellectui, quia judicium est absolutè verum & si de hoc dubites, adhuc est evidenter multò probabilius opposito, quod sufficit, ut sit bonum intellectui, judicioque contradictorio evidenter præponderet. Non voluntati, quia illa adhuc libera est ad amplectendam partem tutiorem, adeóque per hanc persuasionem nil detrimenti patitur. Ex alterâ verò parte, magna per eam emolumenta pro facilitandâ salutis adeptione unicuique eveniunt.

Emolumenta benignæ sententiæ enumerantur.

Unusquisque enim, qui huic sententiæ post maturam rei discussionem non temerè adhæret, multorum peccatorum periculo liberatur, cui omnes, qui eam non admittunt, noscuntur subjacere. Ipse enim pro innumeris opportunitatibus, licitè sequi potest quamcumque sententiam directè certò probabilem, etsi minùs tutam, quam reliqui absque peccato sectari non possunt. At homines, propter fragilitatem & volubilitatem arbitrii, magnam sæpè difficultatem habent ad sectandam partem tutiorem, quam plurimi numquam superabunt; adeóque plurimi, si sententiæ rigidæ subscribant, frequenter peccabunt, qui à talium peccatorum maculâ immunes fuissent, si benignam sententiam amplexati fuissent. Rursus sententia benigna, homines à continuis timoribus, dubiis & anxietatibus liberat, cor exhilarat, viam salutis planam reddit, ostenditque *jugum Christi suave esse, & onus leve*; cùm opposita persuasio mentem perturbet, onus intolerabile omnibus imponat, hominesque adeò arctet, ut & mentem continuis timoribus repleat, & viam salutis asperam reddat, pluresque sui sequaces in plurium peccatorum præcipitium attrahat: quæ omnia fusè suis locis evidenter ostensa sunt. Ergo sententia benigna secundùm se considerata, & ut quædam mentis persuasio est, ad animarum salutem plurimum conducit.

3. Neque hic sensus adeò modernis authoribus, qui benignam sententiam sub terminis expressis tradiderunt, proprius est, ut ille ipse antiquorum menti radicitùs infixus

non fuerit. Recole illud ex sanctissimis PP. Prædicatorum Constitutionibus ad litteram I. *Declaramus quod tria sint præcipuè quæ salutem impediunt animarum:* omitto duo priora, quia ad præsens institutum non faciunt: *tertium est austeritas in consiliis, & opinionibus, terrentur enim homines ex hoc in tantum, ut salutem propriam negligant; quapropter & relaxanda est, quantùm fieri potest, rigiditas & austeritas in consiliis, ac homines benignè tractandi sunt.* Ecce sanctissimæ istæ constitutiones per omnia tradunt, quæ jam in toto tractatu sparsim probanda suscepi. Nominatim autem sic discurro. Utile est animarum saluti, ut austeritas in opinionibus, quantùm fieri potest, relaxetur. Ergo utile est animarum saluti tenere & docere opinionem benignam; credere enim & docere quod pars minùs tuta numquam liceat, nisi sit aut certa, aut ad minimum directè probabilior oppositâ, est summus rigor, quem quis in opinando sectari potest; quia est rigor non uni alligatus materiæ, sed omnes omninò transcendens, & tam arctum ac universale ligamen conscientiis infert, quàm ulla opinio inferre potest. Hæc enim verè rigida sententia non solùm involvit rigorem omnium aliarum opinionum severiorum, sed ita illum involvit, ut nulla ad rigorem illum leniendum via supersit: si enim ulla via superesset ad duritiem opinionis mitigandam, ea esset reflexa quædam cognitio & persuasio, quæ ex motivis reflexis ostenderet, licitum esse sequi opinionem laxiorem in praxi, non obstante probabilitate etiam majore quod objectum opinionis laxioris sit illicitum. Hæc autem persuasio est ipsissima sententia benigna. Ergo si ulla superesset via ad rigorem illum leniendum, ea esset opinio benigna; at illi nullus datur locus in mente, quam opinio rigida semel invasit, quia sunt opiniones contradictoriæ. Ergo opinio rigida ita rigorem aliarum omnium involvit, ut nulla illi leniendo via supersit. Quid ergo? Sequunturne sanctissimum harum constitutionum consilium, qui rigidam sententiam ut regulam necessariam actionum humanarum obtrudunt? Minimè verò; nam cùm sententia benigna probabilis sit, imò longè probabilior oppositâ, ea meliori ratione ut regula actionum nostrarum proponi potest & debet, ut rigor in opinionibus quantum fieri potest relaxetur. Quamdiu enim eam non admiseris, summum rigorem excogitabilem pro regulâ conscientiæ exiges.

Sententia rigida imbibit rigorem omnium opinionum rigidissimum.

Sola sententia benigna lenire potest rigorem sententiæ rigidæ.

4. Audi etiam Gersonem *lib. de vitâ spirituali, lect. 4. coroll. 12.* de utilitate opinionum probabilium contrariarum mirabiliter in hunc modum discurrentem. *Doctores Theologi non debent esse faciles ad asserendum aliquas actiones, vel omissiones esse peccata mortalia, imò nec venialia; præsertim sub verbo universali, maximè cùm observatio communis obnititur, obviatque, ubi non sunt certissimi de re* (cogita adversarios nostros evidenter hic indigitari, qui in re de quâ non sunt certissimi, contra communem sensum Authorum, & praxim fidelium, sub terminis universalibus, nimis facilè contra gravissima fundamenta damnant peccati omnem usum opinionis minùs tutæ, etsi probabilioris, aut certè directè minùs probabilis) *nam per ejusmodi assertiones voluntarias, rigidas, duras & nimis strictas, in rebus universis* (cogita in opinionibus controversis de quibus expressè agit) *nequaquam eruuntur homines à luto peccatorum, sed in illud profundiùs, quia desperatiùs demerguntur. Hinc etiam generantur scrupuli inquietativi simplicium, ut eis sit solidum nihil. Nam si beatus est vir qui semper est pavidus, & veretur peccata sua; observandum tamen est illud Terentianum, ne quid nimis, & ne in scirpo nodum quærant. Demum quid prodest, imò quid non obest, coarctare plus justo mandatum Dei, quod est latum nimis? Quid igitur expedit amarius graviusque reddere illud Christi jugum, quod suave est, & onus leve? Nam etsi contemptus*

Gerson probat benignam sententiam saluti animarum esse utilem.

contemptus ex hac laxatione, & dulcedine apud aliquos improbos major oriatur, habentes velamen malitiæ libertatem: at apud alios benè institutos gratiarum resonabunt actiones. Præstabitur etiam sedulum servitium Domino, cujus mandata gravia non sunt, quippè qui non vult nos tentari, & gravari supra id quod possumus. Hucusque Gerson, qui non minùs eleganter quàm nervosè concludit, sententiam benignam saluti animarum esse utilissimam. Qui in hanc rem plura cupit; legat Bassæum *v. conscientia.* Caramuelem in Theologiâ regulari *disp. 6.* & *in Apologemate*, fermè per totum, Stephanum Spinulam *circa finem disp. 3.* quibus adjungi debet, quod supra *quæst. 22.* ex Sylvestro, Pelbarto, Joanne Nider S. Antonino aliisque antiquioribus excerpsimus; illa enim evidenter convincunt veritatem assertionis stabilitæ.

Assertio secunda.

ASSERTIO SECUNDA.

Usus opinionis directè minùs probabilis minúsque tutæ est licitus, & ab omni periculo peccati formalis, imò & ab omni materiali violatione legis æternæ remotissimus.

Qui sequitur opinionem benignam ne materialiter quidem violat ullam legem æternam.

5. HÆc assertio constat ex dictis, & quidem prima pars ex totius operis contextu adeò patens est, ut ejus efficax probatio obvia sit. Breviter autem tota vis in eo consistit; quod bona fides non temerè, sed prudenter concepta, unumquemque à formali peccati malitia excuset. At sequens opinionem directè minùs probabilem minúsque tutam, non temerè sed prudenter deponere potest dubium, eoque deposito, operatur bonâ fide; imò cum dispositione essentialiter exclusivâ actûs primi ad peccatum necessarii. ergo &c. major patet. minor plurimis locis probata est, maximè quæst. *22. & 23.* Consequentia est in formâ. Secunda pars *quæst. 21. & num. 13.* efficaciter est stabilita. Cæterùm intelligenda est assertio cum distributione accommodâ, ita scilicet ut sectans opinionem benignam nullatenus peccet, si opinio illa dictet nullum adesse peccatum, nam si dictaret actionem non esse mortaliter peccaminosam solùm excusaret à peccato mortali, juxta sensum quem opinio illa affirmat.

Assertio tertia.

ASSERTIO TERTIA.

Sententia benigna omnibus suadenda est; ejus tamen usus illimitatus, etsi nullum peccatum involvat, suadendus non est.

Opinio benigna consulenda est, ejus usus illimitatus suadendus non est.

Probatur pars prima.

6. PRobatur prima pars: sententia benigna omni hominum generi, universaliterque omnium saluti facilitandæ plurimùm conducit; ejusdemque absentia è contrariò eisdem bonis privat, quæ secum fert ipsius præsentia. At opinio, talium bonorum origo, omnibus, quantùm fieri potest, suadenda est, quia illa innumeris tentationibus cæteroquin periculosis, aculeum extrahit, viamque mandatorum Dei, quæ multis ex ejus defectu aspera est, planam reddit. Præterea virtutis exercitium facilitat, hominumque corda in Dei famulatu mirificè dilatat, spemque magnam in Dei bonitate, quam mens illâ opinione imbuta, accepto quasi pignore, degustat, mirificè fovet. Uno verbo, quidquid loco proximè citato Gerson in opinionum benignarum laudem congessit, quidquid PP. Prædicatorum laudatæ constitutiones; in rem eandem paucis sed gravissimis verbis ponderant, parum est ad adæquatum hujus sententiæ emolumentum concipiendum. Nemo enim verbis sufficienter explicare potest, quanti nostrâ intersit securitas conscientiæ in innumeris occasionibus, in quibus aliorum mentes dubiis vexantur, imò ut rectiùs dicam, timoribus lacerantur, & sæpè lethaliter vulnerantur. Certè pax

mentis, quam secum affert hæc sententia, jugi convivio non immerito comparari potest; in quo homo corde alacri & lato nimis novit quousque pro opportunitate illi licitum sit progredi; cùm sine ejus instructione mens in omnibus hæsitet, nimioque timore adeò constringatur, ut lex Dei, in se levis, onus intolerabile videatur.

Secunda pars probatur.

7. Probatur secunda pars. Et quidem, quod nullus benignæ sententiæ usus, quantumvis illimitatus, peccatum involvat, ex dictis in toto tractatu satis apertum est, nihilominùs certissimè constat, usum illimitatum hujus sententiæ non nisi turpiter omnibus indiscriminatim & universaliter suaderi posse, quia plura licita ad perfectionem acquirendam impedimento sunt. At quæ perfectionis adeptioni repugnant, absque peccato pro arbitrio cujusque suaderi non possunt. In hoc ergo decipiuntur Adversarii, quod perperam nobis imponunt, quasi nos omnibus promiscuè atque universaliter persuaderemus usum opinionis minùs tutæ; sed errant, dum confundunt substantiam sententiæ, cum praxi ejusdem. Opinionem ipsam uti omnibus proficuam, omnibus persuademus, sed usum aut semper aut plerumque dissuademus. Sic omnibus persuademus, ut credant sibi licitum esse non sequi consilia; nec tamen hortamur ut ea non sectentur, quin imò, quantum possumus, oppositum suadere conamur. Et ratio est, quia sicut magis proficuum est assentiri benignæ, quàm rigidæ sententiæ, ita minùs proficuum est in praxi minùs tuta quàm tutiora sectari. Ita ergo hortamur ad acceptandam benignam sententiam, pro conscientiæ regulâ, ut simul omnes tutiora sectari cupiamus: per primum proximos à peccandi periculo liberamus; per secundum eosdem ad perfectionis plenitudinem incitamus.

Non omnia licita sunt materia consilii.

ASSERTIO QUARTA.

Assertio quarta.

Aliquando justis de causis licet aliis suadere usum partis directè minùs probabilis minùsque tutæ.

Aliquando licet suadere usum partis minùs tutæ.

8. Demonstratur. Quoties sunt duo honestè eligibilia, quod est minùs honestum, justis de causis suaderi potest, etsi ejus usus sit essentialiter inconjungibilis cum objecto honestiore. Sic justis de causis aliquando licet alicui suadere matrimonium, quamvis status conjugii repugnet majori honestati statûs religiosi. Idemque valet de omni alio honestè elegibili; quia quidquid est in se honestè eligibile, alio meliori relicto, ita propter varias circumstantias affici potest, ut hic & nunc huic determinato homini taliter disposito absolutè expediat. Hoc autem est illud evadere materiam consilii. Ergo cùm objectum directè minùs probabile minùsque tutum sit honestè eligibile, illud justis de causis suaderi potest. Vide dicta *quæst. 28. num. 33. & seqq.* ubi plura de hac re fusiùs sunt dicta.

ASSERTIO QUINTA.

Assertio quinta.

Opinio rigida secundùm se accepta, seu prout est persuasio, quod nemini liceat sequi opinionem minùs tutam sive illa sit probabilior sive minùs probabilis oppositâ, est animarum saluti valdè noxia.

Opinio rigida, ut est opinio, est noxia animarum saluti.

9. Probatur. Opinio rigida est absolutè falsa; quia opposita simpliciter loquendo ad minimum est moraliter certa. Ergo est malum intellectûs. Rursus opinio benigna ad evidentiam est longè probabilior rigidâ. ergo etsi reipsâ contingeret rigidam esse veram; quia tamen illius veritas vix est probabilis, eam admittere, be-

Probatio.

nignâ rejectâ, esset grande malum, animarum saluti valdè noxium: quia esset absque ullâ necessitate admittere arctissimam conscientiæ regulam, per quam homines innumeris peccandi occasionibus expositi ad tutiora in omnibus sectanda obligarentur. At hoc quàm animarum saluti noxium sit, quis non videt? Fingamus omnes homines hanc regulam tenere. Deus bone! quot ob fragilitatem in innumera peccata inciderent, quibus liberati fuissent, si benignam sententiam in regulam assumpsissent? Ecce sententia rigida mala est intellectui, voluntati autem maximè perniciosa. Relege dicta *num. 3.* quia veritatem hujus assertionis apertè convincunt.

Solvuntur objectiones.

Objectio prima. 10. Objicies 1. opinio rigida habet aliquam saltem probabilitatem; docet autem quòd sequi partem minùs tutam, tam probabiliorem, quàm directè minùs probabilem sit peccatum. Ergo hoc ipsum est probabile. Ergo qui sequitur opinionem minùs tutam, tutiore ac probabiliore relictâ, probabiliter peccat. Ergo numquam licet suadere usum opinionis benignæ, quia numquam licet suadere actionem probabiliter peccaminosam. Ergo usus opinionis benignæ malus est & illicitus alioquin aliquando suaderi posset. Ergo opinio rigida est utilis animarum saluti; quia ostendit & detegit peccatum latens, quod est unicum animarum malum.

Responsio. Resp. opinionem rigidam abstractè & in terminis generalibus sumptam, habere aliquam probabilitatem, quatenus docet, quod sequi opinionem minùs probabilem minúsque tutam, sit peccatum materiale; si autem sermo sit de peccato formali, nego quod ullam probabilitatem habeat, modò doceat sequentem opinionem minùs tutam minúsque probabilem peccare, etiamsi dubium deponat & bonâ fide actionem illam licitam sibi esse absolutè judicet: evidens enim est sic operantem nullius peccati formalis reum esse posse. Solùm ergo sequitur in casu præsenti, utentem opinione minùs tutâ probabiliter loquendo peccare materialiter, quod ultrò conceditur. Atque ita respondetur ad argumentum usque ad primam consequentiam. At quoad secundam consequentiam, dico aliquando licitum esse suadere aliquod objectum, quod secundùm se consideratum fortassè est peccatum materiale, modò certum sit electionem illius nullum peccatum formale involvere, eò quòd objectum prout suadetur, certò certiùs sit innoxium. Hoc & non alio modo suademus usum opinionis benignæ; quia ita illum suademus, ut primò exigamus operantem dubium deponere, & bonâ fide ac certò prudenti credere objectum illud esse licitum. Jam si quis cum tali dispositione operetur, certum est illum formaliter non peccare. Nec tamen, etsi operans certò non peccet sequendo consilium, semper & indiscriminatim licet talem actionem suadere; quia suadens minùs perfecta, nisi rationabili de causâ ea suadeat, peccat; etsi qui consilio illius adhæret non peccet, ut sæpiùs ostensum est. Dico ergo tunc solùm licitum esse suadere actionem probabiliter ex se malam, etiam in circumstantiis certò honestantibus ejus electionem, quando nisi illa actio ponatur, imminet periculum aut certum aut valdè probabile peccati formalis, aut alterius peccati materialis adhuc deterioris, quod pluribus supra ostensum est. Demum hinc non sequitur opinionem rigidam saluti animarum esse utilem! nam neque utilis est, si sumatur ut regula, quia infert periculum certum plurium peccatorũ formaliũ, idq; absque ullâ necessitate, neque utilis est si sumatur ut consilium, universaliter contendens, omnibus opportuniùs esse numquam suadere

Non est probabile cum peccare, qui

bonâ fide prudenter conceptâ facit, quod falsò putat omnibus licere.

alteri partem minùs tutam minúsque probabilem, quia oppositum sæpè est evidenter opportuniùs. At hinc ex oppositorum regulâ constat opinionem benignam animarum saluti esse utilem.

Objectio secunda.

11. Objicies 2. Opinio rigida, etiam quatenus docet usum opinionis minùs tutæ esse materialem violationem legis æternæ, est probabilis. At in violatione legis æternæ nulla datur distinctio inter materialem & formalem violationem. Ergo probabile est usum opinionis benignæ esse peccatum formale; hinc autem sequitur, usum opinionis benignæ numquam licitè persuaderi posse; quia illicitum est persuadere actionem, quæ probabiliter est peccatum formale. Consequentia argumenti est in formâ; major videtur clara, minor autem probatur; quia omnis voluntas Dei æterna vetans objectum, efficaciter statuit pænam omnibus illud eligentibus; talis autem voluntas, quoad pænæ inflictionem efficax est, & inimpedibilis. Ergo omnis materialis violatio legis æternæ (nisi remittatur) necessariò connectitur cum inflictione pænæ à Deo stabilitæ. ergo connectitur etiam cum formali malitiâ, quia pæna ad solius culpæ formalis vindictam à Deo statuitur. ergo in violatione legis æternæ nulla datur distinctio inter violationem materialem & formalem. Hinc autem omnes allatæ consequentiæ efficaciter inferuntur.

Responsio.

Resp. totam difficultatem esse in majori, ejusque intelligentiâ; nam si nomine legis æternæ intelligatur absoluta Dei voluntas statuens pœnam omni omninò electioni talis determinati objecti, nego majorem; non enim probabile est omne peccatum materiale, & multò minùs omnem usum opinionis benignæ, utpotè qui sæpè nullum involvit peccatum, nequidem materiale, esse materialem violationem legis æternæ in hoc sensu sumptæ. certum enim est nullam ejusmodi legem æternam existere; alioquin materialiter peccans ex ignorantiâ invincibili, reus esset pœnæ à lege æternâ stabilitæ, adeóque etiam reus esset culpæ & malitiæ formalis, quorum utrumque est evidenter falsum. Imò certum est nullam legem ejusmodi æternam in Deo existere potuisse, quia Deus non utitur præcisionibus, sed determinatè & clarè fertur in objecta secundùm omnes circumstantias. non ergo dicit lex æterna, *nemini unquam liceat suam cõfessionem dimidiare sub pœnâ damnationis &c.* quia Deus habet voluntatem & judicium huic contrarium, quibus vult & dicit: *Petro hic & nunc propter ignorantiam invincibilem liceat suam confessionem dimidiare.* evidens autem est Deum simul habere non posse voluntates & judicia sibi contradictoria. Quocirca evidenter falsum est, usum opinionis minùs tutæ, etsi per accidens falsæ, esse materialiter saltem contra legem æternam, illique verè & propriè repugnare.

Certum est peccatum merè materiale non opponi ulli legi æternæ, si propriè loquamur.

ASSERTIO SEXTA.

Assertio sexta.

Suadere opinionem rigidam pro regulâ conscientiæ per se loquendo & ex objecto videtur peccatum grave. At suadere usum partis tutioris per se & ut plurimum prudentis est, & valdè honestum.

Suadere sententiam rigidam pro regula conscientiæ per se loquendo est peccatum grave.

12. PRobatur prima pars. Opinio rigida sumpta pro conscientiæ regulâ, est opinio animarum saluti valdè noxia, ut constat ex *assert 5.* Ergo illam suadere ut regulam est peccatum grave; quia suadere rem valdè noxiam, maximè si sit malum universale, quod æque ex naturâ rei ad omnes extenditur (cujusmodi est malum de quo nunc loquimur) graviter repugnat charitati. Ergo ex objecto & per se grave peccatum est suadere opinionem rigidam pro conscientiæ regulâ. Confirmatur: suadere minùs bonum sæpè est peccatum grave

Probatio primæ partis.

contra

contra legem charitatis. ergo multò magis est peccatum grave suadere rem noxiam; qualis certè est rigidissima hæc sententia, prout est quædam opinio praxi deserviens; quæ si absolutè credatur vera, nullum secum bonum affert, sed multa mala, quia intellectui falsitatem, & voluntati scandalum parit.

Probatio partis secundæ.

13. Demonstratur secunda pars. Usus partis tutioris plerumque & per se loquendo disponit omnes ad bonum præstantius, & ad perfectionis plenitudinem faciliùs & certiùs acquirendam, ut constat percurrendo omnes opiniones tutiores relatè ad praxim minùs tutiorem. Ergo per se loquendo universalis opinionum tutiorum usus est materia prudentis consilii. Quòd si aliquando opportunum sit aliquâ ratione suadere partem minùs tutam, id est per accidens propter concursum aliarum circumstantiarum, in quibus majus malum timetur, ut patet.

Hallucinatio Adversariorum detegitur.

14. Atque hic alius adversariorum error detegitur, qui sibi adblandiuntur, quasi omnibus suaderent rem valdè proficuam, nos autem quasi malos aut certè minùs bonos conscientiæ consiliarios sæpè redarguunt. Verùm in utroque decipiuntur, nam nos perfecta suademus; suademus enim opinionem benignam, quæ & vera est, adeóque intellectum ornat, & valdè utilis voluntati, quia plurima peccandi pericula suavissimè arcet. At ejus usum, utpotè quid minùs perfectum, universaliter & per se loquendo dissuademus. è contrà adversarii non solùm dissuadent ejus usum, in quo laudabiliter operantur, verùm etiam conantur persuadere omnem ejus usum esse illicitum, dum afferunt sententiam rigidam ab omnibus pro conscientiæ suæ regulâ esse accipiendam; in quo magnum malum omnibus persuadent; idque absque ullo emolumento, præter copiosam messem peccatorum formalium ex hac eorum semente necessariò orituram. Omne enim emolumentum quod sperant, longè suaviùs & certiùs à nostro consilio provenit, quia absque timore & cum animo hilari pars tutior ita Deo offertur; ut absque peccato omitti potuisset. Illi autem omnia sub peccati reatu coacta volunt, quod certè humanæ libertati occasionibus innumeris omni fermè horâ occurrentibus expositæ noxium est, & onus intolerabile. Hortor itaque adversarios, ut distinguant persuasionem sententiæ à persuasione usûs, & fortassè fatebuntur se ista confundendo errare. Atque ita faciliùs detegent grande malum, quod in sententiâ rigidâ sub specie honesti delitescit.

Putant adversarii se tuta, nos autem periculosa consulere; sed errant in utroque.

ASSERTIO SEPTIMA.

Assertio septima.

Benigna sententia apprimè utilis est, & necessaria confessariis, aliisque omnibus, quibus aliorum cura & directio incumbit.

Sententia benigna utilis est & necessaria iis, qui aliorum curam habent.

15. Demonstratur. Benigna sententia est optima & valdè rationabilis regula conscientiæ pro opportunitate operandi, quando directa certitudo deest, & motiva hinc inde probabilia utrique contradictionis parti favent. Ergo illa utilis est & necessaria, tam confessariis, quàm aliis omnibus animarum curam gerentibus. Utilis quidem tum illis tum aliis, ne per oppositam persuasionem, & propriam conscientiam nimis onerent, & subditorum mentes gravi nimis & periculoso arctioris regulæ pondere gravent. Rursus, istiusmodi viris plures deliberationes dubiæ occurrunt quàm aliis, tum ad discernendum ad quid ipsi, & ad quid ipsorum subditi teneantur, & à quo tam ipsi quàm alii coram Deo excusentur. Ergo utilissimum illis est sententiam benignam pro regulâ conscientiæ assumere, tum ut sibi tum ut subditis absque nimio rigore prospiciant. Cùm enim

Demonstratio.

 nemo

nemo possit singula proprio judicio sufficienter metiri, necessariò recurrendum est ad probabilem aliorum determinationem. Ergo nisi omnes ad tutiora sectanda cogere velit, quod esset intolerabile illis onus imponere, necesse est ut benignæ sententiæ subscribat, atque ita se & alios, quos tenetur dirigere, contra peccandi pericula armet. Hoc qui non præstiterit, numquam suo muneri satisfaciet.

Res exemplo declaratur in materiâ jejunii.

16. Verùm ut res exemplis clarior evadat, fingamus aliquem ob cibi appetentiam adeò jejunii impatientem esse, ut propter suæ conscientiæ dictamen ferè semper jejunium Ecclesiasticum frangat, eò quòd existimet sibi licitum non esse pro refectiunculâ vespertinâ ultra uncias quatuor cibum sumere. Ecce hîc homo sequitur sententiam satis communem, & sine dubio tutiorem; verùm sententia hæc illi scandalum parit. Ponamus hunc hominem se hujus intemperantiæ in confessione accusare &c. simulque subjungat, se tantum sibi imperare posse, ut si liceret 8. vel 9. uncias cibi sumere contentus esse posset, cùm difficillimum experiatur quatuor unciis contentum esse. Quid hîc aget Confessarius? qui rigidam sectatur sententiam nullum poterit solamen menti adferre, sed potiùs afflictionem augebit; illique dicet, quod, ut tutior sit, tribus tantùm unciis contentus esse debeat, quia aliqui docent, peccare eum, qui plus quàm tres uncias pro refectiunculâ sumit; atque ita illum in majus peccandi periculum conjiciet. At qui sequitur benignam sententiam remedium facilè adhibebit; dicetque licitum illi esse 8. uncias sumere; quod maximè verum esse affirmabit, si eum magnæ quantitatis comestorem invenerit: nam probabile est unumquemque posse quartam partem ordinariæ cœnæ pro refectiunculâ sumere; constet autem ordinariam edacis viri cœnam 8. uncias cibi plus quàm quater continere. Jam rogo Adversarios, & totum mundum interrogo, quâ prudentiâ possit Confessarius pœnitentem illum angariare, ut in priore persuasione permaneat? Nonne statim lumine naturæ apparet, quod prudentissimè possit illi suadere, ut juxtà aliorum Doctorum placita credat licitum sibi esse ad minimum octo uncias sumere; simul tamen suadendo, ut ob victoriam sui aliquid minùs sumat, ita tamen ut sciat se non peccaturum etsi 8. integras uncias comederit. Vide quàm necessaria sit sententia benigna viro, cui aliorum directio incumbit.

Aliud exemplum in materiâ justitiæ.

17. Secundus casus sit iste; est qui juxta probabilem opinionem rem aliquam licitè acquisivit, qui tamen ex unâ parte scrupulis urgetur ad eam restituendam, quia est directè probabiliùs, quòd eam illicitè retineat: ex alterâ parte jam morti proximus, vult illam filiis & uxori indigentibus relinquere, neque adduci potest à Confessario ut eam restituat; quia juxta opinionem probabilem eam licitè acquisivit, & probabiliter licitè retinet. Peto quid in hoc casu Confessarium agere expediat? Nonne expedit illi suadere, ut & ob rationes directè probantes credat se posse sibi rem illam licitè retinere, prout plures viri docti pariter & pii docent; & ob rationes reflexas illud pro certò habeat, cùm in eo omnes fermè conveniant? Hoc certè expedit, & juxta leges charitatis necesse est ut suadeatur & doceatur; nisi dixeris expedire, ut absque remedio certissimæ desperationi obnoxius relinquatur. In his & similibus casibus Confessarii, & qui curam aliorum gerunt, tenentur aliis proponere & suadere benignam sententiam, in quantum quædam opinio est, ut sic homines non temerè sed prudenter à peccato liberent; etsi sæpè in eisdem prudenter consulere possint, ut in praxi opinionem tutiorem sectentur. Vide quàm necessaria sit Confessariis benigna sententia.

18. Mer-

Responsio prima Mercori.

18. Mercorus *parte 3. art. 1.* hisce casibus respondere conatur. Ad primum dicit; quoties agitur de lege humanâ, fieri potest, ut propter grave incommodum servandi legem, tamquam ex motivo extrinseco deduci possit convenientia ad sectandam partem benignam, donec dispensatio à Superiore obtineri possit. Sed hinc quid ad casum allatum deduci possit, non invenio. Pono enim tamquam certum, quòd ille, si velit, possit commodè jejunare, cùm tota difficultas à nimiâ cibi appetentiâ & fragilitate viri oriatur. Ergo non est cur petatur dispensatio à lege, quæ etsi peteretur, non concederetur. Deinde incommodum est petere, & quæritur, quid interim dicendum, aut quomodo gubernandus sit? Præterea nulla ratio est illum excusandi, quæ æquè non valet pro omni opportunitate partem minùs probabilem & minùs tutam sectandi; quia illa ex universali ratione desumenda est, cùm viri illius difficultas nullo modo illum à jejunandi obligatione eximat, ut patet ex hypothesi. Ergo vel ille excusari non potest, vel omnes æquè possunt excusari. At nimis clarum est Confessarium posse illum dictâ ratione excusare.

Refellitur.

Responsio secunda Mercori.

19. Secundò universaliter respondet: quod, si sermo sit de lege naturæ aut divinâ, nullo modo opinio benigna suadenda sit; quia etsi illi particulari benigna sententia expediat, illam tamen posse pro arbitratu eligi non expedit bono universali creaturæ rationalis. Sicut si quis tentaretur spiritu fornicationis, magnamque difficultatem ab eâ se continendi haberet, non ideò liberaretur ab obligatione non fornicandi, quia illa lex universali bono creaturæ rationalis expedit, adeóque omnes & singulos strictè obligat. Similiter cùm lex de eligendâ opinione tutiore spectet ad legem seu jus prudentiæ, non est ei derogandum propter bonum privatum. Hæc ille; verùm cum bonâ ipsius veniâ in omnibus insufficienter respondet; nam imprimis universali creaturæ rationalis bono expedit, licitum esse sequi opinionem certò probabilem minùs tutam, uti fusè ostensum est multis in locis. Neque sufficit Mercoro dicere oppositum, nisi illud probet.

Refellitur.

Exemplum Mercori non est idoneum ad probandum intentum.

20. Præterea exemplum fornicationis ad rem non est, quia sumitur de re, quam certò constat esse malam, & prohibitam: debebat ergo exemplum sumi de objecto, cujus tam honestas quàm inhonestas est directè probabilis; verùm nullum ejusmodi exemplum, quod vim adversus nos habeat, aut suppetit aut suppetere potest. Præterea manifestè petiisset principium, si tale quid, de quo nempè est quæstio in exemplum attulisset, nisi exemplum adeò clarum fuisset, ut intentum per se evincere potuisset. Demum quod addit, legem eligendi tutiora spectare ad jus prudentiæ, adeóque illi derogandum non esse propter bonum privatum, dupliciter intelligi potest; primò ut intendat prudentiam obligare omnes ad eligenda tutiora; hoc autem probandum erat non nudè affirmandum: nam manifestum est prudentiam tantummodò consulere, non autem universaliter præcipere talem electionem. Secundò ita intelligi potest, ut si sermo sit de electione regulæ conscientiæ, quia res est gravissima, prudentia obliget ad tutiorem eligendam: hoc libenter admitto; verùm opinio benigna est regula longè tutior, quàm rigida. Ergo ex rigorosâ lege prudentiæ tenemur illam in conscientiæ regulam admittere.

Responsio prima Mercori ad secundum exemplũ.

21. Ad secundum exemplum, primò respondet, casum esse imaginarium; quia moribundi parùm curant de rebus, quas secum ferre non possunt. O utinam omnes homines, etiam morti proximi, tam alieni essent ab affectu ad bona fortunæ, quæ secum ferre non possunt, quàm erat Religiosissimus & Reverendissimus Pater Julius Mercorus cùm hæc scriberet! tunc certè

Impugnatur.

casus

casus videretur imaginarius, & vir verè pius de aliis cum veritate expressisset, quod ipsemet de præsenti in seipso sentiebat. Verùm longè aliter se rem habere norunt ii, qui frequenter peccatoribus morituris assistunt. Tunc temporis luxuria, gula, aliæque sensitivæ partis passiones, fatiscente corpore, aculeum perdunt; sed avaritia, quæ est animi morbus, integras vires exerit; neque ulla major invenitur difficultas, quàm ad eos pro restitutione faciendâ inducendos.

Responsio secunda Mercori.

22. Sed quasi primo responso parum fideret Mercorus, addit secundum, ex quodam moderno docente, quòd vir ille possit tunc quidem rem retinere propter epykeiam seu præsumptionem, per quam creditor ex lege charitatis debitum remittere censetur, ne proximi salus periculum subeat. Verùm statim prudenter hunc modum respondendi refellit, quia nulla datur ejusmodi præsumptio, cùm homines licitè possint sua jura tueri, etsi illud ex nostrorum proximorum malitiâ, in eorum detrimentum spirituale redundet. Deinde addo ego oppositam præsumptionem locum habere; quia præsumptio, quam Author ille fingit, talis est, ut si locum haberet, nemo ferè vellet rem alienam restituere, quia eo ipso quòd debitor difficultatem subiret, statim per dictam præsumptionem liberaretur à debito: quod est inconveniens. Præterea ponamus creditorem absolutè jus suum exigere, idque certò constare debitori. In hoc casu nulla datur præsumptio, qualem fingit responsio; tunc autem urget exemplum, & peto quid Confessario agendum sit?

Non est præsumendum creditorem remittere de suo, quia debitor ex pravâ dispositione habet difficultatem restituendi.

Tertia Mercori responsio.

23. Quocirca Mercorus tertiam responsionem affert, & absolutè fatetur moribundum illum hortandum ad restitutionem faciendam, quam si nolit exhibere, eundem ut impœnitentem esse dimittendum. Quod si objicias, sermonem hunc durum esse, sicut est revera durissimus, respondet exemplo Salvatoris, qui cùm *Joannis 6.* multa dixisset de mysterio corporis & sanguinis sui, quodque ipse esset panis vivus, qui de Cœlo descendisset, sine cujus esu nemo vitam æternam adipisci posset, postquam aliqui ex ejus discipulis scandalizati dixerant, *durus est hic sermo*; non tamen ideò mitissimus Salvator quidquam de doctrinæ suæ rigore relaxavit, ut discipulorum scandalo succurreret; sed ipsis etiam duodecim dixit: *Numquid & vos vultis abire?* In quem locum Toletus optimè ait: *Veritas ad salutem necessaria, non est dissimulanda propter incredulorum scandalum, exemplo Domini.* Unde concludit Mercorus, cùm illicitum sit sequi opinionem minùs tutam, & hæc veritas una sit, & firma, illa propter unius impœnitentis scandalum dissimulanda non est; neque hoc charitati repugnat, charitas enim numquam veritati contrariatur. Nam ut ait Beda, & habetur in regulis juris. *Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas victa relinquatur*: ita Mercorus.

Refellitur responsio Mercori.

24. Verùm contra sic insurgo. Durissimus hic sermo Mercori per exemplum mitissimi Salvatoris nec potest, nec debet defendi. Verba certè illa benignissimi Redemptoris dura non erant, sed malè intellecta dura videbantur: debebant ergo illi sensum eorumdem investigare & mitissimum ac verè mellifluum, non durum sermonem invenissent. Ratio autem, cur durus ille sermo aliquibus videretur, erat, quia illi non credebant in Christum, ut ipse Christus ibidem *versu 64.* insinuat dicens. *Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt; sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.* Quid ergo paritatis est inter sermonem verè mellifluum, & longè durissimum? Sed esto sermo Christi durus fuisse credatur; ille erat de medio ad vitam necessario; erat sermo, quem Deus Legislator in obsequium fidei ab omnibus admitti volebat ut verum. Tales veritates certæ, & ad salutem necessariæ, propter scandalum

Sæpè veritas non est dissimulanda propter scandalum aliorum.

ſcandalum incredulorum, exemplo Domini, diſſimulandæ non ſunt; uti egregiè obſervat Toletus: in quem etiam ſenſum loquitur Beda. Et hæ ſunt veritates illæ, quibus charitas ordinata non repugnat, ſed cum eiſdem neceſſariò cohæret. At quomodo quæſo hæc doctrina ad caſum noſtrum eſt applicanda? Nonne ſermo eſt de veritate ita latente, ut nemo ſciat, utrùm moribundus ille rem olim acquiſitam alienare, ac reſtituere teneatur? Nonne probabile eſt rem illam ſuam eſſe, & licitè acquiſitam? Oppoſitum ergo non eſt veritas firma, nec inter illas computanda, quas tenere neceſſarium eſt ad vitam æternam. Ecce Chriſti exemplum cum Toleti litterali expoſitione ad rem præſentem nil conducit. Et ratio eſt; quia multæ veritates ſæpè ex lege charitatis diſſimulandæ ſunt. Comedat aliquis carnes ex ignorantiâ invincibili diei pro abſtinentiâ carnium ab Eccleſiâ indictæ; ſitque ita diſpoſitus, ut ſciam eum carnium eſum non relicturum, etſi veritas doceatur; certè in hoc caſu non ſolùm expedit, ſed ex lege charitatis veritatem diſſimulare tenetur unuſquiſque, ad quem ex officio non pertinet eum inſtruere; immò ille, qui eum inſtruere tenetur, niſi officium ejus id hîc & nunc poſtulet, & poteſt & debet veritatem celare; cùm eam celando proximo proſit, illi maximè obfuturus, ſi eam manifeſtaret.

Sæpè etiam ex lege charitatis diſſimulanda eſt veritas.

25. Sed quia ad Confeſſarium ſpectat ex officio pœnitentem docere; ideò ille quidem tenetur veritatem edicere; ſed tum ſolùm, quando veritas conſtat; nam quando non conſtat, quomodo obligari poteſt ad eam manifeſtandam? At in noſtro caſu veritas, directè loquendo, non conſtat; loquendo autem reflexè, vel non conſtat, vel certè conſtat pœnitentem non obligari ad quidquam; quia ſententia benigna ad evidentiam longè probabilior eſt oppoſitâ. Falsò ergo affirmavit Mercorus, firmam veritatem eſſe, quod illicitum ſit ſequi minùs tuta; hoc enim falſum eſt, & oppoſitum veritas firma. Sed do utramque partem eſſe probabilem & neutram firmam. Quid ergo aget Confeſſarius? obligabitne pœnitentem ad reſtituendum? ſi obliget, peccabit, quia obligat eum, quem non conſtat eſſe obligatum, imò probabile eſt nullam omninò obligationem habere. Deſeretne ut impœnitentem, illumque evidenti deſperationis & damnationis periculo exponet? Ita docet Mercorus. Sed abſit ut tamquam impœnitens relinquatur, quem non conſtat eſſe impœnitentem. Peto jam, an conſtet hunc hominem rem illam retinendo peccare? nullo modo; quia ſententiam rigidam veram eſſe non conſtat, ſed conſtat oppoſitum. Quomodo ergo conſtat eum impœnitentem eſſe. Dicam ergo quid doctum & pium Confeſſarium agere oporteat. Imprimis & poteſt & debet pœnitentem illum docere, quod omnes fermè Authores, omnibus inſpectis, unanimiter teneant licitum eſſe, rem illam ſibi retinere; quodque bonâ fide & tutâ conſcientiâ poſſit illorum ſententiam pro verâ reputare: illamque in praxi abſque peccato ſectari. Deinde ſuadere poteſt, ut ob conſcientiæ tranquillitatem, dimidium aut totum, ſi velit, reſtituat; modò certum ſit, quod per eam reſtitutionem filiorum aut aliorum jura non lædat. Ita tamen hæc conſulenda ſunt, ut ſciat pœnitens, ſe ſectando partem minùs tutam non peccaturum. Et ſanè omnis doctus & pius Confeſſarius, etiam ille qui tenet ſententiam rigidam, debet inprimis practicè ſuam ſententiam deponere, & tunc pœnitentem juxta benignam ſententiam inſtituere; cùm enim pœnitens indoctus, fatente etiam Mercoro *part. 3. art. 26.* in rebus probabilibus non teneatur ſequi ſententiam Confeſſarii, ſed poſſit alium conſulere, eâ intentione ut veritatem eliciat, ejuſque con-

Confeſſarius non tenetur veritatem docere, niſi conſtet de veritate.

Debet neminem obligare ad ea, à quorum obligatione probabiliter eſt immunis.

 ſilium,

filium, maximè si ille alius sit vir valdè doctus, sequi possit; Confessarius aliorum doctissimorum sententiam pœnitenti debet suggerere, ut illi in mente suâ acquiescat, atque ita à peccati periculo liberetur.

Confessarii munus in duobus consistit.

26. Porrò ratio à priori omnium istorum ab officio Confessarii sumenda est; hoc officium in duobus consistit: primum est, peccata pœnitentis hactenus commissa probè cognoscere; secundum est opportunis consiliis eum in posterum à peccato quantum potest præmunire. Quantum ad primum, stultum est existimare, Confessarium aut posse aut debere secundùm propriam sententiam judicare. Cùm enim pœnitens per judicium Confessarii in operando regulatus non fuerit, evidens est illum non ideò graviùs peccasse, quia Confessarius opinatur peccatum aliquod esse tantæ gravitatis. imò si pœnitens invincibiliter putavit opus aliquod esse solùm veniale, aut quod plus est nullum omninò peccatum involvere, ille nullam omninò, vel tantùm venialem malitiam contraxit, quamvis Confessarius credat, illud opus esse crimen gravissimum. Ergo Confessarius in quantum Judex, qui de peccato commisso judicium format, non ad suas sententias, sed ad judicia, quibus pœnitens in operando dirigebatur, respicere debet; ex his enim, & non ex illis, natura & qualitas actûs ab eo eliciti determinari debet. Quantum autem ad secundum, ut pœnitens in posterum non peccet, eadem est ratio; quia pœnitens non aliter, quàm per propria ipsius judicia, quibus in operando dirigatur, à peccato excusari potest. Ergo Confessarius tenetur eum talibus quantum prudenter potest judiciis imbuere, quibus à periculo peccandi facilè præservetur. Jam verò si Confessarius ipse rigidam aliquam sententiam teneat, & se ipsum secundùm illam regat; non ideò tenetur pœnitentem secundùm illam dirigere, maximè quando sententiam illam pœnitenti valdè periculosam fore prævidet; quia pœnitens illi se conformare non tenetur; quare debet illi alias sententias benigniores proponere, maximè quando sunt valdè communes, quibus pœnitens non temerè, sed prudenter assentiri potest, quasque ipse ut tales prudenter potest proponere. At talis est, si quæ alia, sententia benigna, quam omnes fermè docent, & ut licitam in praxi, validissimis argumentis ducti, amplectuntur. Ergo Confessarius, ut muneri suo satisfaciat, semper potest, & sæpè debet pœnitentem secundùm benignam sententiam instruere, quia semper potest per eam, & sæpè sine eâ non potest pœnitentem à peccati periculo liberare. Itaque sententia benigna Confessariis singulariter utilis est, &, quod plus est, adeò necessaria, ut sine illâ impossibile videatur, quemquam suo officio probè fungi posse.

In utroque aut regulari debet ad sententiam pœnitentis aut certè respicere debet ut opportunam sententiam pœnitenti suggerat.

Conclusio operis.

27. Atque hæc de præsenti quæstione, quæ in se summi momenti, & hisce temporibus agitatissima est, hactenus dicta sufficiant; quia quidquid invenire potui ab adversariis congestum, aut ipse valui ex propriis in sententiæ rigidæ favorem excogitare, diligenter expendi; eaque omnia, non modò in seipsis invalida, sed quod mireris, omnia fermè, maximè quæ Adversarii accumulant, benignæ sententiæ non exiguum robur addere inveni; nec inveni tantùm, sed adeò manifestè in præsenti tractatu hoc ipsum declaravi, ut nemo subtilitatis Theologiæ capax de veritate benignæ sententiæ amplius meritò possit ambigere. Præterea, plures, etsi non omnes rationes (id enim longissimum tractatum postularet) benignæ sententiæ faventes discussi, easque adeò stabiles reperi, ut vix ulla earum sit, quæ omnibus in contrarium hactenus adductis, iisque in unum collectis, multis gradibus non antecellat. Rursus aliquæ ex rationibus benignæ sententiæ faventibus adeò efficaciter rei veritatem convincunt,

ut nullus aptæ responsioni locus relinquatur. Ex quibus omnibus in unum collectis & invicem comparatis, adeò evidens est, benignam sententiam rigidæ anteponendam esse, ut benigna sit ad minimum moraliter certa, cùm rigida infimum probabilitatis gradum ad summum non excedat. Itaque cùm ita constituti simus, ut, nisi benignam pro conscientiæ regulâ amplectamur, necesse sit omnia onera subire, quæ rigida in regulam conscientiæ assumpta inevitabiliter secum fert, quis tam parum veritatis amans, tam salutis suæ negligens invenietur, qui, verâ & suavi regulâ postpositâ, insupportabili rigidæ sententiæ jugo, cum sui aliorumque periculo, animum subjiciat? Nemo ut opinor; nam etsi, ubi difficultas singularis in boni honesti prosecutione emergit, plures deterioribus meliora postponant, juxta illud Poëtæ.

Video meliora proboque,
Deteriora sequor:

Nemo tamen meliora, suaviora, faciliora, ac utrique homini cõducibiliora & gratiora sponte negligit, ut durioribus & magis noxiis collum subjiciat.

Protestatio Authoris, qui omnia sua correctioni S. Romanæ Ecclesiæ sincerissimo affectu submittit.

28. Cæterùm cùm homo sim, nil humanum à me alienum puto, immò quia parum, quod valeo, non penitus incompertum habeo, ideò is non sum, qui præsumo, me in tam longâ disputatione alicubi nil absurdi ex inadvertentiâ potuisse, aut etiam ex minùs ordinato al quo animi affectu (etsi, laus Deo, de hoc non me reprehendat cor meum) dicere voluisse. Ideò omnia & singula, quæ hoc in opusculo congessi, Sanctæ, Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ Ecclesiæ judicio, censuræ, correctioni, ac si per eos, ad quos spectat, ita visum fuerit, condemnationi, libens, sponte, & ex animo, cum summâ omnium Superiorum meorum veneratione submitto; paratissimus, quæ ipsi aut correctione, aut condemnatione digna censuerint, pariter cum eis, eorum authoritate fretus, corrigere, aut etiam condemnare.

29. Porrò, quia correctionis ac condemnationis mentio incidit, quia apud aliquem adversæ sententiæ quandam quasi ad supremum tribunal pro veritatis determinatione appellationem nemini me legisse, ideò absit ut eam, quantum in me est, detrectem, qui enim judicium timet, suæ sententiæ parum fidit; at ego, qui partibus meis non diffido, judicium non vereor. Nec tamen ipse sum, qui absolutè appellare velim; tum quia mea appellatio, minimus humuncio cùm sim, vix mereretur audiri; tum quia veritas rei, cùm in se sit nimium patens, totusque adhuc fermè litteratorum, & Catholicorum, paucissimis exceptis, orbis in eandem sententiam conspiret, omnesque in eam ab Ecclesiæ nascentis exordio conspiraverint, clarè perspicio, nullâ opus esse ad authenticam rei clarissimæ decisionem appellatione: Appellatio enim contra partem validam, & quasi prævalentem fieri consuevit; appellent ergo, qui sibi suisque rationibus diffidunt, quique totius fermè orbis Catholici consensu se jam condemnatos sciunt. Nobis potiùs lætandum, quòd appellatione non indigeamus. Atque ita calamum sisto, Deoque labores hosce meos consecro, illique soli quidquid rationabiliter dictum est ascribo, quia ab illo solo omne bonum descendit. Deo ergo soli laus, honor, & gloria in æternum & ultra.



FINIS.

Laus Deo, Deiparæque semper Virgini Matri.

ERRATA.

Pag.	col.	lin.	Errata	Corrige.
10	2.	22.	qua	quàm
16.	1	37.	certitudo	& certior spes
17.	2	18.	connectantur	connectuntur.
18.	1	25.	foiu-m	so à n
23.	2.	1.	inte..igatur	intelligatur
28	1.	20.	enim	etiam
31.	2.	9.	appa-at	appareat
35.	1.	24.	Aquilonius	Agulonius
42.	2.	8	u lum	nullum
56.	1.	20.	probi'e	probabile
64.	1.	35.	dicat	dicat.)
74.	1.	7.	quodcumque	unumquodque
74.	1.	18.	est & solidissima	est solidissima
79.	2.	23.	v.te	tutè
85.	2	25.	& improbabili	& probabili
95.	1.	3.	affirment	vir talis affirmet.
98.	1.	15.	intrinsecâ	extrinsecâ
98	2.	19.	fassum	falsum
101.	1.	5.	ductos	doctos
110.	1	41.	voluntate	intellectu
117.	1.	14.	medicorum	mediorum
142.	1.	27.	Præfectus	perfectus
152.	2.	31.	& si	si
157.	1.	31.	voluntas	bonitas
160.	2.	14.	sedà	sed à
185.	1.	38.	illâ	ullâ
196.	2.	5.	rationes	actiones.
196.	2.	23.	illum	ullum
207	1	7	sic	hic
207	2.	28.	per se	per te
210.	1.	4.	evenit	venit
217.	1	35.	sit licitum	sit omnibus licitum
218.	2.	22.	sic	hic
222.	1.	40.	quod	quæ
225	2	32.	damnatâ	damnatâ
232	1.	40.	nam	non
265.	2.	19.	judiciis	indiciis
294	2.	9.	23.	22.
298.	2.	35.	n. 14.	num.
303.	2.	22.	colore	colore
305.	1.	20.	implicitè	explicitè
317.	2.	27.	Et	At
335.	2.	30	coedit	credit
341.	1.	31.	I.quâ	aliquâ
354	2.	21.	du	de
358	1.	30.	acceptiones	exceptiones
368.	1.	24.	conscientia excuset	conscientia juxta mentem Alleasis excuset
390.	2.	19.	quæ	qui
390.	2	20.	quæ	qui
390	2.	21.	acciderunt	accidit
396.	1.	7.	sanctique	sancti
406.	2	17.	23.	22.
413.	2.	22	122	22.
441.	2.	38	sunt de	sunt nisi de
449.	1.	40.	opinione	opinione probabili
452.	2.	24.	cognita	cognitus
454.	2.	6.	quam	nam
458.	1.	26.	materâ	materiâ
497.	2.	ult.	etitum	vetitum
514.	2.	1.	Resp. quando	Resp tam sponsi quàm sponsa obligati fuissent ad tutiora, si sententia rigida esset vera. Illa ratio allata æquè procedit de omnibus, cùm tamen omnes illi non essent inter duo mala disjunctivè necessariò. Præterea quando
532.	1.	1.	ne	tum ne
533.	2.	27.	juberemus	juberemur
539.	2.	29.	etiam si	etiam, si
542.	1.	6.	Zachariam	Bonifacium
561.	1.	19.	per se	per te
581.	1.	40.	possem	possent
599.	2.	39.	illarumque	illorumque



INDEX

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Malum

CANONES SACRI.

CHARITAS.

CASUISTA.

CERTITUDO. CERTUS.

COMMUNIO SACRA.

CONATUS.

CONCEPTIO DEIPARÆ.

CONCUPISCENTIA.

CONFESSARIUS.

CONFESSIO.

CONSCIENTIA.

CONSILIA EVANGELICA.

CONSILIUM DARE.

CREDERE. CREDIBILITAS.

CREDULITAS.

DEBITUM CONJUGALE.

DEUS.

DISPENSATOR. DISTRIBUTOR.

DOCERE. DOCTOR.

DUBIUM.

ELECTIO.

ELECTOR.

ELEEMOSYNA.

EPIKEIA.

EPISCOPUS.

ERROR.

EUCHARISTIA.

EXCÆCATIO.

FIDES.

FINIS.

FORMIDO.

HÆRESIS.

HOMICI-

HOMICIDIUM.

HONESTAS.

HORÆ CANONICÆ.

JANSENIUS JANSENISMUS.

IDIOTÆ.

IGNORANTIA.

LEX.

LIBERTAS.

LICITUM.

MACHABÆI.

MAGNUM.

MATRIMONIUM.

MORALITAS.

Regula

MOTIVUM.

NECESSITAS.

NOVITAS.

OBEDIENTIA.

OBLIGATIO.

OPERATIO.

OPINIO.

OPINIO PROPRIA.

PARENTES PRIMI.

PARVUM.

PECCATUM.

PECCATUM IGNORANTIÆ.

PECCATUM ORIGINALE.

PELAGIANI.

PERICULUM.

PONTIFEX SUMMUS.

POSSESSIO.

PRÆCEPTUM.

PROBABILE. PROBABILITAS.

PROPHETA.

PROSPER FAGNANUS.

PRUDENS. PRUDENTIA.

POTENTIA.

RATIO.

RECENTIORES.

REGULA.

REGULÆ JURIS.

RESOLUTIO.

RESTITUTIO.

TUTUM. TUTIUS.

VINCENTIUS BARONIUS.

VOLUNTAS.

VOTUM.

FINIS.

AD MAIOREM DEI GLORIAM.

